Matematica

COMPENDIVM DISQVISITIONVM MORALIVM.

REVERENDISSIMI PATRIS

FRATR. VINCENTII CANDIDI

SACRI PALATII APOSTOLICI MAGISTRI.



SPECVLVM
MORALIS ARCHIMEDIS,
IN QVO REFLEXIS RADIIS SOLARIBVS
Illustriorum Disquisitionum Moralium.

REVERENDISSIMI P. F. VINCENTII CANDIDI
SACRI PALATII MAGISTRI
Ordinis Prædicatorum,

Omnes casus Conscientiæ maximè practicabiles
Summariè Digesti resoluuntur.

EX INDVSTRIA
P. M. F. FRANCISCI SALAFIA DE SYRACVSIS
PROVINCIÆ TRINACRIÆ
eiusdem Ordinis, & Patriæ.

Cum Triplici Indice, Primo Materierum, Secundo Disquisitionum, & Articulorum, Tertio Rerum notabilium.







MESSANÆ, Apud Hæredes Petri Breæ. M. D. C. LV.
Superiorum Permissu.



CLARISSIMO, ET HEROICO
DOMINO
HECTORI
VAN-ACHTHOVEN
BELGICO,
OCTO TVRRIVM DOMINO,
NOBILI MESSANENSI,
ET BELGICAE NATIONIS
Integerrimo Consuli.
FR. FRANCISCVS SALAFIA
MAGISTER DE SYRACVSIS
Ordin. Prædic. D. D. D.


OMA, (mundi Caput) cui propter præclaros, sapientesq; viros pauca non laudum obtulere tributa mortalium linguæ, & si non se præstantiorem

rem

rem, æquali tamen gaudere fortuna Syracusanam experta est Rempublicam; maxime ob Archimedis ingenium, qui ex Orbe vitreum varijs rutilantem motibus effecit Orbiculum. Sic ipse immenso ex Reuerendissimi Sacri Palatij Magistri P. F. Vincentij Candidi Morali Orbe, paruulum in lucem edidi hunc moralem Orbiculum; ad cuius pondus tuas (Domine) sufferendum elegi vires; dum ex tui moribus Genitoris Cornelij Van-achthouen minime demigras, qui vt non tantum Octo Turrium Dominus, (vt propria tuæ familiæ insignia, & cognomen ostendunt) quasi Octo Orbium sustinens onera, quantum Imperij Cæsariæ Maestatis Rodulfi Secundi Athlantem superasse robore mundi resonat echo. Pythagoræ tamen lingua amplectitur leges; & non ait Cornelium Van-achthouen propter imperij amo-

rem

rem exercituum Ducem sanguinis fudisse flumina, Octo Turrium patrimonium, Filiorumq; non gloriæ, sed corporis vitam; quorum alter (nomine Ioannes) inter æquestres Ducis: alter (nomine Alexauder magniq; non spernēs Alexandri vestigia) vice gerentis dignitate effulsere: quorum triumphorum flamina sub silentij relinquo cinere, latisque in campis æquo marte dimicantes, vulnerum sanguine adeptos esse purpuram, victoriarum semine palmas, cadauerum congerie thronum, non affirmo, quamuis horum mira ad immortalitatis extollere Olimpum sēper fama tenetur.

De Cornelij Van-achthouen gestibus taceo, qui triginta sub Imperij pondere annis consumptis, tandem senio prope octogenarius in Antuerpiæ patria è vita discessit, bonisq; plenus operibus ad meliorem euolauit, ac laudibus

bus non paruis funera Senatus ille, eiusque consanguinei celebrare: cuius immortale robur herculeas tibi gloriæ erigit, Non plus vltra, columnas, cuius cinis est tibi, vitæq; lumen, cuius non satis ipse penetrans insignia in illa, vt Empedocles in Ætnam me conijcio, quia non possum te capere, me capias.

Virtutum in te est præconium, omnibusq; in rebus præstantia, vt quid è tanto choro suscipiendũ primo sit, magnopere pendet. Relinquo diuitias, quarum affluentia Pactoli vincit vndas, Crœsi opes. Huius metalli fulgoribus in aliquibus non fulget honor, auriq; grauitas potius cursum virtuti cohibet, his vero tu vt Dominus vteris, & seruitutis excutis iugum. Quid de fortuna asseram, sub cuius rota, perpetuos generante cursus ad instar Ixionis homines infinitas obtinent pœnas, tuis tamen respondet optatis.

Æqua-

Æqualem Mecænatis obtinere, non aſſero gloriam, cuius limen omnium Parnaſſus dicebatur virtutum, te tanquam liberalium æmulatorem artium, fidemque Chriſti extollentium iam fama volat. Similemque Numæ Pompilio ſecundam Romanorum Regis dignitatem poſſidenti eſſe, vnicaque cum illo amplexari erga Deum cultum, vitæ bonitatem, eleemoſinas tribuere egenis; nec non Aſtræam magis magiſque in Conſulatus officijs diligere. Æneæ mores ſequi aſſerere ad me non ſpectat, qui funditus euerſa patria Patrem Anchiſem humeris in tutum duxit, & diuerſa per loca vagans, latium ſibi in patriam elegit; Tu tamen per diuerſa tranſiens Europæ regna, velut argumentoſa Apis mel virtutum hieroico in tui animi alueo, gratiarumque ſalutiferum cumulaſti, & quamuis tuos non genitoris onere, eius tamen moribus

bus humeros onoraſti; ad Meſſanæ tandem littora te fortuna perduxit, de cuius præclaris, viriſq; belligeris, nobilibus, & togatis fama non tacet, hanc in propriam patriam elegiſti, filiamque in matrimonium Illuſtri Domino Don Dominico de Alberto Pentedattyli Demarco collocaſti, cuius familia profecto clariſſima è nobiliſſimo Florentinorum ſtipite trahit originem, & Meſſanæ; multorumq; Siciliæ Regni Magnatum affinitate gaudet.

Ille demum Timolion Corinthius, qui Syracuſas è Dioniſij ſeruitute liberando, nomen Patris Patriæ adeptus eſt, Ciuiſque, & Senatoris dignitatem habuit; ſi huius vitæ curſum traheres, non tibi te diſſimilem cognoſceret, dũ Meſſanæ populum famæ laceſſitum, proprijs inter alios refeciſti pæcunijs, quaſi Bellerophon, ad horridam famis Chymeram deſtruendam coadiuuaſti,


ob

ob quod te veri Hectoris non solum nomen, verum & facta assequi linguæ clamant; quam ob rem sicuti illo viuẽte nullas pertulit Troia iniurias, sic te viuente Hectorem Zancla possidebit suum. Non ergo immerito te in Nobilem, ciuemque fidelissimum aggregarunt. Pro quibus enarratis, & nunquã satis enarrandis, vt quidam Poeta ad magni Ducis æternitatem laudis Elogium concinit, tibi ipse idem merito etiam concino.


Quæ sparguntur inter omnes in te mixta manent,
Et quæ alios Beatos perficiunt, collecta tenes.

Ipse vero tuorum graui sub honorum pondere manens eloquentiæ tribuendi gressus vsum non habeo, æquora non calamus atramenti nauigat, per curarũ aerem mens euolans, Icari descensum exercet; famæ tamen clangores percipiens, Orbem, & Speculum tuo Patrocinio Moralis Archimedis offero. Par-

uulum hoc opus dicitur Orbis, vt eius circulis, ſiue doctrinę dogmatibus propriam quiſque animam gubernet; Speculum dicitur Moralis Archimedis, vt reflexis tuæ gloriæ & nominis radijs, quibus refulgere Catholici Athletæ te concinit fama, Reorum crimina vrat, vt vitiorum nexus expurget. De reliquo Deum (cui omnia ſubiacent, & qui facit mirabilia magna ſolus) vt omnia bona pariter cum animæ, corporiſque vita tibi fæliciter, conteſtor, eueniant. Vale Meſſanę in Conuentu Almi Studij Generalis Sancti Dominici die prima Nouembris. M. D. C. L I V.



A D



AD LECTOREM.



MAGNVS ille Philosophus, & Mathematicis apprimè instructus Archimedes Syracusarum decus amplissimum, cùm patrij naturam cæli accuratiùs inspexisset, & nullam obseruasset ire Syracusas sine Sole diem; admirandum excogitauit speculum, quod aduerso oppositum Soli solares radios in naues retorquebat hostiles, ibiq; nullo negotio conceptis ignibus inimicorum carenas inopinato comburebat incendio. Mei ciuis ego mores emulatus, vbi ad propriæ portum cellæ, & requiem, (quam Syracusæ sonant,) appuli; illicò saluberrimum Theologiæ Moralis sum contemplatus cælum, mihiq; maximus ille circulus ob oculos obseruauit, qui vulgari cælo per Ouidium via,

Lactea nomen habet, candore spectabilis ipso
Hæc iter ad superos ad magni regna Tonantis
Regalemq; domum.

In quo illud animaduerti, quòd sicut Candidus splendor inter se confusa nidentium luce dimanat multitudine, sic in maximò Theologiæ Moralis circulo è Doctorum varietate candidissimus profluiscitur fulgor, & noua componitur via, qua mortalium animas tollit ad superos. Hæc interq; Sydera, quorum fulgore hæc lactea conficitur via, nouum ego sum admiratus astrum, videlicet, Reuerendissimum Patrem Fratrem VINCENTIVM CANDIDVM Sacri Palatij Magistrum Ordinis Prædicatorum lumen amabile, quem professò Sydus vocarem, ni abundantia luminis, quam peregrino in quattuor Tomos distributo Moralium Disquisitionum opere diffundit, Solis sibi nomen vendicasset. Nec me meus inlusta fefellit affectus, nec meam eiusdem Ordinis, & Patriæ intempe-

stiuus

stinus amor transuersam adegit mentem: Veritas enim ipsa protestatur, numquam tanti Authoris meritum, & ingenij lumen pari posse celebrari præconio. Etenim saluberrimis ad animarum salutem opus est refertum medicinis, fœliciter nimis Sacrorum Canonum est variatum gemmis: quot Doctorum sententiæ, tot amænissimè est distinctum margaritis. Nullæ sunt obscuræ opinionum tenebræ, quàm lucido sui ingenij dissipauit illas candore: doctrina, quam habet defecata, illimis succiplena, & tota quanta est, quippeq; dimanauit à Candido. Quidquid denique reperitur dignum Sole, Cœlo dignum, dignum quod omnium manibus atteratur, & inoffenso semper oculo decurratur. Ni credis, Lector, peregrinum per lege si lubet opus, illud eruditione refertum, & tanto dignum Authore confirmabis. Solidis firmatas fundamentis, & ab extremis recedentes inuenies sententias. Nullum, vel minimum irrepsisse videbis errorem. Nullum ibi næuum (quod florentissimis assolet ingenijs euenire) in rebus Orthodoxis deprehendes. Nil à fide Catholica absonum, nil bonis oppositum moribus, nil à veritate inuenies alienum. Quinimmò admirabilem illius fœlicitatem ingenij admiraberis, dum ex abstrusis Sacrorum Canonum latebris plurima, quæ videbantur obscura, & intellectu difficillima deprompsit, & enodauit. Quæ à Doctoribus in dubium vocatæ fuerunt opiniones, firmis stabiliuit rationibus, delictorum monstra radio illustriore detexit, & vinci nescius vicit, superauit, oppressit. Quæ cùm ità sint, non me pœnitet in hoc maximo Theologiæ Moralis circulo Reuerendissimum Patrem Fratrem VINCENTIVM CANDIDVM lumen, & Solem vocitasse fulgentissimum, cui Soli meum hoc ego speculum opponam, vt conceptis ignibus animæ Christianæ diuinis ardeant, exæstuent incendijs; Tanti Solis ergò radios in vnum ego collegi, & hoc ipsius opus in breuiorem formam redegi, vt haberem, quod illi dicarem, & tàm lucidi Solis radios in meo collectos speculo ad fidelium animarum salutem retorquerem. Age iàm nunc, Lector, meam in hoc speculo perpende mentem, & morem cognosce meum. Doctorum in hoc speculo cito neminem, Iuris tantùm Ciuilis, & Canonici loca, Concilia, Pontificum motus proprios, Diplomata, & Doctorem proferam Angelicum. His enim è fontibus quidquid alijs est sparsum operibus, est deriuatum: fontes persequi, non riuulos mihi satius visum est. Ne fastidio sim Lectoribus, Authoris conclusiones, & sententias fideliter expositas breue, & vnicum confirmabit argumentum, aut è Supradictis fontibus austa solidabit authoritas. Prolixiores Disquisitiones, quamuis ad eamdem spectarent materiam, dimidiaui, & in nouas dearticulaui Disquisitiones. Articulos similiter dearticulatos in Disquisitiones vertere ausus fui; non Authoris iniuria, sed facilitatis gratia, ne nimius radio-

rum

rum fulgor in hoc paruulo collectus speculo Tyranum oculos excecaret. Disquisitionum Seriem, quæ in quattuor Tomis habetur, non sum sequutus: vt Alphabeticũ ordinem, quẽ Author in duobus vltimis Tomis ex superuenientibus, & vtilioribus materijs prætermiserat in integrum restituere iudicaui. Triplici opus ornaui Indice, quorum Primus Materierum, Secundus Disquisitionum, & Articulorum seriem, Tertius verò rerum, quas notatu dignas existimaui, demonstrat, in quo prior numerus ad Disquisitionem, posterior ad Articulos, tertius ad sectionem, certa, & non fallaci conducit via.

Pro certo scias, Benigne Lector, quidquid in hoc à me breuiter Libello expositum, ex sana Authoris mente fluxisse; si quid verò inconsonum cognoscis, habes unde ignoscas; mortalem enim dum vitam ducimus, defectibus vacari illæsi non possumus. Ipse quidem omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijcio iudicio, tuaq; Doctrinæ corrigenda relinquo; si quid inuenies pulchrum, gloria, & honor sit Authori, quem, piè est fides habenda æthereis iam frui sedibus, cum indubitatum habeatur, seruire Deo regnare esse, illiusq; finem cælestibus excolere sertis electos.

Et desiderio potiebar calamo resonãtem reddendi per Orbem huius Reuerendissimi Patris Fr. Vincentij Candidi Sacri Palatij Magistri Originem, Patriam, Parentes, Vitam, Integritatem, Virtutem, Zelum, Obseruantiam, nec non Abstinentiam, Doctrinam, Charitatem, Regimen, Laudem, Honorem coram Deo, & Hominibus: at quia Deo dante, & Superiorum permissu repletum Prælo mittere meæ, illiusq; Syracusanæ Vrbis Prælatis, Sapientibus, Belligerisque Viris Volumen spero, in hoc eius vitam mirificè colligam, totumque Fidelibus proferam publicandum ad gloriam Omnipotentis Dei, & Sacri Nostri Prædicatorum Ordinis. Eius tamen Opera laudabilem referre famam, dignamq; fide clamare assertionem Venerabilis, & Reuerendissimi Patris Fr. Ioannis Baptistæ de Marinis Totius Nostri Ordinis Generalis Magistri Vigilantissimi, qui illius verus in omnibus æmulator, dignusq; filius, tanti Patris beneuolentiæ non immemor sic suæ exordium capit Epistolæ.

VNIVERSIS FRATRIBVS

ORDINIS PRÆDICATORVM

FR. IOANNES BAPTISTA DE MARINIS

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

& eiusdem Ordinis

Humilis Magister Generalis, & Seruus salutem & pacem in Domino.



OMMVNIA mala communibus prosequenda lachrymis. E quamuis dolor, quem hisce diebus concepimus, eius sit acerbitatis, & molis, vt etiam in vos, totumque Ordinem distributus, suum apud nos pondus retineat; ad illius, Ordinisque tamen solatium non parum faciet publicus Ordinis luctus, publicaque vestrûm, & priuata pietas.

Septima igitur huius Mensis dies (quæ & Sabbathum fuit) quinta circiter noctis hora ad Requiem, & perpetuæ lucis diem emisit suauissimum, & pijssimum nostrum senem, Venerabilem P. Fr. Vincentium Candidũ Sacri Apostolici Palatij Magistrũ, re, & opere tam Vincentium, Candidum, & Magistrum, quàm nomine, & Officio. Sat, superque ad illius prætium, ad vestrum dolorem nimis, & si ad nostram in eum Charitatem parum diximus, dum nominauimus; cuius nota, chara, laudataque omnibus nedum vobis pietas, innocentia, humilitas, eruditio, prudentia, zelus, sanctitas, vel à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa Decimo meruit amari, & palàm sæpius commendari; qui octogenario maior, iam à pueto maximæ expectationis, & laudis sexaginta & vnum annos in Ordine per sanctè non tam vixit, quàm luxit, & arsit; Qui interim ad varia Ordinis per varios virtutum gradus assumptus officia, ter Prior Conuentus Romani Sanctæ Mariæ super Mineruam; quater varijs in Prouincijs Sicula, Apula, Romana Prouincialis; ter summi Pontificis iussu Vicarius Generalis Ordinis sui sẽper similis, ac totius obseruantiæ vera factus effigies, Religionem non minoribus ditauit exemplis, quàm documentis, profundæ quam editu monstrant libri, eruditioni profundiorem humilitatem, sanguinis

nobi-

nobilitati virgineam puritatem, publicis occupationibus iuge orationis, pœnitentiæ, charitatis otium studiumque raro feliciq; iungens commercio, verè diues, quia verè pauper, tandem in tot tantarumque complexu virtutum, has inter laudes, hæc inter merita, vt vixerat, mortuus est nostris dignior Elogijs, quàm lachrimis, ni noster foret, & imitatū mallemus, quam laudatum.

Vnde nihil aliud nostro licet, superestque dolori, quod addamus epitymbium, nisi vt Vos ad suprema debitaque tantæ pietatis viro fraternæ charitatis officia, ad deuota scilicet pro illius anima suffragia publica, & priuata inuitemus. Etsi enim attenta Angelica mortalis eius vitæ serie (quæ pretiosam gloriæ, atque historiæ materiam dabit) neutiquàm dubitemus Candidum nostrum iam inter Cãdidos Angelorum choros felicem, nedum felicitatis Candidatum; nihilominus (vt piè monet Augustinus) melius ista illi supererunt, quæ non obsunt, quam deerunt, quæ prodesse possunt. Vosque demùm hoc in exemplari, quod vobis in hoc perfectionis monte monstratum est, vitæ religiosæ Compendium intuentes, totque virtutis vestigia agnoscentes, ea vt sequamini, & ametis hortemur. Satis enim illum laudauerimus, si imitemur: vt dum in eo humanitatis nostræ vulnera sentimus, ab eodem immortalitatis remedia mutuemur. Valete, & pro Nobis orate. Datum Romæ in Conuentu Nostro S. Mariæ super Mineruam pridie ID. Nouembr. Anno Domini M. DC. LIV.

Fr. Io. Battista de Marinis.

AD REVERENDISSIMVM CANDIDVM.

SI lacrimas vnquam mæsti fudistis Ocelli
Fundite nunc quæso Patris Orbati Vita
Terra Dolet, Plangunt Aquæ, flet ignis & ipse,
Et Lacrimat Pluto, Sydera sola vident.

c DON

D. IOSEPH REATII S. T. D. SYRACVSANI,
AD AVCTOREM.

Quis fœlix poterit, nomen celebrare per Orbem,
Candidior Cunctis Candidiore sequi?
Candida dicta sequi [illegible] Candoris Amicum,
Candida ad astra facis tendere cuique vias.
Candide [illegible] totum viuente per æuum
Nomine Salaphix Candidus alter eris.

PATRIS FR. CAROLI MONTALVE
AD AVCTOREM.

C C C C C C C C C C C
Corpora Cum Christi Calamo Castissime Custos
Custodis, Cingit Cara Corona Caput.

EIVSDEM ED EVNDEM

D D D D D D D D D D D
Doctrinam Domini Dum Dux Dignissime Doctor
Defendis, Debent Donaque Digna Dari.

P. F. HIACINTI CALARCHO STVDENS FORMALIS
AD AVCTOREM.

Non poteras de stirpe tuorum excedere clara
Quæ fuit Hyspanis Regibus obsequio.
[illegible] maxima Regis
Tu breuiter calamo Cœlica regna Dei.

P. F. VITI DE APVLIA ORD. PRÆD.
Studens Formalis
AD AVCTOREM.

Ex densa fulmen [illegible] nube resurgens
Clamores gignit [illegible] quatit.
Sic tua dogmatibus densis Francisce libellis
Fama per ora [illegible]:

SYRACVSION.

Quidquid agas sapienter agas, & respice finem
Nam requiem græco nomine SYRA sonat.
Candidus è magnis, quæ hausit Doctoribus, astra
Vt peterent homines, hic cumulata manent.

NOS FR. GREGORIVS DE AREYLZA

Sacræ Theologiæ Magister, Vicarius Generalis Congregationis Sanitatis, necnon Prouinciæ Trinacriæ Vicarius, Visitator, & Commissarius Generalis Ordinis Prædicatorum.

TEnore præsentium, nostriq; authoritate Officij committimus Admod. Reuerendis Patribus Magistris Fratri Placido Leanti Priori Regij Conuentus Sãcti Dominici de Syracusis, & Fratri Vincentio Rizza de Syracusis, & in præfatorum deficientia alijs duobus Admod. Reuerendis Patribus in Sacra Theologia Magistris eiusdem Ordinis recognitionem Libri, qui inscribitur SPECVLVM MORALIS ARCHIMEDIS, vel Compendium Operum Casuum Conscientiæ Reuerendissimi Patris Fratris VINCENTII CANDIDI Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Magistri per Admod. R. P. in Sacra Theologia Magistrum Fratrem FRANCISCVM SALAFIA de Syracusis eiusdem Ordinis, & patriæ accuratius elaboratum; & facta approbatione in scriptis, concedimus licentiam, vt typis mandetur, habito tamen prius verbo cum Reuerendissimo Patre totius Ordinis Magistro. Datum Syracusis in nostro Regio Conuentu Sancti Dominici in discursu Visitationis; Die 20. Maij 1651.

Fr. Gregorius Areylza qui supra.

Locus ✠ Sigilli.

R. fol. 16.

Fr. Ioannes Nicolinus Magister pro Socio.

IVDICIVM ADMOD. R. P. Fr. PLACIDI LEANTI Sacræ Theologiæ Magistri Prioris Regij Conuentus Sancti Dominici Syracusarum Prouinciæ Trinacriæ Ordinis Prædicatorum.

EX commissione Admod. R. P. Magistri Fr. Gregorij Areylza Cōgregationis Sanitatis Vicarij Generalis, necnon Visitatoris, Commissarij, & Vicarij Generalis huius Prouinciæ Trinacriæ, Opus, Speculum Moralis Archimedis dictum, ab Admod. R. P. Magistro Fr. FRANCISCO SALAFIA de Syracusis ex Operibus Reuerendissimi Patris Fr. VINCENTII CANDIDI Sacri Palatij Apostolici Magistri copiosa eruditione refertum, industriosè verò ab hoc Morali Archimede epilogatum, ea, qua potui diligentia, & læto animo perlegi, nihilq; in eo ab Orthodoxa fide, ac veritate alienum, nihil bonis moribus aduersum reperi; vnde, vt in publicum prodeat, dignissimum iudico. Datum in Regio Conuentu Sancti Dominici de Syracusis, Die 2. Ianuarij 1653.

Fr. Placidus Leanti Magister, & Prior.

ALTERVM IVDICIVM ADMOD. R. P. F. VINCENTII Ryzza de Syracusis Sacræ Theologiæ Magistri eiusdem Ordinis, & Prouinciæ.

SPeculum Moralis Archimedis ab Admod. R. P. Magistro Fr. FRANCISCO SALAFIA de Syracusis Ordinis Prædicatorum elaboratum, in quo refulgent Candidæ Doctrinæ lucidissimi radij summariè extracti à quatuor Tomis Reuerendissimi Patris Fratris VINCENTII CANDIDI eiusdem Ordinis Sacri Palatij Magistri, ex speciali commissione Admod. R. P. Magistri Fr. Gregorij Areylza nunc Vicarij, Visitatoris, ac Commissarij Generalis Prouinciæ Siciliæ, recognoui, quòd ità fidelitèr, eruditè, ac ordinatè inuenisse testor, vt illud idoneum ad Confessariorum, & pœnitentium naues inflammandum iudicaui, & vt prælo in bonum plublicum edatur necessarium. Syracusis die 6. Februarij 1653.

Fr. Vincentius Rizza Magister.

NOs

NOS FR. IO. BAPTISTA DE MARINIS

Sacræ Theologiæ professor, Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & seruus.

TEnore præsentium, quantùm in nobis est, facultatem concedimus Adm. R. P. Magistro Fratri FRANCISCO SALAFIA, Prouinciæ nostræ Trinacriæ, vt typis mandare possit SPECVLVM MORALIS ARCHIMEDIS, siuè Compendium Operum Casuum Conscientiæ REVERENDISSIMI P. F. VINCENTII CANDIDI, Sacri Palatij Magistri, per præfatum P. Magistrum F. FRANCISCVM SALAFIA accuratè elaboratum, & à duobus Theologicis nostri Ordinis iàm approbatum, seruatis seruandis, præcipuè Sacri Tridentini Concilij Sanctionibus. In quorum fidem his sigillo nostro munitis, manu propria subscripsimus. Dat. Romæ die 10. Maij 1653.

Fr. Ioannes Baptista de Marinis Magister Ord.

Reg. fol. 27.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Gregorius Areylza Mag. Prouincialis Terræ Sanctæ.

Die

Die 13 Augusti 1654

IVssu Reuerendissimi Dom. Vic. Gen. studiose per legi opus hoc quod inscribitur, Speculum Moralis Archimedis, ab Adm. R. P. Magistro Francisco Salasia Ordinis Prædicatorum, Compositum, & in eo non solum nihil reperi bonis moribus, vel fide orthodoxæ dissonum, verum etiam doctrinis omnibus refertum Theologorum consensu approbatis, Confessoribus necessarijs, & studiosis valde vtilissimis, vnde quantum in me est laudo, & approbo vt typis mandetur saluo semper &c.

D. Saluator Marchesius Cl. Reg. Sacræ Theologiæ, & Sacrorum Canonum olim publicus Lector, nec non S. Inquisitionis Qualificator.

OPus hoc, quod inscribitur, Speculum Moralis Archimedis, Admodum Reuerendi Patris Fratris Fracisci Salasia Prædicatorum Ordinis Magistri Opus, sane summa accuratione elaboratum; Illustrissimo Domino meo Regente Preside Tribunalis Magnæ Regiæ Curiæ mandante per legi; in eoq; dum nil, quod impressioni obesse possit, immò omnia doctè, certè omnia valdè perutilia, ac magnopere Confessarijs necessaria inuenissem, Typis committi meritissimum iudico. Messanæ Octauo Idus Augusti, Millesimi, Sexcentesimi, Quinquagesimi Quarti.

V. I. D. Don Antoninus Bisignano Prothometropolitanæ Messanensis Ecclesiæ Canonicus.

Imprimatur.	*Imprimatur.*
D. Fortunatus Carafa Vic. Gen.	Reg. D. Petrus Gregorius Præsidens.

INDEX MATERIERVM VNIVERSALIVM

Serie Alphabetica Digestus.

Index Rerum Notabilium in fine Operis ostendet tibi latebras aliarum absconditarum.

SERIES DISQVISITIONVM, ET ARTICVLORVM.

DISQVISITIO I.

De materia Abortus.

DISQVISITIO II.

De Abscissione membrorum.

DISQVISITIO III.

De Absolutione.

22. An

DISQVISITIO V.

De Accusatione.

DISQVISITIO VI.

De Adiuratione.

DISQVISITIO VII.

De Adoratione.

DISQVISITIO VIII.

De Adulatione.

DISQVISITIO IX.

De Adulterio.

DISQVISITIO X.

De Aduocatia.

DISQVISITIO XI.

De Amplexibus.

DISQVISITIO XII.

De Apostasia.

DISQVISITIO XIII.

De Arrha, & retrocessione à contractibus.

DISQVISITIO XIV.

De arte componendi, & vendendi, & quibus benè, vel malè vti possimus.

DIS-

DISQVISITIO XV.

De Astrologia.

DISQVISITIO XVI.

De Baptismo.

DISQVISITIO XVII.

De Bello.

9. An

DISQVISITIO XVIII.

De Beneficijs.

11. An

29. An

43. An

DISQVISITIO XIX.

De Blasphemia.

DISQVISITIO XX.

De Cambijs.

uit

DISQVISITIO XXIV.

De Ritu seruando in ferenda censura.

DIDQVISITIO XXV.

De causis excusantibus ab incurrenda censura.

2. An

suris

DISQVISITIO XXVII.

De Concilio Generali.

DISQVISITIO XXVIII.

De Confeſſione Sacramentali.

DIS-

DISQVISITIO XXIX.

De Confessionis Sacramentalis Materia.

DISQVISITIO XXX.

De forma Absolutionis Confessionis Sacramentalis.

DISQVISITIO XXXI.

De dolore requisito in Confessione Sacramentali?

DISQVISITIO XXXIV.

De satisfactione Confessionis Sacramentalis.

DISQVISITIO XXXV.

De Effectu Confessionis Sacramentalis.

DISQVISITIO XXXVI.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis.

DISQVISITIO XXXVII.

De Ministro Confessionis Sacramentalis.

DISQVISITIO XXXVIII.

De Confirmationis Sacramento.

DIS-

DISQVISITIO XLII.

De quantitate Corporis Christi in hoc in Sacramento.

DISQVISITIO XLIII.

De existentibus in Sacramento Eucharistiæ.

DISQVISITIO XLIV.

De Cognitione Christi in Eucharistia.

DISQVISITIO XLV.

De Transubstantiatione.

DISQVISITIO XLVI.

De Effectu huius Sacramenti.

DISQVISITIO XLVII.

De Ministro huius Sacramenti.

4. An

DISQVISITIO XLVIII.

De indignè sumentibus Eucharistiam.

DISQVISITIO XXXXIX.

De sumptionis impedimentis Eucharistiam.

DISQVISITIO L.

De obligatione suscipiendi Eucharistiam.

DIS-

DISQVISITIO LI.

De Extrema Vnctione.

DISQVISITIO LII.

De Indulgentijs, & Thesauro Ecclesiæ.

DISQVISITIO LIII.

De Iuramentis.

DISQVISITIO LIV.

De Matrimonio.

8. An

DISQVISITIO LV.

De recto regimine, & custodia Monialium.

DISQVISITIO LVI.

De Ordine.

27. An

FINIS.

Seriei Disquisitionum, & Articulorum.

Ad honorem Beatæ Mariæ Sãctissimi Rosarij, Patriarchæ Ioseph, Beati Dominici Patris Nostri, & Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Amen.

SPE.

SPECVLVM MORALIS ARCHIMEDIS QVO OMNES CASVS conſcientiæ practicabiles ſummariè digeſti reſoluuntur.

DISQVISITIO I.

DE MATERIA ABORTVS.

ARTICVLVS I.

An liceat Abortum procurare remedijs ad ſalutem prægnantis reparandam?



RESPONDETVR, non, tàm antè, quàm poſt fœtus animationem. Non poſt; quia hoc eſt cooperari directè neci innocentis. *Ita L. penult. C. de Sicarijs*. Neque antè, cùm ſit contra naturam generationis; & non eſt medium per ſe neceſſarium ad ſanitatem.

2. Poteſt tamen antè vti remedijs, ſi prægnans periculoſè laboraret, & non ſupereſt aliud remedium; quia actiones humanæ ſpecificantur ex eo, quod per ſe eſt in operantis intentione, & non ex effectu per accidens, ac præter intentionem ſubſequuto. *Ita D.Tho.2.2.q.64.art.3.*

3. Si verò animatus, non poteſt, etiam cum vitæ matris periculo; quia quilibet tenetur exponere vitam corporalem pro ſalute æterna proximi.

4 Imò neque poteſt, ſi fœtus dubitatur, an ſit animatus; quia non licet alteri ſubuenire cum periculo, & dubio ſalutis æternæ proximi.

5. Verùm poteſt, caſu quo mater, & fœtus, remedijs nõ adhibitis, probabiliter perituri cenſeantur; quia minus malum eſt mors dubia vnius, quàm omninò certa duorum. *Ita cap. duo mala, & cap. nerui diſt. 13.*

ARTICVLVS II.

An liceat impedire conceptionem, vt sterilis euadat ad euitandam infamiam?

1 ℞. Non, quia sterilitatem procurare, est contra bonum prolis nascituræ, & contra ordinem naturæ, & non sunt facienda mala, vt veniant bona.

2 Vnde quamuis liceat alteri præstare consilium, vt in his casibus minus malum eligatur, tamen nemini licet tali consilio vti; quia in altero non potest vtrumque malum vitare, benè tamen in seipso. Neque etiam licet cuipiam veniale admittere, vt caueat in altero mortale; quāuis malum pœnæ possit quis amplecti ad culpam alterius vitandam. At secus est de malo culpæ etiam leuis: implicat enim culpam esse, & licitè posse eligi.

3 Pœnæ à Sixto V. *in sua constit.* positæ solum locum habent in abortu fœtus animati; & Gregorius XV. *in sua constit.* quo ad excommunicationem concessit Episcopo, & eius Confessori Pœnitentiario in foro conscientiæ posse absoluere. Hinc est quòd Gregorius XV. constitutionem Sixti V. erogauit, scilicet quòd procurantes fœtus inanimis abortum, aut exhibētes mulieribus, vel sumentes venena sterilitatis, & consilium eis dantes, non excommunicati, nec manere irregulares.

DISQVISITIO II.

De Abscisione membrorum.

ARTICVLVS VNICVS.

An liceat abscindere sibi membrum ad defensionem pudicitiæ?

1 ℞. Non; quia nō est medium omninò necessarium, & ad illud per se ordinatum, sed potius orationes, ieiunia &c. *Ita Diuus Tho. 2. 2. q. 65. art. 1. ad 3.* Tùm quia non inquinatur corpus nisi de consensu; *iuxta dictum Sacræ Virginis, & Martyris Luciæ ad Paschasium Tyrannū.*

2 Secus si est pro salute, & vita corporis, quia aliquādo aliter conseruari non potest, & sic ex necessitate, & per se ad illam conseruandam est ordinatum.

3 Ita dicimus non licere vti fornicatione pro salute corporis; quia nō est ordinata ad conser-

A

seruationem propriæ vitę ex necessitate. *ita D.Tho.2.2.q.64. art.7. ad* 4. Neque potest procurare pollutionem; quia semen non est institutum à natura ad bonum ipsius indiuidui, sed ad speciei conseruationem, media coniugali copula; Aliàs si concederetur passione libidinis excæcatus, ad maiora, & peiora vitia pulularet.

DISQVISITIO III.

De Absolutione.

ARTICVLVS I.

An virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilei possit quis absolui à censuris deductis ad forum contentiosum?

1. ℟. Sic; quia priuilegium cōcessum sine restrictione non est nobis limitandū. quāuis Cōcil. Trid. *sess.24.cap.6. de reform.* limitauit Episcopis. Nō est facultas odiosa Ordinarijs; quia absolutio fori pœnitentialis non impedit processum in foro exteriori.

2. Non obest prohibitio illa Sixti IV. *in extrauag.* cùm per hāc non restringatur facultas ab alijs Summis Pontificibus concessæ.

ARTICVLVS II.

An virtute supradictæ, & Priuilegio Religionis possit absolui, & etiam dispensari ab irregularitate?

1. ℟. Non; quia facultas in Bullis tantum datur absoluendi à censuris: at irregularitas non est censura propriè, cum ipsa tollitur, & dispensatur, & non absoluitur, & vt in plurimum includit inhabilitatem, quamuis sit censura, & pœna.

2 Verùm potest defendi pars affirmatiua; cùm irregularitas, quæ purè est pœna, & contrahitur ex solo peccato, possit absolui; cùm ly absoluere, significat non solum remittere, sed etiam liberare. Tùm quia frustra in Bullis apponeretur clausula, vt valeat, absoluere à censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Sed quia stylus curiæ facit legem: *Ita cap. ex litteris de constit.*

& cap. quàm grauis. de crimin. falsi. cum etiam id obseruat sacra pœnitentiaria, ideò negatiua verior, & omninò tenenda.

ARTICVLVS III.

An virtute supradicta absolui possit excommunicatus nominatim denunciatus, impotens tamen satisfacere parti offensæ?

1. ℞. Sic; quia Põtifex non postulat cõditionem impossibilem, cùm ad impossibile nemo teneatur. *Ita l. impossibilium ff. de reg. iuris.* Et ista absolutio operatur in absoluto in foro conscientiæ, vt possit diuina recipere Sacramenta, & beneficia sibi Canonicè collata, & omnes certi de illa, licitè possunt communicare quo ad forum conscientiæ.

2. Similiter dicimus, si debitum nõ esset certum, sed dubiũ, tunc non expedit, quod satisfactio antecedat absolutionem; quia illa cõditio intelligitur quãdo debitum est certum, & indubitatum. *Ita arg. cap. solet. de sent. excomm. in 6.* Nota tamen quòd ly parte satisfacta, non intelligitur Prælatus excommunicãs, sed alia persona offensa in honore, fama, & alijs bonis.

3. Verùm inualida tunc est absolutio, si pœnitẽs possit prius commodè satisfacere, & tamen confessarius cõtentus eius promissione, & iuramento, absoluit; quia in ista absolutione est defectus potestatis, nõ tamẽ abusus.

4. Hinc est quòd impotẽs absolutus cum promissione soluẽdi, & postèa factus potens non soluit, tunc non solum quo ad Deum reincidit in culpam, sed etiam in excommunicationem; quia *ita Pius V. per Bullam editam 1568. & Gregorius XIII. an. 1572.*

ARTICVLVS IV.

An Confessarius inferior possit absoluere ab alijs peccatis, antequam superior absoluat à reseruatis?

1. ℞. Si nulla, imò si non sit grauis necessitas, scilicet implendi præceptum annuæ confessionis, communicare, sacrum facere &c. quæ omittere, non esset scandalum, aut infamia, & est aditus ad superiorẽ, non potest absolui, quia talis confessor non est legitimus iudex, dum nõ habet iurisdictionem pro integra causa; quæ integritas in confessione est de iure diuino.

2. Sed si sunt tales necessitates, potest absolui, etiam ab excommunicatione, quia tunc talis videtur esse voluntas superioris interpretatiua; cum hac tamen conditione, quòd postea pœnitens compareat quamprimum

mum coram superiore, aliàs reincidit in excommunicationem.

3. Similiter est absolutus, si accedit bona fide ad confessariũ talem, quia tunc pœnitens excusatur ignorãtia inuincibili. Sed certior factus de impotentia Cõfessoris, tenetur petere de reseruatis absolutionem à superiore; qui si fortè ita sit occupatus in grauibus negotijs, vt non possit audire totam confessionem, absoluit à reseruatis, & quo ad alia ab inferiore: & tunc erit confessio materialiter, & inculpabiliter non integra. Sed in simili absolutione sẽper viget aliquis scrupulus.

ARTICVLVS V.

An absolutio à peccatis valeat, antequam absoluatur ab excommunicatione?

1. ℞. Prosciẽte excommunicato non valere; quia materia proxima Sacramẽti pœnitentiæ est actus cõtritionis, vel attritionis quẽ talis non habet, & accedens sic ad confessionem peccat mortaliter, & non est verè pœnitens, ideò tenetur reiterare confessionem, quia nulla est, & irrita, dum non adest propria materia. *Ita D. Tho. 3. p in addit. q. 24. art. 1. ad 2.*

2. Secus valet si pęnitẽs ignoret inuincibiliter se esse excommunicatum, vel si scit, iusto tamen quodam iuris, vel facti errore, putat se posse à peccatis prius absolui, quàm ab excommunicatione: & sic non tenetur reiterare cõfessionem: quamuis certior de errore remaneat obligatus ad impetrandam absolutionem ab excommunicatione: hoc enim est impedimentũ absolutionis à peccatis sciẽtib⁹, nõ autẽ probabiliter ignorãtibus.

3. Rursus si pœnitens solus ignorat probabiliter, & putat prius posse absolui à peccatis, quàm ab excommunicatione, & confessor scit illam esse reseruatam, & tamen ex malitia absoluit: tunc confessor peccat mortaliter, & absolutio valet, quia Confessoris peccatum non debet obesse peccatori verè pęnitenti, & ignoranti inuincibiliter, sed pœnitens certior factus, tenetur vt supra.

4. Sed si hoc ambo sciant, tũc absolutio irrita, & reiteranda; ambo sacrilegium committunt, & super hoc pœnitens reddit se indignum absolutione.

ARTICVLVS VI.

An quilibet Sacerdos simplex possit absoluere à quibusdam reseruatis constitutũ in articulo mortis, etiam presente proprio, vel approbato Sacerdote?

1. ℞. Non, quia hoc fuit permissum, & inductum

ctum ratione necessitatis, ne æger absque confessione decedat, & quod præsente proprio, vel approbato Sacerdote cessat necessitas, & ita intelligitur Cõcil. Trid. *Sess. 14. de Sacr. pœnit. c. 7.*

2. Verùm aliquando rationabili causa potest, etiam præsente proprio Sacerdote, scilicet, iste, qui adest, esset sollicitator ad malum, vel æger vehementer dubitaret esse reuelatorem cõfessionum.

ARTICVLVS VII.

An quilibet Sacerdos possit absoluere ab omnibus peccatis, & casibus reseruatis constitutũ nedum in articulo mortis, sed etiam in periculo?

1. ℞. Sic, quia iura indifferenter loquuntur de articulo, & de periculo mortis, vt videre est. *Ita cap. si quis suadente 17. q. 7. & cap. eos, qui de sententia excomm. in 6.* Etiam potest si talis Sacerdos sit denuntiatus, & præcisus, quia necessitas extrema non subiacet legi humanæ. *Ita cap. quod non est de reg. iuris.*

2. Sacerdos vero nullibi approbatus non potest absoluere in articulo mortis, præsente alio in alia diœcesi approbato, quia & si respectu huius diœcesis sit simplex Sacerdos, at alibi est approbatus.

3. Item præsentibus, scilicet, Sacerdote excommunicato, & alio non approbato in articulo mortis quamuis ab vtroque possit absolui, tamen tutior est absolutio à simplici Sacerdote, qui hoc impedimento non est affectus.

4. Imò Sacerdos simplex potest absoluere, si inter confitendum ante absolutionem superueniat Parochus, quia non cessat facultas delegata ob mortem delegantis, quãdo delegatus cœpit ea vti. *Ita cap. statim. & cap. de officio delegati.*

5. Hinc est habẽtes licentiam audiendi confessiones ad tempus posse eo transacto prosequi confessionẽ antea cæptam, quia licet finierit licentias audiendi nouas confessiones, non tamen inceptas.

6. Taliter, quòd si iste sit inualidè absolutus à simplici confessore, eo quod de re graui mẽtitus est in cõfessione, etiam superueniente legitimo Confessore, potest ab illo absolui de detecto mendacio, quia dum absolutio valida non est præstita, non censetur finita iurisdictio.

7 Sed si æger habet casus reseruatos, superueniente superiore, tunc prius absoluendus est pœnitens à superiore ab excommunicatione, deinde à Sacerdote illo à peccatis, quia tunc adest commoditas oneris præsentandi se quã primũ legitimo superiori.

8. Si

8. Similiter dicẽdũ est, quòd si simplex Sacerdos iam absoluerat, superueniente legitimo Confessore, non potest posteà audire peccata oblita, vel quæ æger non potuit fateri tunc, quia est noua confessio, & à priori independens.

ARTICVLVS VIII.

An excommunicatus absolutus in articulo mortis ob hæresim, vel ob aliud magnum crimen reseruatum à simplici Sacerdote, vel non habente potestatem, præstare debeat cautionem? & quam?

1. R. Sic. Scilicet iuramentum parendi mandatis Ecclesiæ, non quidem generale, sed in his, ob quorum violationem excommunicatus mãsit. *Ita cap. tenore. & cap. de cætero de senten. excomm. & cap. quamuis. & cap. ea noscitur de senten. excommu.* Vel præsentandi se ei, qui de iure poterat eum absoluere, aliàs vt cõtumax reincidit. *Ita cap. eos, qui de senten. excomm.* Vel satisfaciendi dum nõ datur cautio sufficiens, neque pignoratio, nec fidei iussio de satisfactione facienda, & hoc cessante morbo, vel impedimento; etiam si pœnitens certus non sit, an fuerit causa dãni; vel an talis fuerit offensio, vt ad satisfactionem obliget, cautionem tamen debet dare iuratoriam, quia *ita cap. tenore, & cap. de cætero de sentent. excomm.*

2. Sed si in peccato reseruato non est annexa excommunicatio, non tenetur se præsentare, quia in articulo mortis quilibet Sacerdos in absentia habentis facultatem, est legitimus, & ordinarius.

3. Neque tenentur habentes impedimentum perpetuum, vt senes, mulieres, pauperes extremi, infirmi incurabili morbo, impuberes propter defectũ ætatis; possunt enim hi ab Episcopo absolui sine vllo onere. *Ita cap. noscitur, & cap. finali de sentent. excõm.*

4. Sed imposito iuramẽto absoluẽdi sunt isti, scilicet, filius familias si emancipetur, vel fiat sui iuris. Seruus si manumittatur simpliciter. Et habentes graues inimicitias, quibus cessantibus teneantur accedere. *Quia ita in cap. mulieres. & cap. quamuis de senten. excomm.*

5. Secus autem absolutis virtute Iubilei, vel Cruciatæ; aliàs enim priuilegium nil cõcederet.

6. Verùm tale priuilegiũ non aufert obligationem satisfaciẽdi, ideò absoluendus est cum cautione iurata, vt quã primum cõmodè poterit, satisfaciat; quia *ita cap. Parochianus, de sent. excõm.*

7. Sed si cõfessor non imponit prædictũ onus se præsentãdi, & satisfaciendi, tamen absolutio valet in articulo mortis, vel extra, cũ in iuribus citatis nõ inducatur cõditio irritãs aliter factũ.

A 8. At

8. At absolutio ab hæresi extra articulum mortis ad Inquisitorem, vel Pōtificem per procuratorē, aut litteras, tacito nomine, recurrendum est, quia casus heresis non comprehenditur in priuilegijs propter strictissimam eius reseruationem, *Ita cap. ea noscitur de senten. excomm.*

ARTICVLVS IX.

An ad communicandam iurisdictionem absolutionis, vt sit valida, sufficiat ratihabitio?

1. ℞. De futuro nō sufficit, quia valor Sacramēti pœnitentiæ non potest esse pendens, & dubius, cùm talis iurisdictio requiratur ad substantiam actus.

2. Nota quòd ratihabitio est assensus, quo quis consentit ei, quod nomine suo gestum est. Et est duplex, Altera de præsenti, quando rationabiliter æxistimamus, quod in pręsenti placet potenti delegare, quod cōcedatur delegatio. Altera de futuro, quādo rationabiliter credimus quod quando superior cognouerit, approbabit.

3. Sed bene de præsenti, quia ista scientia, & patientia de præsenti habetur pro legitima licentia, & præsumpto.

4. Secus in Sacramento Eucharistiæ, & extremæ vnctionis, quia in his ratihabitio de futuro ad solum debitum ordinem in Ecclesia seruandum, & non ad substantiam, & sic satis est spes probabilis, & præsumptio voluntatis pastoris.

ARTICVLVS X.

An à Confessore habente titulum coloratum circa suam authoritatem valeat absolutio?

1. ℞. Si sunt diuersę opiniones, scilicet, An sit legitimus minister? vel licentia sit legitima? vel virtute priuilegij reuocati? vel an extendi ad illum casum? valet absolutio, quia communis error, & titulus coloratus à legitimo superiore confert iurisdictionem. Tum quia non solum communis error, sed etiam probabilis Doctorum opinio efficit, vt Ecclesia det iurisdictionem, etiam si opinio illa sit falsa coram Deo.

2. Imò ita validæ sunt absolutiones à tali, vt etiam postea detecto vitio priuationis, reuocationis, & inhibitionis, non sint repetendæ, quia titulus coloratus, & communis error confert facultatem, & facit, vt valeant omnia gesta.

3. Similiter valet, si Episcopus verbis tantummodo sed absq; intentione, & cum fictione cōcessit facultatem absoluendi, quia quam Episcopus fictè concessit, potest ab Ecclesia suppleri.

AR-

ARTICVLVS XI.

An à putatiuo, & non vero Sacerdote valeat absolutio?

1. ℞. Non, quia Ecclesia tantùm supplet defectum tituli colorati, & ius pontificium, & ciuile est ob publicam vtilitatem, sed non potest supplere defectum potestatis ordinis, quę iure diuino requiritur in absoluente Sacramentaliter; ideò collata à non Sacerdote est irrita, & inualida.

2. Hinc est quòd cùm fęmina iure diuino sit incapax Sacerdotij, & potestatis ordinis, absolutio ab ea collata errore cōmuni ad Pontificatum prouecta, erit nulla.

3. Verum vir baptizatus electus in Papam per simoniam, licet nulla electio, *ex constitutione Julij II.* tamen omnia gesta per illum valent, quia habet titulum coloratum, & communis error adest, & tunc Ecclesia confert illi iurisdictionem ordinariam, quæ quamuis non sit supra verum, est tamen supra putatiuum Pontificem, sicut ipsa delegat Vicario Pontificis per ipsam, sede vacante, electo.

4. Tandē omninò tenendum est Papam electū à duabus partibus Cardinalium non obstante dicto vitio occulto esse verū, & legitimum; ne sequatur in Ecclesia Dei confusio, & ne Schismatis via aperiatur, quia *Ita Alexander III. cap. licet. de electione.* Imò dato, & non concesso non esse verum, sed putatiuum Pōtificē; Pijssimus Dominus propter commune bonum suæ Ecclesię, illi assisteret, ne in rebus fidei definiendis erraret.

ARTICVLVS XII.

An absolutio Sacerdotis, qui sine authoritate, & titulo se intrusit, & communi errore putatus confessor, valeat?

1. ℞. Non, quia vtrumque ius non solum communem errorem ponderat, sed etiā defectum tituli se intrudētis. *Ita cap. in famis. q. 7. & l. barbarius de officio pretoris.*

2. Sed licet non valeat absolutio peccati mortalis, benè tamen venialis, vel aliàs à mortalibus confessis, quæ simplex Sacerdos validè absoluit ex Doctorum communi opinione.

3. Verùm si Prælatus videt, & tacet, tenet absolutio, quia ratihabitio de præsenti reputatur legitima licentia.

4. Sed non valet absolutio à vero Confessore, si vsu rationis caret, quamuis communi errore credatur sanę mentis, quia defectus naturalis non potest ab Ecclesia suppleri. Tùm quia sententia lata ab insano, etiam

 iusta,

iusta, iure naturæ non obligat.

5. Neque valet absolutio à Sacerdote substituto loco Parochi à Concilio Oppidano laicorum, licet communi omnium errore verus Parochus esset æxistimat^{o}, quia in ipso deest titulus à legitimo superiore ecclesiastico collatus, cum Cōcilium Oppidanum laicorum iurisdictionem ecclesiasticam cōferre non potest.

6. Similiter nec Archiepiscopus potest conferre licentiam audiendi cōfessiones in diœcesibus suffraganorum, quia tunc non concurrit vera authoritas superioris, cum ille superior nō sit respectu subditorum suffraganei.

7. Dum verò actu visitat in Episcopatu sibi suffraganeo potest absoluere pœnitentes, & audire confessiones subditorum suffraganei, absoluendo etiam illos à casibus reseruatis à suo suffraganeo. Sed extra tempus visitationis non habet talem facultatem, cùm nō sit ordinarius superior subditorū suffraganei.

8. Item religiosus approbatus ab ordinario loci, vel electus à pœnitente per priuilegium Iubilei, vel Cruciatæ, & non à Superiore suæ Religionis, validè absoluit, sed illicite, quia absolutio, vt sit valida, sufficit potestas ordinis, & iurisdictionis. *Ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. de reform.* Sed religiosus peccat mortaliter, & si sit aliqua censura imposita à suo Superiore incurrit propter inobedientiam.

9. Sed si Episcopus confert facultatem religioso cum clausula, scilicet sicut in ordine suæ Religionis est dispositum, tunc neque validè, neque licitè absoluit, quia nō est expositus simpliciter, sed cum limitatione.

ARTICVLVS XIII.

An absolutio collata à Paracho excommunicato occulto, vel habente impedimentum occultum, sit valida, etiam scientium impedimentum?

1. ℞. Existente aliqua iusta vtilitate, vel necessitate, licet non extrema, neque graui, valet absolutio à ministro, qui vel ex officio tenetur, vel est paratus, si non est alius, qui sine peccato ministrat; quia pœnitens vtitur iure suo, & cum alio nō potest commodè exigi, & vtitur malitia parati ad suam vtilitatem in actu, quia licitè ministrat per internum contritionis actum.

2. Similiter à malo ministro tolerato, licet non parato, si non est alius, & instat grauis necessitas, licebit illud petere, quia ista petitio non est ex se inductio ad peccandum, eo quod res iusta petitur, atque grauis necessitas, & magna vtilitas, sed est sola

quæ-

quædam permissio peccati malitia sua peccantis, & minister potest remouere malitiam ab opere postulato, si per contritionem emendetur. *Ita Martinus V. in extra vag.*

3. At subditus si absque necessitate scienter petit à suo Parocho occulto excommunicato sacramentaliter absolui, cùm possit ab alio sine suo detrimento obtinere, peccat mortaliter, & inualida confessio, cùm sit indispositus, quia facit contra legem charitatis, & offert occasionem peccādi mortaliter suo Parocho indignè ministranti Sacramentum. *Ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 36. art. 5. ad 3.*

4. Hinc est quòd Cōcil. Cōstantiense indulsit fidelibus participare cum excōmunicatis in administratione sacramētorum: extra tamen necessitatis articulum, non est tutum petere Sacramentum à talibus ministris. *Ita D. Th. loco supra citato.*

ARTICVLVS XIV.

An sacramentaliter absoluere possit Sacerdos hæreticus pœnitentem in articulo mortis constitutum?

1. ℞. Sic, quia hoc Cōciliū Trid. *sess. 14. art. 7.* generaliter omnibus Sacerdotibus concedit cùm sit gratia, & fauor populi Christiniani, ampliare potius quàm restringere debemus, nam pęnę legum interpretatione molliendæ sunt, non exasperandæ. *Ita cap. pœna. de pœnit. dist. 1.*

2. Nota quòd talem iurisdictionem Sacerdotes habent absoluendi de iure diuino, participatam, & deriuatam à Papa tanquam Monarcha, scilicet, ab vno, & ex eius saltem tacito cōsensu. Et quamuis Papa posset auferre aliquibus Sacerdotibus hanc iurisdictionem, numquam de facto aufert; quia in his, quæ pertinent ad bonam gubernationem, cōmunem, & vniuersalem Ecclesiæ, nō potest Papa errare.

3. Hinc est quòd Sacerdos hæreticus coniungitur Ecclesię, ex Christo Domino per charactērē sacerdotalem, qui sufficit, vt recipiat motum vitalem spiritualem, scilicet, iurisdictionem in ordine ad bonum fidelium, & Ecclesiæ, licet sibi nullum motū vitalem recipiat, eo quod non habet fidem, quæ est principium vitæ spiritualis, & quamuis in rebus physicis, & naturalibus caput non influit in membrum præcisum, tamen in moralibus recipit, sic statuente Deo ob commune bonum fidelium, quia hæretici operantur, vt instrumenta Dei, & Deus infinitæ virtutis cùm sit, operari potest per instrumenta præcisa, & separata.

4. Verùm si hæreticus non vtitur forma Sacramentorum,

qua Ecclesia, verè non conficit sacramenta. *Ita cap. extra Ecclesiam 1. q. 1.* quamuis isti non simpliciter, sed secundum quid sunt in Ecclesia; quia scilicet characterem baptismalem retinent.

ARTICVLVS XV.

An infirmus in extremis positus, qui nec actu, nec voce in præsentia Cõfessoris exprimit aliquod peccatũ, sit capax absolutionis, licèt ante signa contritionis exhibens petierit confessionem?

1. ℟. Non, quia confessio est actus personalis, quo homo dispositus præsenti Sacerdoti confitetur. Tùm quia talis dispositio cognoscitur à Sacerdote quando voce, vel nutu peccata sua exprimit, & non sufficit ante exhibere signa contritionis, quia facile est, vt medio illo tempore mutetur, ita vt quãdo absoluitur, sit in actuali affectu homicidij, vel fornicationis &c.

2. Hinc est quòd iuxta decretum Clementis VIII. editum 1602. non licet per litteras, seu inter nuntium Confessori absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, quia de necessitate Sacramenti pœnitentię requiritur præsentia inter materiam, & formam.

3. Sed si infirmus in præsentia Confessoris dicat confessionem generalem, vel profert verbũ, peccaui, vel aliquod signum contritionis exprimit, etiam si postea mente turbatus non possit aliud proferre, potest sacramentaliter absolui, saltẽ sub conditione; quia istæ circumstantię habentur pro Confessione particulari, licet imperfecta, quæ sufficit propter vrgentem necessitatem.

4 Caueant ergò Confessores non absoluere sacramentaliter eos, qui sibi, nec verbo, nec nutu, vel signo aliquo contritionis peccata sua confessi sunt, quia ibi nulla est materia Sacramenti pænitentiæ, ac & irrita, & nulla forma erit. Poterunt etiam vti absolutione generali, & deprecatiua, vel absolutione à pœna per Indulgentias fidelibus concessas, & ita intelligendus est *D. Tho. opusc. 65.* dum asserit talem infirmũ posse à peccatis absolui.

5. Verum est differentia inter absolutionem sacramentalem, & excommunicationis, quia absolutio ab excommunicatione absenti, & inuito dari potest. *Ita cap. is qui. 26. q. 6. & cap. ægrotantes dist. 4. de consecrat. & cap. à nobis 2. de sentent. excomm.* Secus autem absolutio sacramẽtalis, quæ nulla, & inualida erit, nisi fiat in præsentia Sacerdotis.



AR-

ARTICVLVS XVI.

An absolutio à reseruatis ab eo, qui poterat, & confessio fuit ficta, & inualida ex aliquo alio defectu, si postea iterum confiteatur de eisdem casibus, possit absolui à quocunque Confessore non habente potestatē?

1. ℞. Sic, quia pœnitens satisfecisse videtur intentioni, & fini reseruationis, & tunc peccata manent subiecta clauibus, non amplius reseruata, quia iam Superiori satisfactum est.

2. Secus autem si defectus esset in integritate peccatorum reseruatorum, quando scilicet pęnitens non integrè coram Superiore exposuit, sine dubio non aufertur reseruatio, quia integritas est de essentia Sacramenti pęnitentiæ.

3. Similiter confitens sua peccata superiori, si reseruata per obliuionem reliquit, iterum remanent reseruata cum onere confitendi illa superiori, quia valdè absurdum est voluisse superiori tollere reseruationem, cum in casibus reseruatis nihil omninò in ea confessione ageretur.

4. Hinc est quòd quādo peccata reseruata oblita, vel aliquo alio defectu nō confessa habent censuram annexam, tūc per absolutionem generalem aufertur excōmunicatio, etiam reseruata, nō tamen simpliciter, sed tantum ad illum effectum obtinendi, scilicet, absolutionem sacramentalem à peccatis cōfessis, & ideò post illum effectum statim excommunicatio redit, quia nec dum est ablata reseruatio.

ARTICVLVS XVII.

An absolutus à suo superiore, & per obliuionem inculpabilem omisit aliud reseruatum, liber maneat à reseruatione, ita vt possit confiteri illud à quocunque Confessore?

1. ℞. Sic, quia superior intendit, & vult pœnitentem liberū relinquere quantum potest, & tollere omne ligamen impediens consequutionem gratiæ, & absoluere ab omnibus actualiter confessis, & virtualiter oblitis. Idem dicendum est de absoluente virtute Iubilei, & Cruciatæ.

2. Si verò obliuio est culpabilis, tunc non solum oblitum, sed etiam omnia explicita in tali confessione, quia confessio culpabiliter facta, est irrita, & inualida, & consequenter non est sacramentalis.



ARTICVLVS XVIII.

An absoluere liceat pœnitentem accedentem ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita?

1. R. Sic, quia opinio satis probabilis ad illā sufficere. *Ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.*

2. Vnde licitum erit extra casum necessitatis accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione cognita, quia attritio cognita est sufficiens materia ad conficiendū Sacramentum, & ideò in hoc non peccat, quāuis se exponat periculo non obtinendi effectum, qui quidem non est simpliciter necessarius ad salutem, cùm possit alijs vijs suppleri, si fortè non obtineatur, & habere potest contritionem, auxilio Dei adiutus.

3. Verùm positus in extrema necessitate, & in articulo mortis non potest absolui cum attritione cognita, imò esset mortale, & recipere, & ei Sacramentum pęnitentiæ ministrare, propter graue periculum æternæ mortis, quod est damnum irreparabile, cui pęnitens exponeretur, si fortè hæc opinio non esset vera, cū tamen gratia Dei adiutus possit securum cōtritionis remedium assequi.

ARTICVLVS XIX.

An absoluendi facultas à peccatis reseruatis non habentibus censuram, cōcedi liceat, sub onere postea comparendi coram superiore?

1. R. Sic, quia talis conditio honestum finem habet, scilicet, vt magis erubescat.

2. Sed si pęnitens hanc conditionem nō vult acceptare, nō absoluatur, quia non potest agere vltra limites in concessione præfixas. *Ita in c. si cui, de elect. in 6.*

3. Si vero confessor prius absoluit pœnitentem, & postea declarat conditionem comparendi, etiam si nō assensit, est valida absolutio, quia peccatum semel per Sacramentum pœnitentiæ deletum, redire nullo modo potest.

4. Sed si semel acceptauit, remanet obligatus adimplendi, & interim impęnitens, ac etiam inhabilis ad absolutionem iterum de alijs peccatis postea commissis obtinendam, quia absolutio est conditionata à superiore imposita maximè quando peccatum est alijs nociuum, & scandalosum.

5. Neque in hoc pœnitens grauatur, cum non de nouo absoluatur; nam per præcedens Sacramentum remissa est culpa,

&

& prelatus eodemet sigillo confessionis arctatur, qua confessor, etiam si noua sacramentalis cõfessio tunc non perficiatur; quia illa tota manifestatio est in ordine ad claues, prout pertinent ad hoc forum sacramentale.

6. Nota tamen quòd aliud est casus reseruatus Prælato, & aliud excommunicatio reseruata. Absolutio à casu reseruato nullam admittit de futuro conditionem, cùm sit sacramentalis absolutio; Benè autem absolutio ab excommunicatione, quæ cùm sit pœnalis, non reincidit in eamdem numero, quia est diuersi generis. *Ita cap. ad audiendam. de decimis.* Sed talis excommunicatur ipso iure, propter inobedientiam non comparendi coram superiore.

ARTICVLVS XX.

An quilibet confessor possit absoluere pœnitentem sequentem opinionem probabilem, relicta sua probabiliori, si opinio quam sequitur pœnitẽs, sit in materia iustitiæ, & in damnum tertij?

1. R. Sic, quia bene disposito non potest denegari absolutio, aliàs expoliaret illum iure suo.

2. Hinc est quòd quilibet extra confessionem licitè potest probabilem opinionem amplecti, & etiam alijs consulere, relicta probabiliori, quia de rebus omnimoda certitudo haberi nõ potest, & Deus ad eam non obligat, sufficit operari cum morali certitudine, vt est in probabili opinione.

3. Neque hic taliter agens, seu consulens se exponit periculo peccandi formaliter, ita vt in peccatum illi reputetur, quia prudenter, & ratione probabili ductus operatur; sed materialiter, quatenus admittit id, quod à parte rei peccatum est.

4. Similiter licere pœnitenti consulere diuersos Doctores, & confessores ad finem inueniendi aliquem iuxta mentem suam, non animo malefaciendi, sed tutus in conscientia, inueniendi id solum licere, quia ius suum protegendi, ius est, & ad id rationes quærendi.

5. Rursus confessor potest, & debet absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, quam tamen ipse iudicat esse falsam, quia cùm penitens nõ teneatur cõsilio Confessoris potius, quàm aliorum acquiescere, adhuc non defecit ei debita dispositio, vt absoluatur.

6. Imò si penitẽs est indoctus, nec instructus de probabilitate opinionis, quam sequitur, debet confessor informare illum de opinionis probabilitate, & sic absoluere, quia tenetur ex officio ipsum instruere.

7. Nota

7. Nota tamen quòd est discrimen inter iudicem fori externi, & interni; externus namq; secundum acta probata, & alligata, & secundum quod magis æquum reputat, sententiam fert: At internus cùm iudiciũ sit inter Deum, & hominem, satis est, vt in ordine ad Deum consulens rectè componatur, quod ambo præstant, dum opinionem probabilem in consulendo sequuntur.

ARTICVLVS XXI.

An absolutio sit à Confessorè deneganda nolenti abstinere ab exactione debiti coniugalis tempore menstrui?

1. ℞. Non, quia nullum, vel rarissimum damnum in prole sequitur, eius tamen incertitudo, & raritas excusat.


2. Verùm si menstruum est naturale, quod suo tempore fœminis accidit, tunc absolutè, exigere debitum culpa solum est venialis, quia in eo coitu est turpitudo, & indecentia, cùm immunda sit mulier. Sed si fluxus seminis sit præter naturã ex morbo consurgens, erit licitus, quia nullũ omninò proli damnum imminet. *Ita D.Tho. in 4. dist. 32. q. vnic. art. 2.*

(:§:) : (:§:)

ARTICVLVS XXII.

An quilibet Sacerdos absoluere possit à censuris, & casibus reseruatis captiuos apud infideles, si nulla sit spes habendi proprium Cõfessorem, precipuè tempore Paschatis?

1. ℞. Sic, quia iura pro eodem reputant articulum, & periculum mortis *in cap. si quis suadente 17. q. 4. & cap. non dubium & cap. eos, qui de sentent. excommun. in 6.* cùm isti sint in continuo morali periculo mortis propter crudelitatẽ infidelium, possũt eligere illũ, qui à iure est constitutus minister necessitatis, qualis est quilibet Sacerdos, qui habet iurisdictionem in habitu, quãuis in actu Pontifex restrinxit Episcopis, Parochis, & superioribus per substractionẽ subditorum, seu materiæ; sed ad quos nullus est aditus, præsumi iure potest, velle Ecclesiam à simplicibus Sacerdotibus impẽdi posse beneficiũ absolutionis, ne pro fide Christi in corpore afflictis deesset animæ solatiũ, & peccatorum remedia. *Ita in cap. cum longe dist. 63. & cap. si quis incognitus. 17. qu. 2.*



AR-

ARTICVLVS XXIII.

An absolui possint viatores, & peregrini à casibus reseruatis in propria illorum diœcesi ab ordinarijs aliena, in qua iter agentes reperiuntur?

1. ℞. Sic, quia tales sunt iudicandi, vt incolę illius diœcesis, & iuxta forū eius.

2. Ita vt si sint reseruata in diœcesi, in qua viator cōfitetur, non autē in sua, tunc talis oportet absolui tantum ab habente illius diœcesis facultatem, quia iuxta modum, & iurisdictionem ibi concessam, debet talis viator, & peregrinus iudicari.

3. Similiter si viatores, & peregrini, qui dū se inueniuntur in aliena diœcesi, incurrunt in casus ibi reseruatos, licet in propria non sint reseruati, debent ibi absolui ab habēte illius facultatem super reseruatis, quia isti subdūtur legibus eius diœcesis, cui applicuerunt tanquam adepti incolatum quo ad sacramenta pęnitentię, & Eucharistiæ: etiam quod regulariter ignorant istam casuum reseruationem illius diœcesis.

4. Nota quòd mos erat antiquitus vt viatores, & peregrini à suo diœcesano facultatem impetrarent vbique confitēdi: modo quamuis absque tali licētia viam fecerint, possunt confiteri in diœcesi, in qua iter agentes reperiuntur. *Ita expressit Eugenius IV. viuæ vocis oraculo.* Et hoc non ad tempus, & tantum in Paschate, & in articulo mortis, sed ad libitum poterunt illa vti omni tempore, dummodo nō in fraudem, & malitiosè hoc fecerint in preiudicium proprij Sacerdotis. *Ita Sacra Congregatio super Concil. Trid. fertur determinasse.*

ARTICVLVS XXIV.

An absolui possint viatores, peregrini, scholastici, mercatores propriam habentes diœcesim à casibus Papalibus ex decreto Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. concessis Episcopis ab Episcopo alienę diœcesis, in qua tunc versantur?

1. ℞. Sic, quia pro tūc sunt subditi in foro conscientiæ, seu interpetratiua voluntate suorum Pręlatorum, & se habent, vt incolę illius diœcesis, quo ad Sacramenta confessionis, & Eucharistiæ suscipienda.

2. Non quòd nomine subditorum in prędicto decreto comprehenduntur vagabundi, quia cùm nullibi firmū domicilium habeant subduntur Episcopo, in cuius diœcesi reperiuntur, & hi possunt absolui à casibus:

3. Vnde potest Episcopus virtute *Concil. Trid. loco supra cit.* cum scholasticis, mercatoribus, &

alijs, qui maiore parte anni in sua diœcesi inhabitant licet perpetuum domicilium habeant in aliena, dispensare in votis, & irregularitatibus, & coniungere matrimonio. Nec opus est expectare maiorē partem anni, sed sufficit habere talem animum habitandi, quia efficiuntur subditi, & Parochiani suæ diœcesis, statim ac habent animum habitandi in illa, maiore parte anni acquirunt domicilium.

4. Secus autem cum viatoribus, & peregrinis quamuis possint absoluere illos in eo decreto concessis, non tamen dispensare in votis, & irregularitatibus, quia isti nō habent animum ibi inabitandi maiore parte anni, consequenter nō acquirunt domicilium.

5. Imò ad recipiendum Sacramentum ordinis, non sufficit habere animum in illa diœcesi habitandi maiore parte anni, sed requiritur simpliciter domiciliū idest perpetuo ibi inhabitandi, quia hoc est speciale in Sacramento ordinis. *Ita cap. cum nullus de temp. ordinis in 6.*

6. Similiter non possunt coniūgere matrimonio, si ibi quasi Ruri, vel causa recreationis aliquot diebus, vel mensibus habitauerint, redituri deinde ad solitum domicilium, quia degentes Ruri non solent ibi maiore parte anni habitare. *Ita Rota in nouissimis decisione 656.*

ARTICVLVS XXV.

An facultas prædicta concessa Episcopis transeat ad capitulum Sede Vacante?

1. ℞. Sic, quia competit nō personæ, sed dignitati, vel officio perpetuo, & est iurisdictio ordinaria, & non delegata à Papa, cum Concil. non vtitur nomine dispensantis Episcopis.

2. Imò hæc facultas competit Abbatibus, Superioribus Religionum, & etiam Episcopis electis, & non firmatis, nō dum consecratis, & diœcesi nullo Episcopo subiectæ; quia hi omnes funguntur iurisdictione quasi Episcopali in suos subditos. Ideò Episcopi titulares carentes diœcesi, & subditis, non habent hanc facultatem, quia hæc facultas non conceditur respectu omnium fidelium, sed respectu subditorum in propria diœcesi. *Ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. & sess. 24. cap. 6. de reform.*

ARTICVLVS XXVI.

An eadem facultas vi Concil. Trid. sit delegabilis?

1. ℞. Sic, quia perpetuo cōpetit Episcopis, & cōmissio perpetua facit ordinariū.

2. Verùm Vicarius Episcopi non

non habet ex generali commissione Vicariatus hanc facultatē, sed ex speciali cōmissioni Episcopi, & nulla in re suo vtitur arbitrio, sed solùm sibi iniuncta exequitur.

3. Et quāuis dici potest, quòd talis facultas competat Prælatis Religionum ex vi Concil. Trid. Tamen verius dicimus habere hanc facultatem tantum ex Priuilegio Pij V. quia ex decreto Concil. Constat. nomine Episcoporum nō intelligi in eo qualitercumq; habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, sed habētes aliquā diœcesim sibi subditam, vt videre est. Et vt sic Prælati Religionum nō possunt hāc facultatem delegare, sed tantùm specialiter nudum ministerium alijs cōmittere. At in priuilegio Pij V. habetur quòd per se ipsos possint absoluere, e dispensare in casibus Papalibus occultis subditos, & illam generaliter delegare.

ARTICVLVS XXVII.

An Episcopi absoluere possint Religiosos exemptos à casibus Papalibus sibi concessis in Concil. Trid. & cum illis dispensare in irregularitatibus, si ex sui superioris licentia eisdem subijciantur?

1. R. Sic, quia iste Religiosus de licentia sui superioris absoluitur, & dispensatur ab Episcopo vti delegato proprij superioris, & eius vicem gerentis.

2. Etiā superior Religionum exemptarum si indiget Episcopi absolutione, aut dispensatione, poterit semetipsum illius iurisdictioni subiacere, sicut potest dare facultatem suis subditis, quia non est minoris conditionis.

3. Imò superior regularium exemptorum potest sibi eligere Cōfessorem, & eidem committere, vt eum absoluat, & dispenset in omnibus, in quibus ipse cum suis subditis potest, quia *ita cap. final. de pœnit. & remiss.*

4. Verùm, vt possit Prælatus seipsum, aut Religiosum sibi subditum subijcere Episcopo, vt ipsum, & se absoluat, sufficit quòd sit in diœcesi Episcopi absoluētis per modū trāsitus. Quo ad dispensationem verò requiritur quòd in diœcesi Episcopi cōmoretur, aut habeat animum in ea commorandi maiore parte anni.

5. Sed si talis facultas licentiæ non est in immediato Religionis Prælato, sed in Prouinciali, vel alio superiori Religionis, Episcopus non potest absoluere, & dispensare, sed remittendus est ad illum, vt per se absolnat, aut alteri vices eius committat, quia cum in hoc casu pateat remedium intra Religionē, non expedit extra illam.

6 Tamē casu necessitatis sufficit

ficit consensus præsumptus mediati superioris, vt possit immediatus illum religiosum subijcere Episcopo, quatenus immediatus est impeditus, vel excõmunicatus, vel denuntiatus, aut abijt, aut longè abesset, nec esset alius vicē eius gerens, quia per Epijkeiam in tali casu videtur religio consentire.

7 Et cum talis exemptio religionis sit inducta in fauorem, & pietatem religiosorũ, ne passim ab ordinarijs perturbentur, tamē tacitè præsumitur Pontificis voluntas, vt exemptio in fauorem etiam ipsius eximentis non sit impedimento, vt religiosi obtēta licentia suorum superiorum se subijciant Episcopis.

ARTICVLVS XXVIII.

An absoluere possint Episcopi ab omnibus casibus occultis concessis à Concil. Trid. quos post illius publicationem sibi Pontifex reseruat.

1. ℞. Sic, quia cum decreta Conciliorum maxime Trid. matura deliberatione sancita sint, non sufficit generalis derogatio Pontificis, nisi adsit clausula specifica derogans, scilicet non obstante aliqua lege, aut Constitutione in Concilio tali generali edita. *Ita cap. ex parte, & cap. vlt. de capillis Monachorum.*

ARTICVLVS XXIX.

An confessor possit absoluere vi Cruciatæ à casibus ibi concessis anno Iubilei?

1. ℞. Sic, quia est priuilegiũ per modum contractus, quoniam eleemosyna cõtributa conceditur, de quo in suspensione anni Iubilei mētionem non faciunt Pontifices. Tum quia non præsumitur reuocandi voluntas, quando ea tertij ius aufertur. Tum quia anno Iubilei permittitur eius publicatio.

ARTICVLVS XXX.

An vi Iubilei, vel Cruciatæ absolui possit aliquis nominatim ex populo per cedulas declarato interdicto, si in Bullis illis probibeatur, ne absoluantur tales interdicti, & denuntiati nominatim?

1. ℞. Sic, quia aliud est populus, & aliud singuli de populo, cum interdicto populo non cēsentur singuli nominatim interdicti: at Bulla Cruciatæ, & Iubilei non prohibet non absolui interdictos, & declaratos tales nominatim.

2 Similiter si per Iubileum, & Cruciatam datur potestas generalis indefinita absoluendi excõmunicatos, & interdictos, possunt

sũt etiam absolui excõmunicati, & denũtiati specialiter ab homine, percussores notorij Clericorum, ac specialiter interdicti ab homine, & denuntiati post iustam satisfactionẽ quo ad forum conscientiæ, quia potestas indefinita generalis cõcessa absque vlla exceptione, æquipollet vniuersali. *Ita cap. vt circa de elect. 6.*

3. Consequenter interdicto populo, vel clero nominatim, censentur interdicti singuli de populo, vel singuli de clero, si clerus nodetur interdicto, quia *ita cap. si sententia, de sent. excomm. in 6.* Et sic non possunt singuli de populo interdicto, vel singuli de clero interdicto audire diuina, nec ecclesiastica recipere Sacramenta, quia *ita ex cap. supradicto.* Tamen possunt singuli de populo nominatim interdicto, & singuli nominatim de clero interdicto sepeliri in sacro, dummodo locus interdictus nõ sit, quia nemo tenetur euitare interdictos, nisi fuerint denuntiati. *Ita per Martinũ V. in extrauag.*

4. Nota tamen quòd absolutio concessa vi Iubilei, & Cruciatæ non prodest pro foro exteriori, sed pro interiori tantùm, & conscientiæ, & ita non infert damnum ordinarijs.

S (S † S) S

ARTICVLVS XXXI.

An confessor absoluere possit pœnitentem tacentem aliquod peccatum mortale, quod ipse euidenter scit commisisse?

1. ℟. Non, quia euidenter est indispositus, cum integrè non confitetur, & integritas confessionis sit de iure diuino.

2. Verùm regulariter loquẽdo standum est dicto pœnitentis, quia fortasse alteri Confessori esset confessus. Tùm quia in foro externo iudiciali creditur homini contra se, sed non pro se; at in foro pœnitentiæ creditur homini cõtra se, & pro se. *Ita D. Tho. quod lib. 1. art. 12.*

3. Secus autem si confessor nouerit euidenter scientia sua priuata confessionem non esse integram, debet denegare beneficium absolutionis, cum nullus ex hoc in offentionem incurrat, & sit in bonũ potius ipsius pœnitentis, quàm in damnum, excepto tamen in articulo, & periculo mortis.

ARTICVLVS XXXII.

An Confessor absoluere possit pœnitentem inuincibiliter ignorantem se esse in statu de se malo, absque praeuia admonitione?

℟. Sic,



1. ℞. Sic, quia pœnitens est bene dispositus, & per ignorantiam inuincibilem excusatur; & fortè admonitio esset contra charitatem, & afferret graue scandalum, & incommodum illi sine vllo fructu.

2. Etiam quod ignorantia inuincibilis esset in detrimētum proximi, vt exercens vsuras, laborans ignorantia inuincibili, & monendo nihil profuturum, tenetur tacere, quia constitutus in bono statu, & bona fide in malo, & periculoso, confessoris monitione versabitur. *Ita cap. de viduis, el. 2. 27. q. 1.*

3. Similiter si ignorantia pœnitentis inuincibilis sit circa ius diuinum, & naturale, si confessor probabiliter credat cōsilium non profuturum, non tenetur admonere, quia nulla lex obligat ad actus inutiles, & ociosos, & incommodum proximo sine fructu. *Ita cap. si quis autem de pœnit. dist. 7. & cap. quia circa de consanguin. & affinit.*

4. Si autem ex ignorantia inuincibili pœnitētis timeatur malum boni communis, quamuis fructus in eo minime speretur, tunc tenetur cōfessor eum monere, quia bonum commune semper præferendum est bono priuato.

5. Verùm si est spes alicuius fructus sine scandalo, & incommodo, tunc debet monere pœnitentem, vt relinquat statum, qui materialiter est status peccati, quamuis excusetur per ignorantiam inuincibilem, quia confessor ex officio subit vicem pastoris, & doctoris, maximè si pœnitens est dubius de suo statu malo, & taciturnitas confessoris, vel viri docti prudenter posset à pœnitente in suum fauorem interpretari.

ARTICVLVS XXXIII.

An absoluendus coniux conscius nullitatis matrimonij, qui vult perseuerare reddendo debitum alteri pœnitenti inscio de nullitate?

1. ℞. Non, quia tanquā indispositus non est absoluendus. Tum quia fornicator non est absoluendus, nam accedere ad non suam est fornicari. *Ita D. Thom. in 4. dist. 23. art. 2. q. 2.*

2. Imò si coniux talis excommunicetur ab Ecclesia, eo quod debitum negat, non est verè excommunicatus corā Deo, quia nō est inobedientia lethalis, nec Ecclesiæ falsæ præsumptioni innitenti obedire tenetur. *Ita gloss. in cap. litteras. de restit. spoli.*

3. Tamen tenetur talis coniux, cessante incontinentiæ periculo, cohabitare cum alio, nō ratione præcepti, sed ratione scandali, si tale sequeretur non cohabitando, nec esset copia fugiendi in locum vbi cessaret.

4. Nota

4. Nota quòd aliud est permittere in alio malum, & aliud permittere in se ipso malũ. Primum est quando vitare nõ possumus, non est facere malum, sed licitum ad euitandum maius malum, vt permittere in ciuitate meretrices. At permittere in se malum est verè facere malum, sicut fornicari, quod nullo pacto est licitum: Vnde pręceptũ Ecclesię non potest facere licitum id, quod est illicitum, qualis est fornicatio, in quam incidit coniux conscius nullitatis, non solum petendo, sed etiam reddendo debitum.

ARTICVLVS XXXIV.

An absoluendus est coniux, qui bona fide iniens matrimonium, postea incipit de eius valore dubitare, si stante tali ambiguitate à petione, & redditione debiti cessare non vult?

1. R. Quod tenetur reddere, & nõ petere, quia cum alter bona fide ius petendi possidet, non debet iure suo spoliari, & ideo dubitans potest, & debet reddere debitum. *Ita cap. inquisitioni de sentent. excõm.* Quòd non potest petere, patet, quia in dubio valore matrimonij ex petitione debiti imminet fornicationis periculum, si non sit verus coniux, & ideò non est absoluendus.

2. Sed si coniux dubitans de matrimonij valore bona fide cõtracti; post adhibitam sufficientem diligentiam, ad assequẽdam veritatem, licet veritas non innotescat: potest etiam licitè petere, quia inuincibilis ignorantia est: quæ sufficienti diligentia vinci non potest, licet veritas non innotescat.

3. Verùm quãdo vterq; coniux mala fide contraxit matrimonium dubitans de eiusdem nullitate, certissimum est neutrum posse petere, nec licitè reddere, quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta. Tùm quia sine iure vero, vel præsumpto, non est possessio, sed iniusta detentio, possessio enim est rei cum bona fide detentio.

4. Et si talibus cõiugibus postea subest rationabilis causa ad persuadendum, matrimonium valere arbitrio viri prudẽtis, existente opinione probabili valoris matrimonij; potest vterque petere, & reddere, quãuis contrahendo letaliter peccauerint, quia in moralibus tuto possimus sententiam probabilẽ amplecti.

ARTICVLVS XXXV.

An Episcopi absoluere possint vi Concil. Trid. vt supra à casibus in Bulla Cœnæ Romano Pontifici reseruatis?

1. R. Non, quia hanc esse men-

mentem Pontificum declarauerunt Congregatio Cardinalium & Consistorium Sanctæ Inquisitionis generalis, & hæc est praxis generalis curiæ: & hæc sufficiunt autenticè constare de ea Pontificum declaratione, quæ tanquam lex est obseruanda. *Ita Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII.*

ARTICVLVS XXXVI.

An Confessores delegati absoluere possint subditos diœcesis, in qua sunt expositi extra illam diœcesim?

1. ℟. Sic, quia durante subiectione sunt subditi illius.

2. Similiter religiosus approbatus Syracusis, rediens tunc Catanam, potest audire confessiones Syracusanorum, quamuis Catenæ non sit approbatus, quia iurisditio voluntatis extra territorium, exerceri potest, & nulla irrogatur iniuria iudicibus alieni territorij cum absque strepitu, & figura iudicij exerceatur. Tùm, quia in administratione Sacramenti Pęnitentiæ attendēda est iurisditio super personam magis, quàm circa locum, cum mens Pontificum non fuerit restringere locum, sed personas.



ARTICVLVS XXXVII.

An absolutus de aliquo peccato mortali, dubitans an sit mortale, postea si doctior factus nouit esse mortale, tenetur illud iterum confiteri?

1. ℟. Non, quia ad valorē Confessionis non est necesse, vt pœnitens, aut Confessor sciat determinatè peccatū detectum esse mortale.

2. Vnde in peccatis dubijs de facto, & de iure confitenda sūt vt dubia, quia confiteri dubium, vt certum, est mentiri. Sepè tamen pœnitens hæc tanquam certa confitens, excusatur à peccato, eo quod bona fide, & quadam simplicitate id facit, existimans consultius esse, se grauare, quàm exonerare. *Ita D. Tho. in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. ad 3.*

3. Sed si dubitet pœnitens, an desiderio fœminæ consenserit, tenetur explicare suum, & illius statum, quia his tacitis non benè explicaretur peccatum dubium. Ita etiam qui confessus quòd commisit peccatum mortale sub dubio si postea certus sit de consensu in peccatum mortale sub dubio confessum, tenetur iterum illud confiteri, quia id peccatum non dum plenè in cōfessione fuit expressum.

ARTICVLVS XXXVIII.

An absolui possit, qui est certus de debito contracto, dubius tamen de solutione, si nolit integrè soluere?

1. ℞. Non, quia est generalis regula de alijs preceptis, quod certus de precepto, dubius tamen de satisfactione, tenetur ad id implendum.

2. Vnde regula illa iuris in 6. .f. melior est conditio possidentis, non tenet in dubijs, sed in pari causa iustitiæ, quia requiritur æqualitas, quæ non est de debito certo, & solutione dubia.

ARTICVLVS XXXIX.

An absolui sacramẽtaliter possint Religiosi exempti, obtenta prius licentia sui superioris à Confessoribus alterius ordinis ab Ordinario loci nõ approbatis?

1. ℞. Sic, quia talis approbatio requiritur tantum pro secularibus. *Ita Concil. Trident. sess. 23. cap. 15. de reform.*

2. Hinc est quod null' Sacerdos secularis, neq; regularis potest audire cõfessiones fratrum, nisi à superioribus ipsorum habeat iurisdictionem, & licentiã, quia hoc habẽt ex priuilegio superiores religionũ exemptarum.

3. Verùm licet in constitutionibus ordinis Predicatorum, *dist. 1. cap. 14.* habeatur quòd solus Generalis Ordinis hoc concedere possit; hoc intelligitur secluso priuilegio. At ex priuilegio etiam superiores locales eiusdem Ordinis; & Prelati Mendicantium possunt existente rationabili causa restringere, & coarctare illam, quia licet vtriq; data sit potestas iure diuino, vel à Summo Pontifice, tamen concessa est ordine hierarchico, vt minores pendeant à maioribus.

4. Et si ante Concil. Trid. Sacerdotes poterant eligere Confessorem quemlibet simplicem Sacerdotem, non tamen regulares, sed tantum à suis Prælatis approbatum. Ideo itinerantes non possunt confiteri alijs religiosis sui, vel alterius ordinis, nisi prius à suis Prælatis licentiam habuerint ad audiendas confessiones religiosorum. Et hæc consuetudo semper in religionibus bene ordinatis viguit.

ARTICVLVS XL.

An Sacerdos habens tantùm iurisdictionem communem possit absoluere à casibus reseruatis habentibus censuram annexam, si fuerit per superiorem ablata?

1. ℞. Sic, quia ablata cẽsura statim manet peccatum non reseruatum, cùm sit quasi adequata ratio reseruatio-

nis, & quasi per accidens redundet in culpam reseruatio.

2. Hinc est, quòd religiosi in visitationibus, & capitulis absoluti ab excõmunicationibus, vel irregularitatibus, possunt postea, & de facto absoluuntur à quolibet Cõfessore à peccatis, propter quæ illa incurrerunt.

ARTICVLVS XLI.

An incurrat excommunicationem Bullæ cœnæ impediens litteras Apostolicas subreptitias? & à quo possit absolui?

1. ℞. Non, quia *ex cap. si quãdo de rescriptis.* colligitur, quòd placet Papæ, vt sua mandata nõ exequantur, quando adest iusta causa supplicandi ab eis; consequenter non excommunicantur, dum nõ adest culpa lethalis. *Ita cap. nemo, & cap. nullus.* 11. *q.* 3.

2. Imò is, cui præcipitur aliquid à Papa, ex quo scit secutura mala, peccat id exequendo. *Ita cap. Inquisitioni de sentent. excommunic.*

3. Verùm si auditores Regij, vel Domini tẽporales sub ficto, vel palliato prætextu fingãt inesse falsitatem, cum de facto non sit, tunc incidunt in excommunicationem Bullæ cœnæ, & non possunt absolui, nisi à Papa. Secùs autem, si rationabili causa impediant: sed interim tenentur notificare subreptionem superioribus.

ARTICVLVS XLII.

An confessor Italus non callens linguam Gallicam possit absoluere Gallum, si ex omnibus peccatis cõfitentem vnũ, aut alterum tantùm audiuit tempore Paschatis, dum non adest alius in illo oppido, qui omnia intelligeret?

1. ℞. Non, quia sacramentalis confessio est legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio, quæ non potest esse sine relatione confitentis, & perceptione confessoris. *Ita arg. cap. omnis de pœnit. & remiss.* Tùm quia quando adest iusta causa, potest iudicio Sacerdotis in aliud tempus perceptio sacræ Eucharistiæ absque peccato differri. *Ita arg. cap. supradicto.*

2. Verùm potest absolui, si adsit impossibilitas simpliciter, nec est accessus facilis ad alium confessorem callentem illam linguam scilicet Aethiopicam, quia hæc non integritas confessionis, est omninò per accidens, & inculpabilis.

3. Etiam potest in bello, peste, naufragio, vbi multi simul moriuntur, cùm non sit tempus audiendi integram confessionẽ, & adsit rationabilis causa.

4. Item muti, surdi, qui per nutum, & signa non possunt om-

omnia peccata, & circumstantias necessarias explicare, quia satis est apud Deum quòd pœnitens faciat quod in se est.

5. Nota quòd licet non sit de essentia confessionis, quod fiat secretò, vt Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. declarauit, & publica sit licita, tamen non necessaria, quia iugum Christi suaue est, & onus eius leue, qui noluit, vt peccata periculo infamię nostrę exponeremus. Ideo in articulo, vel periculo mortis non tenetur, aut per scriptum, aut per interpretem confiteri, quia contritio tunc sufficit.

ARTICVLVS XLIII.

An absolui debeat adolescens, si nolit relinquere beneficiũ simoniace per tertium acceptum, & fructus perceptos restituere?

1. ℟. Non, quia & si simonia per tertium non noceat parti ignoranti, nocet tamen scienti, in pœnam illorum, qui simoniacè promouere voluerunt. *Ita cap. nobis fuit. & cap. sicut suis.*

2. Verum si talis cogatur ad retẽtionem beneficij collati per vim, & metum reuerentialem, conuictus cum minis, & importunitate parentum, durante tali metu iusto, & graui potest absolui, dummodo firmissimum habeat propositum quam primum commodè poterit, resignandi, & fructus malè perceptos restituendi, quia in his, quæ non sunt mala intrinsecè, excusatur quis à peccato mortali.

3. Similiter non sit absoluẽdus adolescens beneficiarius nõ recitans horas canonicas, licet coactè acceperit beneficium, & non simoniacè, & tamen percipit commodum fructuum beneficij, quia tunc censetur consentire in acceptationem, & retentionem beneficij, & oneris annexi.

4. Sed si fructus est tàm tenuis, videlicet, quindecim, vel sexdecim aureorum, non tenetur quotidie, sed dominicis, & diebus festiuis, vel recitare paruum officium, vel saltem preces oratorias, quia quamuis sit tenue beneficium, gaudet tamen priuilegio beneficiati, & non est, cur ab eorum oneribus immunis censeatur.

5. Quod si à principio beneficium vberes fructus ferebat, etiam si progressu temporis tenues reddat, obligationem affert persoluendi totum officium diuinum, quia sicut vxor àd inopiam ducta, tamen à viro suo alimenta ipso iure accipit, & habet, ita beneficium, &c.

6. Sed si talis nunquam percepit fructus, nõ tenetur recitare horas cononicas, quia nõ est ęquum, vt cogatur ad preces, qui non fruitur stipendio, maximè

mè cùm coactè acceperit beneficium.

7. Nota quòd quando pater filij adolescentis beneficiati percipit fructus, vt fieri solet, & filius non recitat officium, tunc pater tenetur restituere, & eo mortuo heredes pro rata, quia pater fuit causa iniustitiæ, & iniuriæ, quæ fit Ecclesiæ, & benefactoribus; cum emolumentum fructuum perceptorum nõ cẽseatur magis ad filium beneficiatum, quàm ad alios.

ARTICVLVS XLIV.

An Inquisitores absoluere possint hereticum occultum in solo foro conscientiæ?

1. ℟. Non, quia sunt iudices in solo foro externo constituti.

2. Verùm absolutio hæretici fictè pœnitentis, est in foro externo valida, non tamen in foro cõscientiæ, quia est irrita ex parte absoluentis, qui si cognosceret fictionem, eam non concederet.

3. Sed si postea resipiscit instar hæretici occulti, poterit absolui ab eo, qui aliàs habet facultatem absoluendi ab hæresi occulta.

4. Vnde hæreticus ad pœnitentiam veniẽs, si cõfiteatur coram Inquisitore plures errores, vno, vel altero ex industria reticto, manet absolutus ab erroribus expressis tantùm, & hæreses tacitæ manent reseruatæ, & affectæ pristina censura, quia in excõmunicato ob plures causas, vna sola explicata, valet tantùm pro illa expressa.

5. Secus autem si bona fide alias hæreses (immemor illarũ) tacuerit, potest tunc absolui de illis à Confessore habente legitimam absoluendi ab omnibus potestatem, quia tunc manet absolutus omninò à censura, & tunc peccatum hæresis bona fide oblitum non manet amplius reseruatum.

6. Nota quòd cõstitutio Clementis VII. vbi concedit Inquisitoribus posse absoluere hæreticos in foro externo, intelligitur facta prius confessione coram Notario, & sequuta reconciliatione. Sic enim absoluuntur heretici occulti ab Inquisitoribus. *Ita in constit. Clementis VII.*

ARTICVLVS XLV.

An Absolui possit hereticus occultus virtute Iubilei, vel Cruciatæ concedentis casus Cœnæ.

1. ℟. Non, quia hæresis licet occulta adeò reseruata est, vt verisimiliter eius absolutionem Pontifex nõ cõmisisset. *Ita cap. in generali de regulis iuris In 6. & est motus propius Gregorij XIII.*

2. Ita

2. Ita vt ſub conceſſione generali caſuum Pontifici reſeruatorum, non comprehenduntur caſus hæreſis, vel alij Bullæ cœnæ, quia cùm ea ſpecialiſſimè reſeruentur, ſpeciali expreſſione indigent.

3. Verùm receptores, fautores, defenſores hæreticorum, legentes, tenentes, imprimentes illorum libros &c. hi omnes ſi re vera hæretici non ſint, poſſunt tamen abſolui ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo à Confeſſore virtute Cruciatæ, vel Iubilei concedentis caſus cœnæ, quia hi caſus non afficiuntur ea tam ſpeciali reſeruatione, ac hæreſis, vt ſpeciali mentione indigeant.

ARTICVLVS VLTIMVS.


An ſit abſoluendus impediens alium à conſequutione beneficij, dum non recompenſat damnum illatum impedito?

1. ℞. Non, quia violauit ſic impediens iuſtitiam commutatiuam. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4.*

2. Nota quòd impediens aliquē à conſequendo beneficio, quo erat dignus, eſt quando vi, dolo, aut fraude impedit, tenetur ad reſtitutionem quantum iudicio prudentis viri ea ſpes ipſi valebit, quia & ſi talis non habeat ius in beneficio ante collationem, neque ante litteras ſignatas, habet tamen ius ad illud proſequendum rogando, ſollicitando &c. vt ſibi conferatur.

3. Verùm ſi talis artificio quodam litteras legit, vel ſi inuentas legit abſque ſuppreſſione litterarum, non tenetur ad reſtitutionem, quia & ſi notitia beneficij per iniqua media ſit parta, tamen damnum ex hoc eſt per accidens, cum non impediſſet eum per iniuriam, ſed ſibi diligenter, & ſollicitè conferre curauit.

4. Similiter nō tenetur ad reſtitutionem impediens ſolis precibus apud Collectorem, ne beneficiū digniori præbeatur, quia licet Collector peccet non conferēs beneficia debitis perſonis, tamen damnum non facit principaliter, ſed per accidēs digniori, bene tamen ipſi Eccleſiæ.



DIS-

DISQVISITIO IV.

De Acceptione Perſonarum.

ARTICVLVS VNICVS.


An acceptio perſonarũ ſit peccatum? & quale peccatum?

1. ℞. Sic, quia directè repugnat Iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ nuda, ſolaque merita reſpicit.

2. Acceptio perſonarum eſt Iniuſtitia, qua in diſtributione præmiorum, vel bonorum communium, quæ pro meritis debẽtur vnus alteri præfertur ꝓpter indebitam cauſam. *Ita D. Auguſt. lib. 2. contra duas litteras Pelagianorum cap. 7. & D. Tho. 2. 2. q. 63. art. 1.* Ideò in Deo non poteſt eſſe acceptio perſonarum, quia ſemper operatur rationabili cauſa, ſiue enim diſtribuat gratuita, ſiue donet debita, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, numquam accipit perſonam.

3. Verùm ſi elector eſt vnicus, ſeu ſupremus Priceps committit peccatũ acceptionis perſonarum dum eligit dignum relicto digniori, ſi electio ſit facienda ex partibus, & ciuibus eiuſdem reipublicæ, quia reſpublica trãſtulit in illum electorem dominium, & ius eligendi cum hac implicita, & virtuali conditione, vt illa bona eo ipſo quo diſtribuenda ſint in partes ciuium reipublicæ, diſtribuantur, vt bona communia conferenda ciuibus iuxta leges iuſtitiæ diſtributiuæ, ideſt pro meritis. Si verò fieri debetur electio ex alienis, & extraneis, licebit eligere dignum relicto digniori, quia hæc officia non ſunt bona communia debita ciuibus.

4. Nota quòd licet in bonis merè liberis non contingat acceptio perſonarum, tamen ſi bona libera, quæ gratiæ dicuntur concedat ſolum auxiliantibus ſibi, qui illũ elegerũt, exceptis omnibus alijs, tunc committit peccatum acceptionis perſonarum, quia iſta bona gratiæ ſunt quodammodo communitatis. Nam electo Prælato communitas habet ius, vt illis dentur aliquando iſta bona, quæ gratiæ dicuntur. Tùm quia ſubditi habent ius, ne excipiantur à communibus fauoribus.



DIS-

DISQVISITIO V.

De Accusatione.

ARTICVLVS I.

An aliquis accusare teneatur aliquãdo ex præcepto, & sub peccato mortali?

1. ℞. Sic, quia aliquando non possunt vitari aliqua delicta, nisi deferantur ad publicam potestatem.

2. Accusatio est delatio rei de crimine in libello ad vindictam propter bonum commune cũ inscriptione accusantis, qua accusator se obligat ad pœnam Talionis. Hæc sollemnitas in foro seculari non est ad vsum, sed sufficit verbalis per Notarium in scriptis redacta. Neq; ad pœnam Talionis cum retrahat homines ad accusandum, quamuis si per calumniã accuset, grauiter punitur.

3. Vnde si crimen est contra bonum commune in facti, & in procintu vt fiat, & sufficienti testimonio moraliter certo quis probare possit, tenetur accusare sub peccato mortali, quia iure naturæ vnicuiq; incumbit cura boni communis. *Ita D. Tho.* 2. 2. *q.* 68. *art.* 1.

4. Item dicimus si sit contra priuatam personam, quia teneatur vnusquisq; quantum potest via licita proximũ ab omni dãno, & iniuria illesum tueri. *Ita D. Tho.* 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. Secus si crimen sit in damnum ipsius operantis, etiam non inchoatũ, sed in procinctu, vt inchoetur, & fiat, tãtùm tenetur ad correctionem fraternam, iuxta illud Christi, si peccauerit in te, idest te sciente, frater, &c.

5. Sed non tenetur accusare, si crimen sit occultum, & probari non possit, etiam contra damnum publicum, aut tertiæ personæ imminens in futurum, quia accusatio fit ad punitionẽ, & non ad emendationem, tantùm remanet obligatus possibiliter ad impediendum omni meliori modo.

6. Verùm nemo tenetur accusare, denuntiare, aut testari, etiam si iuramento cogetur ad testificandum, si sibi suisque notabile damnum timeat, & coactus iuramento mente se restringat se dicturum veritatem, quatenus iure tenetur, & cùm nemo teneatur iure hæc officia præstare, si damnum notabile sibi suisque immineat, inde non est periurus. Sed ad bonum commune tenetur sub præcepto, etiã si dam-

si damnum notabile sibi suisque immineat, si alia via impedire non poterit damnum imminẽs communitati, quia bonum cõmune præferri debet priuato.

7. At si delicta iam sint facta, nec actu maneãt, etiam si essent contra bonum commune, non tenetur sub præcepto, quia pœnituit. *Ita cap. de his. de accusat.* Quamuis licitè possit accusare post pœnitentiam, maximè si scandalum sit notorium, & non totaliter sublatum, quia per pœnitentiam satisfacit Deo, per punitionem Reipublicæ. Neq; tenetur propter exemplum aliorũ, quia nemo particularis tenetur sub præcepto ad promotionem boni publici, bene tamen ad illius defensionem.

8. At si Reus sit optimæ famæ etiam quod conuinci possit per tres testes, tamẽ secreto monitus, est correctus, & reuelatio talis delicti esset occasio magis committendi, quàm retrahendi à peccato, tunc non tenetur, nec licitè potest accusare, quia in tali casu inferretur Reipublicæ maius damnum, quàm bonum.

ARTICVLVS II.

An secreta monitio debeat præcedere denuntiationem, & accusationem iudicialem, sicut debet præcedere denuntiationem Euangelicam?

1. R. Sic, quia cùm fiat in bonum peccãtis, seruandum est simul bonum conscientiæ, & famæ, quantum fieri potest. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 7.*

2. Denuntiatio Euangelica est delatio criminis ad Prælatũ, vt patrem gratia emendandi fratrem. Denuntiatio iuridica est delatio criminis ad iudicem gratia punitionis delicti sine obligatione libelli accusatorij, aut probandi delictum. Accusatio verò est delatio criminis ad iudicem gratia punitionis delicti cum obligatione libelli accusatorij, & probandi delictum. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 68. art. 2. ad 3.*

3. Vnde si delictum sit occultum in ore duorum, vel paucorum, nec manifestatio necessaria bono communi, nec priuato alicuius innocentis, & secreta monitione emendatus, simulque prouisum est alicui periculo, corripiendus est prius quàm accusandus, seù iuridicè denuntiandus, quia tenetur bono publico, & priuato innocentis prospicere quantùm fieri potest sine detrimento famæ, & iactura fra-

fratris. *Ita D. Tho. loc. supra citato.*

4. Imò accusans iuridicè ante secretam monitionem, ne dũ peccat contra charitatem, quia nocet fratri suo sine necessitate, sed contra iustitiam, quia cùm sit res secreta adhuc ille habet ius ad suum honorem, & famã, ideò tenetur ad restituendum omnia damna, quia damna iniustè intulit.

5. Sed delictum, cuius manifestatio est necessaria pro bono communi, vt hæresis, statim tenetur absq; secreta monitione denuntiare, vt huic malo occurratur, quia rarò potest quis certò sperare emendationem hæretici per priuatam monitionem. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 7.*

6. Verùm peccatum quantũlibet sit publicum, & dignum quòd in iudicio denuntietur, nõ tamen cessat præceptum correctionis fraternę si fuerit spes probabilis, quòd resipiscat coram Deo, & hominibus de scandalo publico, quia charitas obligat ad subueniendum bono communi cum minori danno priuati.

7. Sed licita est accusatio ante correctionem, quando tantum intenditur recuperatio propriæ famæ, vel rei, si non possit aliter recuperare, quod suum est, quia nemo tenetur remittere iniuriam sine præuia satisfactione. *Ita cap. qui emendat. 23. q. 4.* Tùm quia offensus habet ius ad suum honorem, & ad suum commodum recuperandum ordine iuridico. At si Reus offert offenso plenam satisfactionem, tunc cõtra charitatem, & ex odio accusat, quia lex charitatis obligat, vt non noceamus fratri, quando nocumẽtum eius, nec bono publico nec priuato offendatur.

8. Nota quod Theologorum est videre, quando in foro animæ debeat præcedere monitio priuata accusationem, & non ad iura Ciuilia, nec Canonica, quia hoc pertinet ad ius Diuinum; quod Theologorum est officiũ; cum Iuristæ, & Canonistæ considerant ista in ordine ad forum externum, & ad causas forenses tantum, & non ad forum internum, & animæ.

ARTICVLVS III.

An accusationem, & denuntiationem iudicialem debeat monitio priuata præcedere, quando Prælati in suis edictis iubent Reo denuntiari?

1. ℞ Sic, quia correctio fraterna est mandatum Christi, quod præcepto inferioris tolli non potest, maximè de peccato occulto. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 6. ad 5.*

2. Nota, quod delicta alia sunt publica, & notoria, alia verò occulta. Delictum publicum, & notorium duplex: famosum, & manifestum. Famosum est quòd omnibus, vel pluribus alicuius

 com-

communitatis patet, & publica fama diuulgatum. Manifestum duplex, aliud simpliciter, aliud secundum quid. Simpliciter est, quòd multis populis innotuit. Secundum quid, quòd plures in aliqua vicinia, collegia, & monasteria norunt. Et dicitur manifestum secundum quid, id est in tali collegio, monasterio, tamen occultum ratione Populi, & Regni. Rursus Notorium Triplex, scilicet iuris, quod in iudicio scitur, aut per sententiam Iudicis, aut per confessionem Rei in iudicio, aut per claram testium probationem. Facti est quod à pluribus, saltem decem personis scitur. Ex præsumptione iuris est, quod per se non est euidens, sed dicitur tale propter vehementes coniecturas, & signa ipsum significantia. Et licet omne crimen notorium his tribus vijs sit publicum, non tamen omne publicum est notorium, quia potest esse publicum à maleuolis publicatum sine aliqua facti certitudine, aut euidentia: & tamen crimen non est in se notorium. Crimē verò occultum est quod non ex aliquo ex his supradictis modis explicatis notum, quamuis sciatur à duobus, tribus, aut quatuor, aut etiam pluribus, & per eos probari non potest, siue tantum sciatur ab vno, & probari possit.

3. Vnde si crimen sit occultum in damnum publicum, aut tertiæ personæ imminens in futurum, si per monitionem præmissam credatur emendari, alias debet manifestari superiori maximè præcipienti sub censura, quia maior est ratio boni communis, & innocentis, quàm famę illius, qui à malo perpetrando desistere nolit.

4. Sed non tenetur non valens probare delictum, reuelare iuridicè, etiam si precipiatur sub pœna censuræ, sed sufficit superiori tanquam patri, quia reuelatio iuridica est ad punitionem, & non ad emendationem delicti, quod si probari nō possit, neque publicè puniri.

5. Ideo Superiores non possunt præcipere sub pœna censuræ, vt denuntient Reos absque præuia monitione, quia præcepta superiorum non debent tollere legem naturalem, & diuinam. *Ita D. Tho. loco supra citato.*

6. Verùm debet superior ratione officij præcipere subditis, ne videatur cum maleficio fauere Reo de delicto publico, & notorio, cùm nulli fit iniuria per generalem inquisitionem; quæ solum prodest, vt si fortè sit iudicium sufficiens, superior possit procedere ad specialem inquisitionem.

7. Neque quis tenetur accusare Reum, vel se ipsum quando non laborat aliqua criminis infamia, quia duo, tres, vel quatuor testes non faciunt publicam famam

mam contra Reum.

8. Quod si crimen continuetur in damnum commune, vel tertij, tenetur etiam si Reus nulla laboraret infamia, quia bonum commune, & damnum imminens in futurum præponderat famæ Reorum.

9. Quamuis opinio probabilis sit teneri denuntiare Reum de publico crimine, etiam si nulla laboret infamia, quia superior licitè inquirit, & præcipit in casu prædicto.

ARTICVLVS IV.

An censura lata contra detinentes, & scientes bona, & scripturas alienas, si tempore præfixo non restituant, & denuntient, incurrant in illam?

1. ℞. Sic, quia censura iustè lata, semper est valida, & timenda.

2. Verùm tempore, quo lata est censura non habet vnde soluat, non incurrit, quia censura (supposita contumacia) habet effectum. Sed quando habet, tenetur, si non in totum, saltē in partē, quia aliàs innouatur cōtumacia. Dummodo iudex in officio duret, & debitor tunc potens maneat sub eius iurisdictione, aliàs mandatum expirauit, quia vt cēsura valeat, requiritur, vt extrema habilia sint.

3. Si verò tempore, quò censura lata sit, potens erat soluendi, & non soluit, & non erat ei graue detrimentum, scilicet, bonorum, famę, & vitę, tunc incurrit in eā, quia per superuenientem impotentiam non liberatur, sed differtur.

4. Item non tenetur detinens aliena pro debita solutione, cum aliter per iustitiam nequit recuperare, vel sine magno labore, & damno honoris, amicitię, vel aliorū bonorū restituere, quia licitū est accipere alienū in compensationem eius, quod debetur sibi iustè. Idem est contra scientes, & non denuntiantes res retentas reuelare, quia certo scit illi deberi.

5. Rursus in tali censura non comprehenduntur filij, vel coniunges, nisi in edicto habeantur expressè, quia durum est quòd per huiusmodi furta tàm grauiter, & acriter censura sit ferenda; quamuis in dubio erit securiùs absolutionem petere.

6. Neque etiam tenetur exhibere scripturas, & libros rationum, dum sunt in sui detrimentū, nisi eas quas iniustè detinet, quia nemo tenetur ad manifestanda illa, quę probabiliter credit esse sua, & iustè detinet. Imò scripturę, & instrumenta communia, quę pertinent tam ad ius Rei, quàm ad ius actoris non tenetur, quia non tenemur suffragari parti aduersę in damnum proprium. Tum quia cùm sint

vtrique communia, & Reus est in possessione, & cetera sunt paria, melior est conditio possidentis. Secus autem si scripturę ad aliorũ ius attineant. Nec sufficit se excusare dicendo quòd inde vexationẽ timet, & illas ad suum ius cõducere vult, vt nullatenus ad alterius cõfirmãdũ attineant.

7. Verũ non tenetur retinens scripturas actoris in causa, in qua habet ius, & si prodendo illas iustitiã in causa, & lite perdere timeat, quia nemo ad restitutionẽ cũ tãto suo dãno tenetur.

8. Sed bene tenetur si scripturę, & instrummenta sint publica, quę continent acta causę in iudicium, scilicet, confessiones, interrogationes, responsiones, attestationes, & ceteras obligationes factas in iudicio, quià cùm sint publica, ad publicam iustitiam exhibenda.

9. At consimiles edicti superiorum sub pœna censurę obligant subditos pręsentes, & non futuros, quia sententia lata ab homine eos solùm ligat, qui tempore sententię sub iudicis iurisdictione cõtinentur, eique tunc subditi sunt.

10. Ad consimiles censuras non astringuntur aduocati, procuratores, consultores, medici, chirurgi, qui secretum concreditum nouerunt tantum ratione consultationis pro salute animę, vel corporis, aut pro defensa rerum, vel honoris, etiam si sciant Reum laborare infamia, & esse probationem, & testes contra illum, quia maius est vinculum iuris naturalis seruare secretum, quàm parere iudici interroganti, & pręcipienti.

11. E'contra tenetur, imò statim denuntiare iudici, etiam sine pręcepto, & cẽsura, absq; præuia monitione, & quãuis sub secreto, ꝑmissione, & iuramẽto firmatus, crimina, quę adhuc pẽdẽt in futurum, & directè tendunt contra bonum commune, vel contra vitam alicuius innocentis, quale est crimen hęresis, lęsę maestatis, proditio patrię, crimen malefactoris machinantis mortẽ innocentis, & similia, quia promissio, iuramentum, & secretum contra bonos mores non sunt obligatoria.

12. Quod autem per confessionem sacramẽtalem nouimus, in nullo mundi casu detegere possumus, nisi qui confessus fuerit, dederit facultatem: oportet autem quòd pœnitens verè cõfiteatur peccata sua, & non sufficit dicere, Hoc tibi dico in cõfessione, etiam si flexis genibus, & signo crucis se signans, absque tamen proposito cõfitendi peccata, & absolutionem accipiendi, quia talis detectio non est sacramentalis.

13. Nota tamẽ quod denuntiator non tenetur reuelare, dum non possit probare. At coactus tanquam testis tenetur depone-

re omne id, quod scit. *Ita D. Tho. 2.2.q.70.art.1.* Vnde Iudex Ecclesiasticus potest sub pęna censurę pręcipere in generali, vt reueletur quidquid scitur ad habendā perfectam probationem criminis, quia tunc illi, non pręcipitur, vt denuntiet, sed vt testificetur.

ARTICVLVS V.

An filius teneatur accusare, & reuelare vi censurę patrem in crimine hęresis?

1. R. Sic, quia bonū cōmune, maximè spirituale, pręferendū est bono priuato.

2. Cum hac tamen limitatione, scilicet, dummodo non adsint alij testes, qui sufficiant, & dummodo pater admonitus, nō sit verè emendatus, nec tantum malum possit aliter impediri. Sed si sit firma spes quòd resipiscat, tunc correctio fraterna fieri debet. Eodem modo monendus est qui metu aliquo, vel vehementi passione motus facit actū vel dicit aliquid contra fidem, cū mentem retinuit sanam, quia monitione constat ipsius mens.

3. Verùm si pater esset hęreticus occultus, non tenetur filius, nec uxor, nec alij extranei denuntiare ob metum cadētem in cōstātem virum, quia crimen occultum non vergit in damnū publicum.

4. Item monendi prius, quàm denuntiandi, sunt superstitiosi, & sortilegi, quorum superstitiones manifestam non continēt hęresim, nec aliquem cultum exhibent Dœmoni, sed potius causa inescandi mulieres in sui amorē, falsa ducti ęstimatione vtuntur herbis quibusdam verbis philacterijs, quia est spes, secreta monitione resipisci.

5. At strigæ solitæ in perniciē aliorum, & grassari in pueros, & Dœmoni cultum consuetæ exhibere, sicut etiam superstitiosi exercentes superstitiones manifestam continentes hæresim, scilicet, diuinationem futurorum casuum contingentium ex voluntate humana dependentium, aut cogitationes cordium certò per sortilegia velle prænoscere, stantibus edictis, statim sunt denuntiandi, quia hi perniocissimi sunt in Republica, nec alitèr pręsumitur eorum emendatio. Secus tenetur, si quoties quis non certò nouerit, sed tantum suspicetur esse strigam, vel hæreticum aut hoc audiuit à persona non fide digna, & si à fide digna, non amplius recordatur, à quo audierit, vel si à quo audierit, nihil certi sciat.

6. Neque denuntiandus est vltra montanus Catholicus si sit conuersatus cum hæreticis in Germania, vel in Flandria, benè tamen si in Italia, vel in Hispania imò nec debet absolui, nisi denuntiet,

nuntiet, aut omnino proponat denuntiare, quia iste non videtur aliàs contritus. *Et hoc obseruat sacra Pœnitentia.*

7. Verùm hæretici non tenẽtur prodere se ipsos, vel socios, & consortes criminis, quia non potest manifestare socios, quin etiã seipsum, & nemo tenetur prodere seipsum. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 69. Art. 1. ad 1. Ita etiam cap. 87. quis aliquando distint 1. de pœnit.* Sed si iuridicè interrogatus sit, tenetur se, & socios manifestare, quia hic non se prodit, sed ab alio.

8. Hinc est quod fur occultus non tenetur se ipsum prodere, etiam si prælatus præcipiat sub censura reuelationem furti notorij, quia occulta scientiæ publicæ nõ subsũt, neq; iudicio publico. Et Diuus Gregorius excommunicauit occultum authorem libelli famosi, non vt se reuelaret propter crimen, sed propter perseuerantem, & nolentem restituere famam.

ARTICVLVS VI.

An Superior Ecclesiasticus habeat ius inquirendi à subditis scientibus authorem occultum criminis publici sub iuramento, & pœna censuræ?

1. ℟. Sic, quia ita expedit pro bono Religionis circa mores subditorum, posse inquirere sub censura, etiam si nulla præcesserit infamia, nec clamor, nec denuntiatio. *Ita 1. de offic. ordinar. & cap. cum olim de accusat. & cap. romana de censib. 6.*

2. At subditi tantùm tenentur manifestare ea delicta, quorum authores laborant infamia, aliter non, cũ nihil mali in posterum timeatur, nec crimen adhuc esset perpetrandum, vel continuandum in damnum commune, vel alicuius innocentis, quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur, quod de facto apud seculares abolitum est.

3. Verum praxis communis modo procedit ad inquisitionem specialem ex quærela partis, & denuntiatione iuridica alicuius priuati, etiam si nulla processit infamia, quia denuntiator iuridicè denuntians tenet vicem accusatoris, & viam iudici ad inquisitionem aperit.

4. In edictis spectantibus ad fidem, vel in damnum commune, vel alicuius priuatæ personæ tenentur statim manifestare, etiã si nulla præcesserit infamia, quia in his quilibet tenetur impedire.

5. At si Reus fortè interrogetur, non tenetur se patefacere, nisi contra ipsum præcesserit infamia, vel aliqua expressa indicia & signa, vel probatio semiplena, quia *ita D. Tho. 2. 2. q. 69. art. 1.*

AR-

ARTICVLVS VII.

An quis absens, & post praefixum tempus edicti superioris certior factus incurrit in censuram non denuntiando Reum?

1. ℞. Non, quia sententia vltra terminum statuentis nullum habet vigorem.

2. Vnde Religiosus non obediens praecepto in visitatione peccat, & post elapsam non tenetur amplius denuntiare, nisi aliàs teneretur simpliciter, & citra vllum edictum ex iustitia, vel ex charitate, quia praecepta expirant cum visitatione.

3. Sed si edicta non praefingant tempus, & innouantur singulis annis, vt edicta inquisitorũ, quae durant vltra annum vsque ad nouam publicationem, tenetur reuelare quod praecipitur quam primùm commodè possit quia *ita cap. cum dilecti. de dolo, & contumacia.*

4. Hinc debitor incurrit in censuram latam per sententiam à Iudice, si non soluit, etiam quod creditor prorogget tempus restitutionis sine consensu Iudicis, quia actus est iurisdictionis, & pars tali consensu non habet facultatem.



ARTICVLVS VIII.

An custodes syluarum, montium, & locorum ad Principem pertinentium, teneantur accusare delinquẽtem, & in conscientia soluere damnum, ad quod soluendum Reus condemnandus foret, si accusaretur?

1. ℞. Sic, quia violant iuramentum praestitum, ad quod tenẽtur in licitis, & honestis, & infideliter se habent in re graui.

2. Sed si prohibitio iniusta sit, sic nec Reus, nec custos tenẽtur, quia merces, stipendium, & iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.

3. Et si prohibitio licita, tamẽ ambo excusãtur ex inopia, quia charitas id exigit, cui nulla promissio, & iuramentum debet aduersari. Maximè in locis communibus Reus tantum ad solutionem poenae, quando capti cõdemnabuntur; & custodes ante condemnationem Iudicis non accusantes, neq; tenentur, quia fiscus non habet ius in poena ad rem, vel in re ante sententiam.

4. Sed si detrimentum sit notabile in siluis communitatis, vel priuatae, tenentur ad restitutionem damni, & nõ soluens Reus, tenentur custodes insolidum, quia agsit contra iustitiam commutatiuam per negligentiam sui officij non accusando, cùm sint

causa

causa talis deuastationis.

5. Vnde custodes confinium Regnorum peccant non accusando transgressores, sed non tenentur restituere pœnas transgressorum, quas soluissent, si denuntiati fuissent transgressores, sed tantum tenentur restituere vectigalia, quia hoc non est pœna, sed interesse.

ARTICVLVS VLTIMVS

An sit licitum apud Iudicem accusare inimicum veracitèr veniam ponentem, vt luat pœnam corporalem per legem impositam?

1. ℞. Sic, quia lex est iusta, dummodo non sit odium, sed finis bonus, scilicet ad quietem aliorum, & iustitiæ cõseruationem, & Dei honorem. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 108. art. 1.* Vnde offensor postulans remissionem in scriptis ob offenso, offensus non tenetur ex præcepto, sed est maxima perfectio Christiana.

2. Sed difficile est non condonare offensori pœnam corporalem, & quod careat odio, & appetitu vindictæ.

DISQVISITIO VI.

De Adiuratione.

ARTICVLVS I.

An liceat deprecatiuè Deum, Sanctos, & homines adiurare?

1. ℞. Sic, quia Ecclesia semper deprecatur Deũ per Iesum Christum. Et continuò adiuramus per passionem Christi, merita Beatæ Mariæ, & Sanctorum. Tùm quia honestũ est inducere hominem ad aliquam rem, in qua relucet diuinum numen. *Ita D. Tho. 2. 2. q. 90. art. 1.*

2. Adiuratio est aliquam personam imperando, vel obsecrãdo inducere ad aliquid faciendum, vel omittendum inuocatione alicuius rei sacræ. *Ita D. Tho. loco supra citato.* Quæ duplex est, Deprecatiua, quæ fit imperando, aut per modum deprecationis. Altera per modum compulsionis. *Ita D. Tho. loco supra citato.* Adiuratio differt à iuramento, quia in iuramento adducitur

Deus

Deus, vt testis veritatis. In Adiuratione verò, vt obiectum amoris, vel timoris eius, quem adiuramus, ad rem petitam concedēdam. Item differt adiuratio ab oratione, quia per orationē aliquid petitur à Deo, & per adiurationem non petitur à Deo, sed propter Deum. Est autem adiuratio actus Religionis, quando fit per Deum, siue expressè, siue tacitè, quia in hoc adiurans tribuit Deo honorem, quod eius authoritatem tanquā plurimum apud omnes valentem interponit ad aliquid obtinendum.

3. Vnde nulla ratione est licitū deprecatiuè adiurare Dœmones, nec imperatoriè, vt aliquod obsequium, & beneficium præstet, quia quandā amicitiam cum eo indicat.

4. Sed bene licita est imperatoria, & coarctiua per modum impulsionis, ne spiritualiter, nec corporaliter noceat, quia Ecclesia habet potestatē datā à Christo contra illos.

4. Tādem res inanimatæ per se directè adiurari non possunt, quia non intelligunt; sed indirectè referendo illas ad Deum, vt dignetur eas compescere, vel ad Diabolum per modum cōpulsionis præcipiendo ei potestate à Deo tradita Ecclesiæ, vt cesset à mouendo, ducendo, vel dirigendo illas contra nos.

DISQVISITIO VII.

De Adoratione.

ARTICVLVS VNICVS.

An adoratio sit actus latriæ, vel Religionis?

1. ℞. Sic, quia est virtus moralis, qua Deum adoramus, & colimus.

2. Adoratio est reuerētia alicui rei propter eius excellentiā exhibitio, *Ita D. Tho. 2. 2. q. 84. art. 1.* Quæ triplex est. Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. Latria est summa veneratio, quæ soli Deo debetur propter eius infinitam potentiam, & excellentiam increatam *Ita D. Tho. 2. 2. q. 103. art. 3.* Dulia est veneratio, qua veneramur personas dignitate præcellentes, scilicet, sanctos, eorum imagines, reliquias, & spiritus Angelicos. Hyperdulia est media inter adorationem Latriæ, & Duliæ, qua veneramur Beatam Virginem Mariam propter specialem affinitatē, quam

habet ad Deum. *Ita D. Tho. 3. p. quæst. 25. art. 5.*

3. Vnde Trinitati, & cuilibet diuinæ personæ debetur cultus Latriæ. Item Christo, qui & si homo sit, est etiam Deus. Item humanæ Christi naturæ, quia Verbi Dei est humanitas: *Ita D. Tho. 3. p. q. 25. art. 5.* Quamuis humana Christi natura re ipsa, vel cogitatione seiuncta à verbo, & per se, non Latriæ sed Duliæ, vel Hyperduliæ veneratione est colenda, quia etiam vt sic, est omni munere gratiarum perfecta: *Ita D. Tho. 3. p. q. 25. art. 2. & 4.*

4. Item sanguis Chisti in triduo mortis separatus à corpore, cultu latriæ meretur, quia cùm sit sãguis decoctus, & perfectus, tũc fuit Verbo Diuino coniunctus: *Ita D. Tho. 3. p. q. 25. art. 4. ad 2.*

5. Item Latriæ debentur, claui, lancea, præsepe, spongea, flagella, corona, & alia huiusmodi, quia per excellentiam extrinsecam redundantem in Christum, eo quod eius membra tetigerũt.

6. Secus sacrilega manus, quę alapa percussit Dominum, nec flagellantium, & crucifigentium illum, quia vt intellectuales nefariè Christũ tetigerũt; sed creaturæ insensatæ subiectæ quæ nõ volẽtes iniquè Christum tetigerunt, Latriæ veneratione adorantur.

7. Ita Crux, in qua Christus est Crucifixus duplici titulo est veneranda cultu Latriæ, & vt repræsentat figuram Christi Crucifixi, & ex contactu ad membra eius. Ceteras verò cruces veneramur tantùm vt imaginẽ Christi Crucifixi cultu Latriæ, in qua ponimus spem salutis.

8. At Beata Virgo cultu Hyperduliæ, & non latriæ ratione coniunctionis, quia Hyperduliæ est venerari absolutè secundum seipsam propter eccellentissimas eius virtutes, quod est honorificentiùs: *Ita B. Tho. 2. 2, q. 103. art. 4. ad 3.* Sed Asina, qua Christus sedit contactu eius, licet esse adoranda cultu Latriæ, tamen non expedit, nec decet.

9. Dulia adoratione venerantur sancti, reliquiæ eorum, imagines, & Angeli, quia eccellentia eorum per participationem est quasi diuina, & altioris ordinis, quàm humana dignitas, & potẽtia: *Ita D. Tho. 2. 2. qu. 103. art. 4.* Item etiam viros iustos in terra, quia gratia, & sanctitas est eiusdem rationis in vtrisque.

10. Verùm adoratio sanctorum dicitur cultus Religiosus, nõ tamen actus Religionis, quia actu Religionis tantùm Deum colimus propter eius infinitam potentiam; Sanctis verò in Religiosis actionibus, & ad pietatem pertinentibus est positus, ideò hymnis, & psalmis eos colimus.

DIS-

DISQVISITIO VIII.

De Adulatione.

ARTICVLVS VNICVS.

An Adulatio sit peccatum, & quale?

1. ℞. Sic, quia est excessus in laude.

2. Adulatio est excessus delectandi alios verbis laudis, aut factis, idest laudare aliquem de eo, quo non est, nec plus laudandus, vel vbi, & quando, & quomodo, & quo fine: *ita cap. de qua qu. 1. & cap. sunt plurimi, & cap. nemo peritorum: ita etiam D.Th. 2.2.qu.115.art.1.*

3. Vnde Adulatio per se solũ est peccatum veniale, quia tantùm est excessus placendi alijs. Potest esse mortale ratione materię mortiferę, tùm ratione finis vt ad libidinẽ pertrahat, tũ ratione affect', scilicet, præbere occasionem alicuius grauis peccati: *Ita D.Tho. loco supra citato.*

4. Hinc est quod adulans potest fieri Simoniacus, si adulatione sibi impetret beneficium, quia laudare aliquẽ apud Principem est prætio æstimabilis, & deduci potest in pactum in re spirituali, scilicet beneficio. Triplici enim prætio possunt emi, & vendi spiritualia. Prætio muneris, scilicet pecunia, vel re estimabili. Prætio linguæ, scilicet, laudare illum coram alijs. Prætio obsequij, scilicet inseruire alicui in temporalibus pro retributione spirituali, scilicet, vt beneficium recipiat.

DISQVISITIO IX.

De Adulterio.

ARTICVLVS I.

An sit Adulteriũ abusus vxoris contra naturam?

1. ℞. Sic, quia neuter coniux seruat alteri fidem matrimonij.

2. Adulterium est alieni tori violatio, vel accessus ad alienum torum: continet enim duplicem deformitatem, scilicet, luxuriæ, & iniustitiæ: *Ita D.Tho. 2.2.q.154. art. 8.*

3. Tripliciter cōmittitur adulteriū, scilicet, cōiugatus cū soluta, solutus cū cōiugata, & cōiugatus cū coniugata, & hoc est duplex adulteriū, illa verò priora simplicia, & in cōfessione tenetur explicare has circūstātias.

4. Verùm non est maius incestu, quia incestus vltra luxuriam est contra ius naturę, scilicet, cum matre, sorore, socru, nuru, nouerca, priuigna &c. *ita D. Tho. loco supra citato.*

5. Item adulterium est, accedens ad coniugatam contra naturam, quia fit iniuria matrimonio personę mariti: sed maior iniuria fit matrimonio, quando vxor naturaliter cognoscitur, quia non solùm polluitur vxor alterius, sed proprium vas generationis, quod est mariti.

6. Sed cōcubitus cōtra naturā nō est propriè adulteriū, nec incestus cū consanguinea, quia non contrahitur affinitas.

7. Tamen semper committitur adulterium, licet improprium vltra crimen sodomiticum.

ARTICVLVS II.

An coniux adulter habeat ius exigendi debitum à coniuge innocente?

1. ℞. Non, quia frangenti fidem, non est obligatio seruandi pactum matrimonij.

2. Vnde coniux adulterās nō potest petere, sed licitū humiliter petere, quia licet perdiderit ius petendi, non tamē ius rogādi.

3. Sed adulter occultus habet ius exigendi obligando in conscientia innocentem ad reddendum debitum, & innocens tenetur reddere, quia pœna non debetur ante sententiam iudicis. Secus in incestuoso, qui etiam occultus, est priuatus debiti petitione per leges Pontificias.

4. Potest tamen coniux conscius adulterij in foro conscientię, secluso scandalo ab illius habitatione diuertere absque sententia iudicis, quia Christus non distinguit inter adulterium publicum, & occultum.

5. Sed adulter recipit ius exigēdi debitum, cùm primùm sciuerit alterius coniugis adulterium, quia per compensationem tunc ambo coniuges sunt pares. Et nil refert an eodem tempore, vel successiuè adulterētur, quia vterq; amittit ius recedēdi à toro, & denegandi alteri debitum.

6. Verùm coniux prius adulterās si fuerit ei cōdonatū adulteriū, si postea alter coniux posterius adulterauit, potest prior coniux facere diuortiū, quia remissa fornicatio reconciliatione reuocat matrimoniū ad pristinum, & tunc prior coniux reconcialiatus à coniuge Reo post adulteriū diuertere posset.

7. Similiter coniux occultè adulter nòn potest petere diuortium, nec debitum negare ob adulterium alterius coniugis sibi notum

notum, licet alter suum ignoret, quia lex soli innocenti concedit diuortium, & quòd possit alteri nocenti debitum negare.

8. Sed si vxor est adultera ex consensu viri expresso, vel tacito, non habet vir ius denegandi debitum, & vxor habet ius illud exigendi, quia scienti, & volenti nulli fit iniuria: *ita regul. scient. de regulis iuris in 6. & cap. discretionē de eo, qui cognouit consanguineam.*

9. Item coniux innocens tenetur reddere debitum coniugi adulterę, quando fuit oppressa ab aliquo: *ita cap. ita ne. 32. q. 5.*

10. Item quando vxor ob diuturnam absentiam mariti credēs eum mortuum, alteri se coniunxit, non perdit ius exigendi debitum: *ita 34. q. 1. cap. cum per bellicam.*

11. Item si alter sub specie mariti decepit vxorem: *ita 36. q. 11. cap. in lectum.*

12. Item si maritus post adulterium cognouit vxorem nocētem: *ita 32. q. 1. cap. in multis.*

13. Item si quis degens sub infidelitate repudiat vxorem suam, deinde conuersus ad fidem, nō potest cōiugi obijcere adulterium: *ita c. gaudeamus de diuortijs.*

ARTICVLVS III.

An adulter, si partus sit sequutus, teneatur ad restituenda damna substentationis prolis, & hereditatis partitione?

1. ℟. Sic, quia adulter fuit damni causa proxima.

2. Sed ad hoc requiruntur circumstantię, scilicet, quòd tēpore conceptionis maritus abierat; & mulier semper fuit bonę famę, & ad id vi, minis, aut alijs suasionibus adducta fuit: aliàs non tenetur, maximè si adulter habet rationem dubitandi, quia in dubio melior est cōditio possidentis, dum non constat se debere.

3. Verùm si adulter adulterā prouocauit, ambo tenentur insolidum, quia æquè dederunt operam adulterio. Et si adultera nolit, vel non possit partem suam debitam restituere, tunc adulter tenetur in integrū, quia ipse est causa principalis. Si verò ambo cōmuni consensu cōuenerunt, tunc adulter tantùm tenetur in partem, quia fuit causa partialis, & non totalis dāni.

4. Sed si filius adulterinus sit expositus ad hospitale, tenentur insolidum, vel in partem satisfacere hospitali, nisi paupertas excuset, quia huiusmodi bona hospitalium ad alendos pauperes, non diuites sunt instituta.

5. Sed si adultera ex suis bonis proprijs restituerit hospitali, siue marito, & filijs legitimis, adulter tenetur ad medietatem recompensare tanquam concausa damni, quia quando plures idem damnum inferunt, tenētur insolidum soluere. Si verò

adul-

adultera non habens vltra dotem bona propria paraphernalia, vt satisfaciat damnis illatis filijs legitimis tenetur adulterinũ filium inducere ad capessendam religionem hęreditatis incapacẽ, quia omnibus bonis cauere debet damnũ legitimis hęredibus.

6. At adultera nõ valẽs compensare damnum, non tenetur prodere suum crimen, maximè si dubitat se nil profuturum, quia in dubio melior est cõditio possidentis, quam reddere se infamem.

7. Neque filius tenetur credere matri dicenti, se esse spuriũ, quia alleganti suam turpitudinẽ nulla debetur fides in alterius præiudicio: *ita gloss. in cap. officij. 9. de pœnit. & remiss.*

8. Si verò filius cõuinctus se esse spurium, tenetur hæreditatem dimittere, etiam si in foro exteriori sit adiudicata, quia sciens, & prudens mala fide possidet alienum inuito Domino. Poterit tamen capere alimenta necessaria ex ipsa hæreditate, si aliundè viuere non potest, quia necessitas non habet legem.

9. Si verò filius dubius de dicto matris non tenetur restituere, quia dubia in fauorabilem partem interpretanda sunt.

10. Neque tenetur post cõpletam præscriptionem bona fide factam, etiam si certus non legitimè natus, quia eo titulo legitimè possidet. Si ante præscriptionem tenetur hæreditatem, nõ autem percepta, & bona fide consumpta restituere; nisi ex eis locupletior factus sit, nec expẽsas factas in sua educatione, quia sunt bona fide consumptę.

11. Verùm nec adulter, nec adultera ad nihil tenẽtur, si filius spurius cum periculo suæ propriæ vitæ hæreditatem ademit filijs legitimis, quia bona temporalia non sunt tanti prætij vitæ. Ideo adultera non tenetur reuelare suum crimen, stante periculo vitæ, quia bonum famæ, & vitæ est alterius ordinis, quàm bona fortunæ.

12. Sed adultera infimæ notæ, & famæ, & hæreditas copiosa, tenetur se manifestare, si nullum aliud sequatur incommodũ, quàm propria infamia, quia hæreditas copiosa secundum arbitrium boni viri adæquat, vel excedit famam talis mulieris.

13. Imò si hæreditas amplissima, scilicet, Principatus, & spurius primogenitus perditis moribus, & secundus genitus legitimus optimæ spei, tunc adulter, seu adultera tenentur impedire spurij successionem, ne dum periculo infamiæ, sed etiam vitæ, quia est obligatio non tàm legitimi hæredis, quàm impedire commune bonum Reipublicæ.

14. Tandem maritus bonus, & filius spurius vti primogenitus etiam bonus, & spiritualis, ipsiq; certo cum silentio compressuri, neque

neque adulteram opprobrijs vexaturi, & firma spes damni auertendi, tenetur adultera reuelare crimen suum, quia vt sic posset hæreditas deuenire ad legitimũ hæredem. Et idem etiam dicimus in isto casu de adultero concurrentibus talibus circumstantijs.

DISQVISITIO X.
De Aduocatia.

ARTICVLVS I.

An Aduocatus teneatur citra extremam necessitatem patrocinari pauperibus?

1. ℞. Sic, quia iuræ naturæ tenetur de tempore superfluo.

2. Aduocatus est causarum patrocinatus, cuius officium nõ solum vitæ hominum, & reipublicæ vtile, ac necessarium est, sed etiam nobile, ac principalibus præmijs munerandum: *ita cap. de aduocatis.*

3. Tamen lege charitatis gratis tenètur sub mortali non intẽdens pauperi extremè indigenti in periculo vitæ, & bonis non patrocinari, quia vltra opus misericordiæ in promotione gratis eis promittunt subuenire. *Ita D. Tho 2. 2. q. 71. art. 1.*

4. Secus tenetur cum graui suo incommodo, scilicet, mortis, & bonorum, quia charitas nõ obligat cum tanto detrimento. Tamen tenetur in casu grauissimę, & extremę necessitatis, etiã cum graui suo incommodo, & aliquorum bonorum suorum iactura, quia sicut diuites tenentur de propria substantia succurrere pauperi extremè indigenti, ita aduocati, & medici in officio eorum: *ita D. Tho: 22. q. 66. art. 6. & q. 32. art. 7.*

ARTICVLVS II.

Quis sit prohibitus ab officio aduocati, & quomodo aduocatus suum munus exercere teneatur?

1. ℞. Infideles, excommunicati, infames, heretici, & de grauibus criminibus damnati, quia isti nec erga Deũ, nec erga seipsos, multo minus in aliorum negotijs exercere valẽt: *ita ex cap. infamis 3. q. 7.*

2. Item monachi, fratres, sacer-

cerdotes, clerici in sacris, & beneficiarij etiam in minoribus, quia contemplationibus vacare tenentur: *ita cap. placuit 2.16.9.1.*

3. Verùm isti in quatuor caussis ciuilibus aduocati esse possunt, scilicet, pro se, pro Ecclesia sua, pro coniunctis non habentibus aduocatum tam bonum, & pro miserabilibus personis Secus coram iudice criminali, quia est periculum irregularitatis: *ita cap. ex parte. & cap. clerici. de postulando.*

4. Aduocatus imperitus propter imperitiam perdens litē peccat, & tenetur ad restitutionem damni, quia ex officio tenetur, vt sit instructus conuenienti peritia. Sed si cliens conscius imperitiæ consentit, non tenetur, nisi de dolo, & lata culpa.

5. Item peccat lethaliter negligens in procuranda causa, & tenetur restituere damnum, non solùm de lata, & ampla culpa, sed etiam de leui, quia talis diligentia vergit in vtilitatem aduocati, & clientis. Ideo peccant lethaliter aduocati recipiētes omnes causas etiam iustas sine termino, quia industria humana finita est.

6. Itē scienter suscipiens causam iniustam, si non admonuerit clientem, peccat, & tenetur ad expensas; sed nō tenetur, si admonuerit, sed bene peccat, quia scienti, & volenti nulla fit iniuria. Sed si vicit litem iniustam, tenetur restituere parti aduersę principalem, & expensas, quia actio aduocati est iniuria parti aduersæ.

7. Item si causa in principio iusta, & postea nouit iniustam admonendo clientem, debet illam deserere: non tamen secreta causę prodere parti, nisi ad graue damnum impediendum, quia hoc tenetur iure charitatis. Nec potest inducere partem ad compositionem, quia solum in causa dubia transactio, & compositio locum habet. Sed si res in iure, vel in facto ęquè dubia in vtramque partem potest ad libitum vnam illarum tueri, quia tales causę reputantur ab omnibus propria, & iusta materia litis: *ita D. Tho. 2.2.q.71.art.3.ad.2.*

8. Imo licet aduocato patrocinari Reum, etiam quòd altera pars sit probabilior, dummodo non vtatur fraude, & dolo, quia licitum est patrocinari de iure clientos suos, quando non constat certò de iurè alterius. Tamen debet admonere clientem partem eius non ita sibi probabilem apparere sicut oppositam, quia tunc fortè aut alium eliget aduocatum, aut causam non prosequetur. Sed aduocatus tenetur damnū subsequutum restituere, asserendo causam sui clientis esse iustam, cùm cliens cognita minori probabilitate causę non esset litigaturus.

9. Verùm dum agitur de causa sanguinis, aut de ciuili

maxi-

maximi momenti peccat patrocinaris pro actore habẽte minus probabilẽ causam, quia ex charitate tenetur patrocinari Reo existenti in extrema necessitate, multo minus actorem cõtra Reum. Quamuis sit opinio probabilis opposita; quia aduocatus tantùm rationes proponit iudici, ad quem spectat sentẽtiam ferre pro parte minus probabili.

DISQVISITIO XI.

De Amplexibus.

ARTICVLVS I.

An amplexus, tactus, & oscula sint peccata lethalia?

1. ℞. Sic, quia cùm sint act' Venerei circumstantię intrinsicę participant eamdẽ ipsius malitiam.

2. Delectatio Venerea consurgens ex amplexibus &c. ea est, quę sentitur in carne cum commotione spirituum subseruientium generationi circa partes libidinosas. Et est duplex: vna consurgit ex ipsa copula: altera ex ipsis amplexibus &c. pręter intentionem copulę quę facta est à non cõiugibus, & est mortale, quia ad generationem legitimam non est ordinata.

3. Vnde tales amplexus &c. non in partibus impudicis inter personas eiusdem, siue alterius sexus, si fiant ioco, causa vanitatis, & leuitatis, vel secundum consuetudinem patrię, & sine periculo commotionis venereę non excedũt culpam venialem, quia actiones humanę ex intentione specificantur; Aliàs sunt lethalia, quia sic ad longe peiorem concubitum ordinantur: *ita D. Tho: 2. 2. q. 154. art. 4.*

4. Si verò fiant inter coniuges absque copula, sed tantùm ob delectationem sẽsuum, & nõ sit periculum pollutionis, excusantur à mortali, non tamen à veniali, quia carent debito fine. Etiam à veniali, si vt se preparẽt ad copulam, vel ad fouendum amorem coniugalem, quia tunc adest debitus finis.

5. Sed tales tactus etiã in partibus non Venereis, cogitationes, meditationes inter sponsos de futuro, & inter coniuges absẽtes, & Viduas de pręteritis morosè delectari: quamuis ab aliquibus defenditur esse culpam leuem,

leuem, quia tàntum desideratur debitus finis, tamen veriùs esse lethalem dicimus, quia commotio membrorum genarationi interuenientium lethalis est extra copulam coniugalem.

6. Ita tactus leues, vt manuum mulieris, pedem premere, digitos extorquere non ex libidine, sed ex leuitate, & ioco, sunt culpę veniales; aliàs ob delectationem sunt lethales, etiam seclusò periculo pollutionis, quia non datur paruitas materię in delectationibus Venereis, cùm hęc paruitas materię est abolita in motu proprio Clemētis VIII. & Pauli V.

ARTICVLVS II.

An aspectus pulchrę mulieris, & dicere, vel audire turpia verba gratia delectationis sensitiuę, sit culpa lethalis?

1. ℞. Sic, quia excitat motum concupiscentię, & suapte natura ordinantur ad actum Venereum. Secus si sola curiositate, & vanitate, & non est periculum lapsus, non est lethale, sed veniale, quia non proueniunt ex malo, sed intentato fine.

DISQVISITIO XII.

De Apostasia.

ARTICVLVS I.

An apostata à fide idem sit ac hęreticus?

1. ℞. Sic, quia hęreticus negat fidem ex parte, apostata vero ex toto: *ita D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 5.*

2. Apostasia est error hominis baptizati fidei catholicæ ex toto contrarius. Et differt ab heresi, Iudaismo, & Paganismo. Apostasia enim est contradictio totalis fidei, quam antea quis receperat in veritate. Paganismus est, qui nunquam recepit. Iudaismus qui ex typis, vmbris, & figuris ante recepit. Et hæresis ex parte contrarius.

3. Ideo apostata licet professione fiat Paganus, vel Iudęus, tamen vt hęreticus sit puniēdus, quia resistit fidei, quam ante receperat. Non tamen Paganus, & Iudeus, quia nunquam professi sunt.

4. Ve-

4. Verùm apoſtata à fide mẽtalis nullam incurrit excommunicationem. quia Papa non eſt ſupra actus purè internos. Poteſt tamen ipſe, vel alius Prælatus ſibi reſeruare tale peccatum, quia reſeruatio non eſt pœna, ſed negatio, vel ademptio iuriſdictionis.

5. Neque qui ex metu, verbo, vel facto ſe fingat apoſtatam à fide, quia non eſt verè apoſtata, & hęreticus: quamuis ſecundum aliquos talẽ incurriſſe pęnas hęreticorum, quia licet ſit metus cadens in coſtantem virum, negat tamen oretenus fidẽ.

6. Sed noſtra eſt communior, imò à quolibet confeſſore abſolui, quia non eſt error intellectus, ſicut etiam apoſtata merè mentalis ab eodem abſolui poteſt.

7. Sed ſi hęreticus, vel apoſtata mentalis profert errorẽ verbo, ſigno, vel facto, etiam nemine eum audiente, incurrit pęnas hęreticorum, quia ſolũ per accidẽs occulta eſt hęreſis. Sed ſi profert per actus indifferentes, non dicitur hæreticus externus, vt ſi diceret in corde: Filius Dei eſt inęqualis Patri ſecundum diuinitatem; & exterius diceret, ita eſt, non eſt hęreticus quia ly, ita eſt, ſunt verba indifferentia, niſi ſit aliqua circumſtantia explicãs errorem internum.

ARTICVLVS II.

An apoſtata à fide, abſolutus, maneat irregularis?

1. ℟. Sic, quia crimen depoſitione dignum, irregularitatem inducit.

2. Vnde apoſtata à fide tàm abſolutus per abiurationem, quã occultus ipſo iure eam contrahit, & non poteſt promoueri ad ordines, & beneficia ſine diſpẽſatione Papę, quia irregularitas apoſtaſię non ceſſat poſt emendam etiam publicam. Nam Clemens VII. concedit Inquiſitoribus facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta ab hæreſi. Sed oppoſita eſt etiam ſatis probabilis de occulto, quia in iure non eſt expreſſa.

3. Sed apoſtata mentalis à fide, vel qui fictè timore pęnarum negat fidem, & crimen eſt occultum, non fit irregularis, quia ſi non eſt excommunicatus, nec irregularis.

4. Sed apoſtatans à fide quomodocunque, & notorius, eſt irregularis, quia contrahitur ob crimen enorme notorium.

5. Et ad Papam ſpectat eius diſpenſatio, quia per Bullam cęnę omnibus interdicitur, etiam Epiſcopis, nec eſt conceſſa à *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.*

6. Tamen quo ad vſum ordinum iam ſuſceptorum, excepto

sacerdotio potest Episcopus dispensare, quia canon permittit Episcopo dispensationem vsus ordinum susceptorum.

ARTICVLVS III.

An apostata à Religione, habitu retento, excommunicationem incurrit?

1. ℞. Non, quia in iure solum dimittentes habitum, excommunicantur: *ita cap. vt periculosa ne clerici, vel monachi.*

2. Apostasia à Religione est temerarius recessus ab illa, quã quis vouit sollemniter, cum animo nũquam redeundi ad illam. Vnde fugiens animo vagandi, & postea ad Religionem redeundi, est fugitiuus, non apostata.

3. Neque apostata transiens ad aliam Religionem, siue strictiorem, siue laxiorem, quia simpliciter non recedit ab instituto religioso, sed à tali Religione. Tamen peccat, & est excommunicatus per extrauag. Martini V. pręter ingressum Carthusianorũ.

4. Imò nec fugitiuus, nec apostata est, qui iniquè vexatus absque licentia ad superiorem Pręlatum confugit, quia tali licitus est recursus.

5. Nec etiam incurrit excommunicationem talis vexatus, si occultè defert habitum, quia nõ est temeraria, sed coacta dimissio: *ita D. Tho. 2. 2. q. 53. art. 3. ad 2.* Aliter si dolosè ad vagandum, est excommunicatus, quia idem est occultatio habitus, ac dimissio.

6. Ita etiam si assumit habitũ alterius Religionis ad vagandũ vel perpetrandum aliquod scelus, quia iniuriam infert illi Religioni.

ARTICVLVS IV.

An retrocessio à minoribus ordinibus ad statum secularem, sit simpliciter apostasia ab ordine?

1. ℞. Non, quia nouitius purus absque causa recedens à Religione, non peccat, nec est apostata.

2. Apostasia ab ordine est retrocessio à statu ordinis sacri ad statũ secularem propria authoritate ordini clericali repugnantẽ.

3. Ideo recedens à sacris est apostata, & excommunicatus, quia habet votum sollemne, sicut Religiosus.

4. Sed recipiens primam tonsuram, & minores ordines sine animo ascendendi vlterius, non peccat, quia potest cum illis inseruire Ecclesię. Si verò animo retrocedendi, vt gaudeat priuilegijs clericorũ peccat lethaliter, quia decipit Ecclesiã in re graui.

5. Verùm non peccat, si suscipit cum animo dubio in statu clericali, quia minores se habẽt, vt nouitiatus vt experiatur statum clericalem.

6. Habi-

6. Habitus clericalis consistit in habitu, & tonsura, & quilibet non deferens amittit in pœnam priuilegia clericorum, quia *ita in Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. de reform.* Et reassumendo, recuperat illa, quia potest restitui in id, quod proprio facto dimisit.


7. Vnde iudices seculares inijcientes manus contra non deferētes habitum clericalem, etiam secūdum qualitatem criminum illos suspēdunt, non excommunicantur, quia non deferentes signa clericorum, tanquam seculares tractantur. Beneficiarij verò ter sunt admonēdi per suum ordinarium, aliàs tāquam incorrigibiles amittunt ius: *ita cap. contingit. el. 2. de sentent. excōm. & Cōcil. Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat.* Et Pius V. ad tollendas fraudes, vt sex mensibus præcedentibus delictum deferant habitum, vt gaudeant.

8. Item initiati tonsura, & minoribus perseuerantes in statu clericali qualitercunq; in habitu, & vestibus, si non deferant tonsuram nō peccant lethaliter, quia est materia de re leui. Sed habētes beneficia, & dignitatem ecclesiasticam, peccant lethaliter; quia constitutio Sixti V. grauem pœnam imponit contra inobedientes.

9. Sed habentes liberum regressum ad beneficium, & dignitatem, quam dimisit, ad tempus constitutum, non peccat, quia iste non tenetur diuinum officiū recitare, cùm non sit actu Beneficiarius.

10. Clerici verò in sacris deferentes clericam, dimittentes habitum clericalem ad tempus breue, vel causa paupertatis, etiā diuersi coloris nō peccant, quia necessitas non habet legem, & parum tēporis pro nihilo computatur.

11. Pensio clericalis cōstituta clerico obligat sub mortali deferre habitum, & tonsuram si pensio excedit sexaginta ducatorum auri de camera, quia *ita est constitutio Sixti V.* Exceptis ministris actu seruientibus Papæ in inferioribus ministerijs. Item familiaribus intimorū familiarium Papæ actu in Palatio Apostolico interuenientibus. Item militibus, qui in militari habitu incedere debent cum insignibus crucis, aut numismatis suæ militiæ, quia hi excipiuntur ex eadem Sixti V.



DIS-

DISQVISITIO XIII.

De Arrha, & retrocessione à contractibus.

ARTICVLVS VNICVS.

An recipiens Arrham traditam in securitatem emptionis, & venditionis, si resileat à contractu, teneatur illam danti in duplum restituere?

1. R. Sic, quia aliàs nullam patiretur pœnam.

2. Imò pœna legalis est restituere ipsam arrham, & duplum, & aliquando triplum, & quadruplum secundum cōuentionem contractus: *ita leg. pœn. de spons.*

3. Arrha duplex: Vadimonium emptionis, & venditionis contractæ, & facta solutione, cessat esse Arrha, & transit in prætium. Alia, quæ datur sponsæ in securitatem matrimonij: quo sequuto, transit in donum, vel dotem. Ideo Arrha est pignus, quod amittit iniustè resiliens, & venditione celebrata recuperat.

4. Sed si citra culpam resilit à contractu, vel à sponsalibus, non amittit Arrham, sed restituenda, quia vbi culpa abest, debet abesse pœna: *ita L. Sancimus C. de pœnit.*

5. Et tales pœnæ soluuntur post sententiam iudicis, & ferè in foro conscientiæ solui non debere, etiam post sententiam iudicis, nisi ob damnum quod altera pars patitur.



DIS-

DISQVISITIO XIV.

De Arte componendi, & vendendi, & quibus benè, vel malè vti possumus.

ARTICVLVS VNICVS.

An sit licita ars de eis, quibus benè, vel malè vti possint homines?

1. R. Res indifferentes toleratas à Republica, & non esse in damnũ tertij, quia nemo tenetur omittere suum commodum, quando proximus peccat ex sua malitia. Sec⁹ aliàs, imò tenetur ex præcepto charitatis denuntiare, accusare illum Reipublicæ & Principi, quando agitur contra bonum cõmune, vel tertium, maximè si admonere tertium, sola monitione non occurratur sufficienter illi periculo.

2. Ideò non potest componere, vel vendere rem ex se tendentem in malum, siue natura sua, & ex se mala, siue ex aliquo modo, forma, & circumstantia, quia censetur cõsentisse in peccatum illius. Etiam res indifferẽtes animo tamen, vt emptor illis abutatur, quia hoc est cooperari peccato illius, dum præbet instrumenta ad peccandum: *ita cap. notum 2. q. 1. & D. Tho. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.*

3. Similiter excusantur vẽdẽtes, & ministrantes cibos prohibitos, vel non prohibitos tẽpore ieiunij, quia suum nõ est discurrere. Secus quando certò credunt, & experti sũt, vt scilicet, hic inebrietur, quia tunc non ministrat homini, sed vitio ebrietatis, cùm sit per se praua.

4. Coactè remigãtibus in triremibus Turcharũ contra Christianos nõ est culpa, quia remigare nõ est in se malũ, sed indifferens. Tamen vbi Respublica Christiana grauissima dãna esset nocitura, tenentur nõ remigare, etiam cum discrimine vitæ, quia bonum cõmune præferendũ est bono vitæ particularium.

5. Tandem nõ licet cõmodare nummos, aut cubiculum ad fornicandum, quia cooperatur peccato. Secus quando aliter faciẽdo cum periculo vitæ, famæ, & bonorum, quia aliquando licet permittere occasionem ruinæ alteri ad euitandã propriam.

DISQVISITIO XV.

De Astrologia.

ARTICVLVS VNICVS.

An liceat per Astrologiam prædicere, & prǽcognoscere futura?

1. R. Sic, quia est scientia, & vna de septē artib' liberalibus, & ad id se extēdere potest: *ita D.Th.p.p q.115. art.4.*

2. Astrologia duplex: Naturalis, quæ ex situ, cursu, motuq; astrorũ, ea, quæ naturaliter contingunt, coniectat, vt eclypsim, pluuias &c. Iudiciaria, quæ ex astris futuros casus fortuitos, & actiones futuras, & pręsentia occulta ex libero arbitrio pēdētes, coniectat; & hæc prohibita: *ita D.Tho.2.2.q.95.art.5.*

3. Vnde effectus, quos contemplatur Astrologus ex astrorũ aspectibus, dēptis necessarijs, sunt valdè incerta, quia cùm pēdeant à multis causis, scilicet, nō dùm à causis cœlestibus, sed etiā inferioribus efficientibus, & materialibus impediri possunt. Tum quia varia affectio medij mutat actiones causarum. Meritò ergò vt vana, & falsa est prohibita à Sixto V. & Vrbano VIII. etiā de tenuissima quadam certitudine, quia est valdè perniciosa Reipublicæ, & exposita multis superstitionum periculis: *Ita cap. Igitur 26.q.3. & cap. non licet 26. q. 5. & cap. illud & cap. sed & illud 26. q.2. Ita etiam D.Th.2.2.q.95.art.5.*

4. Verùm permittitur prędicĩ iudiciaria tenuissima quadam coniectura, sed non certò effectus futuros pendentes ex libero arbitrio, & temperamentum, & inclinationem hominum, cùm cœlum, & influentiæ magnam vim habeant in corpora, quia coniecturalis, & tenuis quædam cognitio pendentium ex libero arbitrio, & astris haberi potest: *ita D.Tho. loco supra cit. & p.p. q. 115. art.4. ad 3.*

5. Tandem per Astrologiam sciri non possunt res occultæ, siue præteritæ, siue presentes absq; Dæmonis auxilio. Neque astra directè imprimunt intellectum, & voluntatem, scilicet, in rem incorpoream, sed tantùm inclinant, sed non cogunt, quia sapiēs dominabitur astris.

DISQVISITIO XVI.

De Baptiſmo.

ARTICVLVS I.

An Baptiſmus fluminis ſit neceſſarius ad ſalutem.

1. ℞. Sic, neceſſitate medij, ſine quo in re, vel in voto, & deſiderio non poteſt ſalus obtineri, quia *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 2.*

2. Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior, ſub forma præſcripta verborum: Et hæc diffinitio eſt Sacramenti tantum. Eſt caracter baptiſmalis, quæ eſt res ſignificata per exteriorē ablutionem, & hæc eſt rei, & Sacramenti ſimul. Eſt ſignum Sacramentale interioris iuſtificationis; & hæc eſt rei tantùm huius Sacramenti: *ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 1.* Et accedente verbo ad elementum, fit quidem Sacramentum non ipſo elemento, ſed in homine, cui adhibetur elementum per vſum ablutionis, & ſic materia proxima Sacramenti Baptiſmi potius eſt ablutio, quàm ipſa aqua: *ita D. Tho: loco ſupra citato.* Et vt compoſitū Phyſicum per materiam, & formam ſic definitur: Baptiſmus eſt exterior corporis ablutio facta ſub præſcripta forma verborum per materiam eius proximam, quæ eſt exterior ablutio, & per formā quæ ſunt verba. Ad modum verò compoſiti Metaphyſici ſic definitur; Eſt Sacramentum regenerationis per lauacrū aquæ in verbo vitæ. Baptiſmus fuit inſtitutus quo ad vim regeneratiuam in Iordane, ſed neceſſitas vtendi illo fuit indicta poſt Paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti, quia per Baptiſmum cōfiguratur homo Paſſioni, & Reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit nouam iuſtitiæ vitam.

3. Baptiſmus triplex; Fluminis, ideſt aquæ antonomaſticè intelligitur Baptiſmus. Flaminis, ideſt pœnitentiæ, & contritionis: dicitur flamen, quia fit per impulſum Spiritus ſancti, maximè in adultis per contritionem, quæ includit Baptiſmum in voto; delet omnem culpam, vel etiam totam, vel partem pœnæ. Sanguinis ideſt martyriū, quo proprij ſāguinis effuſione quis baptizatur. Hæc diuiſio eſt analogi in ſua analogata analogia attributionis, quia fluminis propriè denominatur talis à propria

forma: alia verò dicuntur talia ex ordine ad iſtum, quia, ſcilicet, gerunt vicem illius: *ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 11.*

4. Differt Baptiſmus fluminis à cæteris, quia Baptiſmus fluminis eſt Sacramentum, non autē illos. Item fluminis confert gratiā ex opere operato, actiuè; flaminis ex opere operantis, ſanguinis vero ex opere operato non actiuè, ſed ex priuilegio. Item fluminis iterari non poteſt, benè tamen flaminis, & ſanguinis. Itē flaminis non remittit totam pœnam, ſed prout eſt magis perfecta; ſed fluminis totā ſicut & ſāguinis. Itē flaminis tātùm pro adultis; fluminis pro paruulis editis ex vtero; sāguinis pro paruulis etiam incluſis in vtero matris: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 2. ad 2.*

5. Vnde Baptiſmus fluminis eſt cauſa inſtrumētalis moralis, & phiſica gratię, quia nō ſolùm eſt ſignū repreſentatiuū morale, ſed etiā verè, & efficaciter eſt inſtrumētū phyſicū gratię. Martiriū autem nō phyſicè, ſed moraliter eſt inſtrumentum gratię, cùm nō ſit Sacramētū, ſed in ipſo potius à Deo cauſatur gratia.

6. Hinc eſt quòd paruuli occiſi pro chriſto ante vſum rationis sūt martyres ex priuilegio ex opere operato, quib⁹ miraculosè liberi arbitrij vſus eſt acceleratus: *ita D. Tho. 2. 2. q. 124. art. 10. ad 1.* Et licet non ſit martyriū prout actus fortitudinis, eſt tamē prout realis imitatio Paſſionis chriſti, & hoc modo martyrium habet in paruulis cauſare primā gratiam, ſicut cauſabat in infantibus ſuſcipiētibus circumciſionem: *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 1. ad 1.*

7. Item qui ante dormitum habet attritionem peccatorum, & voluntatem martirij, ſi dormiens occiditur pro Chriſto, eſt martyr, iuſtificatur, ſaluatur, & fit ex attrito contritus, quia martyrium habet excellentiorem effectum baptiſmo fluminis: *ita D. 3. p. q. 66. art. 12.* Tùm quia in termino actus martirij ſic attritus ſuſcipit gratiam iuſtificantē, & charitatem conſequentē, quę ſufficit ad martyrium: *ita D. Tho. 3. p. q. 83. art. 1. ad. 2.*

8. Sed Baptizatus in actu martyrij detentus in expellēdo metu mortis, per obliuionem non eligit actum contritionis, vel attritionis peccatorum, probabile eſt obtinere iuſtificantem ex priuilegio martyrij volētem mori pro Chriſto: *ita D. Tho: loco ſupra citato.*

9. Tandem adultus pro Chriſto occidendus, & poſſet baptizari, ſi omittet ex negligentia, vel contemptu, nil prodeſt illi Baptiſmus ſanguinis, quia facit contra pręceptum graue ſuſcipiendi Baptiſmum eo tēpore obligans. Sed ſi peniteat, quando amplius baptizari non poteſt, tunc enim nō priuaretur fructu martyrij. Ita etiam infans occidendus

dendus pro Christo, ſi poſſit, debet etiam à parentibus baptizari, quòd ſi non poſſet vel illi omittant, nihil obeſt paruulo ſed ſi ſuſcipit martyriũ, erit martyr; culpa tamẽ refertur ad parentes.

ARTICVLVS II.

An aqua ſit materia remota Sacramenti Baptiſmi?

1. ℞. Sic, quia conueniens, cum vbique inueniatur pro ſacramento tam neceſſario: *ita Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. & D. Tho. 3. p. q. 66. art. 3.*

2. Vnde quęlibet vera aqua naturalis elementaris, ſcilicet, maris, fluminis, lacuum paludũ, puteorum, fontium, mineralium balnei ſulphurei, & aquę pluuię, eſt materia remota huius Sacramẽti, quia verba Christi de aqua elementari intelligenda ſunt: *ita D. Tho. loco ſupra citato art. 4.*

3. Item aqua, quę fluit à niue, gelu, & ſale, & non ipſa nix, glacies, gelu, & ſal condenſata ſunt apta materia Baptiſmi, quia reſoluta in aquam ſunt apta ad abluendum. Poſſet etiam ex lixiuio, quia tranſiens illa per cineres non mutat ſpeciem: *ita D. Tho. loco ſupra citato.* Dummodo quòd lixiuium non ſit nimis decoctum, & mixtum cum alio corpore, quia aliàs non denominatur amplius aqua. Item quęuis aqua decocta quauis materia, etiam expreſſa ex luto dum non eſt condemſata vltra naturam eius, valet quia non mutat ſpeciem: *ita D. Tho. loco ſupra citato art. 4. ad 2.* Item aqua, quę exiuit de latere Christi, quia reuera fuit naturalis aqua, miraculoſe egrediens de corpore mortuo: *ita Innocentius III. cap. in quadam. de celeb. miſſ.*

4. Secus autem in ceruiſia, ſudore, lacte, vrina, lacryma, ſputo, ſaliua, aqua roſacea, & florum, aqua, quæ cadit ex arbore, ſeu vite conciſa, aqua ſupernatans cruori, quæ dicitur cholera, ſeu phlegma, aut aliqua liquoris ſpecie differẽte ab aqua naturali, quia non aquę naturales ſunt.

ARTICVLVS III.

An ablutio ſit proxima materia Baptiſmi?

1. ℞. Sic, quia ablutio eſt per contactum ſucceſſiuum applicata corpori, aut corpus aquę.

2. Ideo tanta quantitas aquæ ſufficit in Baptiſmate, quanta poſſit dici homo ablutus. Secus aſperſus per duas, vel tres guttas perſiſtentes, & non fluentes per corpus, quia: *ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 3. ad 1.* Verũ ſi quis moribũdũ infantẽ ſigno crucis ſucceſſiue impreſſo in fronte pueri digito aqua madefacto contingeret, & formam etiam integrã

Baptiſmi, dum imprimit ſignum proferens, verum conficere Sacràmentum, quia illa aqua licet exigua ſucceſſiuè tãgit corpus, & fluit per partem corporis, cuius præcipua eſt frons.

3. Item infans in vtero matris non poteſt baptizari, quia non poteſt ablui perſona pueri ſupra ventrem matris: *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 11.*

4. Sed ſi puer antequam exiret de ventre matris fuiſſet baptizatus in capite, ſcapulis, pectore, humeris, non eſt rebaptizandus: ſi verò alia pars præter iſtas, ad cautelam, & ſub conditione eſt rebaptizandus, quia non ſunt partes principales hominis: *ita D. Tho. loco ſupra citato ad 3.*

5. Item valet, ſi puer natus cũ pelle ſecũdina poroſa, vt aqua penetret carnes: item coopertus aliquo panno lineo, & aqua attingat carnes, quia dici poteſt ablutus. Secùs, ſi aqua tantùm tangit veſtes, pileum, & ſimilia, quia non abluitur perſona, vt ſubiectum peccati originalis, quod omninò requiritur: *ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 7. ad 3.* Sed dubium eſt, ſi aqua ſolùm capillos attingat. ad cautelam poteſt rebaptizari, quia capilli ſunt excrementa, & ſuperfluitates carentes anima rationali: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 11. ad 3.*

6. Ad validitatẽ Baptiſmi ſufficit contactus, & ſimultas moralis materiæ cum forma, quia Sacramenta non ſunt compoſita phyſica, ſed moralia artificioſa.

7. Verùm videns puerũ labẽtem in puteum, aut ab alio proiectum in flumen, profert debitam formam, Baptiſmus nõ eſt validus, quia verba debent proferri à prohicijente, & non à vidente tantùm, vt puer dicatur ablutus: Ideo ſi quis proijciet infantem in puteum animo illum baptizandi, & ſuffocandi ſimul, verè eſt baptizatus, quia adſunt requiſita, ſcilicet materia, ablutio, forma, quam profert antequam moriatur, & intẽtio baptizandi, quamuis iniqua.

8. Trina ablutio, licet nõ neceſſaria ad ſubſtãtiam Baptiſmi, ſed ad conſuetudinem Eccleſię, tamen ſi bãptizans habet intentionem excluſiuam non baptizandi, niſi tribus ablutionibus, & tantùm facit vnam, non eſt validus Baptiſmus, quia miniſter non habet intentionem baptizandi. Sed ſi habet intentionem faciendi quod facit Eccleſia, & licet intentio particularis ſit baptizandi ſub tribus ablutionibus, & abſoluit prolationem formæ in prima, vel ſecunda ablutione, eſt ablutus, quo ad ſubſtantiam, & eſt baptizatus ante tertiam, quia intentio generalis Eccleſiæ eſt, vt baptiſmus quo ad ſubſtantiam non pendeat à trina ablutione, ſed tunc perficiatur

ciatur

ciatur, cùm abſoluta ſit forma, & perſona quouis modo eſt vera abluta.

ARTICVLVS IV.

An, ſcilicet, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen, ſit forma Baptiſmi?

1. ℞. Sic quia *ita in Euangelio Matthei cap. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

2. Nota ꝙ nō eſt neceſſaria neceſſitate Sacramēti explicare pſonā miniſtri, quia alias Eccleſia Romana nō permiſiſſet Græcis, qui nec formaliter, nec virtualiter exprimunt. Ideo auferendo illa duo verba, ſcilicet Ego, & Amen, non aufertur ſenſus formæ: *ita Concil. Florentin. Decr. de vnione græc. & latin.*

6. Vnde latinus baptizando forma Græcorum, peccat, ſed validè baptizat, quia ambo conficiunt Sacramentum, ſed vnuſquiſque debet obſeruare ſuum ritum in re graui: *ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. ad 1.*

4. Verùm de neceſſitate huius Sacramenti eſt explicare perſonam baptizati, quia natura Baptiſmi, cùm ſit paſſio terminatiuè, non poteſt explicari ſine paſſo.

5. Item de neceſſitate Sacramenti eſt explicare vnitatem diuinæ eſſentiæ, ſcilicet, in nomine Patris &c. quia in forma Baptiſmi requiritur profeſſio fidei, de eſſentia cuius eſt vnitas, ſicut Trinitas perſonarum.

6. Ideo dicere, Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. nō conficit Sacramentum, quia in ea fit eſſentialis mutatio: Benè tamen conficit dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, &c. quia non aſſerit eſſe plura nomina, ſed idem cōmune tribus.

7. Ita etiam inualidum Sacramentum dicendo, Baptizo te cum Patre, cum Filio, &c. quia non exprimitur vnitas diuinæ eſſentiæ neceſſaria, ſicut Trinitas.

8. Item inualidum dicendo, Ego te baptizo nomine Patris, &c. ſine, in, quia non ſtat ſenſus verus, cum ly, in, ſignificat id, quod quis abluit, vel baptizat, ſit nomen, virtus, & inuocatio Trinitatis.

9. Itē inualidū relinquendo pſonas Trinitatis, quia Deus voluit Baptiſmum adminiſtrari cū profeſſione, & confeſſione explicita Trinitatis: *ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 6.*

10. Ideo inualidum dicendo, In nomine Crucis, vel Dei, vel Chriſti: *ita D. Tho. loco ſupra citato.* Et licet Apoſtoli ex priuilegio, & reuelatione Spiritus ſancti baptizabant in nomine Chriſti vt honorabile redderetur nomen Chriſti tūc temporis odioſum

sum Gentilibus, & Iudæis; *ita D. Tho. loco supra citato ad* 1. Sed modò secundum legem, & ritũ ordinariũ nõ valet, quia non implicitis, sed explicitis, & sensibilibus verbis oportet exprimere mysterium Trinitatis.

11. Ita etiam inualidum dicendo, Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati, quia isti sunt termini absoluti, & non relatiui, & non sufficit explicare mysterium Trinitatis materialiter, & secundariò, sed primariò, & formaliter, prout sũt in se, *ita D. Tho. loco sup. cit. art.* 5. *ad* 7.

12. Sed validum est, si ratione dignitatis baptizantis, vel baptizati dicat, Nos te baptizamus, vel ego baptizo vos; cum ly, nos, intendatur idem quod ego; & ly, vos, idem quod te, quia tunc nõ variatur sensus formæ substantialis. Sicut enim potest plures absoluere, dicendo, Ego vos absoluo, ita baptizans potest baptizare plures dicendo, Ego vos baptizo *ita D. Tho. loco sup. cit. ad* 4.

13. Item validum, si duo ministri baptizantes, & quilibet eorum intendat independenter, & quasi solus baptizare, quia facit sensum verum, scilicet, Ego te baptizo, & iste te baptizat. Sed nõ valet dependenter ab intentione alterius, quia neuter per se baptizat, *ita D. Tho. 3. p. q. 67. art. 6. ad* 3. Et si dicant, Nos te baptizamus, adhuc falsa est forma & mutatur sẽsus formæ cũ idẽ est dicere, Nos te baptizamus; ac si dicere, Ego, & tu, Ego, & iste te baptizamus.

14 Neque validum, si duo baptizantes eumdem puerum, sed vnus formã profert, & alius materiam ministrat, quia nõ verificantur à proferente, neque ab abluente.

15. Tamen si plures validè baptizant, vnus est baptismus, quia Christus, qui vnus est baptizans, interiùs vnum Sacramẽtum per vtrumq; confert, cùm diuinitus ordinetur ad vnicum effectum Baptismi efficiendum.

16. Sicut plures ab vno baptizati, plura dici possunt Baptismata, quia distinctio numerica Baptismatum desumitur à subiecto, in quo recipitur Baptismus, & ex vnitate effectus: & quamuis adsit vnica forma, qua plures baptizantur simul, tamen virtualiter, & æquipollenter est multiplex.

ARTICVLVS V.

An Sacerdos sit verus minister huius Sacramenti?

1. ℞. Sic quia ex directa instituentis intentione solus ille per se potest sollemniter celebrari.

2. Vnde Episcopus est Minister ordinarius sollemnitatis ex officio huius Sacramenti, ex vi suæ ordinationis. Parochus habet, vt Sacerdos, & vt Pastor in suos

ſuos iuriſdictionē habet ex cōmiſſione Epiſcopi. Sacerdos etiā iure diuino ex poteſtate ordinis: tamen iure Eccleſiaſtico ad bonum regimen, vt ſollēniter exerceat, indiget determinatione ſubditorum; *ita D.Tho.3.p.qu.67. art.2.*

3. Et cum Sacerdos eſt inſtitutus ad incrementum vitæ ſpiritualis ex vi ſuæ ordinationis habet poteſtatem reparandi per Sacramentum pœnitentiæ, & etiam dādi ipſam vitam ſpiritualem per Baptiſmum; ſed vt validè, dignè, & licitè extra neceſſitatem indiget iuriſdictione. Cū hac tamen differentia, quòd poteſtas pœnitentiæ pendet ex ipſa iuriſdictione, quæ datur, & aufertur ab Eccleſia ad caſum neceſſitatis: At poteſtas Baptiſmi eſt abſoluta, & non limitatur ad caſum neceſſitatis, ſed ſimpliciter cōfertur, quia ex iuriſdictione non pendet.

4. Hinc eſt quòd validus eſt Baptiſmus extra caſum neceſſitatis, non ſolùm à ſimplici ſacerdote, ſed à quocunque homine, ſiue viro, ſiue fœmina, ſiue fideli, ſiue infideli, etiam Iudæo, ſed fideles peccant lethaliter, etiam ſine ſollēnitate, quia in re graui vſurpant ius alienum. At in neceſſitate omnis habens vſum rationis, & ſciens debitam formam proferre, & debitam materiam applicare; quia eſt Sacramētum magnæ neceſſitatis, iure optimo ab omnibus poteſt: *ita Concil. Floren. in Decret. Eugenij, ita Nicolaus Papa in cap. à quodam Iudeo. De conſecrat. diſt.4. ita D.Tho.3.p.q.67. art.3.& 5.*

5. Sollemniter verò baptizare ſine cōmiſſione Epiſcopi, vel proprij Sacerdotis, nullus nec Diaconus poteſt, qa de iure ordinario, & ex officio ſolis Sacerdotibus competit, Diaconis verò ex delegatione: *ita D.Tho. loco ſupra citato art. 2.* Et Diaconus aliter faciens non ſolùm peccat lethaliter, ſed excommunicatus, & irregularis eſt, quia *ita in cap. 1. de cleric. non ordin. miniſtrante.*

6. Papa ex diſpenſatione hoc ſollemne miniſterium Baptiſmi poteſt etiam nō Diacono committere, licet alij aliter intelligāt, quia eſt ſupra omne ius poſitiuum.

7. Tandem anima ſeparata à corpore, vel Angelus bonus, vel malus non poſſunt baptizare, quia eſt operatio vitalis humana: *ita D. Tho. loco ſupra citato.* Poteſt tamen anima ſeparata, ſi corpori vniretur, quia tunc eſt homo. Quòd non ſit in via, non eſt eſſentiale impedimentum, quia poteſtas data eſt à Chriſto hominibus abſoluta baptizandi, & non pro ſolo ſtatu viæ: *ita D. Tho. 3. p. q. 64. art. 7.* Sed de potentia Dei abſoluta ex priuilegio diuino poteſt conferri effectus Baptiſmi, character, & gratia per ſignum ſenſibile factum per Angelum

gelum, vel animam separatam, quia Deus non ligauit virtutem suam ministris Ecclesiæ, sicut nec Sacramentis. Tùm quia legitur Episcopum fuisse ab Angelo consecratum, & illam consecrationem laudatam ab alijs Episcopis: *ita D. Tho: loco supra citato*.

ARTICVLVS VI.

An in officio Baptismi sit necessarius Susceptor, idest Patrinus?

1. ℞. Sic, quia ita *habetur ex can. de consecr. dist.* 4. Qui quidem Patrinus ex officio tenetur sub mortali instruere rectè baptizatum in sana fide, & moribus Christianis. Excusantur tamen eum parentes, aut magistri, & alij inpendant eam operam baptizato: *ita D. Tho. 3. p. q. 67. art. 7.*

2. Rigorosè prohibentur ad hoc munus Abbates, monachi, & religiosi, & peccant lethaliter, quia *ita in can. non licet. el. 2. de consecr. dist. 4. Et Eugenius Papa in cap. placuit, el. 2. 36. q. 1.* Tamē sunt veri susceptores, & contrahunt spiritualem cognationem, quia in testibus citatis nullum est verbum irritans factum.

3. Item infidelis, quia non est per Baptismum coaptatus in genus vitæ spiritualis, Hæreticus, licet non iure positiuo, tamen diuino, & naturali est prohibitus, quia enorme scelus est talē docere alium de sana fide. Tamen suscipiendo contrahit cognationem spiritualē cum baptizato, & parentibus eiusdem, quia charactere Baptismi insignitus est, quamuis Hæreticus.

4. Ita etiam contrahit non confirmatus suscipiens puerum in confirmatione, licet alij contrarium sentiant, quia adhuc est membrum Ecclesiæ per Baptismum.

5. Cognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, vel susceptionem recipientis; *ita D. Tho: in 4. dist. 34. q. 1. art. 1.* Quæ duplex est: Paternitas, & Compaternitas. Paternitas inter Patrinum, & Baptizatum, sicut etiam inter baptizantem ipsum, & baptizatum. Compaternitas inter Patrinum, & parentes baptizati, sicut etiam inter eosdem parentes baptizati, & baptizantē: *ita Conc. Trid. sess. 24. de matrim. cap. 2.*

6. Ideo prohibentur parentes proprij, cùm non possint petere debitum, & si vterq; suscipit, neuter ab altero, licet possit reddere altero malè petente; *ita in can. peruenit. & can. ad limina 30. q. 1.* Secùs, si ex necessitate id fecerint, vel ex ignorātia iuris, vel facti inuincibilis, & inscienter tātum peccarent venialiter, quia cum id officium non sit tantæ necessitatis, absolutè intelligitur esse

eſſe prohibitum; *ita D. Tho. in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1.*

7. Item Pater baptizans, vel ſuſcipiens filium ſpurium contrahit, & dirimit cum ſua concubina, *quia ita in canon. ad limina 30. q. 1.*

8. Excipitur quando alter cõiux de neceſſitate baptizat, aut ſuſcipit coniugis filium quo ad vſum matrimonij contracti, ne, ſcilicet, per illum actum prçiudicatur petitioni debiti, quia iniquũ eſt pœnam incurri propter obſeruantiam præcepti; *ita cap. ſupradicto.*

9. Rurſus laicus baptizans in neceſſitate contrahit cognationem, & impedit matrimonium, quia facit verum Baptiſmum. Secus ſuſcipiens in neceſſitate, quia Eccleſia inſtituit ſuſceptorem ſolùm in Baptiſmo ſollemni, non autem priuato; *ita Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de rẽform.*

10. Prçſcriptum erat antiquo iure, ne plures patrini in Baptiſmo, vel confirmatione, ſed vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier: *ita can. non plures. de conſecrat. diſt. 4.* Tamẽ quotquot baptizatum, vel confirmatum, vt patrini tangebant, quamuis contra canonem, contrahebant, & impediebant, quia *ita cap. final. de cognat. ſpirit. in 6.*

11. Sed Concil. Triden. *ſeſſ. 24. cap. 2. de matrim.* permiſit ad duos tantùm, ſed diuerſi ſexus, vt generatio ſpiritualis imitetur carnalem: nullum tamen oritur inter eos impedimentum, quia neque iuxta iura antiqua contrahebãtur, neque Concil. Trid. nouum aliquod impedimẽtum introducit, quia Concil. limitat illam ad ipſum ſuſceptorem: & *ita D. Tho. in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3. q. 1. ad 4.*

12. Quando verò plures cõtra præſcriptum Concil. ſimul ſuſcipiũt puerum, & omnes deſignantur à parentibus, & admittuntur à Paracho, omnes cõtrahunt, quia Concil. prohibet, non tamen irritat factum contra id decretum.

13. Sed quando non ſimul, primus, vel ad ſummum duo, ſi ſint diuerſi ſexus, contrahunt, quia re vera illi tantùm ſunt ſuſceptores. Et quando non deſignanti tangunt ſimul, omnes cõtrahunt, quia dum iure nouo non decernitur, ſtandum eſt iuri antiquo. *ita l. prçcipimus cap. de appellationibus.*

14. Verùm quando plures deſignati ſunt à parentibus ſed à Paracho tantùm diuerſi ſexus, tantùm contrahit ab admiſſis à Parocho, quia Parochus exequens præceptum Concilij impellit illos, qui tanquam expulſi non contrahunt.

15. Quando verò duo diuerſi ſexus ſunt deſignati à parentibus, & Parochus admittit plures, tantùm à deſignatis à parẽtibus contrahitur, quia non pertinet

ad Parochum, quando parentes iuſtè deſignarunt.

16. Si tamen Parochus habet legitimam cauſam expellendi illos, vt ſi ambo eſſent eiuſdem ſexus, & vnum ſolum admitteret, aut ſi eſſent religioſi, aut hæretici, quibus interdictum eſt, quia aliàs admiſſio Parochi non eſt de eſſentia.

17. Si verò parentes non deſignarunt, & Parochus duos deſignat, hos cōtrahere aſſerimus, quia tunc conditio aſſignationis poſita à Concil. verificatur.

18. Sed ſi nullus ex deſignatis, & quis non deſignatus ſuſcipit etiam inuitis parentibus, contrahit, quia Concil. ſtatuit neminem præter deſignatos contrahere, quando deſignatio ſortita eſt ſuum effectum. Probabile eſt etiam nō eſſe veros Patrinos, nec contrahere, quia eis deficit qualitas aſſignationis poſita à Concil.

19. Per Procuratorem non contrahitur cognatio ſpiritualis, quia ex Ioanne, & Symmacho Pontificibus explicatur, quod proprijs manibus retinendo ſuſcipit, & contrahit: tamen conſuetudine inducta ſacra Cōgregatio Cardinalium Cōcil. Trid. decernit contrahi, quia cùm conſuetudo ſit altera lex, modò eſt ius poſitiuū Congregationis.

20. Ex his colligimus quòd adhibentes, vel admittentes plures Patrinos præter duos, ſecundum aliquos, eſſe lethale, quia violatur præceptum Eccleſiæ in re graui, ſed mitiùs dicimus eſſe leue, quia multis in locis conſuetudine id non ſeruatur.

21. Tandem omnia ſtatuta Concil. Trid. de ſuſceptoribus in Baptiſmo, debent etiam dici, & obſeruari de ſuſceptoribus in Confirmatione, quia *ita Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de matrim.*

ARTICVLVS VII.

An Subiectum Baptiſmi ſit tantùm homo natus?

1. ℞. Sic, quia *ita Ioannes cap. 3. Niſi quis renatus ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 9.*

2. Verum Deus ſua prouidentia prouidit de remedio ſalutis pro quolibet ſtatu hominum, ſed non pro qualibet conditione, & accidentibus ſtatus, vt morientes in vtero, & qui lapſi in peccatum, ſunt perpetuò amentes. Et hoc in omni lege, & ætate verum habuit, quia ſecluſo ſpeciali priuilegio, nunquā potuit renaſci, & ſanctificari, priuſquam naſceretur ex vtero matris. Et ſi Deus permittit interdum infantem mori in vtero ad oſtentationē diuinæ iuſtitiæ ſuę: quia voluntate antecedente, & nō ſubſequente vult omnes homines ſaluos fieri: *ita D. Tho. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1.*

3. Saty-

3. Satyrus, aut genitus ex fœmina, & bruto, non ſunt capaces Baptiſmi, quia non habent peccatum originale traductum ex Adamo per virtutem virilem; ſed benè eſt baptizandum genitum ex viro, & fœmina. Et ſi cõſtat habere duplicem animã, ſcilicet, duo capita, duo pectora; bis eſt baptizandum, ſemel in vtroque capite, vel vnico actu dicendo, Ego vos baptizo. Et ſi dubitatur de duplici anima, vt duo capita ſub vno corpore, vel duo corpora ſub vno capite, duplex Baptiſmus eſt faciendus, vnus abſolutè in parte magis perfecta, & alter ſub conditione in alia parte.

4. Hinc morientes ſine Baptiſmo non poſſunt ſaluari, nec qui in vtero matris per fidem parentum (exceptis per Chriſtum interfectis) quia nullum remedium ſalutis eſt præter Baptiſmũ in re, & martyrium pro Chriſto. cùm enim primum infans in lucem editur, ei valet applicari, quod non erat in lege veteri, & naturæ; *ita D. Tho. quodlib. 6. art. 4.* Ideo temerarium eſt dicere in lege gratiæ infantem decedentẽ ſine Baptiſmo poſſe ſaluari ex aliquo priuilegio ſpeciali, etiam ſi Pater, vel alius offerat puerum Deo cum deſiderio Baptiſmi, niſi aliàs ſpeciali reuelatione diuina fuerit nobis manifeſtũ, quia conſtat *ex Ioanne cap. 3. Niſi quis renatus ex aqua, & Spiritu-ſancto, &c. Ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 6.*

5. Sed validus eſt Baptiſmus collatus infanti abſq; conſenſu parentum, quia ſatis eſt tacitus conſenſus Eccleſiæ in miniſtro baptizare pueros non habentes vſum rationis, quaſi in vtero matris Eccleſiæ conſtitutos, non per ſe ipſos, ſed per actum Eccleſiæ, ſalutem recipiunt; *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 9. ad 1.*

6. Et quãuis talis Baptiſmus ſit firmus, & ratus, & cogendi ſunt tales ad ſeruandam fidem, tamen non eſt licitum, dum relinquuntur ſub cura, & poteſtate parentum infidelium, quia facile peruertuntur ab ipſis in dedecus noſtrę fidei, & religionis; *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 10.* Sed poteſt licitè, ſi quacunque cauſa ſunt abſtracti ab ipſis iure dominij, vel iuſti belli, & non eſt periculum redeundi, nec ab ipſis peruerſuri, quia tunc non ſunt ſub cura, & poteſtate parentum. Et licet ſecundum aliquos poſſe licitè baptizare, quos furtim, violenter, & cũ iniuria parẽtum in Africa, vel India liberos ſurripuerunt, tamen abſolutè loquendo, non licet, cùm non ſuppetit Chriſtianis ius belli iuſti ad eum finem, quia non licet offerre obſequuium Deo de rapina. Tùm quia ius diuinum non deſtruit, ſed perficit ius naturę, ſcilicet, vt non fiat iniuria parenti, aliter deſtruitur ius naturę *ita D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12.*

7. Mancipia, & ſerui empti à veris dominis, aut iuſtò bello capti, & iure belli fiunt ſerui, vt Turcæ, Saraceni, Mauri &c. poſſunt baptizari, quia tales domini ſuccedunt in locum parentum, dummodo non ſit periculum à fide, vt diximus. Sed non potētes apud ſe retinere, educare, & alere, ſicut milites non habentes firmum domicilium, & non inuenientes fideles, qui illos velint emere, poterūt hi pretio accepto tales infantes non dum baptizatos licitè ad ſuos mittere; quia charitas nō obligat cum magno graui proprio incommodo.

8. Nomine ſeruorum non intelliguntur tributarij, & vaſſalli etiam infideles Principum Chriſtianorum, vt Iudæi commorantes in ciuitatibus eorum, quia iſti non amittunt ius, & dominiū aliarum rerum, neque filiorum, & ſic nec abſtrahi, nec baptizari poſſunt inuitis parentibus: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 10.* Benè tamen in euidenti periculo mortis, quia tunc parentes ſunt irrationabiliter inuiti, & in eis ceſſat periculum ſubuerſionis.

9. Item licet proles Chriſtianorum, Hereticorum, & aliarum Apoſtatarum à fide, ab ipſis extrahere, & illos Sacramēto Baptiſmi initiare; quia ſunt de iuriſdictione Eccleſiæ, & cenſuris compelli ad ſeruandam fidem: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 10.* Secùs proles doli capax, ſiue ſit orta ex fidelibus, ſiue ex infidelibus, eſt cogenda ad fidem, ſed ſuæ libertati relinquenda, quia nullus ſui compos ad fidem eſt cogendus. Sed ſi non eſt doli capax, eius conditionem ſequi debet, qui ad fidem conuertitur, ſiue pater, ſiue mater fidem catholicam ſuſceperit, & ſic altero parenti infideli inuito poteſt baptizari, quia eo ipſo quòd alter coniux eſt fidelis, Eccleſia habet ius cōpellendi illum, vt prolem minimè doli capacem baptizet, cùm ſit de foro Eccleſiæ, & proinde, & filij: *ita Gregorius XIII. & Conc. Toletanum.*

10. Tandem ſi neuter parens infidelis ad fidem conuertatur, tamen alter eorum conſentit filiū baptizari (per ſe loquendo) licitè poteſt baptizari, quia talis conſenſus eſt in fauorem Religionis, & bonum & ſalus filij præferenda ſunt diſſenſui alterius parentis. Dixi, per ſe, nam per accidens contingere poteſt, vt non expediat propter periculum Apoſtaſiæ, ideo ſubtrahendus eſt filius à cura parentis infidelis: *ita Concil. Toletanum. 4. cap. 59. & cap. Iudæorum. 28. q. 1.* Sed filius habēs vſum rationis, ſi petit Baptiſmū (inuitis etiam parentibus) baptizari poteſt, quia non tenetur obedire parentibus vbi expedit propria ſalus. Etiam ſi dubitetur, an polleat vſu rationis dum petit, eſt baptizandus, quia in dubio in fauorem fidei declinandū eſt.

est. Et patria potestas cedit fauori fidei, etiam quòd ius est, quòd filius minor triennio apud matrem, & maior triennio apud patrem educandus sit: *ita l. neque C. de patriç potest.* tamen id fallit, quando alter parens est infidelis, tunc infans, & si triennio minor est, apud patrem fidelem educãdus est; & quamuis sit maior triennio, apud matrem fidelem detinendus, quia ratio ętatis, & patrię potestatis cedit fauori fidei: *ita gloss. cap. final. de conuers. in fid.*

ARTICVLVS VIII.

Quę nam intentio requiratur in suscipiente Baptismum?

1. ℞. In adulto intentio actualis, aut virtualis, quia qui creauit te sine te, non saluabit te sine te: *ita D. August. tract. 72. in Ioan. tom. 9. & D. Tho. 3 p. q. 68. art. 4. & 7.* Tùm quia virtualis moraliter durans, nec retractata per actum contrarium, satis est, vt censeatur voluntarius Baptism⁹. Secus habitualis, quia potest per oppositam intentionẽ interrumpi: *ita D. Thò. loco art. 12.*

2. Triplex est intentio suscipiendi Baptismum. Actualis, quando quis intendit, & vult suscipere Baptismum. Virtualis est, quę postquam actualis pręcessit, adhuc virtualiter durat, nec per oppositam, aut longam temporis moram interrumpitur. Habitualis est quando quis facit aliquid ex habitu facto, post dissentiens, & interrupta per oppositam; licet baptizetur, sed re vera non suscipit Sacramentum.

3. Vnde validus est Baptismus collatus dormienti, furioso, vel amenti, quia habuit intentionem virtualem ante elicitam; & si videtur nunc resistere, modò non sunt actus humani: *ita D. Tho. loco supra citato.* Sed non valet Baptismus collatus à dormiente, furioso, & amente quia actio Baptismi requiritur, vt sit voluntaria de pręsenti, dum fit, passio verò, seù susceptio Baptismi sat est, vt antecedat propositum voluntarium. Verùm accedens ad Baptismum indifferter, scilicet, nec consentiens, nec dissentiens non suscipit, quia nõ concurrit, vt passum liberum, cùm requiratur intentio non solum agendi, sed recipiendi liberè: *ita D. Tho. loco supra citato.*

4. Item adultus volens baptizari, sed baptizatur coactus vi, metu, vel periculo mortis, iste suscipit characterem, & fidem mortuam, sed non gratiam, quia talis consensus sufficit ad valorẽ Baptismi: *ita cap. maiores. de baptis. & in concil. Tolet. 4. cap. 56. in can. de Iudęis. dist. 45.* Sed quomodocunque quis consentiat iure diuino obligatur ad seruandam fidem: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 10.*

5. Tamen inuitus voce tantùm

tùm affirmans se velle baptizari, non suscipit Sacramentum, quia aliàs sequitur inuitum simpliciter compellendum ad seruandã fidem Christi, qui cuncta suauiter disponit. Et tamen tales possunt compelli ad seruandam fidem, quamuis re vera non esset Christianus, quia Ecclesia tantùm iudicat de exterioribus: *ita Innocentius III. cap. maiores de bapt.*

6. Sed in paruulis carentibus vsu rationis, & amentibus perpetuò à natiuitate, Christus, & Ecclesia supplet intentionem, dum baptizantur, quia sicut voluntas Adæ fuit sufficiens ad contrahẽdum peccatum originale, ita fides Ecclesiæ respectu infantium sufficit ad suscipiendum dignè, & validè Sacramentum: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 9. ad 2. & art. 12.*

7. Verùm amens de quo ambiguum fuit, si ante amentiam habuit vsum rationis, si petijt Baptismum, est baptizandus cũ conditione, quia melius decedere cum dubio Baptismo, & sub conditione, quàm sine vllo. Sed si cõstat in peccato mortali, permansisse, vt in concubinatu, non est baptizandus, quia baptizatur cum obice, & Sacramentum administraretur indigno.

ARTICVLVS IX.

An vltra intentionem actualem, & virtualem requiratur aliquid aliud in suscipiente adulto?

1. ℞. Requiri rectam fidem supernaturalem, quia iustitia Dei est per fidem Iesu Christi, *ad Rom. 3. & ita D. Thom. 3. p. q. 68. art. 8.*

2. Aliàs, vt diximus, tantùm recipit characterem, non tamen consequitur remissionem peccati originalis, & multò minus actualium, quia sine fide non consequitur gratia Christi, quæ remittit peccatum originale, & actuale: *ita Conc. Trid. sess. 5. de peccat. Orig. & D. Tho. 3. p. q. 69. art. 10.*

3. Vnde in adultis, qui cum peccato originali habent coniũctum aliquod mortale, præter voluntatem requiritur dispositio conuertendi se ad Deum cũ detestatione, seù pœnitẽtia prioris vitæ, vt cum fructu suscipiant Baptismum, quia lethaliter peccanti, pænitentia est medium ad salutem necessarium: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. art. 6.* Non tamen sacramentalis confessio, quia fuerunt commissa ante forum Ecclesiæ, scilicet, Baptismum, qui est ianua Sacramentorum: *ita D. Tho. loco supra citato.*

4. Et sic ad suscipiendum effectum Baptismi requiritur, & sufficit attritio etiam cognita, quia causæ producenti per se primam causam sufficit applicare suam propriam dispositionẽ: *ita D. Tho. 3. p. q. 79. art. 3. ad 1. & q. 80. art. 4. ad 2.*

5. Attritio duplex: naturalis, & su-

& ſupernaturalis. Naturalis eſt dolor de peccatis propter turpitudinem ipſius peccati, quod eſt contra bonum virtutis naturalis, & ipſum authorem naturæ. Supernaturalis eſt dolor de peccato propter pœnas Inferni euitãdas ex aliquo motiuo ſupernaturali elicita. Et hæc eſt ſua propria diſpoſitio ad ſupernaturalẽ formam, ſcilicet, gratiam iuſtificantem, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et hæc non tantùm debet eſſe ex parte intellectus, ſed etiam ex parte voluntatis, quia diſpoſitio volũtatis eſt propinquior diſpoſitione intellectus, cũ diſpoſitio voluntatis magis perficiat conuerſionem, & ſanctificationem hominis: *ita D. Tho. 3. p. q. 68. ar. 8.*

6. Hinc adultus accedens ad Baptiſmum non habens verè, & realiter attritionem ſupernaturalem, licet putet ſe habere illam, non iuſtificabitur, quia attritio naturalis etiam exiſtimata ſuper naturalis, neque per ſe, neque per accidens eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem. Tamen iſte poteſt excuſari à peccato, quia inuincibiliter, & inculpabiliter putat ſe habere veram attritionem ſuper naturalem.

7. Verùm hæc attritio ſupernaturalis requiſita ad Baptiſmũ, vt iuſtificetur, non eſt neceſſe, quòd ſit circa ſingula peccata in ſpecie, ſed quòd doleat de omnibus in genere, quia Sacramentum Baptiſmi non eſt confeſſio ſacramentalis.

8. Tandem in adulto nõ habente peccata actualia, ſed tantùm Originale, requiritur præter fidem rectam ſupernaturalem, propoſitum ſeruandi legem Dei cum voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum. Sed iſte caſus impoſſibilis cum in primo iſtanti vſus rationis tenetur ſub mortali cõuerti ad Deum, & ſic non eſt cũ ſolo peccato Originali, & ſi talis caſus accidit, eſſet ex ſpeciali Dei auxilio, & accipiet gratiam, per quam remittetur ei peccatũ Originale, & hæc conuerſio erit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem pueri: *ita D. Tho. 1. 2. q. 89. art. 6.*

ARTICVLVS X.

An in Baptiſmo imprimatur character, & etiam infundantur cum gratia cæteræ virtutes?

1. ℟. Sic, quia per illum in intellectu fit potentia quædam ſpiritualis ad recipienda alia Sacramenta, & fit membrum Chriſti, à quo percipit influxum gratiæ, & virtutum: *ita D. Tho. 3. p. qu. 63. art. 2. 4. & Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 9.*

2. Et hęc infuſio tàm in adultis, quàm in paruulis, quia *ſic definitum per Concil. Florent. ſub Eugenio*

genio IV. & Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. de iuſtific. & Can. 11. eiuſdem ſeſſionis, & D. Tho. 3. p. q. 69. art. 6.

3. Per Baptiſmũ ergò remittitur primò peccatum originale, & quidquid in eo veram rationem peccati habet, quia ad hoc eſt inſtitutum: *ita Concil. Trid. ſeſſ. 5. de peccato Originali can. 5.* Et adultis omnia peccata actualia antè commiſſa, ſi non eſt obex, quia per Baptiſmum impius iuſtificatur: *ita Concil. Florent. in decreto Eugenij, & Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. & D. Tho. 3. p. q. 69. art. 1.*

4. Sed non tolluntur peccata, quæ fiũt in actuali ſuſceptione Baptiſmi, quia remittuntur tantùm peccata antè commiſſa, cùm hæc perſeuerant vſq; ad inſtans, in quo perficitur Sacramentum Baptiſmi: ideo illa Pœnitentiæ Sacramento ſũt ſubijciẽda, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium: *ita Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. de iuſtific.*

5. Nec remittit fictè accedẽti ad Baptiſmum, cùm hoc peccatum irreligionis, & Sacrilegij per confeſſionem, & pœnitentiam deleatur, quia cùm duret vſque ad vltimum inſtãs, in quo conficitur Sacramentum: annumeranda non ſunt inter peccata antè commiſſa: *ita D. Th. 3. p. q 69. art. 10. ad 2. 3.* Et peccata antè cõmiſſa, vel aſſenſus ad Baptiſmum cum aliqua complacentia peccati, vel ſine contritione, vel attritione prioris vitæ, remittuntur recedente fictione per Pœnitentiam, & licet tunc nõ recipiat gratiam iuſtificãtem, tamen recipit characterem, & habitum infuſum fidei mortuæ, & ſpei ſupernaturalis, quia fides ſupernaturalis, & ſpes non pendent in cõſeruatione, & infuſione à gratia, & charitate, cùm quis poſſit credere, & ſperare non tamen de peccatis dolere: *ita D. Tho. loco ſupra citato.*

6. Item delentur pœnæ debitæ pro peccatis, ſcilicet, pœna Inferni, vel Purgatorij, quia *ita decreuit Concil. Florent. in decreto Armenorum, & D. Tho. 3. p. q. 69. ar. 2.* Non tamen aufert omnes pœnalitates vitæ, vt paſſibilitas corporis, ægritudines, dolores, mors, fomes peccati, &c. quia manẽt, & relinquuntur poſt Baptiſmũ ad exercitium virtutum, & ad reprimendam hominum ſuperbiã: *ita D. Tho. loco ſupra citato art. 3.*

7. Tandem ante Baptiſmum nullus infidelis eſt irregularis, quia irregularitas eſt inducta ab Eccleſia in ſuos ſubditos: etiam per delictum, & culpam antè præmiſſam, quia per Baptiſmum regeneratur, & fit nouus homo: *ita can. deinde. diſt. 26. & can. vna. eadem diſt.* Tamen defectus corporis, natalium, &c. exiſtentes in homine ante Baptiſmum poſſunt reddere illum irregularem poſt Baptiſmum, quia ſunt defectus corporis, & non culpæ, ſed non defectus lenitatis perfectæ.

AR-

ARTICVLVS XI.

An Baptiſmus habeat in omnibus æqualem effectum?

1. R. Effectum priuatiuum, ideſt remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ eſſe æqualẽ in omnibus tàm paruulis, quàm adultis, quia ad hoc eſt inſtitutum à Domino. Effectum verò poſitiuum, ſcilicet, gratiam, & virtutes, quæ ex opere operato efficiuntur ex ipſo Baptiſmo eſſe in omnibus paruulis æqualem, quia omnes pueri æqualiter ſe habent ad Baptiſmum, cùm non in fide propria, ſed in fide Eccleſiæ baptizentur: *ita D. Tho. 3.p.q. 69.art.*8. In adultis autem, qui cũ æquali diſpoſitione, ſcilicet, fide, contritione, vel attritione in ſacro Baptiſmate initiantur, eſſe æqualem etiam effectum poſitiuum, quia ſicut agens naturale æqualiter operatur in ſubiecto æqualiter diſpoſito, & approximato; ita in Sacramento Baptiſmi: *ita D. Tho. loco ſupra citato; & Conc.Trid.ſeſſ.6.cap.7.de Iuſtific.*

2. Vnde adultus accedens ad Baptiſmum magis diſpoſitus diſpoſitione ſufficienti extra Sacramentum ad conferendam gratiam, vt eſt contritio, & amor Dei ſuper omnia ſupernaturalis, non ſolùm recipit maiorem gratiam ex opere operato, & ex vi Sacramenti, cùm Sacramentum virtute propria magis diſpoſito conferat maiorem gratiam; verùm etiã ex vi diſpoſitionis præcisè ex opere operantis recipit maiorem aliquem gradum gratiæ, quia ex iuſta ſapientia Dei ſuffragatur aliquis gradus gratiæ præter illos, cùm non ſit deterioris conditionis ob coniunctionẽ cum Sacramento.

3. Secùs eſt attritus accedens ad Baptiſmum cum diſpoſitione, quæ ſecundum ſe extra Sacramentum non eſt ſufficiens ad obtinendam gratiam, quamuis ſit maior attritio, recipiet maiorem gratiam vi illius diſpoſitionis præcisè ex opere operantis, quia per talem attritionem quãtũuis perfectam extra Sacramentum nulla confertur gratia: Benè tamen recipiet gratiam vi Sacramenti maiorem, vel minorem, quo maior, vel minor fuerit attritio illius, quia licet hæc de ſe extra Sacramentum non ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiã, eſt tamen ſufficiens ſimul cum Sacramento, cùm adulti iuſtificentur in Baptiſmo iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionem: *ita Concil.Trid.ſeſſ.6.cap.7.de iuſtific.*

4. Ideo contritus accedens ad Baptiſmum cum contritione remiſſa recipit maiorem gratiã, quàm attritus accedens cum attritione intenſa, quia contritio verſatur immediatè circa Deũ, & de ſe eſt ſufficiens, vt conuertat hominem ad Deum, quod

non habet attritio, quamuis perfecta, cùm ſit in eſſe naturæ imperfectior illa, & differāt ſpecie.

5. Effectus verò, qui non per ſe, ſed per accidens, ſunt ordinati, vt gratiæ gratis datæ, ſanitas, & ſimilia non cōceduntur in Baptiſmo ex diſpoſitione maiori, vel minori ipſius ſuſcipientis, quia dātur ſecundum diſpoſitionem diuinam, cùm ſæpius conferantur minus diſpoſitis, & minus iuſtis, & alijs nimis iuſtis denegetur: *ita D. Tho. 3.p.q.69.art.* 8.

6. Verùm à miniſtro bono, vel malo conferente Baptiſmū, licet ſuſcipiens non recipiat immediatè, & de condigno maiorem gratiam, poteſt tamen mereri de congruo, & mediantè, ſcilicet, merito, & oratione miniſtri aliquod auxilium ſupernaturale, quod ſuſcipiens adultus habens intentiorem diſpoſitionem, poſſit conſequi maiorē effectum gratiæ, quia iuſtus orās pro alio immediatè, & de condigno ſibi ipſi meretur præmiū gratiæ, & gloriæ proportionatū, alteri verò de congruo, & mediatè, & quaſi accidentarium præmium reſpectu merentis, reſpectu alterius eſt principium, quo ſe diſponat ad gratiam, vel augmentum eius obtinendum: *ita D. Tho. 3.p.q.64.art.1.ad* 2.

7. Meritum eſt actio, cui iuſtè debetur merces. Et iuſtitia dupliciter dicitur ſcilicet, Propriè, quæ reſpicit debitū ex parte recipientis; & impropriè, & ſimilitudinariè, quæ reſpicit debitum ex parte dantis, & ſic iuſtitia dicitur decentia, & æquitas diuinæ voluntatis, & non ſimpliciter debitor Deus nobis ſecundum æqualitatem iuſtitiæ, cùm inter Deum, & hominem ſit infinita inæqualitas, tamen præſuppoſita diuina ordinatione in actione hominis, poteſt eſſe aliquis modus iuſtitiæ, & æquitatis, vt mereatur: *ita D. Tho. 3.p. in addit.q.14. art.4.*

8. Item meritum dupliciter dicitur, ſcilicet, de condigno, & eſt quando agēs habet debitum recipiendi ex aliquo opere ſtudioſo libero habente aliquem modum æquitatis, & iuſtitiæ aliquo munere ab altero compenſari debet, & ſic eſt meritū, quo quis gratiæ augmentum, & gloriam meretur apud Deum. Et meritum de congruo eſt quādo debitum dandi eſt in dante ſecundum decentiam ipſius ex aliquo opere ſtudioſo libero habēte aliquam congruentiam, vt illi aliquid conferatur nō tanquam ex iuſtitia, ſed ſecundum quandam honeſtatem, decentiam, & congruentiam, ſed tamen meritum ſemper requirit gratiam, qua formaliter homo conſtituitur amicus Dei: *ita D. Thom. 1.2. q.114.art.1.ad* 3.

9. Rurſus congruitas meriti duplex: Altera, quæ tantùm ſe tenet ex parte Dei, & miſericordiæ

diæ ipsius, vt opera bona facta extra charitatem; quæ dicuntur impropriè, & remotissimè merita, quia non sunt fundata in gratia, & amicitia Dei. Altera vero, quam facit amicitiæ lex, & hæc non solum se tenet ex parte Dei misericorditer acceptantis, sed etiam, & ex parte hominis iusti operantis, cuius operatio dicitur propriè mereri de congruo illud bonum, ad quod obtinendum ex intentione formali, vel virtuali operantis ordinatur; & sic Patres antiqui meruerunt de congruo Incarnationem, & accelerationem Verbi, & omnes iusti merētur pro peccatoribus bonū motum liberi arbitrij, quo se ad iustificationem disponant. *Ita D.Tho.3.p.in addit.q.14.art.4.*

10. Meritum de cōgruo differt à condigno, quod de condigno infallibiliter acceptatur à Deo, & iustus sibi ipsi per illud semper consequitur augmētum gratiæ, quia infallibilis diuina promissio infallibiliter etiam cōsequitur suum effectū, nisi mortificetur per sequens peccatum. De cōgruo autem minimè, quia non præsupponit diuinam promissionem, sed fundatur in lege amicitiæ, cùm non exigat necessariò, quòd amicus in omnibus impleat voluntatem amici, & ei cōcedat quidquid petierit; & sic potest dari casus recipientem Baptismum à meliori ministro minorem gratiā recipere, quàm ille, qui recipit à non tàm bono; quia non semper, & infallibiliter sortitur suum effectum: *ita D. 1.2.q.114.art.1.ad 3.*

ARTICVLVS XII.

An Baptismus susceptus cum fictione producat suum effectum recedēte fictione?

1. R. Sic, quia implicat esse gratiam, & peccatum.

2. Verùm peccatum veniale non impedit infusionem primæ gratiæ, neq; augmentum eius, quod per alia sacramenta viuorū conferuntur, etiam extra Sacramentum, quia non habet formalem repugnantiam cum illa: *ita D.Tho.3.p.q.79.art.8.* Sed recipiens Baptismum cum complacentia, & affectu alicuius venialis, non remittitur in susceptione talis culpa, nec pœna illi debita, cùm actualiter tunc cōmittitur, quia culpa etiam leuis non remittitur, nisi per actum contritionis, vel attritionis perfectę: *ita D.Tho.3.p.q.87.art.1.* Ita dicimus de alijs Sacramentis, quæ tunc solùm recipit habitualiter, seu ius, vt recedēte obice datur suus effectus, quia per Sacramentum receptum manent Christi merita applicata, & acceptata à Deo, vt ablato obice, habeat suum effectum.

3. Hinc sequitur dari confessionem validam quoad substantiam,

tiam, pro qua sufficit attritio supernaturalis, vt materia proxima, & vera forma, & intentio ministri, & tamen informem non conferentem gratiam iustificantem, quia attritio illa aliquando est imperfecta, dum habet tantùm velleitatem non peccandi, & inefficacem displicentiam peccatorum: *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 9. art. 1.*

4. Dolor supernaturalis de peccato triplex: Prim' perfectus, idest, contritio, quæ sufficit etiã sine reali susceptione Sacramẽti. Secũdus dolor, idest, attritio perfecta, quæ excludit omne propositum peccandi, & includit firmum amplius non peccandi; & hęc sufficit ad iustificationem simul cum Sacramento, quo simul cum dolore homo ex attrito fit contritus. Tertius dolor, idest, contritio imperfecta, quæ includit dolorem propter pęnas Inferni, & turpitudinem peccati, tamen non excludit omnẽ peccandi propositum, sed potius quandam velleitatem non peccandi, & hæc generat Sacramẽtum validum, sed informe: *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. de contrit. & D. Tho. loco supra citato.* Ideo homo non tenetur iterum confiteri exposita in confessione valida, sed informi, quia iam fuit vera absolutio in ordine ad claues, non debet iterum illa peccata subijcere clauibus: *ita D. Tho. loc. supra citato.*

5. Vnde si post hoc Sacramẽtum validum, sed informe non est nouum peccatum, ad tollendam fictionẽ sufficit attritio omnium peccatorum in Sacramẽto præsenti, quia eadem dispositio sufficit cum Sacramento præsẽti, & iam suscepto, dum non est nouum impedimentum. Sed si nouum peccatũ lethale est cõmissum, requiritur contritio, vel confessio talis peccati, quia Sacramentum prius susceptum nõ potest habere efficaciam circa peccatum postea commissum. Et ablato impedimento recipiet gratiam respondentẽ dispositioni, per quam recedit fictio, & etiã gratiã respondentem Sacramento Baptismi iam suscepto, quia dispositio, per quã recedit fictio, non est deterioris cõditionis ob coniunctionem cum Sacramẽto Baptismi iam suscepto.

6. Ita quòd Baptismus fictè susceptus ita operatur recedente fictione, ac si esset receptus cum illa dispositione, per quam tollitur fictio, quia dabitur simul tota illa gratia, quæ vtrisque respondet, cũ hoc ordine, scilicet, priùs natura est recessus fictionis in genere causæ materialis per pœnitentiam. Secundò, remissio peccati originalis, & actualium commissorum ante Baptismum. Tertiò, infusio gratiæ generantis. Quartò gratia sanans, quãuis hęc omnia in eodem instanti tẽporis simul coexistant.

7. Et

7. Et talis gratia iustificans, & regenerans confertur ex opere operato, scilicet, ex meritis Christi, sicut etiam omnia alia Sacramenta nouæ legis, quia ex ipsis causant gratiam receptã, & contentam in ipsis Sacramentis. Cõfertur etiam gratia aliquando ex opere operantis, cùm gratia correspondeat ipsi operi operantis, quando per contritionem iustificatur, quia cõtritio secundum se est vltima, & efficax dispositio ad gratiam, etiam sine Sacramento.

8. Tandem Baptismus fictè susceptus non causat postea talem gratiam instrumentaliter, & physicè, quia recedẽte fictione, baptismus non existit physicè in rerum natura. Sed bene causat moraliter, idest, motus ratione prioris Sacramenti iam præteriti, vt causa principalis gratiæ verè, & efficaciter illã in animã infundat, quia in diuina acceptatione manere intelligitur accepta Deo, vt quotiescumq; ablatum fuerit impedimentum, statim moraliter habeat effectũ suum.

DISQVISITIO XVII.

De Bello.

ARTICVLVS I.

An sit licitum bellũ inter christianos?

1. R. Sic, quia dum non est vtriq; parti communis superior, ad quem recurratur pro iniuria. Sed bellum per tres cõditiones iustificatur. Prima est authoritas indicendi bellum, quæ residet penes illos, qui in sua iurisdictione in temporalibus non habet superiorẽ, & mixtum tenet imperium, licet tamen quisq; priuatus habeat ius se defendẽdi. Secunda est causa iusta bellandi, quæ in vniuersum est propulsatio grauis iniuriæ, & certæ. Tertia est intentio, scilicet, non affectu odij, sed potius iustitiæ moueatur: *ita D. Tho. 2. 2. q. 40. art. 1. & q. 64. art. 7.*

2. Verùm perfectio est condonare propriam, & priuatam iniuriam, secus Rempublicam, imò imperfectio, & peccatum, quia Princeps tenetur ex officio repetere ea, quæ sunt aliorum, indicendo bellum, quod est conflictus armorum, quo vi nocemus contrariæ parti.

3. Vnde licitum est præbere auxilium in bello iusto, quia

adiuuat

adiuuat in bono opere: imò in subsidium iusti belli infidelium præter scādalum, & periculū fidei, quia quod alij possunt spōte sua rectè facere, licitè etiam potest ab eis peti. Etiam si bellum infideliū esset contra Christianos, quia licet per se, & absolutè possit, tamen ratione scandali illicitum.

4. Hinc est quòd non potest dari bellum iustum ex vtraque parte bellantiū, quia duo actus contrarij circa idem, non possunt ex se pertinere ad eamdem virtutem; sed per accidens ob ignorantiam inuincibilē vtriusq; quia vtraq; pars bona fide putat se habere ius contra alterum. Item iustum est bellum cùm de eadem re obtinēda sunt opiniones probabiles, quia satis est in rebus moralibus duci opinione probabili, cùm demonstratio haberi non possit.

5. Causæ iusti belli sunt. Primò quando negatur id, quod iure debetur. Secundò recuperare propria bona, quæ iniustè ab hostibus detinentur. Tertiò ad impedienda Reipublicæ dāna, ideo cōtra Hęreticos. Quartò contra eos, qui ferunt opes, & auxilium hostibus. Quintò quādo irrogata est Principi cōtumelia publica. Sextò quando subditi sunt rubelles, maximè Hęretici. Septimò contra tuentes malefactores, ne iustas persoluant pœnas. Octauò quando violāt fędera, & pacta inita.

6. Sed Princeps talis tenetur acceptare cōdignam satisfactionem, & sumptus etiam, quos fecit cōgregando exercitum, aliàs iniustum bellum, quia tunc nulla vrget necessitas belli gerendi. Etiam post inceptum bellum tenetur desistere. Quamuis opinio opposita sit probabilis non teneri, quia tunc non sunt amplius aduersarij in statu satisfaciendi, sed satis patiendi à parte læsa, tanquam à iudice.

7. Sed accidere potest, vt iusta causa belli subsit, & hostis nolit præbere condignam satisfactionem parti lęsę, & tamen illicitum est bellū propter maius malum, vt si bellum gerendo daretur opportunitas hostibus nominis Christiani inuadēdi Christianam Rempublicam, tunc Princeps tenetur intermittere bellum, quia licet non sit contra iustitiam, est tamen contra charitatem, qua quisq; tenetur auferre suis commodis maius bonum communitatis, & Ecclesiæ.

ARTICVLVS II.

An Princeps priùs teneatur examinare per se, & alios causam belli?

1. ℟. Sic, quia tanquā iudex in re grauissima tenetur diligēter examinarè, antequā sententiam ferat belli indicendi.

2. Imò

2. Imò visa iusti belli causa, tenetur priùs petere condignam satisfactionem, & acceptare, aliàs iniustum, quia bellum est necessarium ad finem obtinendi debitam iniuriæ satisfactionem.

3. Sed facta inquisitione adhuc res est dubia de iusto bello, & est in possessione alterius, non licet contra eum bellare, quia cùm iura partium sint obscura, potiùs est fauendum possessori, qui se habet, vt Reus: *ita in reg. iuris in 6. reg.* 11.

4. Verùm Princeps possidēs, sed dubius de re possessa tenetur admittere Legatos alterius partis, & indagare, & ventilare veritatem, quod si nolit, tunc iure pars aduersa contra eum potest bellū mouere, quia in hoc iniuriam ei infert.

5. At si controuersia esset de iure hereditario ad aliquod Regnum, mortuo Rege, tunc in dubio, nec vtraq; pars alteram oppugnare potest pro toto Regno, sed pro parte, prout dubium esset vtriq; æquali, vel inæquali, quia in pari causa nulla prorsus est iniuria æqualem petere partem. Quòd si Princeps velit diuidere Regnū, de quo est dubium cum alio partibus equalibus, vel compēsare alteram partem, tunc non potest mouere bellum, nec talem rem occupare, quia iudex iustus in re dubia diuidit partibus equalib' inter litigātes. Quādo verò dubitatio est inæqualis pro vtraq; parte, sed minùs vni, quàm alteri; tunc Princeps, de cuius iustitia minus dubitatur, debet repetere compensationem alteri talem, qualem habet ad rē, aliàs potest indicere bellū, quia non faciens aliquam compensationem, iniuriam, & iniustitiam illi infert.

6. Militibus autem addictis certis stipendijs, vel subditis non incumbit examinare iustitiam belli, sed sequi suum Principem, etiam si dubitent de iustitia belli, quia in dubijs præsumendum est practicè pro iustitia Principis, & sic practicè non agunt cōtra conscientiam dubiam.

7. Secus milites non subditi, nec stipendiarij Principis, quia dubitant, an inferant alteri iniuriam. Sed etiam istis non incumbit accuratè examinare, sed satis est eis, vt licitè militiæ nomen sit opinio bona, quia saltem probabiliter reputant bellum esse iustum. Sed quando sunt certi de dubio belli, & pars aduersa est in possessione, non licet illis pugnare, quamuis sint subditi, & stipendiarij, quia in pari causa melior est conditio possidentis: Tùm quia in re apertè iniusta non tenentur illi obedire.

AR-

ARTICVLVS III.

An bellum à Principe Christiano licitè inferri possit infidelibus, eosq; bonis, & vita priuare?

1. ℞. Sic, quia occupant terras, & Prouincias Christianorum, tùm quia quod circa totũ licet, circa quamlibet illius partem licebit.

2. Eo maximè Hereticis denuntiatis ab Ecclesia subiectis Principi Christiano absoluto, quia ob crimen heresis sic iure puniri debent: *ita cap. diffinitum est tit. de Iudæis, & Saracenis*. Et si isti in temporalibus superiorem non habent, tunc penes Papam est potestas cõcedendi Principi Christiano, vt eos debellet, donec resipiscant, quia tanquam rebelles debellandi sunt.

3. Sed hoc non licet priuatis hominibus, nisi quando ipsi nos inuadunt, quia priuatus non potest alteri inferre iustum bellum offensiuum, sed benè defensiuũ.

4. Ideo nullus sine authoritate publica Principis absoluti pergens ad terras, & littora infideliũ illos captiuare, & deprædare, & tenentur ad restitutionem, quia sine authoritate publica non est iustus titulus belli: *ita D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 8. ad 2.* Sed aliquando excusantur à peccato, & restitutione ex voluntate Principis interpretatiua propter maximam opportunitatem, quia practicè sunt perpetui hostes Reipublicæ Christianæ.

5. Sed infideles, qui Christianis nunquam fuerunt subiecti, neq; de iure, neq; de facto, neq; authoritate publica, neq; priuata possunt in seruitutem redigi, neq; eorum bona prædari, quia iniustè cùm nõ detineant bona Christianorum, neq; nos bellis vexant: *ita D. Th. loco supra citato*. Possunt tamen, si prędicationem euangelicam prohibent, ne alij ad fidem conuertantur, aut conuersos persequantur, aut fideles eò pacificè euntes non admittãt apud eos peregrinari, aut admissos iniurijs afficiant, quia hæc omnia sunt iusti tituli ad bellum iustum: *ita D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 8.*

ARTICVLVS IV.

An omnes bellantes in bello iniusto teneatur insolidum ad restitutionem omnium damnorum?

1. ℞. Quòd Dux generalis, & Duces principales, qui direxerunt exercitum, quia fuerũt causa efficax totius dãni.

2. Item quicumque physicè, & moraliter, vel positiuè adiuuabat, & realiter causabat totum damnum, tenetur in totum, qui vero partis, pro sua parte, quia quilibet eo modo, quo fuit illius causa efficax. Etiam si alios

non

non induxit, quia ipse si in totũ damnum non influxit, tamen iuuit faciendo partem suam. Sed si alios induxit, tenetur in totum damnum. At dubius an alios commilitones consilio, vel laude promouerit, si post inquisitionem dubius manet, non tenetur, quia in dubijs melior est cõditio possidentis immunitatem restitutionis insolidum. Si verò vno consilio cooperauerunt, tenentur insolidum, quia in isto casu quilibet alios iuuat, & facit fortiores.

3. Verùm milites subditi dubij de iniustitia belli durante bona fide, non tenentur, quia in dubijs præsumendum pro iustitia sui Principis. Sed certiores postea facti tenentur restituere quidquid prædæ apud ipsos manet, & id, in quo facti sunt ditiores; de consumptis, & succensis minimè, quia ista bona fide consumpserunt, nec in eis facti sunt ditiores. Dicitur ille ditior, seu locupletior, qui re aliena auxit suum patrimonium, & aliquid lucri fecit. Sed si milites subditi pugnabant dubij practicè de licito bello, etiam non obstante obedientia Principis, tenentur omnia damna, & quæcunque consumpta restituere, etiam si ditiores non euaserint, quia dubij permanserunt, non excusantur à culpa, & sunt malæ fidei possessores.

4. Imò non solùm tenentur restituere omnia spolia ablata inimicis, sed etiam damna illata resarcire vicinis, qui non sunt hostes, quia alienum inuito Domino auferunt, nisi aliàs cõsuetudine introductum fuerit, vt tẽpore belli vicini alere milites teneantur.

ARTICVLVS V.

An sit licitum in bello iusto occidere innocentes?

1. R. Per accidens, & præter intentionem, & dum aliter fieri non potest, non esse peccatum, quia occisio innocẽtum solùm est volũtaria in causa sua, & non tenetur vitare in iusto bello, cũ victoria aliter obtineri non potest ex promissione facta de hostili ciuitate in prædam militibus tradenda: *ita D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 3.*

2. Inter hostes aliqui sunt nocentes, scilicet, qui sunt in causa, & culpa gerendi bellum, & actu pugnant, & hi licitè occiduntur: *ita l. hostes. ff. de captiuis.* Et aliqui innocẽtes, scilicet, paruuli, mulieres, præsbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores non incolæ, rustici, dum sunt in agricoltura, & eorum animalia, quibus agri coluntur, & hos omnes non est licitum occidere in congressu, & euictis hostibus, nec expoliari à proprijs bonis, quia isti nec causam bel-

li dederunt, nec actualiter pugnasse præsumitur; *ita Alexander 3. in cap. innouamus, extra, de tregua, & pace.*

8. Nec in tali casu licet contra mulieres, & pueros infideliũ, dum creduntur futuri inimici fidei Christianæ, quia nemo iustè occiditur pro culpa, aut iniuria futura.

ARTICVLVS VI.

An sit licitum in bello iusto expoliare innocentes, & in captiuitatem illos ducere?

1. R. Sic, quia in delictũ Reipublicæ, cuius sunt partes, possunt hac pœna puniri: sed occidere eos ex intentione non potest, quia Respublica nõ habet dominium vitæ illorum.

2. Secus ciuitas Principis Rei, quæ non consensit in bello iniusto, quia non subest causa, vt patiatur illam pœnam.

3. Verùm si hostes commorantes in aliqua ciuitate, nollent restituere res ablatas per iniuriã alijs ciuibus alterius Regni, nec Princeps illius curat restitui, quod à suis iniustè oblatum est, tunc Princeps læsus potest authoritate propria expoliare alios innocentes, qui sunt in Regno hostium, quia Princeps læsorum habet ius contra Principem nocentium, vt ex qualibet parte illius Regni condignam possit accipere satisfactionem. Et in tali casu non solùm surripientes, sed etiam Princeps illorum tenetur resarcire illis innocentibus læsis vniuersa bona ab inimicis ablata, & damna illata, quia nõ vindicãdo, quod improbè à suis factum est, peccauit contra iustitiam.

4. Imò Princeps absolutus læsus potest concedere facultatem suis ciuibus expoliandi, & facere *Repressalia* contra quoscunq; ciues Regni illorum surripientiũ in compensationem rerum sibi, & suis subditis ab illis iniustè ablatarum, quia talis Princeps habet ius hoc etiam modo recuperare bona suorum ciuium.

5. Quando verò bellum est perpetuum, vt contra Saracenos semper licitũ est expoliare eos, quia hoc modo licet debilitare vires hostium, cùm ipsi semper vexent Christianos.

6. Sed bona ablata à piratis, & recuperata ab alijs militibus, non sunt recuperantiũ, sed priorum dominorum, ablatis expensis, & industria posita in acquisitione, quia tunc piratæ non acquisiuerunt per iustum bellum. Et aliquando bono communi expedit, vt milites fiant animosiores ad expugnandos hostes, vt res mobiles militibus, immobiles Principi cedãt in iusto bello: *ita D. Tho. l. 3. de regim. Principum cap. 17.*

7. Tandem milites tenentur

ad

ad restitutionē damni illati contra expressam, vel tacitam superioris prohibitionem, nisi ad certos limites, quia tunc iniustè cū authoritate priuata, & non Principis inferuntur. Secus si prohibitio superioris est inferri damna aduersarijs, sed ne ipsius exercitus damnum patiatur, quia tūc damnum non esset contra volūtatem Principis, licet illi displiceat ob periculum damni exercitus.

ARTICVLVS VII.

An capti bello iusto, & in seruitutem redacti à suis dominis, licitè fugere possint?

1. ℞. Sic, quia seruitus iure gentium, & positiuo est introducta, sed iure naturæ nullus, & omnes liberi: *ita in lib. hostes de captiuis*.

2. Imò seruus iure captus, & alteri venditus semper habet ius fugiendi ad suos, quia sicut fugere potest à captore, ita ab emptore. Etiam Serui nati domi ex parentibus in bello iusto captis, quia proles non est deterioris conditionis suis parentibus. Nō tamen dominis persequentibus vi resistere possunt, quia licet libertatem querere, sed dominus habet ius intercipiendi, & detinendi.

3. Secus autem de seruis, qui seipsos vendunt, vel à parentibus venditi sunt, non licet fugere, nec fugam illis consulere, quia *ita in cap. de seruis fugit. & in Concil. Gangrensi cap. 3. & can. si quis seruum* 17. q. 4.

4. Sed Christiani capti bello iusto ex christiānis nō fiunt serui, sed vt captiui pretio redimantur, quia in fauorem fidei vsu receptum, & constitutum est. Etiā gaudent hoc priuilegio Hæretici, quia licet diuersos errores habeant contra fidem, tamen fidē cum Christo profitentur. Secus Apostatæ, scilicet, renegati, quia totaliter fidem deseruerunt, & Christum negant. Sed filij eorū innocentes, qui minimè à fide apostauerunt, gaudent priuilegio Christianorum.

5. Verùm possunt Principes condere legem, vt Hæretici vel Christiani capti in bello iusto, vt mancipia alijs vendantur, quia vsus, & mos contrarius tolli potest noua lege Principis ob bonum publicum, & pacem.

6. Tandem Christiani capti in bello iusto ab infidelibus fiūt serui illorum, quia ius gentium est introductum æquale fidelibus, & infidelibus. Sed secundum rei veritatē Christiani capti à Saracenis non fiunt serui capientium, quia tales communiter iniustum bellum gerunt cōtra Christi fideles. Imò licitè & fugere possunt, & surripere eis quantum possunt ad compensandam iniuriam, & damnum

illatum, quia possunt nocere hostibus ex tacito Principis consensu.

ARTICVLVS VIII.

An Ecclesiæ, & Clerici tempore iusti belli expoliari possint?

1. ℞. Non, quia sunt exempti à iure, & tenentur ad resarcienda omnia damna illata: *ita cap. conquesti. de sent. excomm.*

2. Sed si Ecclesiæ sunt incastellatæ ad offendendum, per accidens possunt deuastari, & igni tradi ad consequendam victoriã in iusto bello, & quæcunque mala subsequuntur, etiam spiritualia, vt crematio imaginum, sunt præter intentionem eorum, qui habent iustum bellum, quia ista fiunt ad consequendam victoriam, vel satisfactionem sumendam, vel pacem stabiliendã.

3. Ideo peracto bello non tenẽtur ad restitutionem, nec sunt excommunicati, quia nulla apparet ratio ad emendam, nisi fortè locupletiores. Et tunc sufficit protestatio dissensus mala per accidens, & præter intentionem contingere, quia propriè rebus sacris nulla fit iniuria.

4. Imò clerici pugnantes in actuali belli cõflictu possunt expoliari, & occidi, quia tunc ex clericis facti sunt hostes. Parta victoria non licet clericos occidere, & expoliare, quia Princeps temporalis non est iudex Clericorũ extra cõflictum belli actualem. Quod si bellum iustum est contra Prælatum Ecclesiasticũ, possunt Clerici etiam post partam victoriam expoliari, quia est in pœnam Præsidis Ecclesiastici, cui clerici sunt subditi.

5. Sed cõfugientes ad Ecclesias, vt ibi protegantur beneficio immunitatis illius, non possunt licitè expoliari, quia Princeps si proprios subditos non potest ab Ecclesia extrahere, multò minus hostes ratione immunitatis; *ita ex can. sicut antiquitus.* 17. *q.* 4. Secùs si hostes confugiẽtes ad Ecclesiam, iterum pugnant contra Principem bellum gerentem iustum, ac etiam ab ea extrahunt victualia, quibus sustentantur in hostium impugnatione, illa rapiendo, extrahendo, & destruendo non peccant iustè pugnãtes, nec tenentur ad restitutionem, quia hi primùm fregerunt immunitatem Ecclesiasticam.

ARTICVLVS IX.

An licitum sit Clericis bellum gerere?

1. ℞. Non, quia iure canonico clericis bellare est interdictum: *ita* 23. *q.* 8. Non autem iure diuino, & naturali: *ita D. Tho.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. Nomine Clerici intelligimus habẽtes ordinem Ecclesiasticum, saltem pri-

primam tonsuram: *ita cap. cum contingat de ætate, & qualit. ordinis.*

2. Ideo Clericis in minoribus illicitum est militare, tamen non peccant, quia consuetudine excusantur ab hoc peccato. Sed beneficiarij clerici etiam in minoribus lethaliter peccant, quia tenentur ratione beneficij viuere more clericali. Item peccant Clerici in sacris tàm in bello offensiuo, quàm defensiuo, & omnes monachi, & laici, qui sunt deputati ad contemplationem, & laudem Dei, & indigent dispensatione Papæ: *ita cap. 20. q. 3. ita D. Tho. 2. 2. q. 40. art. 2. ad 4.*

3. Sed benè Clerici simplices possunt interesse bello iusto, nō ad pugnandum propria manu, sed vt subueniant exhortationibus, & absolutionibus, & sufficit tacita Superioris licentia, quia nulla est in iure prohibitio. Exceptis habentibus curam animarum, vel beneficium requirens residentiam, quia tunc requiritur authoritas superioris ad dispensandum in residentia.

ARTICVLVS X.

An Clerici possint aliquando præliari absque licentia Papæ?

1. R. Sic, quia Papa tradens dominium temporale dispensat cum illo, cùm non sit deterioris conditionis Principis temporalis ad tuendam suam Rempublicam.

2. Imò quilibet clericus potest conuocare Principem secularem, vt bellū gerat pro defensa suæ Ecclesiæ sibi creditæ, *quia ita can. Maximianus 23. q. 3.*

3. Vnde Clerici, & laici hortantes milites generaliter ad occidendum in iusto bello, non sunt irregulares, *quia ita in cap. petitio tua de homicidio.* Sunt, si specialiter hunc, vel illum de numero hostium hortantur occidi, quia tunc censentur causa propinqua occisionis, & deformitatis.

4 Hinc est quod Duces exercitus, consultores militiæ iustæ, tubicines, pulsantes tympana, & alios quauis ratione concurrentes ad bellum iustum non esse irregulares, nisi per se ipsos mutilent, vel occidant, vel hortentur ad occidendum aliquem in particulari: *quia ita in cap. supradicto.*

5. Tandem possunt etiam absque licentia superioris in actu necessitatis, scilicet, ad defensionem suam, vel suorum, vel innocentis, vel Reipublicæ perituræ, imò propria manu, quia in articulo necessitatis lege naturali quilibet tenetur ex lege naturæ.

ARTICVLVS XI.

An Clerici, vel monachi in iusto bello pugnantes sine licentia Papæ possint hostes, contra quos militant, suis bonis expoliare?

1. R. Sic

2. ℟. Sic, cum authoritate saltem tacita Principis, licet peccent, *ut in can. clerici. & can. quicunque 23. q. 8. & can. eos, qui 20. q. 3.* quia Princeps temporalis eo ipso ascribit tales in suā militiam, confert illis spolia, & bona hostium accipiendi, & nō tenentur ad restitutionem. Secùs sine licentia Principis, etiam si alio capite bellum sit iustum contra partem ordinariam.

ARTICVLVS XII.

An omnes militantes in bello iusto defensiuo sint irregulares, sequuta morte, vel mutilatione?

1. ℟. Non ad defensionem propriæ personæ, & vitæ, patriæ, boni communis, parentum, vxoris, aut filiorum, etiā clericus, quia irregularitas non incurritur à priuatis personis, nisi per actū illicitum, & hi sunt debiti iure naturæ, & diuino: *ita in Clement. si furiosus de homicidio.*

2. Vnde occidens, vel mutilans in defensionem innocentis non fit irregularis, quia homicidium priuatum non inducit irregularitatem, nisi culpabile: *ita cap. si verò de sent. excomm.*

3. Ideo iudex proferens sententiam mortis incurrit irregularitatem, & etiam milites in bello aggressiuo, quia in iure expressantur: *ita cap. clericis. & cap. sententiam, ne clerici, vel monachi.*

ARTICVLVS XIII.

An militantes in bello iusto aggressiuo sub Principe absoluto iniquè læso ab aduersaria parte, sint irregulares, sequuta morte?

1. ℟. Non, si nō proprijs manibus, quia *ita in cap. petitio tua de homicid.* Tamen sunt, si directè animando, vel adiuuando ad occidendum aliquem talem in bello iusto aggressiuo, quia proximè, & determinatè cooperantur ad particulare homicidium. Secùs dubius, an occiderit, & credens magis quòd Non, quia pugnans in bello iusto dat operam rei licitè, & tuetur partes iustitiæ. Sed si manserit omninò dubius, & iudiciū tale non deponit, & est clericus, in foro interiori debet reputari irregularis, quia qui verè dubitat tutiorem partem pro consciētia debet eligere.

2. Secùs si clericus practicè deponit dubium, quia melior est conditio possidentis immunitatem ab irregularitate: *ita cap. ad audientiam. & cap. significasti. el. 2. de homicid.* Sed clericus in sacris, & religiosus in dubio debent se reputare irregulares, quia dederunt operam rei illicitè sine licētia Papæ; *ita cap. ex multa, de voto. §. finali de Clericis verò, & cap. penult. de homicid. & cap. petitio tua de homicid.* Secùs in foro exteriori,

ri, quia nullus Iudex debet condemnare aliquē de quo dubitat.

3. Tandem certans in bello iusto si aliquē vulnerat leuiter, quem ab alijs postea est occisus, erit irregularis, si habuerit animum occidendi, secùs, si nō, *quia ita in cap. significasti. el. 2. de homicid. volun. & casual.* Et si vulnus ab eo discerni non potest, & in dubio, an fuerit mortale, etiā si occidendi non habuit animū, erit irregularis, quia tutiorem partem pro conscientia eligere debet.

ARTICVLVS XIV.

An clericus pugnans in bello iusto incurrat irregularitatem, si socij eius interfecerint alios, licèt ipse non interfecerit?

1. ℞. Non, quia in iure non est expressum, nisi proprijs manibus, licet dederit operam rei illicitæ: *ita cap. penult. de homicidio.*

2. Imò talis cum licentia Papæ, etiam occidendo proprijs manibus nō incurrit, quia Papa est supra ius positiuum.

3. Sed in bello iniusto, seu rixis particularibus iniustis ministrās arma pugnaturo, quilibet incurrit, quia præstat causā propinquam morti, vel mutilationi. Secùs si arma sunt ad omnes vsus, sicut mutuans gladium simpliciter sine malo fine, & mutuarius occidit alium, non incurrit, quia mutuare gladium censetur causa remota homicidij: sed si mutuans scit accipientem occisurum alium, incurrit, quia tūc dijudicatur esse causam proximam homicidij.

4. Ita clericus in bello iusto præbet alteri, vt occidat alterum in particulari, & sequuto effectu, incurrit, quia datio cum intentione speciali est causa propinqua. Si verò præbet in genere, vt se, & sua defendat, etiam in ipso belli conflictu cum occisione hostium in genere, nō incurrit, quia idem est hortari milites in genere ad victoriam, ac præbere arma ad victoriam. Neque existens in bello defensiuo dat alteri arma, vt adiuuet, & inuasorem occidat, quia inuasus potest occidere inuasorem, ac præbere arma ad propriam defensionem: *ita ex Clement. 1. si furiosus. de homicid.* Si verò dat arma, vt proximus se defendat, sequuto effectu incurrit, quia non dat illa ad necessariam sui defensionem, prout requirit; Quamuis opposita sit probabilis cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia priuatum homicidium non incurrit, nisi culpabile, & modò est actus summæ Charitatis.

5. Tandem interesse bello iniusto ob finem bonum, scilicet, pacis, licet ex hoc timor incutiatur inimicis per accidens, & augeatur animus militum, non incur-

1. ℞. Sic, cum authoritate saltem tacita Principis, licet peccent, *vt in can. clerici. & can. quicunque 23. q. 8. & can. eos, qui 20. q. 3.* quia Princeps temporalis eò ipso ascribit tales in suã militiam, confert illis spolia, & bona hostium accipiendi, & nõ tenentur ad restitutionem. Secùs sine licentia Principis, etiam si alio capite bellum sit iustum contra partem ordinariam.

ARTICVLVS XII.

An omnes militantes in bello iusto defensiuo sint irregulares, sequuta morte, vel mutilatione?

1. ℞. Non ad defensionem propriæ personæ, & vitæ, patriæ, boni communis, parentum, vxoris, aut filiorum, etiã clericus, quia irregularitas non incurritur à priuatis personis, nisi per actũ illicitum, & hi sunt debiti iure naturæ, & diuino: *ita in Clement. si furiosus de homicidio.*

2. Vnde occidens, vel mutilans in defensionem innocentis non fit irregularis, quia homicidium priuatum non inducit irregularitatem, nisi culpabile: *ita cap. si verò de sent. excomm.*

3. Ideo iudex proferens sententiam mortis incurrit irregularitatem, & etiam milites in bello aggressiuo, quia in iure expressantur: *ita cap. clericis. & cap. sententiam, ne clerici, vel monachi.*

ARTICVLVS XIII.

An militantes in bello iusto aggressiuo sub Principe absoluto iniquè læso ab aduersaria parte, sint irregulares, sequuta morte?

1. ℞. Non, si nõ proprijs manibus, quia *ita in cap. petitio tua de homicid.* Tamen sunt, si directè animando, vel adiuuando ad occidendum aliquem talem in bello iusto aggressiuo, quia proximè, & determinatè cooperantur ad particulare homicidium. Secùs dubius, an occiderit, & credens magis quòd Non, quia pugnans in bello iusto dat operam rei licitè, & tuetur partes iustitiæ. Sed si manserit omninò dubius, & iudiciũ tale non deponit, & est clericus, in foro interiori debet reputari irregularis, quia qui verè dubitat tutiorem partem pro conscientia debet eligere.

2. Secùs si clericus practicè deponit dubium, quia melior est conditio possidentis immunitatem ab irregularitate: *ita cap. ad audientiam. & cap. significasti. el. 2. de homicid.* Sed clericus in sacris, & religiosus in dubio debent se reputare irregulares, quia dederunt operam rei illicitè sine licẽtia Papæ; *ita cap. ex multa, de voto. §. finali de Clericis verò, & cap. penult. de homicid. & cap. petitio tua de homicid.* Secùs in foro exteriori,

ri, quia nullus Iudex debet condemnare aliquē de quo dubitat.

3. Tandem certans in bello iusto si aliquē vulnerat leuiter, quem ab alijs postea est occisus, erit irregularis, si habuerit animum occidendi, secùs, si nō, *quia ita in cap. significasti. el. 2. de homicid. volun. & casual.* Et si vulnus ab eo discerni non potest, & in dubio, an fuerit mortale, etiā si occidendi non habuit animū, erit irregularis, quia tutiorem partem pro conscientia eligere debet.

ARTICVLVS XIV.

An clericus pugnans in bello iusto incurrat irregularitatem, si socij eius interfecerint alios, licèt ipse non interfecerit?

1. ℞. Non, quia in iure non est expressum, nisi proprijs manibus, licet dederit operam rei illicitæ: *ita cap. penult. de homicidio.*

2. Imò talis cum licentia Papæ, etiam occidendo proprijs manibus nō incurrit, quia Papa est supra ius positiuum.

3. Sed in bello iniusto, seu rixis particularibus iniustis ministrās arma pugnaturo, quilibet incurrit, quia præstat causā propinquam morti, vel mutilationi. Secùs si arma sunt ad omnes vsus, sicut mutuans gladium simpliciter sine malo fine, & mutuarius occidit alium, non incurrit, quia mutuare gladium censetur causa remota homicidij: sed si mutuans scit accipientem occisurum alium, incurrit, quia tūc dijudicatur esse causam proximam homicidij.

4. Ita clericus in bello iusto præbet alteri, vt occidat alterum in particulari, & sequuto effectu, incurrit, quia datio cum intentione speciali est causa propinqua. Si verò præbet in genere, vt se, & sua defendat, etiam in ipso belli conflictu cum occisione hostium in genere, nō incurrit, quia idem est hortari milites in genere ad victoriam, ac præbere arma ad victoriam. Neque existens in bello defensiuo dat alteri arma, vt adiuuet, & inuasorem occidat, quia inuasus potest occidere inuasorem, ac præbere arma ad propriam defensionem: *ita ex Clement. 1. si furiosus. de homicid.* Si verò dat arma, vt proximus se defendat, sequuto effectu incurrit, quia non dat illa ad necessariam sui defensionem, prout requirit; Quamuis opposita sit probabilis cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia priuatum homicidium non incurrit, nisi culpabile, & modò est actus summæ Charitatis.

5. Tandem interesse bello iniusto ob finem bonum, scilicet, pacis, licet ex hoc timor incutiatur inimicis per accidens, & augeatur animus militum, non incur-

incurrit, quia dat operam rei licitæ, & iustæ: *ita ex cap. petitio tua, & homicid,*

ARTICVLVS XV.

An solus Papa in irregularitate contracta ex homicidio iusto voluntariè facto in bello iusto possit dispensare?

1. R. Sic, quia est in iure expressum.

2. Occisio hominis facta à iudice, vel à milite in bello iusto, dicitur iusta, quia sæpè est sine peccato: at homicidium voluntarium est crimen, & cum peccato contra quintum præceptũ Decalogi: & quando Papa reseruat homicidium voluntariũ de hoc est reseruatio, quãuis illa iusta, alias est ab ipso reseruata, & distingũtur speciæ inter se.

3. Verùm irregularitas contracta ex homicidio occulto potest dispensari ab Episcopo tanquam delegato à Sede Apostolica, *vt Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.* Et licet hæc sit maior dispensatio dispẽsatione irregularitatis prouenietis ex defectu lenitatis perfectæ, & tamẽ hęc nõ est concessa Episcopis, quia vltra quòd sint diuersæ rationis, & speciei, tamẽ ita est stylus Curię.

4. Item ad Papam spectat dispensatio irregularitatis homicidij, mutilationum ab iniustè bellantibus pugnantibus, assistentibus, cooperantibus, excitantibus ad pugnam, & omni exercitui contra hostes innocentes; siue intersint armati, siue inermes, si deforment, siue non, siue ob id timor augeatur, siue non. Item stantibus, assistentibus, authoritatem dantibus, sumministrantibus arma ex parte rixantium sequuto homicidio. Item dãtibus pecuniam ad tale bellum, aut ad rixam aliquam. Item accusantibus, iudicantibus, testificantibus iniustè, & prodiẽtibus aliquem, vt occidatur, quia iniustè dederunt operam rei illicitæ contra iustitiam: *ita Cõcil. Trid. sess. 14. cap. 7. & sess. 24. cap. 6. de reform.*

5. Tandem Prælati Ordinis Minorum, & Prædicatorum, scilicet, Generales, Prouinciales, & alij aliorum Mendicantium per participationem, habent facultatem maiorem erga suos subditos, quam Episcopi erga suos diœcesanos, cùm possint dispensare cum illis in omni irregularitate, exceptis bigamiæ, homicidij voluntarij, & mutilationis, ne dum in foro interiori, sed etiam exteriori; & ne dum occultis, sed etiam prouenientibus ex publico delicto, & deducto ad forum contentiosum, & in irregularitatibus contractis ex occisione iusta, & ex defectu lenitatis perfectæ, quia tale priuilegium fuit concessum à Sixto V. *ita D. Th. 2. 2. q. 88. art. 6. ad 3.*

AR-

ARTICVLVS XVI.

An licitum sit bellum iustum aggressiuum diebus festis inire?

1. ℞. Sic, quia est pro bono victoriæ, quæ cedit in bonum commune Reipublicæ.

2. Secùs præcisè absque necessitate, & vtilitate Reipublicæ, & absq; opportunitate ad acquirendam victoriam, modò audiatur missa, non est peccatum saltem mortale, quia non est opus seruile, cùm etiam à principibus exerceatur. Potest tamen esse peccatum veniale, quia illud opus aduersatur fini præcepti de sanctificatione festi.

3. Nec obstat dictum *D. Tho.* 2.2.*q.*40. *art.* 4. 5. solùm pro tuitione Reipublicæ licitum esse bellare diebus festis, cùm vltio etiam iniuriarum, & recuperatio rerum iniustè ablatarũ per bellum offensiuum, nõnulla quoq; Reipublicæ tuitio est.

DISQVISITIO XVIII.

De Beneficijs.

ARTICVLVS I.

An difinitio beneficij communiter assignata à Canonistis sit bona?

1. ℞. Sic scilicet, beneficiũ est ius perpetuũ percipiendi fructus ex bonis Deo dedicatis propter aliquod officium spirituale authoritate Ecclesię constitutum. Probatur explicando eam.

2. Dicitur, ius perpetuum, quia temporale non est beneficium, vt Vicaria temporalis, officia Prioris, Guardiani, Prouincialis, & similia in ordine mendicantium, cùm non sint perpetua; non sunt beneficia, quamuis authoritate Superioris in Religiosorum numerum coaptatur, & recipitur, & licet habeat ius eligendi, & suffragium ferendi in negotijs Monasterij, & Religionis, & habeat etiam ius petendi, alimenta ex cœnobio, nõ tamen propriè, & simpliciter dici potest Beneficiarius, quia non percipit fructus ex bonis Deo dicatis, quos suo arbitratu expendat, cũ communiter conuiuãt sub obedientia.

3. Sed benè inter beneficia recensenda sunt officia illa inter claustrales nõ mendicantes, qui ha-

habent aliquo modo præbendã, vt in Gallia, & Germania sunt Monachi, qui habent ius exigẽdi fructus, & recipiendi, quos arbitrio suo in vsus religiosos expendunt, quia ius tale requiritur ad beneficium.

4. Dicitur, propter aliquod officium spirituale, scilicet, obligationem, ob quam beneficiarius tenetur aliquam functionẽ spiritualem obire, scilicet recitare horas canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, & similia.

5. Dicitur, authoritate Ecclesiastica constitutum, quia nisi authoritas Prælati accedat confirmans tale ius, non censebitur beneficium Ecclesiasticum.

ARTICVLVS II.

An acquirens beneficium per simoniam realem sit excommunicatus, & irrita collatio?

1. ℞. Sic, immò tenetur relinquere, vt iustè pęniteat, quia *ita per Martinum V. in extrauag. cùm detestabile de simonia & in Concil. Constantiensi sess. 43.*

2. Secùs simoniacè acquirẽtes pẽsiones clericales, vicariam Episcopi, vel alterius Rectoris, & officia quędam Ecclesiastica, vt Auditoratus, & Clericatus Cameræ Apostolicæ, officium Inquisitoris, & ius patronatus, quę licet habeãt iurisdictionem spiritualem, cùm nõ sint beneficia, non censentur excommunicati, nec tenẽtur ipso iure illas dimittere in cõsciẽtia ante sententiã, quia canones aliud de illis non statuerunt, & lex pœnalis strictè est intelligenda, scilicet, in solis beneficijs.

3. Item etiam officium Prioris, Guardiani, Prouincialis, Generalis, & quoduis simile in aliquo regulari Ordine Mendicãtium, licet eorum acquisitio sit peccaminosa, validè tamen acquiruntur, & non sunt excommunicati, neque in conscientia ante sententiam tenentur illa dimittere, quia patet ex eisdem rationibus supradictis.

4. Item Papatus, licet sit beneficium duplex cum amplissima iurisdictione per Simoniam acquisitus, non tenetur resignare, dum à duabus partibus Cardinalium cõcorditer fuerit electus, quia ita statuerũt iura *scilicet, cap. licet de elect. & Alexander III.* Nec obstat Decretũ Nicolai Papæ, *in can. si quis pecuniæ dist. 79.* Nec Concil. Lateran. *sub Iulio II. sess. 5.* quia consimiles cõstitutiones nũquam fuerant vsu perceptæ.

5. Fœmina autẽ ad Papatum prouecta, etiam à duabus partibus cardinalium, numquam cẽsenda est Papa, quia est ineligibilis, iuris diuini, & naturalis impedimẽto ad habendam ordinis potestatem spiritualem, etiam

quòd

quòd habeat titulum putatiuū, & sit communis error, quia Ecclesia nequit supplere defectum iuris naturalis, & diuini. Sicut Sacerdos communiter putatus, & non est Sacerdos, absoluendo, eius absolutio nulla, quia iure diuino sacramentaliter absoluēs debet esse Sacerdos. At vir baptizatus est capax potestatis spiritualis, quamuis electio facta per simoniam iure positiuo, nulla, & irrita, tamen eius gesta valida, quia impedimentum est solius iuris humani, & tunc Ecclesia supplet, conferens sic electo potestatem agendi ea, quæ sunt ordinis, & iurisdictionis spiritualis, & Deus sua prouidentia assistit, vt in rebus fidei infallibiliter definiat.

ARTICVLVS III.

An Cardinalatus sit beneficium Ecclesiasticum?

1. R. Sic, quia dantur aliqui redditus ex bonis Ecclesiasticis, scilicet, centum aurei in singulos menses, & partes in pane, & vino.

2. Beneficium diuiditur in simplex, & duplex, seu compositum. Simplex est tantùm institutum ad persoluendas Deo preces, vel diuina officia, vt Canonicatus, Altare, Cappellania, quibus est assignata dos, & dantur in titulum perpetuum. Item Pręstimonium, quod est portio desumpta ex pinguiori beneficio data Clerico studenti: & licet ab initio suæ institutionis non fuerit propriè beneficium, quia dabatur ad certum tempus, postea transijt in beneficium, quia datur in titulum, & habet ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis: *ita cap. quoniam, de concess. præbend. in 6.*

3. Beneficium duplex, seu compositum est quod habet aliquam iuris qualitatem, vt Thesaurarij officiū, quod est administratio rerū Ecclesiasticarum sine iurisdictione. Parochia, quæ est administratio sacramentorū cum iurisdictione in foro conscientiæ. Plebanatus habet sub se Clericos, & Parochos, quibus pręsit, Persona habet tantùm honorificùm gradū in clero absq; iurisdictione, & administratione. Archidiaconus dicitur dignitas, & habet iurisdictionem in foro exteriori in Clericos. Episcopus, & Archiepiscopus habēt etiam populum subiectū, cui ministrant Sacramentum confirmationis, & ordinis. Cardinalatus dicitur dignitas magna, & præeminentia cum iure Romanum Pontificem eligēdi. Papatus habet omnia dicta, & etiā est vniuersalis Ecclesiæ Pręsul, & pastor: Hi dicuntur beneficia cōposita, seu duplicia, quia præter onus recitandi horas canonicas, habent aliquam iurisdictio-

ctionem, præeminentiam, iuris qualitatem, & administrationem rerum Ecclesiasticarum.

4. Item beneficiũ aliud collectiuum, quod libera, & simplici voluntate superioris confertur. Aliud electiuum, quod scilicet præcedente electione ab electoribus facta, & accedente postea confirmatione, & consensu Superioris cõfertur. Aliud mixtum, quod præsentante patrono, & Episcopo instituente confertur. Modò Cardinalatus est beneficium duplex, seu compositum: *ita cap. his, quæ de maior, & obedient.* Et etiam Cardinalatus est beneficium collectiuum, quia ex simplici voluntate Pontificis confertur.

ARTICVLVS IV.

An Capellania sit beneficium.

1. ℞. Sic, quia habet ius perpetuum percipiẽdi fructus ex bonis Deo dicatis.

2. Capellania ideò dicitur beneficium, quia est annexa obligatio sacra faciendi, & fundata Episcopi auctoritate: *ita gloss. in Clement. 2. de decimis, verbo si beneficiorum.* Secus si ad Laicos tantùm pertinet, nõ est beneficium, sed patrimonium clerici, in cuius bonum cedit.

3. Verùm cappellanus etiam non habens curam animarum tenetur residere in Ecclesia, siue per se, siue per Vicarios ab ipso constitutos, vt suis inseruiant capellanijs, quia beneficium tale datur propter officium, & onus, nisi ex particulari institutione, & priuilegio aliter sit impositũ, quia in his seruari debet ipsorũ institutio: *ita cap. final. de cleric. non residentibus.*

4. Capellania verò habens onus sacra faciendi, Sacerdotibus conferri debet, vel ei, qui tempore, quo nominatur in ea ætate sit, vt temporibus iure præscriptis intra annũ Sacerdos fieri potest, & non oportet quòd sit actu Sacerdos, maximè si in fundatione habetur, quòd Beneficiarius per se, vel per alium ter in hebdomada sacris operetur. Sed si conditio est expressim, quòd conferatur actu Præsbyteris consecratis, debet esse Sacerdos, aliàs collatio nulla, quia fundator talis beneficij fundationi addere potuit tale onus.

ARTICVLVS V.

An Episcopus possit mutare, & saltem pro vna vice dispensare cõditiones Capellaniæ etiam de consensu patroni?

1. ℞. Non, sed solus Papa, quia *ita in Concil. Trid. sess. 14. c. 5. de reform. & ex Clemen. quia contingit de religiosorũ domibus, & ita Sacra Congregatio Concil. & rota censuit.*

2. Ve-

2. Verùm consuetudine potuit introduci, vt beneficiũ actu requirens Sacerdotium, conferatur illi, qui intra annum Sacerdotio initiari possit, quia sicut longa, & rationabilis consuetudo potest derogare legi, ita etiã despositioni fundatoris, quæ est instar legis.

3. Sed beneficiarius validè nõ potest mutare cõditionem fundationis beneficij, scilicet in certo loco, & altari sacrum faciat, quia talis est voluntas patroni. At legitimè impeditus tàm ipse, quàm locus, poterit alibi celebrare, dum non potest à sacro abstinere, quia pręsumitur talem esse intẽtionem fundatoris: sine verò iusta, & legitima causa alibi sacrificet, non solum peccat, sed etiam tenetur compensare, quia suo muneri, & officio non satisfacit.

4. Item Capellanus debens immolare ter in hebdomada, nõ potẽs per se ipsum in certa hebdomada, debet per alium, vel in aliud tẽpus quàm citissimè debita sacrificia tenetur expedire, quia debet accuratè instituentis voluntatem adimplere. Sed si ex fundatione quotidiè obligatus ex causa deuotionis augẽdæ semel, vel bis in hebdomada potest omittere; secus causa voluptatis, vel vt in alia Ecclesia celebret, quia excusatio est illicita: *ita cap. significatum de præbend.* Si verò instituens talem Capellaniam refert se ad institutum dicendo, volo, quòd iste celebret, vel sic celebret, potest omittere. Secùs si admissam refert dicendo, volo quotidiè in loco celebrari, vel sic celebrari, tunc potest, & debet supplere per aliũ, dum per se ipsum aliàs licitè omittentem, quia non desideratur industria personæ, sed quotidiana Missa.

5. Tandem ordinarius potest minuere numerum Missarum Capellanis, quando beneficij redditus decrescunt, quia tacita in hoc patroni voluntas subesse creditur: *ita cap. ex parte de contrib.* Secùs Missas, & Anniuersarios relictos in aliqua Ecclesia per modum donationis; sed benè Synodus Diœcesana. Idem Cõcil. Trid. *sess. 25. de reform.* concedit Abbatibus, & Generalibus Ordinum in suis Capitulis Generalibus, quòd, re diligẽter perspecta, possint circa hæc statuere quidquid magis ad Dei gloriã, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire.

ARTICVLVS VI.

An Papa sit Dominus beneficiorum Ecclesiasticorum?

1. ℞. Non, quia si Dominus, non esset acceptor personarum, si indignis bona immobilia Deo dicatis conferret, & in proprios actus conuertere, & pro

pro libito eis vti, quod non est verum.

2. Verùm Papa habet amplissimam conferendi facultatem omnia genera beneficiorum, etiam de iure Patronatus, & auferre patronis ius nominandi, quia ius patronatus conceditur Ecclesiæ à fundatoribus, & in hoc videtur esse Deus in terris.

3. Tamen non est Dominus rerum temporalium Ecclesiæ, vt possit ad libitum de illis disponere, sed benè vt principalis dispensator, tanquam caput Ecclesiæ, quia licet administratio eius sit libera non canonibus, & legibus scripta, tamen legibus iuris naturalis, & diuini est adstricta. Ideo ad bonum commune potest, imò expediens, & necessarium bona Ecclesiastica ad alios vsus, & alias Diœceses transferre, & ad Ecclesię vtilitatem Principibus sęcularibus concedere: *ita D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.*

4. Vnde Domini bonorum cuiuscunque Ecclesiæ non sunt Præsules Ecclesiarum sed cœtus Ecclesiasticus ipsorum, sicut bonorum ad Ecclesiam Romanam pertinentium non est Papa Dominus, sed coetus Ecclesiasticus Romanus. Et omnes Præsules tenentur ista bona posteris seruare, nec vendere, vel extinguere pro arbitrio, quia ita ex donatorum dispositione sancita sunt, qui voluerunt ea perpetuò esse cultui diuino destinata.

5. Christus Dominus habet absolutum dominium bonorum Ecclesiæ, licet omnia bona sint Dei, tamen bona Ecclesiastica sunt ipsius peculiari quadam ratione, cùm sint diuinis vsibus, & nō prophanis addicta, quæ Christus dedit Petro, & successoribus eius potestatem, non ratione dominij absoluti, sed fidelis administratoris, quia Christus non omnem potestatem, quam habuit, in quantum homo, communicauit Petro, cùm potestas excellentiæ in condendis Sacramentis non dederit, licet potuisset, si voluisset: *ita D. Tho. 3. p. q. 64. art. 4. ad 1.*

6. Benè etiam Papa habet supremam potestatem super omnia bona temporalia totius Orbis instrumentaliter, & indirectè, quia ad exercendam spiritualem potestatem, scilicet, ad defendēdam, conseruandam, tuendam fidem Catholicam, & gregem fidelem, expedit quod habeat talem potestatem super totum orbem, alias non posset impedientibus resistere, & contradicentes temporaliter punire; quod contrarium asserere est falsum, & contra fidem: *ita cap. 1. de offic. & potest. iudic. deleg.*

7. Secùs Vrbes, Prouincias, & bona immobilia, quæ Principes Christiani, vt Constantinus, & alij contulerunt Ecclesiæ, in quibus nullus in terris agnoscit superiorem non tamen possunt

Pon-

Pontifices suis retinere, & in dominium cuiuscunque tanquam domini absoluti transferre, quia donatores non transtulerunt iura sua in summos Pontifices, sed in Ecclesiam Christi sponsam.

8. Nota quòd omne dominium est potestas, non tamen omnis potestas est dominium, quia potestas stat loco generis: ideo Papa habet supremam potestatem super omnia bona temporalia immobilia Ecclesiæ directè, & indirectè super vniuersum orbem, non tamen habet eorum absolutum, & verum dominium, cum non possit ea pro libito suæ voluntatis in dominiũ alterius transferre.

ARTICVLVS VII.

An beneficiarij sint veri Domini fructuum, quos ex beneficio, titolo possesso, capiunt?

1. ℞ Sic, quia à pijs testatoribus in eleemosinã conferuntur ratione alicuius obsequij clericalis, saltem propter diuinum officium ad quod omnes beneficiarij, siue publicè siue priuatim tenentur: *ita in cap. vnic. de cleric. non residen. ita Concil. Trid. sess. 22. cap. 3. & sess. 23. cap. 1. de reform.*

2. Imò ita domini vt partes superfluas prouentuum ex beneficijs sibi prouenientium, licet prophanè illas expenderint, & nõ pauperibus, nec alijs pijs caussis; ad restitutionem non tenentur, quia in vita sua sunt absoluti domini, sicut de proprijs bonis: *ita D. Tho. 2. 2. q. 185. art. 7.* Et licet fundatores hoc intenderint, tamen contrauenientes nõ faciunt contra iustitiam, quia non est conditio cadens super res donatas, sed supra personas recipientes, & faciunt potius cõtra charitatem, & fidelitatem: *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Tamen tales beneficiarij, qui superabundãtes non in pauperum necessitates, sed in vsus prophanos, & ad ditandos consanguineos impendunt, peccant mortaliter, etiam si nulla necessitas sit grauis egentium; *ita D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 3. ad 1.* Ad differentiam laicorum, qui si nulla pauperum grauis indigentia occurat, possunt vtique superfluum licitè retinere ad augendam rem, & ad ditandos parentes, & domesticos; *ita Concil. Trid. sess. 25. cap. de reform. & Symmachus Papa 12. quæst. 2. can. indignè in VI. Synodo.* Imò de superfluis in morte non possunt condere testamentum, quamuis in vita sint domini; sed in vsus pauperum sub præcepto erogare tenentur.

AR-

ARTICVLVS VIII.

An sit peccatum mortale obtinere plura beneficia etiam simplicia absq; dispensatione Papę?

1. ℞. Sic, quia *ita Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. de reform.*

2. Ideo Episcopus non potest, quia solus Papa potest in his, quæ sunt de iure communi positiuo. Imò Papa dispēsans sine causa in iure humano, quod ipse condidit, non peccat, quia condentis ius est illud destruere, & sic dispēsatus à Papa redditur tutus in conscientia.

3. Modò consuetudine Canones antiqui, & nouissimi sunt abrogati, cùm videmus passim in vnam personam coaceruari etiam ab inferioribus Prælatis sine vlla dispensatione, licet nulla interueniat causa, etiam si vnum illorum sit ad eum commodè, et honestè sustentandum; quia cōsuetudo cōtraria contra ius humanum excusationem dat.

4. Sed talis consuetudo non potest conualidare retentionem plurium beneficiorum cum residentia, vel cum cura eidē personę absque dispensatione, & legitima causa, & sic malè dispensatus in foro exteriori nō est tutus in consciētia, imò Papa grauiter deliquit, quia est cōtra ius naturæ, & diuinum, cùm residētia sit de iure diuino: *ita D. Tho. quod lib. q. art. 15.*

5. Tamen existente vrgentissima causa, eademque Ecclesiæ necessaria pro bono communi poterit esse licitum aliquando secundum ordinem iustitiæ distributiuæ, quia licet Papa non sit supra ius diuinum propriè, tamen impropriè ministerialiter, & instrumentaliter tanquam is, cui Christus tradidit facultatem declarandi illud cessare, stante legitima causa, potest hoc modo dispensare, sicut etiam dispensat in votis, & iuramentis, quorum obligatio est de iure Diuino, declarādo, scilicet, illa cessare, subsistente legitima causa; *ita D. Th. loco supra citato.*

ARTICVLVS IX.

An cōferens beneficium indigno peccet contra iustitiam distributiuam?

1. ℞. Sic, quia est causa damni ipsi Ecclesiæ, cū confert stipendium indigno, relicto digniori, ideo tenetur dānū Ecclesiæ restituere, & nō digno, quia nil, ꝙ suū erat, amisit.

2. Iustitia duplex, scilicet, virtus distributiua, per quam seruatur æqualitas inter proportionē meriti, & præmij in distributione præmiorum, vel bonorum communium. Altera, virtus cōmutatiua, per quam seruatur

æqua-

æqualitas inter rem, & personas priuatas; *ita D.Tho. 2. 2. q. 61. art. 1.*

3. Verùm conferens beneficium digno, prætermisso digniori, licet peccet, nihil Ecclesiæ tenetur restituere, quia habet suũ ministerium. Sed conferre beneficium per concursum minus digno, relicto digniori, peccat mortaliter, & tenetur digniori restituere arbitrio prudentum, quia facit cõtra iustitiam distributiuam; *ita Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. de reform.* Aliàs sine cõcursu nihil digniori debetur, quia dignior in beneficio remotum habet ius.

4. Sed indignus electus debet dimittere beneficium, vel assumere adiutorem idoneum sibi adiscendo. Aliàs electus tenetur resarcire dãna Ecclesiæ affecta, ita etiã collator, & cooperator. Verùm dignus concurrens cum digniore, cõsentit in sui electionem, licet peccent electores, ipse verò nõ peccat, quia ipsius non est sua merita discutere, & diiudicare, sed electorum.

ARTICVLVS X.

An in distributione beneficiorum sit absolutè necessarium eligere digniorem, an verò satis est eligere dignum?

1. ℞. In foro externo satis est eligere dignum, quia aliàs in Ecclesijs, & Beneficiarijs magna oriretur perturbatio, ideo valida, licet peccent collatores; *ita D. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. & quod lib. 6. art. 9.*

2. In foro conscientiæ tenetur eligere digniorem, eo magis quãdo habet curam animarum, & est per concursum, aliàs peccat lethaliter, quia facit contra fidelitatem Ecclesiæ, scilicet, vt beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, *ita Innocentius III. in cap. vnic. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform.* Sed venialiter, cõferendo beneficiũ simplex sine cõcursu, quia propriè nõ fit iniuria digniori. Quãuis in beneficijs simplicibus magni momenti relinquere digniorem, videtur peccare lethaliter, quia nõ sunt domini beneficiorum, sed œconomi, qui rem domini sui tenentur quantum cõmodè possunt, promouere: *ita D.Tho. loco supra citato.*

3. Nota quòd dignior non intelligitur perfectior in charitate, cùm aliquando in istis multa deficiant, scilicet, scientia, industria, potentia, & similia. Sed melior ad illud officium, ad quod eligitur, quia dignitas, & præeminentia in ordine ad beneficium, ad quod assumitur, est attendenda; *ita D.Thom. quod lib. 8. art. 6. ad 5.*



ARTICVLVS XI.

An irregulares sint beneficiorum capaces?

1. R. Non, quia suspensus ab officio, idest, ordinis exequutione, est inhabilis; *ita stylus curiæ.*

2. Ideo irregularis indiget dispensatione irregularitatis, & reualidationis beneficij; *ita cap. 1. & 2. de Bigam:* quia vitium, quod reddit inhabilem ad Sacerdotiũ, reddit etiam ad minores ordinatos ad Sacrum Altaris.

3. Sed irregularitas priuat beneficiarium beneficio post sententiam, quia irregularitas homicidij, quæ est maxima, non priuat ante sententiam.

4. Vnde mulier non est capax beneficij, quia non est capax ordinis, licet non capax irregularitatis. Itẽ hermaphroditi, in quibus præualet sexus fœmineus, vel par est, quia habentur tanquã infames propter monstruositatem; *ita in iure canonico 3. q. 3. cap. si testes & dist. 35. cap. illiteratos. & D. Tho. 3. p. in addit. q. 39. art. 1.* Item Neophytus, idest, recens in fide, quia ineptus est ad ordines. *ita iure Canonico cap. supradicto.* Item amentes, infantes, & hæretici, quia licet sint capaces ordinis, non tamen beneficij, quod datur propter officium. *ita cap. vlt. de rescriptis, & D. Tho. loco sopra citato.* Item qui non sunt ordinati saltem prima tonsura absque dispensatione Papę, quia nequit non Clericus recipere beneficia; *ita cap. ex litteris de transactionibus.* Imò neque est rata beneficij adeptio, etiam si cras ordinẽ certò suscipiat, quia beneficium præsupponit ordinẽ susceptum. Item suscipiens primam tõsuram, siue minores ordines ab alieno Episcopo sine sui ordinarij consensu, quia non est ordinatus iuxta decreta.

5. Itẽ qui patiuntur natalium defectum, quia sunt irregulares, *ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 5. de reform.* Possunt tales per dispẽsationem Episcopi recipere ordines minores, & beneficium simplex; *ita ex cap. de filiis Præsbyt. in 6.* Nõ eo ipso quod per dispẽsationem initiatur prima tonsura, & minoribus fit habilis ad beneficium absque noua dispensatione, quia solutus vna lege nõ videtur alia solui, *ita cap. personallis de præbend.* Similiter illegitimus potest promoueri ad beneficiũ, dum fuerit restitutus legitimis natalibus per subsequens matrimonium, saltem ratum, quia ratum est verum matrimonium. Vel dispensatione Papæ, dum in ea fit mentio de legitimatione prolis ante tale matrimonium, quia tempore cõceptionis, & natiuitatis fuit impedimentum dirimens; *ita in cap. tanta, qui filij sunt legitimi.*

6. Verùm est habilis filius primoge-

mo genit⁹ ex matrimonio in facie Ecclesiæ celebrato bona fide, quamuis contrahentes sint inhabiles occulto impedimento dirimente, etiam si alter parentum bona fide contrahit, licet alius sciat impedimentum, quia *ita in cap. peruenit.* Imò est legitimus, etiam si postea declaretur matrimoniũ fuisse nullũ, quia in dubio non debet præsumi quòd parentes cõtraherent mala fide, & quòd saltem alter parens laborabat ignorantia probabili.

7. Item legitimi, qui ex matrimonio clandestino procreãtur per approbationem matrimonij, quia approbatio retrotrahitur, ac si fuisset contractum in facie Ecclesiæ; *ita Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de refor. matrim.* Etiam si matrimonium clandestinum sit inualidum, bona fide tamen celebratum, dum postea ab Ecclesia approbatum, quia filij ob matrimonium bona fide celebratum, & habitum, vt legitimum, comparant sibi ius legitimationis, quamuis postea detegatur impedimentum dirimens: *ita in cap. final. de clandest. disponsat. §. si qui verò.*

8. Tribus modis dici potest matrimonium clãdestinum. Primò cùm non sint testes; *ita cap. quod nobis de Clandest. disponsat.* Secundò, cum fit sine sollemnitate requisita; *ita 3. q. 5. can. aliter.* Tertiò, si fiat non præmissis in Ecclesia denuntiationibus; *ita cap. cum inhibitio de clandest. dispons.* Ante Cõcil. Trid. matrimonia clandestina absque Parocho, & testibus erant valida, licet prohibita; post verò sunt irrita, ideo sola matrimonia coram legitimo Parocho, & duobus testibus, & præmissis denũtiationibus sũt valida. Quamuis sine denuntiationibus, & testibus absq; rationabili causa dicuntur clandestina, sed valida, quia non fiunt publicè, cùm illæ desiderentur, vt matrimonium perfectè publicetur.

ARTICVLVS XII.

An filij procreati ex parentibus, qui votum simplicis castitatis ex mutuo cõsensu emiserunt, sint legitimi, & habiles ad beneficia?

1. R. Sic, quia licet sacrilegè cõueniant, tamen culpa parentum minimè liberis officit.

2. Sed illegitimi, qui generãtur ab his, qui ambo, vel vnus coniugum post ratum, & non consummatum matrimonium; relicto in sæculo consentiente, vouit professionem in Religione approbata, quia per professionis emissionem dirimitur matrimonium ratum; *ita cap. litteras de filijs presbyt.* Secùs si inscia, & inuita vxore, alter ad sacros or-

dines promotus, quia sic non dirimitur matrimonium, imò cogi potest per iudicem ad consummationem matrimonij rati; *ita Ioannes XXII. in extrauag. & D. Tho. 3. p. in addit. qu. 53. art. 3.* Et eo maximè sunt legitimi, si post matrimonium consummatum profitetur altero ignaro, aut sciente, sed contradicente, quia constante matrimonio fuit suscepta proles, & professio inualida, *ita cap. quidam, & cap. placet de conuers. coniug.*

3. Verùm dantur aliquando filij legitimi, sed irregulares, & incapaces ad beneficia, scilicet, progeniti ex coniuge ad sacros ordines iam promoto, & altero coniuge sciente, & legitimè cōsensiente, aut non contradicēte, sed tacente, vel si alter, vel ambo ex mutuo consensu professionē in approbata Religione professionem emiserunt, si posteà procrearent filios, hi erunt legitimi ex cōstante, & cōsummato matrimonio quo ad successionem, hęreditatem, & alios sæculares honores, sed illegitimi, & incapaces quo ad ordines, & beneficia, quia sunt geniti à parentibus vouentibus sollemniter castitatem, *ita cap. litteras de filijs præsbyt.*

4. Nota quòd legitimè consentire est quod alter coniugum etiam professionem emittat, vel saltem in sęculo perpetuam liberè castitatē vouere, aliàs coniux manens in sæculo, ne committat adulteria, potest cogere, & reuocare è monasterio ex officio Iudicis virū suū professum, qui tenetur reddere, & non petere debitum; *ita statutum ab Alexandro III. in cap. de cōuers. coniug.* Imò mortua vxore non potest aliam ducere, sed ad monasterium redire iure compellitur, & tunc filij sic geniti erunt legitimi, & capaces ad beneficia, quia cum talis assensus sit illegitimus, non debet obesse filijs, *ita Alexander III. loco supra citato.*

5. Et licet sola licentia coniugis sufficiat ad valorem professionis alterius, tamen licentia ordinarij desideratur secundum quandam honestatem, quia licet talis licentia non sit de necessitate professionis, sed benè de præcepto sub mortali, cùm agatur de re graui.

ARTICVLVS XIII.

An beneficiarij incidentes in hæresim sint ipso iure priuati à beneficijs?

1. ℞. Sic, quia sunt excommunicati ex Canone, *ita ex cap. quicunque. §. hæretici. & cap. statutum el. 2. de haret. in 6.*

2. Et licet hęretici occulti nō incurrant infamiam facti, cùm crimen non sit notorium, neque iuris, cùm indigeant declaratione per sententiam iudicis, tamen ipso facto sunt excommunicati,

& irre-

& irregulares indigentes dispensatione, & inhabiles ad beneficia, quia *ita l. 1. de his, qui notantur infamia*.

3. Item cædentes, receptores, & fautores hæreticorum. Item ipsorum filij, & nepotes per lineam masculinam, non autem filij filiarum. Item etiam filij illegitimi, seu naturales, siue spurij, siue manzeres, quando certum est esse verè illorum filios. Si verò mater est hæretica, tantùm filij, non autem filij filiorũ. Item qui ad præces huiusmodi pestilentium beneficium scienter obtinuerunt, quia sic in iure canonico. *cap. quicunq. §. hæretici. & cap. statutum. cl. 2. de hæret. in 6.*

4. Verùm, vt filij, nepotes hæreticorum incurrant hanc pœnam, desideratur quòd crimen sit manifestum in hæresis incursu, siue per sententiam iudicis, siue per euidentiam facti, siue per propriam in iudicio confessionem, quia *ita cap. supra citato*. Et post parentum reconciliationem cessat pœna absq; dispensatione filiorum, non autem ipsorum hæreticorum.

5. Nec filij parentum hæreticorum, qui publicè decesserunt in natione hæresibus infecta, quia in prædictis locis non possunt damnari, nec puniri, neque sunt infames, cùm per vtrumque filij puniantur hac pœna.

6. Nec filij relapsorum pœnitentium, etiam morte damnatorum, quia damnantur propter relapsum, & non hæresis, *ita cap. supra citato*. Tamen oppositum in iure verius, quia relapsatus bracchio sæculari, licet conuertatur, præsumitur in hæresi decidens. Ita etiam filij, qui nati sunt ante parentum hæresim, licet nõ inquinati, tamẽ ex abominatione, & odio hæresis, etiam afficiũtur pœna, quia *sic est praxis sacræ pænitentiariæ*.

7. Tandem clericus ob hæresim ipso iure est priuatus beneficijs ante delictum adeptis, & si titulus beneficij ab initio fuit validus, & per hæresim deperditus, excusatur à restitutione fructuũ perceptorum vsque ad sententiã criminis declaratoriam: dummodo titulus beneficij fuerit validus; aliàs tenetur beneficium dimittere, & fructus perceptos à die hæresis admissæ, *quia ita cap. vt commissi de hæretic. in 6. & Pius V. in motu proprio*.

ARTICVLVS XIV.

An filij, & nepotes hæreticorum sint ipso iure priuati ante condemnationem, vel euidentiam facti notorij?

1. ℞. Non, quia adhũc non sunt infames, per quos priuantur, *ita cap. 15. quia de senten. excomm.*

2. Imò non solùm sunt priuãdi per sententiam de beneficijs obtentis antè parentum hæresim,

sed

sed neque de acquisitis ante sententiam declaratoriam criminis, vel notorietatem facti, quia per iura ad sola obtinenda, & non obtéta redduntur inhabiles. Sed benè priuātur beneficijs obtentis post hæresim parentum, & inhabiles ad ea obtinenda redduntur, quia *ita in iure.* Tamen obtenta ante hæresim, licet non priuentur, nōn possunt permutare, quia in permutatione acquiritur aliqua vtilitas de nouo cum alterius resignatione, *ita in Clemen. 1. de pœnis. verb. obtinēda.*

3. Item priuantur filij parentum, licet catholicè morientium, relapsorum tamen ob hæresim, quorum corpora cōbusta sunt. Itē filij nepotes, qui licet relapsi non sint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio sæculari comburendi, eo quòd hæresiarchæ fuerint, vel conuicti de hæresi illam negant, quia præsumitur istos decedere in hæresi, & solū negare, ne viui cōburantur.

4. Item filij eorum, quorum statuæ combustæ sunt ab Inquisitoribus, tanquam contumaces ad comparendum, & defendendum de hæresi, de qua sunt suspecti, quia isti reputantur tanquam de hæresi conuicti.

5. At filij deferentes hæresim parentum apud Inquisitores, nō solùm pœnis immunes euadūt, sed potiùs honorandi tanquam fidei defensores.

6. Tandem filij hæreticorum inhabiles ad beneficia, sunt etiā inhabiles ad pensiones, *quia ita stylus curiæ, & cap. quàm graui de crim. falsi.*

ARTICVLVS XV.

An irretitus aliqua censura sit inhabilis ad beneficia Ecclesiastica?

1. R. Sic, quia beneficium ordinatur ad aliquod officium, vel muneris administrationem, quam per censuram fit inhabilis, *ita cap. postulasti de cler. excomm. ministr. & cap. cùm dilectus. de consuetud. & cap. de postul. prælat.*

2. Neque ad pensiones, quia pensio per Pium V. *in extrauag.* est titulus Ecclesiasticus. Nam contrahens matrimonium amittit illam, sicut & beneficia, quia licet beneficia non sint, redditus tamen sunt Ecclesiastici.

3. Et quando in Bullis beneficiorum apponitur *teque absoluentes*, à censuris tantùm intelligitur, & non ab irregularitate, quia aufertur impedimentum tantùm, quod producunt censuræ.

4. Et licet fas non sit conferre beneficium ligato excommunicatione minori, tamen adeptio beneficij valet, quia in iure dicitur electionem esse irritandam, non irritam, cùm in pœnis minor est facienda interpretatio, *ita cap. si celebrat. de cleric. excomm. ministr.*

5. Item collatio beneficij facta antequam excõmunicatione ligetur, est valida, etiam si illam postea acceptet, dum est excommunicatus, quia assensum præbere non est ius acquirere, sed ius ante acquisitum, ratum habere. Nec sic acceptans peccat, nisi habeat animum exercẽdi munia acquisiti beneficij absque excommunicationis absolutione. Sed non valida collatio facta existenti in excommunicatione maiori, etiam si acceptatio fiat post absolutionẽ à censura, quia collatio ab initio nulla, non validatur ex absolutione sequuta.

6. Nec valet collatio facta nescienti se esse obstrictum excommunicationi maiori, quia ignorãti excusat tantum ad pœnas, & non quo ad valorem actus ipsius. Imo est irrita etiam si tempore collationis nõ sit denuntiatus, nec publicus quia in his, quæ sunt in fauorem excõmunicationis, nulla est differentia inter excommunicatum occultum, & publicum, *vt constat ex Concil. Constan.*

ARTICVLVS XVI.

An beneficiarius excõmunicatus manens in ea, sit ipso facto priuatus ex beneficio fructibus perceptis?

1. R. Sic; quia in iure merito prouentus subtrahuntur illi, cui Ecclesiæ communio denegatur.

2. Secùs fructus patrimonij in titulũ clerico assignato, quia non percipiuntur ex rebus Deo dicatis, & alienari potest, *ita cap. pastoralis. §. nos itaque de appell. & Conc. Trid. sess. 21. cap. 1. de reform.* Tùm quia patrimonium non est beneficium, cùm non recitando officium, non teneatur ad restitutionem, *ita Concil. Later. sess. 9. & Pius V. in constitut.*

3. Hinc est, quòd aliud est priuari suis proprijs bonis, & aliud beneficijs; nam priuari proprijs bonis, & eorum fructibus, donec per sententiam de crimine condemnetur, desideratur. At beneficiarij neque ante, neque post excommunicationem, imò nunquam habent dominium, & ius absolutum in beneficijs, ideò in conscientia illos fructus tenetur restituere à die excommunicationis, & non sententiæ.

4. Verùm qui iustè excommunicatus, & iam pœnituit, nec per eum stat, quin absoluatur, licet in foro exteriori priuetur fructibus beneficij, tamen in cõscientia ex pia matris Ecclesiæ intentione fructus beneficij facit suos, quia cessante contumacia per actum interiorem, cessabit etiam in foro conscientiæ effectus pœnalis, & sic cõtritus gaudet priuilegijs Ecclesiæ, *ita cap. pastoralis. de appell. ita D. Th. 3. p. in add. q. 7. ar. 1. et supra q. 21. ar. 1. ad 2.*

5. Ideò

5. Ideò talis beneficiarius, qui onera, & officia beneficij exequitur, siue sit curator animarũ, siue Canonicus, siue habeat beneficium simplex, non tenetur eos spontè se abdicare, quia in iure ly subtrahuntur, non dicit priuationem ipso facto, & ante iudicis sententiam, *ita in cap. pastoralis de appell.*

6. Item talis potest recipere distributiones, si per ipsum non stet, quin absoluatur, & Choro intersit, si per iniuriam, & iniustè denegatur absolutio, quia non stat per se ipsum. Maximè si excommunicatio est inualida, quia cum sit nulla, non est verè excõmunicatus. Si verò valida, licet iniusta secundum aliquos, non facere fructus suos, & perceptos restituere tenetur, quia quòd excõmunicatio lateat, vel ab alijs ignoretur, non impedit effectum excommunicationis quantùm ad ipsum excommunicatum.

7. At fructus beneficij, quibus excommunicati in contumacia existentes priuantur, sunt expendendi in vtilitatem Ecclesiæ, in pauperes, & egenos. Pars verò fructuum, quæ pensionario adiudicata est, semper manet reseruata ex fructibus beneficij, vt illi luatur, cuius est pensio, quia non est imposita super personam, sed super beneficium. Item distributiones quotidianæ, quæ in consuetudine, vel statuto accrescunt Canonicis, & interessentibus choro ipsis canonicis assistentibus horarijs: præcibus sunt restituendæ. Quod si res est occulta, & restituendo distributiones vel alios fructus interessentibus choro suum peccatum proderet, potest in alios vsus pios expendere, siue illius loci, vbi beneficium situm est, siue alterius, vel pauperibus erogare.

8. Nota, quòd licet opinio supradicta sit probabilis de rigore iuris, tamen ex recepta consuetudine, asserunt aliqui non solere excommunicatum priuari fructibus beneficij, quia cum hoc sit ius positiuum, potest derogari per contrariam consuetudinem.

ARTICVLVS XVII.

An beneficiarius suspensus ab officio fructibus beneficij priuetur?

1. R. Non, quia præcipua pars oneris beneficij est canonicũ recitare officiũ, quod potest priuatim satisfacere.

2. Benè tamen distributionibus, quæ conferuntur ratione officij ministrantibus, & præsentibus propter ministerium personale, quia fructus ita sunt annexi, vt absque ministerio non dentur; *ita in Clemen. de vita, & honest. cleric. verb. suspensus.*

3. Nota quòd suspensus à diuinis, licèt secundum aliquos

non

non possit interesse diuinis, tamen dum nõ ex officio officiat, aut actum ordinis nullo pacto exerceat, potest interesse, & tamquam laicus potest canere cum alijs. Ideò suspensus à toto officio est, qui vtriusque, scilicet, ordinis, & iurisdictionis, est suspẽsus. Suspensus à parte officij est Sacerdotio, Diaconatu, aut alio inferiori. Suspensus à beneficio est, qui priuatur iure percipiendi fructus Ecclesiasticos, vel in totum, vel in partem.

4. Vnde officium, & beneficium non necessariò se consequuntur, cum officium sępiùs sit sine beneficio, cùm aliqui Clerici beneficio careant, ita non sequitur, vt qui habent officium, habeant & beneficium, ita neque est necesse, vt qui ab officio suspenditur, à beneficio suspendatur, quia non est necesse, vt qui habent beneficium, per se exerceant actum ordinis ex officio.

ARTICVLVS XVIII.

An suspensus à beneficio lucretur distributiones quotidianas, quæ tribui solent illis, qui diuinis officijs intersunt?

1. ℟. Non, quia solis choro assistentibus cõferuntur, quæ intuitu beneficij percipiuntur.

2. Sed bene stipẽdijs, quę magis distributiones vocari debẽt, quæ extraordinariè à fidelibus tamquam eleemosynæ ratione Missæ, vel alterius diuini officij, vel ob mortuaria, vel anniuersaria offeruntur, quia non ratione beneficij, sed opere personali lucrifiunt. Sed si huiusmodi stipendia sint ordinariè annexa, & per se coniuncta beneficio, priuantur, quia tunc comparantur tamquam fructus beneficij, & ex illius titulo permaneant.

3. Nota quòd beneficij fructus sũt annui quidam redditus, qui ex certis bonis Ecclesiæ percipi solent; distributiones verò quotidianæ sunt portiones conferendæ assistentibus diuinis officijs statuto tempore iuxta quãtitatem assistentiæ, & seruitij præstiti.

ARTICVLVS XIX.

An Beneficiarij infra duos menses fidei professionem non facientes, possint sibi fructus beneficij in conscientia retinere?

1. ℟. Nõ, quia in vsus pauperum, vel in fabricã Ecclesiæ sunt expendendi. *ita cap. si quis autem sess. 23. Concil. Lateran. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*

2. Sub hoc decreto includũtur Canonici, & dignitates in Ecclesia Cathedrali tantùm, &

5. Ideò talis beneficiarius, qui onera, & officia beneficij exequitur, siue sit curator animarũ, siue Canonicus, siue habeat beneficium simplex, non tenetur eos spontè se abdicare, quia in iure ly subtrahuntur, non dicit priuationem ipso facto, & ante iudicis sententiam, *ita in cap. pastoralis de appell.*

6. Item talis potest recipere distributiones, si per ipsum non stet, quin absoluatur, & Choro intersit, si per iniuriam, & iniustè denegatur absolutio, quia non stat per se ipsum. Maximè si excommunicatio est inualida, quia cum sit nulla, non est verè excõmunicatus. Si verò valida, licet iniusta secundum aliquos, non facere fructus suos, & perceptos restituere tenetur, quia quòd excõmunicatio lateat, vel ab alijs ignoretur, non impedit effectum excommunicationis quantùm ad ipsum excommunicatum.

7. At fructus beneficij, quibus excommunicati in contumacia existentes priuantur, sunt expendendi in vtilitatem Ecclesiæ, in pauperes, & egenos. Pars verò fructuum, quæ pensionario adiudicata est, semper manet reseruata ex fructibus beneficij, vt illi luatur, cuius est pensio, quia non est imposita super personam, sed super beneficium. Item distributiones quotidianæ, quæ in consuetudine, vel statuto accrescunt Canonicis, & interessentibus choro ipsis canonicis assistentibus horarijs præcibus sunt restituendæ. Quod si res est occulta, & restituendo distributiones vel alios fructus interessentibus choro suum peccatum proderet, potest in alios vsus pios expendere, siue illius loci, vbi beneficium situm est, siue alterius, vel pauperibus erogare.

8. Nota, quòd licet opinio supradicta sit probabilis de rigore iuris, tamen ex recepta consuetudine, asserunt aliqui non solere excommunicatum priuari fructibus beneficij, quia cum hoc sit ius positiuum, potest derogari per contrariam consuetudinem.

ARTICVLVS XVII.

An beneficiarius suspensus ab officio fructibus beneficij priuetur?

1. R. Non, quia præcipua pars oneris beneficij est canonicũ recitare officiũ, quod potest priuatim satisfacere.

2. Benè tamen distributionibus, quæ conferuntur ratione officij ministrantibus, & præsentibus propter ministerium personale, quia fructus ita sunt annexi, vt absque ministerio non dentur; *ita in Clemen. de vita, & honest. cleric. verb. suspensus.*

3. Nota quòd suspensus à diuinis, licèt secundum aliquos

non

non possit interesse diuinis, tamen dum nō ex officio officiat, aut actum ordinis nullo pacto exerceat, potest interesse, & tamquam laicus potest canere cum alijs. Ideò suspensus à toto officio est, qui vtriusque, scilicet, ordinis, & iurisdictionis, est suspēsus. Suspensus à parte officij est Sacerdotio, Diaconatu, aut alio inferiori. Suspensus à beneficio est, qui priuatur iure percipiendi fructus Ecclesiasticos, vel in totum, vel in partem.

4. Vnde officium, & beneficium non necessariò se consequuntur, cum officium sępiùs sit sine beneficio, cùm aliqui Clerici beneficio careant, ita non sequitur, vt qui habent officium, habeant & beneficium, ita neque est necesse, vt qui ab officio suspenditur, à beneficio suspendatur, quia non est necesse, vt qui habent beneficium, per se exerceant actum ordinis ex officio.

ARTICVLVS XVIII.

An suspensus à beneficio lucretur distributiones quotidianas, quæ tribui solent illis, qui diuinis officijs intersunt?

1. ℞. Non, quia solis choro assistentibus cōferuntur, quæ intuitu beneficij percipiuntur.

2. Sed bene stipēdijs, quę magis distributiones vocari debēt, quæ extraordinariè à fidelibus tamquam eleemosynæ ratione Missæ, vel alterius diuini officij, vel ob mortuaria, vel anniuersaria offeruntur, quia non ratione beneficij, sed opere personali lucrifiunt. Sed si huiusmodi stipendia sint ordinariè annexa, & per se coniuncta beneficio, priuantur, quia tunc comparantur tamquam fructus beneficij, & ex illius titulo permaneant.

3. Nota quòd beneficij fructus sūt annui quidam redditus, qui ex certis bonis Ecclesiæ percipi solent; distributiones verò quotidianæ sunt portiones conferendæ assistentibus diuinis officijs statuto tempore iuxta quātitatem assistentiæ, & seruitij præstiti.

ARTICVLVS XIX.

An Beneficiarij infra duos menses fidei professionem non facientes, possint sibi fructus beneficij in conscientia retinere?

1. ℞. Nō, quia in vsus pauperum, vel in fabricā Ecclesiæ sunt expendendi. *ita cap. si quis autem sess. 23. Concil. Lateran. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*

2. Sub hoc decreto includūtur Canonici, & dignitates in Ecclesia Cathedrali tantùm, &

non collegiatarum. Item curam habentes animarum. Item Personatus, & habentes officia, sed nō pensiones in Cathedralibus, quia æquiparantur in iure dignitatibus. Item Prælati, & Superiores Regularium *ex Pio V. in sua constit.* alias in foro cōsciētiæ ante vllam iudicis sentētiamq; pœnam Concil. Trid. *loco supra citato* contrahunt. Quæ neque per Procuratorem fieri potest, quia est actus personalis, *ita Sacra Congregatio Concil. Trid.*

3. Tamen excusat ignorātia, vel obliuio inculpata huius legis in foro conscientiæ ad restituendos fructus præteriti temporis, quia lex pœnalis humana sine culpa in conscientia nō obligat. Sed prætermissa mala fide, vel ob ignorantiam vincibilem, & damnabilē incurritur, *ita cap. quàm periculosum 7. q. 1.* In foro verò exteriori non admittitur ignorantia iuris, nisi probetur, præsertim in his, quæ quis tenetur scire iuxta statum suum.

4. Non extenditur in distributionibus quotidianis à beneficio separatis, nisi beneficij fructus in distributionibus quotidianis consistat, quia *ita censuit Sacra Congregatio Concil. Trid.*

5. Verùm si infra duos menses non emiserit, tenetur quàm citò emittere, sed non hæc iuuat ad acquirendos fructus amissos, sed licitè futuros, quia regulariter semel ipso iure perdita, non quæruntur ipso iure, *ita in cap. cùm dilecti de dolo, & contumacia.* Et tales fidei professionē omittentes, non iuuat regula cancellariæ de triennali pacifico, & quieto beneficij possessore non molestando ex Calisto III. quia regula illa ius in fructibus non tribuit, sed solùm in proprietate, & titulo beneficij.

6. Tandem hanc professionem fidei tenētur facere toties, quoties dimittunt vnum beneficium, & acquirunt aliud, quia Concil. Trid. *loco supra citato* vniuersim loquitur, ita quòd professio Doctoratus nō sufficit ad suscipiendam Parochiam, vt beneficiarius faciat fructus suos, sed de nouo est faciēda in adeptione beneficij.

ARTICVLVS XX.

An qui beneficium parochiale acquirit absque vlla voluntate ad Sacerdotium, debet omnes fructus perceptos restituere?

1. R. Sic quia *ita in cap. commissa §. cæterum de elect. in 6.* & non est immunis à mortali, quia contrauenit præcepto Concilij Lugdonensis *cap. licèt can. de elect. in 6.* Nisi illud dereliquit vnà cum fructibus, quia Ecclesiam occupat, cui seruire non cogitat, *ita in cap. licèt can. de elect. in 6.* & tenetur restituere fru-

fructus perceptos ante vllam iudicis sententiam, quia restitutio fructuum est propter cōtrauentionem, tamquam legatarius exequens voluntatem testatoris, *ita in cap. commissa de elect. in 6.*

2. Ad beneficium parochiale sufficit ea ætas, in qua intra annum ad Sacerdotium prouehi queat, ab eo tempore computandum, quo pacatam beneficij possessionem est nactus, *ita cap. licèt can. de elect. in 6.* Qui si legitimo impedimento detentus fuisset, posset vltra annum differre, *ita in cap. commissa de elect. in 6. verbo iusto impedimento*. Sed si infra annum voluntatem mutat, fructus perceptos prima voluntate manente, non tenetur restituere, quia pro illo tempore fuit in possessione legitima beneficij. Tenetur tamen perceptos fructus post mutatam voluntatē restituere, quia restitutio fructuum non tàm pœnę rationem habet, quàm conuentionis inter Ecclesiam conferentem beneficium, & clericum ipsum Ecclesiam accipientem. Sed si de nouo mutata voluntate intra annum promoueatur, potest retinere fructus omnes, quia fraus initio cōcepta purgatur per promotionem sequutam intra annum. Et potest absque noua prouisione sibi beneficium retinere quia pęna priuat fructibus, sed non irritat titulum.

3. Verùm si dubia voluntate ascendendi ad Sacerdotium suscipit parochiale beneficium, non lucratur fructus beneficij, quia hæsitans non intendit suscipere Sacerdotium, & secundum iura non facit fructus suos, *ita cap. commissa de elect. in 6.* Et licet satis sit, vt sincerè, & bona voluntate proponat ascendere intra annum ad Sacerdotium, nisi causa aliqua iusta inciderit, quia intentionalis intentio est vera voluntas. Tamen secūdum aliquos non sufficere, vt quis tuta cōscientia faciat fructus suos, quia qui absolutè percipit fructus, absolutam etiam habere debet intentionem suscipiendi Sacerdotium.

4. Vnde recipiens beneficiū parochiale cū animo ascendendi ad Sacerdotium, cum voluntate tamen illud permutandi, vel resignandi, accepta pensione, & interim per idoneum Vicarium suo muneri satisfacit, facit quidem fructus suos, quia cùm talis non sit ipso iure priuatus beneficio, non apparet, cur debeat fructus restituere. Peccaret tamen iste, quia decipit Ecclesiam, quæ alias non conferret beneficium. Ideò modò Romæ iuramētum exigitur animo non relinquendi.




O 2 AR-

ARTICVLVS XXI.

An suscipiens beneficium simplex nõ animo clericandi, & interim suo muneri satisfacit, teneatur ad restitutionem fructuum?

1. R. Non, quia in iure nõ est expressum, nec pœna contra Parochos sit extendẽda ad beneficia simplicia sine rationis identitate, & maioritate, *ita cap. pœnę de pœnit. dist. 1.*

2. Vnde talis peccaret tãtùm venialiter secundum cõmunem sententiã, quia nullius præcepti est carens eo animo, qui licet decipit Ecclesiã aliquo modo, non tamen videtur grauis, dum Sacri Canones liberum ei transitũ cõcedunt ad nuptias, *ita cap. Ioannes, & cap. diuersis de cleric. coniug.* Idem dicendum est de clerico recipiente, & retinente pensionem, quia aliquo honesto fine mouetur. Sed absolutè peccat lethaliter recipiens beneficium, cui annexus est ordo sacer absque animo saltem cõditionali ascendendi ad illum, nec potest illi per substitutum illi deseruire, nisi mutata voluntate velit promoueri ad Presbyteratum, quia assumens munus aliquod, debet curare esse habilem ad illud obtinendum.



ARTICVLVS XXII.

An Clericus in minoribus validè contrahens de præsenti matrimonium, eo ipso beneficia obtenta amittat?

1. R. Sic, quia est vinculũ incompatibile cum beneficio, nec desideratur iudicis sententia.

2. Etiam per matrimonium ratum, & non consummatum, quia adhuc est incompatibilis. Secùs per sponsalia de futuro, quia sunt compatibilia. Ideò Clericus iniens matrimoniũ per verba de præsenti, licèt sponsa non dum cognita decidat, aut ad Religionem transeat, non recuperat beneficium, etiam non dum alteri collatum, quia ius semel extinctum non reuiuiscit, licèt cesset causa extinctionis.

3. Sed beneficiarius in sacris constitutus, si contrahat per verba de præsenti, non est priuatus ipso facto beneficijs, quia matrimonium non tenet, & vxorem dimittere tenetur: & est excommunicatus, & beneficio priuandus, *ita ca. sanè el. 1. de cleric. coniug.*

4. Et quamuis beneficia iam quæsita, etiam curata non vacare ipso facto per inhabilitatem, & irregularitatem incursam, etiam per homicidium voluntarium, donec illis per sententiam iudicis priuetur: vacant tamen ipso iure per contractum matrimonij

monij de præsenti clerici in minoribus constituti, non tantum propter inhabilitatē, sed propter statum matrimonij in compatibilem.

5. Ideò talis retinens beneficium peccat mortaliter, quia est iniustus retentor rei alienæ in re grauissima. Et fructus perceptos post matrimonium vnitum tenetur restituere, quia iniustè occupat beneficium, quod non est suum: & illud in conscientia dimittere tenetur durāte tali statu, & illo cessante indiget noua collatione, & illi nō iuuat regula Cancellariæ de triennali pacificè possessori non molestari, quia est in statu incompatibili cum beneficio.

6. Imò impetrans rescriptum benefic. j vacaturi, si posteà ineat matrimonium, & antequam vacet, vxor moriatur, non potest illud obtinere, quia per matrimonium non solùm beneficia, sed etiam omnia iura ad illa tamquam derelicta habentur. Benè tamen illegitimus, aut quilibet inhabilis, si impetraret dispensationem ad obtinendum beneficium, eaq; impetrata iniret matrimonium per verba de præsenti, dissoluto posteà matrimonio, potest beneficiū obtinere, quia per dispensationem nullum ius acquiritur, nec in re, nec ad rē, scilicet, ad beneficium, aliàs nullus coniugatus esset capax beneficij, mortua vxore.

7. Tandē cum clerico coniugato Episcopus, & quilibet ordinarius non potest dispensare, vt possit beneficium retinere, vel de nouo obtinere, sed solus Pōtifex, quia vt auulior canonum potest dispensare ius Canonicū, & commune positiuum, *ita cap. at sic clerici 9. de adulter. de iudic.*

ARTICVLVS XXIII.

An beneficia ipso iure amittat Clericus in minoribus, si irritè contrahit per verba de præsenti?

1. R. Sic, quia est habilis ad contrahendum.

2. Quamuis alij contrarium sentiant, quia voluntas assumendi statum incompatibilem cum beneficio non sufficit, nisi de facto validè contrahendo talem statum assumat.

3. Sed nō vacare si in sacris, quia matrimonium semper est nullum, *ita cap. 1. de cleric. coniug.*

4. Verùm clericus in minoribus contrahens matrimonium irritum defectu ætatis, vel consensus, vel clandestinum, beneficium nō vacat, quia ex circumstantijs matrimonium nullum, *ita cap. vnic. de disponsat. impuber. consil. 2. num. 1.*

5. Vnde sola attentatio facti non sufficit in contractu matrimonij, sed requiritur quòd de facto validè contrahat, vt sit

causa

causa incompossibilis inter beneficium, & matrimonium, quia pœna extra casus in iure expressos non debet extendi.

ARTICVLVS XXIV.

An per matrimonium amittantur pẽsiones clericales, sicut beneficia Ecclesiastica?

1. ℞. Sic, quia stylus curiæ facit ius, *ita cap. quàm graui de crimine falsi.*

2. Secùs pensio laicalis, quæ titulo sæculari ob temporale seruitium Ecclesiæ exhibitũ confertur, quia sicut status laici non est incompatibilis cum pensionibus sic constitutis, ita nec status coniugati.

3. Ideò habens pensionem clericalem, sed non laicalem tenetur ad officium Beatæ Virginis, aliàs ad restitutionem pro rata, quia *ita est constitutio Pij V.*

4. Imò si pensio clericalis cõfertur absque præuia conditione status clericalis personæ laicali, scilicet regulari, & non clericali, vt militi Sancti Ioannis, non inducit obligationem recitandi officium Beatæ Virginis, quia non esset amplius pensio clericalis, cùm non supponat statum clericalem, nam regularis propriè, & strictè loquẽdo nõ est clericus.

5. Neque clericus in sacris habens beneficium, & pensionem tenetur recitare etiam officium Beatæ Virginis ob pensionem, quia officium magnum satisfacit vtramque obligationem. Sicut etiam miles Sancti Ioannis per orationes à sua Religione præscriptas satisfacit obligationẽ pensionis, quia illæ sunt loco horarum, ne fruentes fructibus Ecclesiæ sint omninò immunes ab onere precum.

6. Tandem pensio clericalis sine dispensatione Papæ non datur clericis coniugatis, nec beneficiũ simplex, quia stylus curiæ est. Sed si ambo coniuges emittunt votum continentiæ, vir potest esse capax pensionis; At suspectus de incontinentia non potest licitè cum vxore in eadem domo cohabitare.

ARTICVLVS XXV.

An beneficiarij non recitantes preces canonicas teneatur ad restitutionem fructuum?

1. ℞. Sic, quia aliàs fructus beneficij non facit suos, *ita Concil. Later. sub Leone X. sess. 9. & Pius V. in sua constit.*

2. Restitutio facienda est pro rata omissionis, & temporis. Vnde legitimo impedimento non impeditus, si officiũ omittit primis sex mensibus post acceptam beneficij possessionem, peccat lethaliter. Et omittens post alios sex menses elapsos tenetur in conscientia restituere; si per annum

num, omnes fructus illius anni, & pro rata temporis; si matutinum, sextæ partis fructuum inducit obligationem, & pro rata horarum, quamuis alij dicant, quòd si est minor sexta parte, nulla est obligatio restitutionis. Tamen alij tenent contrarium, quia sic omittens agit contra præceptum Ecclesiasticum, & violat iustitiam commutatiuam. Idem dicendum est de pensionario, qui tanquam clericus recipit fructus Ecclesiæ iuxta quantitatem beneficij, quia ex eadem Bulla Pij V. patet.

3. Verùm ambo inculpabiliter officium omittentes, scilicet ex ignorantia inuincibili, vel ex naturali obliuione, aut bona fide, vel legitimo impedimento, non peccant, nec tenentur ad restitutionem; quia in foro conscientiæ pœna non debetur, vbi culpa non est. Sicut etiam infirmitas grauis, & si dubitatur de qualitate infirmitatis, medicus consuletur. Vel sit lex ista, scilicet non habere excusationem, si infirmitas non impedit ad alia negotia grauia, & molestia pertractanda, quia non ponitur in periculo grauis damni. Si autem leuis infirmitas, peccat, & tenetur ad restitutionem, quia possessio stat cum obligatione saltem cum leui incommodo.

4. Sed grauis, & necessaria occupatio, quæ in aliud tempus differri non potest, excusat, quia desumitur ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tanto grauamine obligare.

5. Beneficiarius autē impotēs absque auxilio socij commodè recitare, maximè si beneficium pingue, tenetur adhibere sociū. Sed nō surdus, vel sudaster, qui nequit audire sine magna vociferatione, quia q. nō tenetur ad finē, etiā ad media nō tenetur, non solùm ex Religione, sed ex iustitia. At clericus in sacris, qui non habet beneficium, non tenetur proprijs expensis conducere socium, quia debitum ex Religione non ita obligat.

6. Beneficia curata non instituta ad preces horarias, vt ad finem precipuum, sed ad alias functiones, vt ad offerendum sacrificium, administranda Sacramēta, prædicandum verbum Dei, & similia, licèt iure naturæ ad nihil, vel ad parum restituendum sint obstricti, tamen tenentur in conscientia, quamuis alijs muneribus beneficia annexa satisfecerint, quia ius canonicum, Concil. Lateran. & constitutio Pij V. obligat.

7. Quæ restitutio facienda est fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, siue loci, vbi beneficium situm est, vel alterius: & si beneficiarius est pauper, potest sibi ipsi applicare, si verè est talis, & etiam pauperibus cōsanguineis.

AR-

ARTICVLVS XXVI.

An beneficiarius omittens preces horarias teneatur ad restitutionem fructuum ad partem correspondentem oneri recitandi diuinum officium?

1. ℞. Sic, quia agit contra pręceptum Ecclesiasticum, & violat iustitiam commutatiuam, ideò secundum taxam Pij V. in sua constit. tenetur.

2. Verùm hęc constitutio est recepta cum moderamine, scilicet, quòd Episcopus, vel Parochus quintam, vel quartam partem redditũ pro rata restituat, reliquas tres, vel quatuor ratione tituli, & onerum sibi retineat. Cappellanus verò tertiam partẽ, & reliquas duas pro celebratione Missarum faciat suas, quia redditus aliquando beneficiorũ dantur non tantùm pro officio recitando, sed etiam pro alijs ministerijs Ecclesiarum, & pro sacrificijs, *ita cap. vlt. de rescriptis in 6.*

3. Sed recitando officium vltrò mẽte distracta, & nihil omittens quo ad prolationem externam, licèt probabile sit non teneri restituere, quia etiam animo spontè distracto persoluit preces horarias. Tamen quia nõ adimplet præceptum deuotè recitandi, ideò videtur teneri ad restitutionem, quia talis recitatio non est oratio.

ARTICVLVS XXVII.

An beneficiarij ad cantum deputati, non canentes in Choro Officium diuinum teneatur ad restitutionem distributionum?

1. ℞. Sic, quia non psallens, tamquam absens reputatur; *ita Pius V. in sua Constit.*

2. Verùm Canonicus Cathedralis, seu Ecclesiæ Collegiatæ addictus choro si solùm assistit deuotè cum decore, & authoritate, vbi adsunt Vicarij, Assisij, & Mansionarij, qui officium peragunt, etiam si in choro non canat, & priuatim preces horarias recitet, potest destributiones omnes lucrifacere, quia illis dãtur stipendia è cõmunibus redditibus, quæ alioquin lucrifecissent ipsi Canonici, & beneficiarij. Sed non canens, sed garrulis verbis potiùs Officium perturbat, etiam si domi priuatim recitauerit, tuta conscientia sibi nõ lucratur, quia nõ tãtùm assistentia corporalis, sed congrua, & accõmoda diuino cultui requiritur.

3. Sed vbi viget consuetudo, vt Canonici canant in Choro, qui non canunt, dimidiam distributionem merentur, quia distributiones nõ sunt tantùm ob nudam præsentiam, sed vt cum alijs canent. Et quamuis canens submissa voce, & alios audiens, satis-

satisfacit obligationi officij diuini, nòn tamen satisfacit obligationi debito seruitio Chori, quia redditus Ecclesiæ dantur Canonicis choro addictis, vt inseruiãt, & canent cum alijs.


ARTICVLVS XXVIII.

An beneficiarij curam habentes, iure diuino residere teneantur?

1. ℟. Sic, quia præceptum diuinum est inuigilare, & assistere gregi sibi commisso; *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.*

2. Imò Papa sine iusta causa dispensans istis, adhùc non sunt tuti in conscientia, peccat, quia dispensatio in his, quæ sunt de iure diuino sine iusta, & legitima causa non est valida.

3. Pontifex ergo confert potestatem Episcopalem, non tamquam causa principalis, & institutor, cùm hoc munus sit solius Dei, sed ministerialiter, & instrummentaliter, assignando Ecclesijs Pastorem, ideo curam habentes animarum à Deo principaliter recipiunt potestatem iurisdictionis, ita à Deo principaliter recipiunt præceptũ residendi in Ecclesijs sibi commissis.



ARTICVLVS XXIX.

An habentes beneficia, quibus cura est annexa, si nõ resideãt, teneantur in conscientia fructus ex beneficijs perceptos restituere?

1. ℟. Sic, quia absentibus sine causa talis pęna erogatur; *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.*

2. Verùm Episcopis permittuntur tres mẽses, siue cõtinuè, siue interruptè sine alia superioris licentia; quia *ita Concil. Trid. loco supra citato*, cùm non videantur abesse per hoc breue tẽporis spatiũ, dũmodo sit iusta causa, licèt nõ maximi momẽti, & sine gregis detrimento; aliàs peccãt. Sed vt absint amplius tribus mensibus ob iustas causas, absentia debet in scriptis approbari à Papa, vel à Metropolitano, excepta necessitate absentiæ propter aliquod munus, & Reipublicæ officium.

3. Parochi vltra duos menses absq; legitima causa ab Episcopo approbata si absint, peccãt lethaliter, & tenẽtur in consciẽtia restituere pro rata fructus, quia ita Sacra Congregatio Concil. decreuit. Et si licẽtia obtenta in scriptis non est legitima, sed ex ficta causa, peccat, & tenetur pro rata absentiæ restituere in conscientia fructus, quia malitiosè sibi vsurpat bona Ecclesiæ.

4. Sed Parochus Ruralis, qui semel in hebdomada ad vrbem reuertit causa vidēdi suos, ibiq; per diem moratur, & Sacerdotē propter casus occurrētes ibi relinquit, nec peccat, nec tenetur restituere, quia sic non videtur abesse. Item Parochus ad breue tempus cum licentia Episcopi, & si necessitas vrget, & non patitur dilationem potest sine illa, sed statim certiorem facere Episcopum, dummodo demandet Sacerdoti exposito curam animarum, quia necessitas non habet legem. Sed Episcopus nō potest occupare Parochum in suo seruitio vltra bimestre; nec dare licentiam obtinenti curatum, vt alterius Episcopi sit Vicarius Generalis, quia ita sunt decreta Sacræ Congregationis Concil. Trid.

5. Tandem ante Concil. Trident. Parochus studiorum causa per septennium ex consensu, & licētia Episcopi poterat abesse. *ita cap. cùm ex eo de elect. 6.* Sed modò prohibitum, quia Ecclesiæ conferuntur per concursum idonei. Nec satisfacit per Vicarios idoneos, quia institutores nō p mercenarios relinquerant, sed vt per seipsos satisfaciant, aliàs in pœnam amissionis fructuum pro absentia irrogauit; *ita Concil. Trid. loco supra citato.*

(:†:)(†)(:†:)

ARTICVLVS XXX.

An Beneficiarij habentes dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus præbendas, vel portiones, si non resideant, in conscientia faciat fructus suos?

1. R. Non, vltra tres menses, quia aliàs primo anno dimidia parte fructuum præbendæ priuantur; secundo omnibus, *ita Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*

2. Verùm tales, si amplius tribus mensibus absq; iusta causa absint, si officio satisfecerint, nō tenentur, nisi ad eam condemnentur, quia lex futuri temporis imponendo aliquam pœnam sic intelligitur, *ita gloss. in cap. quisquis de elect. verb. fiat.* Tamen peccant lethaliter, quia tenentur ad residentiam. Sed quotidianas distributiones non faciunt suas, quia debentur clericis quotidiè diuinis officijs interessentibus. Imò habentibus priuilegium vt in absētia possint percipere fructus beneficiorum, nō comprehebduntur distributiones quotidianæ.

3. Potest tamen Episcopus ob causam legitimam his dare facultatem, vt possint abesse vltra tres menses à suis Ecclesijs, quia ita indulsit Concil. Trid. loco supra citato.

AR-

ARTICVLVS XXXI.

An Beneficiarij docentes, & scholastici studentes in Vniuersitatibus, in absentia possint licitè percipere fructus beneficiorum?

1. R. Non, quia studium non est grauis causa, *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.*

2. Episcopus vero potest cōcedere licentiam Canonicis, & Beneficiarijs simplicibus ratione studij, sed non permittitur vltra quinquennium, à die, quo Beneficiarius cepit studere, dummodo diligenter operam dederint, aliàs negligenter non possunt percipere fructus beneficiorum, quia priuilegium cessat, cessante causa priuilegij, *ita Pius V. in sua constit.*

3. Sed dare operam iuri ciuili, & Physicę tantùm clericis nō Sacerdotibus, neq; in dignitate cōstitutis permissum est, sed Beneficiarij peccant, & fructus beneficij non faciunt suos, quia ius prohibet istis sub pœna excommunicationis ipso facto, *ita cap. super specula ne Cleric. & Monach.* Excusantur tamen à residentia Beneficiarij non curati, qui in alia scientia, etiam Grammatica suum studiuum ponsit, qui possit percipere fructus beneficiorum, non autem distributiones quotidianas, quia non dicitur abesse in euidentem Ecclesiæ necessitatē, *ita gloss. in cap. ex eo de elect. in 6. verbo litter.*

ARTICVLVS XXXII.

An Beneficiarij Canonici in seruitio Episcopi occupati lucrentur fructus prabendarum suarum, & distributiones quotidianas?

1. R. Sic, fructus præbendarum, non autem distributionum quotidianarum, quia lex antiqua est *cap. de cætero, & cap. ad audientiam*, verò noua Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* indistinctè loquens remanet intacta in sua iuridica obseruantia.

2. Neque distributiones quotidianæ debentur Beneficiarijs absentibus, etiam si sint in seruitio Papæ, Cardinalium, Legatorum de iure communi, & præsentibus, & diuinis officijs non intersunt, & si percipiunt, tenentur ad restitutionem, licèt sit consuetudo in contrarium, cùm sit abusus, quia in re communi solis interessentibus diuinis officijs debentur, *ita gloss. in cap. final. de rescriptis in 6. verb. exceptis.* Nec valet quòd per substitutū inseruiat Ecclesiæ absq; speciali priuilegio, vel consuetudine immemorabili, quia consuetudo quando est cum iusta causa introducta debet seruari. Sed lucratur tales distributiones

quotidianas absens propter vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ, quia tunc licèt non directè, tamen indirectè deseruit Ecclesiæ. *Ita cap. vnic. de cler. non resid.*

3. Quando verò omnes fructus Canonicatus consistunt in quotidianis distributionibus, absens Canonicus in seruitio Episcopi lucratur illas, excepta tertia parte, quę deseruientibus Ecclesiæ accrescit. Sed absentes causa studiorum, non est eximenda tertia pars, quia hæc absentia videtur magis pia, & vtilis Ecclesiæ, quàm propter comitatum Episcopi.

4. Verùm habens priuilegiũ à Papa, vt in absentia percipiat fructus, prouentus, & distributiones, non tamen potest vi huius priuilegij percipere anniuersaria, & mortuaria, quia non sunt propriè distributiones, sed solùm conferuntur interessentibus exequijs, *ita gloss. cap. consuetud. de cleric. non resid. 6.*

5. Distributiones quotidianę aliæ dicuntur grossæ, quæ dantur Beneficiarijs præbẽdatis residẽtibus in Ciuitate, etiam si personaliter horis canonicis nõ assistunt, & hæc in aliquibus Ecclesijs succedunt loco prebendarum, & dãtur in fine anni, vel semestris, vel mensis pro residẽtia. Aliæ verò minutæ, quæ solùm cõferuntur illis, qui officio diuino intersunt.

ARTICVLVS XXXIII.

An Beneficiarius obtinens solum titulum absq; possessione, & receptione fructuum, diuinum Officium persoluere teneatur?

1. R. Non, quia obligatio emergit ex perceptione mercedis. Manet tamen obligatio apud pensionarium, & resignantem, quia qui commodũ reportat, portare quoque debet, & onus.

2. Habens beneficium, ex quo nullum recipit fructũ, nec per se, nec per alium, nec per se ipsum stat, quominus recipiat, non tenetur recitare officium diuinum, quia tunc cessat obligatio.

3. Verùm Beneficiarius voluntariè consentiens ei, qui in suum fauorem beneficiũ renunciauit in pensionem æquiualentẽ, & non priuatur aliquo emolumento, & honore, tenetur ad preces horarias, quia est verè Beneficiarius. Imò cogere potest eum, cui omnes fructus sũt reseruati ad mercedẽ sui laboris.

4. At litigantes de beneficio, & neuter illius possessionem habet, vterq; manens dubius de iure, lite, & causa, neuter tenetur preces horarias persoluere, quia qui non habet possessionẽ non teneri ad pensum diuini officij. Secùs est de his, qui per indu-

industriam possessionem differunt, quia fraus, & dolus nemo debet patrocinari. Sed possidens beneficiū litigiosum, cuius fructus sunt sequestrati, vel ab alio percipiuntur, cum spe tamen recuperandi fructus præteritos, nō excusatur à precibus horarijs, quia fructus percepti saltē post litem contestatam debentur vero Beneficiario; aliàs nihil sperans, non tenetur, quia obligatio oritur ex perceptione fructuum.

5. Tandem pueri dispensati à Papa ad beneficium obtinendū, si per ætatem ad recitandum officium sunt inhabiles, tenentur per substitutū inseruire beneficio requirenti seruitium, ita etiā persoluere diuinum officium, quia administratio, & obligatio committitur Vicario loco sui subrogato.

ARTICVLVS XXXIV.

An consuetudine legitima induci possit, vt beneficiarius ad canendum in choro deputatus, possit alium in sui locum substituere, & distributiones capere?

1. ℟. Sic, quia consuetudo tunc est legitima, quādo priuilegio Papæ conceditur: aliàs non, *ita in cap. vnic. de cler. non resid. in 6. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*

2. Consuetudo legitima est immemorabilis, & quadragenaria iusta aliqua causa, & rationabili introducta, quæ non censetur reprobari, nisi exprimatur.

ARTICVLVS XXXV.

An beneficiarius ratione studij liber sit à præcepto precum canonicarū, si per Substitutum beneficio inseruiat?

1. ℟. Non, quia pensio diuini Officij est onus personale.

2. Imò Capellanus tenetur, etiam si maiorem partem fructuum, & reddituum tradat substituto ad substentanda beneficij onera, quia sua culpa, & voluntate non recipit fructus, cum recipiendo beneficium, iam obligationem recitandi officium subijt.

3. Capellania verò profana, scilicet absq; Papæ, vel Ordinarij authoritate, instituta à patronis laicis, & ab ipsis conceditur, non cogit ad horas canonicas, sed solùm ad implendum, vel resarcendum per se, vel per alium Missarum onus, & numerum, quia non est beneficium cum debita sollemnitate institutum.

4. Item beneficiarius sollemnis Concionator, si eius prædicatio esset necessaria ex carentia prędicantium cum magna populorum vtilitate, si non posset conciones habere, nisi diuinum offi-

officium omittat, potest iustè relinquere, quia adest rationabilis causa, scilicet, maxima populorum vtilitas. Nec quidquam ad restitutionem, quia in foro conscientiæ pœna non debetur, vbi culpa non est. Sed si voluntariè absque necessitate prædicaret, & eius conciones non multo vtiles essent populo, tenetur ad restitutionem fructuum ex beneficio perceptorũ, quia essent alij, qui æquè benè, & forte meliùs possent supplere.

ARTICVLVS XXXVI.

An beneficij renunciatio per metum extorta sit ipso iure irrita?

1. ℞. Non, imò valida, quia habet ius, vt per iudicem restituatur, si non fuerit alteri collatum.

2. Verùm talis iure beneficij per metum dimissi ad ordines promoueri non possit, nec ex eo tuta conscientia fructus percipere, neq; cogitur diuini Officij pensum persoluere, quia non est amplius suum, & ad nihil tenetur. Sed valida collatio facta metu ab Episcopo, quia sat est Ecclesiæ, vt beneficia tantùm conferantur in clericos idoneos, vt dignè inseruiatur ei.

3. Renunciatio, resignatio, seù cessio beneficij est voluntaria beneficij dimissio, seu refutatio corã Ordinario legitimè facta in manibus eius, à quo habetur institutio, *ita cap. admonet. de renunt.* Sed hæc definitio est vera, quando agnoscit superiorem, *ita cap. licet de regulis*. At Papæ satis est si liberè sese pontificia abdicet dignitate, *ita cap. 1. de renunt.* quia non habet superiorẽ.

4. Renunciatio duplex. Tacita, quæ fit absq; verbis expressis, sed per actus contrarios retẽtioni beneficij. Expressa est spõte suum beneficiũ expressis verbis coram ordinario legitimè dimittit, *ita cap. admonet. de renunt. & cap. 1. eod. tit. in 6.* Rursus expressa duplex, simplex, & pura, idest sine conditione coram ordinario dimittere: Altera conditionalis, idest, se abdicat conditione apposita, vt beneficium, scilicet, nepoti conferatur, vel alijs adiectis conditionibus.

ARTICVLVS XXXVII.

An beneficiarijs permutantibus beneficia authoritate propria sine licentia Ordinarij sit valida permutatio?

1. ℞. Non, quia agunt contra dispositionem Canonum, & quis redire potest ad propria, *ita cap. cum vniuersum de rerum permutatione & cap. vnic. eod. simil. in 6.*

2. Verùm tales non amittunt ea ipso facto, nec ipso iure incurrunt censuras, sed per sententiam,

tiam, in pœnam illius criminis: *ita cap. cùm olim. de rerum permut.* Nec fructus receptos ex beneficijs commutatis, in conscientia restituere tenentur, quia non est Simonia cùm commutatur spirituale pro spirituali.

3. Permutatio beneficiorum est reciproca quædā resignatio, quæ adinuicem inter permutantes fit authoritate legitimi superioris, cui beneficium subest, *ita cap. vlt. de rer. permut.* Ideò talis permutatio est prohibita priuatis personis, ne clerici de beneficijs tanquam de rebus suis prophanis statuere videantur, *ita cap. cùm vniuers. de rer. permut.* Et hoc tantùm iure canonico est prohibitum, non naturali, & diuino, quia nō datur res spiritualis pro temporali.

4. Legitimus ergò superior est, qui habet ius conferendi, & à beneficio clericos amouendi, & nulli Episcopo subiectus, & sic Vicarius Episcopi nō potest renunciationem approbare: quia, *ita cap. vlt. de offic. Vicarij, in 6.* Sed benè Vicarius Capitularis mortuo Episcopo potest resignationes recipere, & beneficia conferre, sed non potest beneficia permutata conferre, nisi ius cōferendi ad ipsum pertineat, quia Papæ est reseruata.

5. Item potest præsentatos clericos à patronis admittere, atque instituere, & electos legitimè, & canonicè à clericis confirmare, *ita cap. cùm olim de maior. & obed.* Sed beneficium patronatus affectum nequit citra patroni consensum permutare, & si permutat, potest rescindi per sentētiam patrono inscio, *ita cap. 1. de rer. permut.* Secùs si iudicat Episcopus permutationem expedientem Ecclesiæ sua approbatione supplere consensum patroni, & valet permutatio.

6. Item permutantes coram Episcopo possunt pertractare de permutationibus, absq; pacto tamen, sed liberè ponendo totum in arbitrio Episcopi, qui non potest conferre alteri preter intentionem permutantis, quia Ordinarius admittens permutationē beneficiorum ipsis compermutantibus astringitur conferre, *ita in Clement. vnic. de rer. permut.* At pacta, & conuentiones in manibus Pontificis tātùm possunt fieri, & coram eo in permutatione beneficiorum possunt dari pecuniæ, vel pensiones propter excessum fructuum, vel dignitatū, quia talis recompensatio non est pro aliquo spirituali, sed pro incōmodo temporali, quod subest dimittens beneficium locupletius, & tenuis in commutatione acquirens, vt se ipsum seruet indemnem.

7. Rursus resignatio beneficij in gratiam, & in fauorem tertij non est licita, sed pura, & libera esse debet, imò inanis, & irrita, & licet antiquitùs in manibus

Pon-

Pontificis fieri erãt solitæ, & possunt, quia est conditor canonũ, & supra omne ius commune, *ita cap. quàm graue de crim. falsi.* modò penitus etiam consimiles resignationes coram Pontifice nõ admittuntur; quia ita est cõstitutio Pij V. *ita etiã cap. cùm quidem. & cap. final. de pœnis.*

8. Taliter quod commutantes beneficium cum pacto recipiendæ pensionis ex eodem beneficio commutato, inscio Pontifice, sunt simoniaci, excommunicati, & priuati ipso iure à beneficijs; quia absque Papa non dicitur pensio, sed pretium collatum propter resignatum beneficium; ideò permutantes pensiones Ecclesiasticas priuata authoritate cum rebus temporalibus grauissimè peccant, quia simoniacè agunt, sed non sunt ipso facto excommunicati, quia tantùm in beneficijs sunt simoniaci: At pensio clericalis non est beneficium, cùm non sit perpetuum, & extinguitur cum pẽsionario; tamen sunt nullæ, & inualidæ, quia priuatæ personæ nõ habent facultatem transferendi pensiones clericales.

9. Nota quòd in pensione clericali duo sunt, scilicet, ius exigendi fructus beneficij, quod non potest permutari pretio accepto, quia tale ius est quid spirituale annexum statui clericali cum obligatione ad horas saltẽ Beatæ Virginis, *ita Pius V. in sua constit.* Et commoditas quòd ex ipso iure prouenit, & talis commoditas exigendi fructus potest pretio vendi, & deduci in commercium, & pactum, quia hæc non est spiritualis, nec pensio, nec beneficium, sed quid temporale, scilicet, fructus pensionis, sicut fructus beneficij, vendi possunt.

ARTICVLVS XXXVIII.

An liceat ad remouenda impedimenta, quæ iniustè opponuntur ob redimendas vexationes, aliquid temporale elargiri pro beneficio, in quo habet ius, ne impediatur sibi adeptio possessionis?

1. ℟. Sic, quia illator vexationis est iniustus, & non simoniacus, cum nil spirituale vendit, sed vexationem, *ita D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.*

2. Nota quòd aliud est habere ius ad beneficium, & aliud habere ius in beneficio. Ius remotum, seù largum ad beneficium, est esse dignum coram minùs digno, vel digniorẽ corã digno, non dum tamen electum. Propinquum, seù strictum ius habere ad beneficium est esse electum, postulatum, & præsentatũ. Ius verò in beneficio, est confirmatus, institutus, vel collationem factã acceptauit, quamuis non dum possessionem acceperit.

3. Vnde

3. Vnde qui non habet ius in beneficio non potest redimere vexationem ab eo, qui non dum potest obesse, sed etiam prodesse, quia tunc pecunia censetur dari pro ista institutione, & collatione, quæ quid spirituale est, & consequenter Simoniacum, *ita cap. Matthæus, de simonia, & D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* Neque quis etiã dignissimus potest ante ius quæsitum in beneficio, etiam si esset suspicio, vel dubiũ de iniqua vexatione, licet ad tollendam vexationẽ quidquam tẽporale offerret, vt eligatur, vel electus confirmetur, quia tunc est apertè simonia, nam directè sibi parat viam ad obtinendum beneficium. Neq; ab eo, qui potest obesse, sed non prodesse, cùm iustè vexare potest; idest, opponere aliquam iustam exceptionem coram confirmatore, vel electoribus, ne illum eligant, aliàs simoniam committeret, quia licet possit redimi ab eo, qui obesse, & non prodesse potest, tamẽ de nocumẽto iniusto, sed non de iusto.

4. Si verò elector, vel confirmator, qui prodesse potest, modis apertè iniquis conaretur impedire dignum à consequutione beneficij, ne eligatur, & confirmetur ab alijs, non videtur in foro conscientiæ simoniacum, si eligendus dignus, aliàs, vel electus confirmandus per se; vel per alium pecuniam offerat ei, qui prodesse tantùm potest; vt ab iniqua vexatione desistat; quia omnis manifesta vexatio iniusta redimi potest à quocũq; inferatur. Ac etiam ab his, qui possũt obesse apud collatorem, vel confirmatorem, quia potiùs est redemptio vexationis, quàm emptio beneficij. Sed simoniacus erit cõfirmat⁹, vel institutus in beneficio q pecuniã largitur pro iuris possessionis adẽptione, quia ne dum totaliter, & perfectè ius habet acquisitum in beneficio, *ita cap. cùm in Ecclesia, de simon. & Conc. Trid. sess. 24. cap. 14. de reformat.*

ARTICVLVS XXXIX.

An si quis expensas fecerit in obtinendo beneficio litigioso, possit eas repetere, si beneficium velit resignare?

1. ℞. Non, quia exigitur tẽporale pro spirituali, quod est simonia.

2. Simonia conuentionalis est resignare beneficium litigiosum cum pacto, vt resignatarius consentiat constitutioni pensionis in fauorem resignantis, nulla facta mẽtione in ipsa resignatione coram Põtifice de pactione prædicta: & si postea prouisus de beneficio, cõsentiat dictę assignationi, & constitutioni pẽsionis, etiam quòd pensionem non soluat, simonia fit realis,

quia pactio ex vtraq; parte complétur, *ita cap. cùm pridem de pactis*. Si verò in resignatione beneficij hæc pactio coram Papa exprimatur, tunc non amplius simonia, quia facit hoc non vi pacti, & conuentionis, sed purgatur authoritate Papæ.

3. Vnde litigantes de beneficio, si authoritate Superioris, vel boni viri concordentur, potest vnus ab altero pecnniam accipere absque simonia, vt à lite cesset, & pacificè beneficium obtineat, quia pecunia datur pro expensis in lite factis. Sed si pecunia datur habenti ius in beneficio, vt desistet à lite, est simonia, quia datur pecunia pro iure spirituali. Item est simonia si concordia litis fit inter se litigantes, vt vnus liti motæ cedat aliquo sibi dato, vel retento, vel promisso, quia lis dissoluitur ob bonum pacis authoritate Superioris Iudicis, vel boni viri arbitri, in quem à litigantibus est compromissum, quod iure concessum est, *ita cap. nisi de præb. & dignit.* Tùm quia trãsactio in beneficijs est à lege prohibita, cũ transactio sit quasi transactio actionis, eo quod transigens ab actione desistit, seù compositio, vel permutatio de re dubia, & de lite incerta, & nõ dũ finita, nõ gratuita pactio, sed aliquo dato, vel retento, vel promisso, *ita ca. super eo de trãsact.*

4. Sed simoniam non cõmitit habens ius acquisitum in beneficio, & certum, si pecuniam dat tertiæ personæ, ne litem moueat, quia redimit pretio vexationem suam iniustã. Sed si ius acquisitum est dubium, & litigiosũ, est simonia, quia sic viam sibi parat ad beneficium, quod est labe simoniæ infectum.

5. Tandem resignans potest à resignatario repetere authoritate Papæ expensas factas in vtilitatem Ecclesiæ in recuperatione beneficij, quia expensę erogatæ fuerunt in vtilitatem non recuperantis, sed Ecclesiæ, cuius est beneficium. Et quando Papa admittit resignationem cum eo pacto, non quia dimittit beneficium in fauorem tertij, sed quia resignãs cùm sit pauper, aliquid temporale in eius subsẽtationẽ potest dari, vel quia propter incommodum temporale se priuando fructibus beneficij, aliquo pretio potest recompẽsari.

ARTICVLVS XL.

An traditio beneficij, & receptio alicuius temporalis pro ea, animo ex vtraq; parte simoniacè deprauato, sine pacto tamen, obliget in conscientia ad restitutionem pretij, & dimissionem beneficij.

1. R. Non, quia tales tantùm debent de mala intentione pœnitere, *ita in cap. mandato fin. de simonia, & Gregorius IX.*

IX. eodem. & D. Tho. 2. 2. quest. 100. art. 6. ad 6.

2. Peccant tamen lethaliter peccato simoniæ mentalis, & sunt in statu dãnationis, quamdiù manent in tali animo deprauato, quia agunt contra virtutẽ religionis, & reuerentiam debitam rebus spiritualibus, dum nõ gratis contulerint. *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Simonia mẽtalis citra omnem conuentionem expressam, vel tacitam est duplex. Altera, quę neque peruenit ad cõuentionem, neque ad dationem, Altera, quæ peruenit ad dationem citra omnem conuentionem. Item hæc aliquando est tantum ex parte dantis spirituale, aliquãdo tantùm ex parte recipientis, aliquando vtraq; pars illam cõmittit sine pacto tamẽ tacito, vel expresso. Pactum autẽ est duorum, pluriumq; in idem placitũ, seu consensus ad aliquid faciẽdum, vel dandum.

4. Nota quòd nõ est eadem ratio de vsurario mentali, & simoniaco mẽtali, nam vsurarius mentalis vltra sortem principalem aliquid accipiendo ratione mutui iniuriam infert mutuario cõtra iustitiam commutatiuam inducentem obligationem restituẽdi, quia mutuarius non spõtè, sed quasi inuoluntariè soluit vsuras, velut redimendo iniquam vexationem, quam patitur ab vsurario, ita quod in soluẽdis vsuris est voluntariũ, mixtum tamen inuoluntario. Secùs in simonia mẽtali spontè, & voluntariè datur cùm tàm emere, quàm vendere sunt contractus voluntarij absque inuoluntario mixto; ideo nõ ledunt iustitiam commutatiuam, licèt peccent contra virtutem Religionis, rebus sacris iniuriam inferentes, non tenentur ad restitutionem, quia acceptum, & datum per modum doni liberalis, non est obnoxium restitutioni, *ita Vrbanus III. cap. consuluit de vsuris.*

ARTICVLVS XLI.

An Beneficiarius factus per Simoniã realem commissam per tertiam personam incommodum ipsius eam ignorans, teneatur beneficium vna cum fructibus perceptis resignare?

1. R. Teneri à die notitiæ restituere, quia aliàs, vt possessor malæ fidei, *ita in extrauag. cùm detestabile de simonia.*

2. Imò tenetur fructus, qui extant, restituere, quia nõ habet validũ ius in beneficio sic possesso, *ita in L. certũ C. de rei vendit.* Sed non compellitur restituere fructus consumptos bona fide, quia *ita D. Tho. 2. 2. q 100. art. 6.* Verũ si ex fructibus consumptis fuerit locupletior factus, debet id restituere, in quo factus est ditior, detrahendo fructus industriales, & quæ in vtilitatem

Ecclesiæ. *ita D. Tho. 2. 2. q. 100. artic. 6.*

3. Verùm si inimicus Beneficiarij pecuniam dedit occultè per fraudem eo fine, vt collatio facta sit inualida, nõ tenetur beneficium resignare, neque fructus perceptos restituere, quia pœna non habet locum, vbi nõ est culpa. Sed benè si amicus, vel parentes, quia hoc est in pœnam illorum, qui illum simoniacè promouere voluerunt, *ita cap. de regularibus de simonia.* Aliàs sciens, & non resignans est excommunicatus in conscientia, *ita cap. nobis & cap. ex insinuatione, & cap. de simoniace,* licèt pœna non contrahatur, nisi post sentẽtiam Iudicis, vel per propriam simoniaci confessionem, vel per euidentiam facti. Et tenetur restituere non solùm fructus perceptos, sed etiã illos, quos absq; sua culpa periuntur, etiam casu, quo perijssent apud legitimum possessorem; quia possessor simoniacus retinẽs fructus ex eo perceptos est morosus, ideò etiã casus fortuitos, & absq; culpa, imputatur ei. Imò inhabilis remanet ad idẽ beneficium assequẽdum, vt ab Ecclesia Dei hoc enorme simoniæ facinus auferatur, *ita cap. nobis fuit de simonia.* Immò etiam quòd electus contradixerit, & proclamauerit, adhùc tenetur sic electus non acceptare, & si acceptauerit resignare, quia iniusta collatio, cùm simoniacè scit possidere, licèt in hoc non incurrat pœnam excommunicationis, quia non est causa simoniaci contractus; *ita cap. nobis fuit, & cap. sicut suis, de simonia. ita etiam D. Thom. loco supra citato.*

4. Nec prodest regula de triennali possessore, dum ingreditur in beneficium scienter per simoniam realem, valeret tamen ignorãti simoniam commissam, quia hic habet titulum coloratum.

ARTICVLVS XLII.

An obtinens beneficium post pactum de pretio soluendo, sed non soluto, illud in conscientia dimittere teneatur?

1. ℟. Non, quia licèt sit simonia, tamen non est completa, stylus curiæ non censet incurrisse; *ita cap. ex litteris de constit.*

2. Verùm si temporale recipit, & non dum beneficium cõtulit, tenetur restituere illud receptum, quia hæc reuocari iure debet cõuentio, ideo tenetur restituere illud in conscientia.

3. Et restitutio facienda est ei, qui rem dedit, quia causa nõ subsistente dominus non abdicauit à se illius rei dominium. Et non pauperibus, & Ecclesiæ; etiam quod, in cuius ignominiam, aut damnum cedit cõtra-

ctus

ctus simoniacus in materia beneficiali, quia pœna peculiaris pro Ecclesia, quando est simonia realis completa ex vtraque parte.

4. Tandem accipiens beneficium per simoniam realem ex vtraque parte consummatam, tenetur resignare in manibus Prælati, & non simoniaco, quia per simoniam inhabilis effectus est.

ARTICVLVS XLIII.

An quādo simonia est realis ex vtraque parte completa in materia Beneficiali, restitutio pretij, cui facienda est?

1. ℞. Ecclesiæ, quia passa est iniuria, vel pauperibus, *ita D.Th. 2.2.q.32. art.7. & q.180.art.6.ad 4.ita etiam cap.ex hoc de simonia.*

2. Verùm iure naturæ, & diuino simoniacus non obstringitur ad reddēdum pretium, quia vendit rem pretio extimabilem, sed peccat contra Religionem, quia non exhibet reuerentiam rebus sacris; non tamen contra iustitiam commutatiuam, quia beneficium affert secum cōmodum temporale, quo vendens se priuat. Sed iure Ecclesiastico per simoniam consummatam, pretium in conscientia restituēdū est Ecclesiæ post Iudicis sententiam, quia nemo expoliādus est re sua, nisi per Iudicis sentētiam. Ideò ante Iudicis sententiam restituendum est venditori beneficij, quia leges pœnales ante Iudicis sententiam neminem possessione spoliant.

ARTICVLVS XLIV.

An beneficium resignatum per simoniam Realem verè vacet, ita vt sic resignans sit ipso iure illius titulo priuatus?

1. ℞. Sic, quia resignatio facta in manibus legitimi Superioris, statim beneficium vacat.

2. Ideò beneficium sic renunciatum non acquiritur resignatio, quia per simoniam fit inhabilis ad illud obtinēdum. Sed nō tollitur titulus sine Iudicis authoritate, quia non est priuatus, sed priuandus, *ita cap. quòd in dubijs, & cap. admonet. de renuntiat.*

3. Imò etiam quòd beneficium non conferatur, semper vacat, nec est amplius ipsius resignantis.



AR-

ARTICVLVS XLV.

An pœna inhabilitatis per Pium V. apposita incurratur ipso iure?

1. ℞. Sic, quia actus simoniacus in beneficio aufert omne ius obtinenti, *ita in extrauag. cùm detestabile. de simonia; ita Gregorius XIII. de datis, & promissis.*

2. Inhabilitas est incapacitas, vel pœna priuatiua dignitatibus, beneficijs, officijs, administrationibus obtentis, & obtinendis in posterum. Et constitutiones istæ piè interpretandæ sunt, scilicet quòd nō omittant ipso facto officia sine aliqua declaratoria ipsius pœnæ, sed cum sententia declaratoria ipsius criminis.

3. Simoniacus non solùm est priuatus beneficio obtento, sed alio obtinendo, quia *ita Pius V. in sua Constit.* Sed talis pœna non ligat conscientiam ante sententiam. Sed fit inhabilis ante sententiam, vt ad aliud adipiscendum sine præuia dispensatione, quia Simoniacus potiùs est impedimentum ad acquirendum beneficium, quàm pœna, *ita cap. quòd in dubijs. & cap. admonet. de renuntiatione.*

4. Verùm existente facto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, potest dispensari ab Episcopo, quia Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* dat facultatem suis subditis, sicut gaudent omnes Generales, Prouinciales, & superiores locales mendicantium per priuilegium Pij V. vt etiam ab omnibus reseruatis cēsuris, & pœnis consurgentibus ex delictis occultis; & confessores etiam in foro conscientiæ. Sed non vi bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi, quia facultas in istis est ab omnibus censuris, sed non pœnis, & inhabilitas non est cēsura, sed pœna. Sed verissimum est secundum aliquos, nec Episcopi, nec Regularium Superiores possunt dispensare super irregularitatem ad beneficia simoniacè contractam, quia Sixtus V. abrogauit.

5. Nota quòd licet irregularitas sit pœna priuatiua, sicut cēsuræ, vt nulla indigeat sententia cōdemnante, aut crimen declarante, tamen vsu receptum est non incurri absq; iudicis sententia declarante crimine, quia ita Doctores declararunt Constitutionem Pij V. & motum propriū Gregorij XIII.

ARTICVLVS XLVI.

An beneficiarij fructus annuos, quos ex suis bebeficijs percipiunt, vltra triennium locare possint?

1. ℞. Non, quia extat Constit. Pauli II. & nouissime decretum Congregationis Concil. Trid. Quamuis antea fieri

fieri poterat præuia debita sollẽnitate; *ita cap. nulli. de rebus Eccles. non alien. & in Clemen. 1. eodem titulo 1.*

2. Verùm bonorum non fructificantium quolibet anno fieri potest locatio ad sexennium, & si tertio nõ fructificãt, ad nouẽnium, quia prohibitio est in fundis, & possessionibus, quæ quotannis coluntur, & fructus reddere solent. Aliàs locatio rerum fructificantium quolibet anno facta, vltra triennium non solũ est irrita ex parte, quæ triennium excedit, sed etiam ex parte, quæ triennium continet, quia ex vi contractus contrahentes non consenserunt, nisi in locatione plurium annorum. Tamen si ipsi contrahentes in locationem triennalem tacitè saltem cõsentirent, tunc ex parte valerẽt quia implicitè est duplex contractus. Fructus autem potest locare, & vendere vltra triennium, quia prohibitio est fundorum, & prædiorum Ecclesię, & non fructuũ ex beneficijs. Cùm hoc tamen nõ anticipatis solutionibus, quia esset præiudicium successorum, *ita Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. de reform.* Item vltra triennium vendere potest obuentiones, & oblationes Ecclesiasticas, vt panem in altarĩ oblatum, ceram, & alia similia eleemosinaliter data, & fructus decimarum, dummodò laicus præsumptuosè non accedat ad altare, vbi fiunt oblationes, quia hoc non est vendere ius percipiendi oblationes, sed fructus.

3. Item nec sunt validæ locationes vltra triẽnium cum clausula, vt tot sint locationes, quot triennia, vel finito vno triennio, aliud incipiatur, quia in fraudẽ legis hoc videtur esse inuentum. Item irrita si scriptura publica apponatur pactum, vt triennio locationis finito eidem locatario ad triennium intelligatur locata, quia proinde est, ac si locatio non fieret ad triẽniũ. Quãuis priuatim promitti potest, quia dum extat scriptura non censetur facta locatio vltra triennium. Neque ad incertum tempus cõductoris, aut locatoris, quia secundum moralem æstimationẽ hoc tempus censetur longum tempus. Si verò fiat ad tempus incertum, quod secundum hominum opinionem breue censetur, vt si ita fiat, donec nauis Venetijs descendens portum Syracusanum appulerit, non est locatio de iure prohibita.

4. Res Ecclesiasticæ, quæ alienari non possunt, non solùm res immobiles, sed etiam mobiles pretiosæ, quæ seruando seruari possunt, vt vasa aurea, argẽtea, gemmæ, casulæ pretiosæ, tapetes, & quæcumque triennio non corrumpuntur, & simul fructificant, vt ouium grex. Sed quæ vsu consumuntur, possunt, vt vinum, oleum, frumentum, pecu-

pecunia, nisi hæc præcepto superioris rei immobili comparādæ fuerint destinata.

5. Tandem si alienatio rerū Ecclesiæ fuit facta aliquibus de causis in iure concessis, scilicet, causa necessitatis, vt si Ecclesia ære alieno oppressa, & aliundè soluendo non sit, *ita conceditur* 10. *q* 2. *can. hoc ius.* Vel causa pietatis, scilicet ad redimendos captiuos, & pauperes alendos, *ita can. aurum.* 12. *p.* 1. Vel causa vtilitatis, vt res melius habeantur, *ita can. sine exceptione.* 12. *q.* 2. Vel causa incommoditatis, vt si res potius esset incommodum, quā commodum Ecclesiæ, dummodo non sit fraus, & interuenit cōsensus eorum, qui de iure gentium habent consentire, etiam sine sollemnitate, & formula iuris, scilicet inconsulto Pontifice, quæ in iure est præcipua, tunc emens rem Ecclesiasticam sic, non tenetur illam vnà cum fructibus restituere, quia in foro animæ sufficit contractum tenere secundum limites iuris naturalis, seu gentium, ad quod satis est consensus eorum, qui habēt consentire. Sed si in foro iudiciali talis contractus rescinderetur, ita quòd res Ecclesiasticas vnà cum fructibus Ecclesiæ restituere cogitur, tunc qui illam emit, potest repetere pretium datum, si in vtilitatem Ecclesiæ conuersum sit, & hoc habet verum, si ignoranter, & bona fide emit. Secùs si malæ fidei sciens, & prudens contraxit in foro iudiciali, pretium perdit, & nullū habet ad illud regressum, quia huic negatur actio ad petendum prætium, cum turpiter dedit. Verùm si emens mala fide rem Ecclesiæ sine sollemnitate iuris, si pretium sit conuersum in euidentem vtilitatem Ecclesiæ restituta re empta, potest emptor in foro conscientiæ, & priuatim rehabere pretium datum, quia sic non intendit à se abdicare pretij dati dominium, nisi emptione subsequuta, & subsistente. Sed per sentētiam iudicis in pœnam commissi criminis potest illa priuari, quia *ita quamplurimi Doctores censent*.



DIS.

DISQVISITIO XIX.

De Blasphemia.

ARTICVLVS I.

An Blasphemia opponatur virtuti Religionis?

1. R. Sic, quia Dei, & Sanctorum honorem diminuit.

2. Blasphemia est sacrilega execratio, & maledictio Dei, & sanctorum, quia scilicet affirmatur aliquid inesse Deo, quod illi non inest, vel non inesse, quod illi inest; aut nominatur id, quod Deo quidem conuenit, sed nominatur ac si turpiter, & fędè inesset. Ponitur ly Sanctorum, quatenus aliquando Deus in sanctis maledicitur.

3. Vnde ad rationē Blasphemiæ non requiritur peruersa voluntas derogandi diuinæ bonitati, & dignitati, sed satis est quòd locutio Blasphemiæ in actu exercito significet derogationē, & diminutionem diuinæ bonitatis, & gloriæ, quia multoties prouenit ex impacientia, ira, & animi passione.

4. Verùm de ratione Blasphemiæ non est externa locutio cōtra Deum, sed sola interna sufficit, quia potest quis concipere Deum esse quod non inest, aut quod non inesse quod est, & hæc dicitur Blasphemia cordis, & dū externè prorumpit, dicitur blasphemia oris; *ita D. Tho. 2.2.q.13. art. 1.*

5. Tandem Blasphemia cùm semper aliquid falsum cōtineat, licet non sit species infidelitatis, tamen est valdè annexa infidelitati, quia vterq; sentit de Deo falsum, & de Deo falsum etiam dicunt.

ARTICVLVS II.

An Blasphemia hæreticalis sit distincta ab infidelitate?

1. R. Sic, quia multoties dicunt ore Deum esse iniustum, & tamen corde aliter sentiunt.

2. Verū blasphemia potest inueniri cōiūcta cū infidelitate, & disiūcta, quia qui credit cōtra fidē, & non dicit blasphemiam, est hæreticus: si dicit, & non credit, est blasphemus, & sic blasphemia potest esse sine infidelitate.

3. Vnde blasphemia hæreticalis est, quæ per verbum aliquod indicatiui modi significat, & continet errorem contra fidē, vt dicere, Deus est iniustus, non est potens, renegare Deum, & similia,

milia. Secùs ex modo dicendi in actu exercito significat errorem contra fidem, non tamen secundum se affirmant aliquid contra fidẽ, vt dicere maledictus Deus, renego Diuum Petrum, & Sanctos, quia blasphemia hæreticalis ne dum opponitur Religioni, cuius est Deum, & sanctos venerari, sed etiam opponitur confessioni fidei; *ita D. Tho. 2. 2. q. 13. art. 2. ad 2.*

ARTICVLVS III.

An iurare per vitam Dei, & Sanctorum sit blasphemia?

1. ℞. Sic, quia tribuitur eis posse vitam amittere, sed non est hæreticalis, quia nihil falsum dicitur de Deo.

2. Similiter iurare per falsos Deos, est grauissima blasphemia, & idolatria, quia tribuit alijs, quod soli Deo conuenit. Secùs iocose, & per contemptum illorum, nec peccatum est.

3. Item iurare per creaturam sistendo in ea, est blasphemia, quia tribuit creaturæ quod Dei proprium est; *ita D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 6. ad 1.*

4. Item dicere, faciam hoc ad despectum Dei, quia derogat diuinam potentiam.

5. Item dicere, faciam hoc peccatum, nolit velit Deus, quia etiã diminuit potentiam diuinã.

6. Item dicere, reddes honorem, quem abstulisti, etiam si nolit Sanctus Franciscus, quia modò contemptibili despicit Sanctum, & Deum in illo.

7. Item dicere, nisi te percussero, abnego Deum; vel nisi verum sit, quod dico, abnego Deũ, quia quasi fides nostra non est firma, quæ pendet ex conditione, quæ potest euenire, & non euenire.

8. Item dicere, *Voto à Dios*, idest, reuoueo Deo, quia idem est quòd maledicere, execrari Deum. Sed si sensus est, *Voto à Dios*, idest se vouere Deo, non est blasphemia, sed iuramentum.

9. Item dicere, Sanctus Diabolus, quia cum Deus habeat diabolum inimicũ, tribuit Deo, quod habeat illum tanquam sibi amicum, & gratum.

10. Item dicere, Sic erat in futurum, sic erat in fatis, quia credit iuxta Gentiles fatum necessitare homines ad euẽtus ineuitabiles. Secùs necessitate conditionali à Deo ordinata.

11. Item dicere, hoc est ita verum, sicut est verum Christũ natum esse de Virgine Maria; vel esse verum tanquam Euangelium; vel sum innocens sicut Sancti Innocentes, quia tribueret veritati humanæ tanta infallibilitas, quanta est in diuina; secùs per ignorantiam.

12. Item dicere, nõ est Deus, nisi hic puniatur, vel abnegare Deum, quia falsum tribuit Deo, sci-

scilicet exigua permanentia esse diuini dependentis ex re tàm contingenti.

13. Tandẽ excæcatus ex passione in verba blasphemiæ prorumpit, non aduertens quid dicat, peccat, sed non est blasphemus, quia vehemens passio, & ignorantia excusat à culpa lethali. Si verò attendit ad verba, peccat mortaliter, quia tunc aduertenter verè blasphemat; *ita D. Tho. 2.2.q.13.art.2.ad 3.*

ARTICVLVS IV.

An sit blasphemia iurare per Dei membra, & Sanctorum?

1. ℞. Non, quia nil sanctis, & Deo tribuitur, quod verè non habent.

2. Verùm est blasphemia si iniuriosè, & per modum vituperij, quia in Christo, & sanctis nõ sunt; vt quid contemptu dignũ. Secùs cum indignatione, & ira, dicendo, ad corpus Dei, ad sanguinem Christi, & Sanctorum, sed tãtum peccat, quia licet irreuerenter, non tamen per modum cõtumeliæ. Sed si indignabundè, si indignatio, & ira sit aduersus Deum, erit blasphemia, quia in actu exercito falsè significat Deum mereri indignationem.

3. Sed iurare per Christi, & Sanctorum pudẽda, & ea inhonestè nominare, est blasphemia, quia quasi in illis esset aliquid vituperabile, & ignominiosum. Et maior erit blasphemia iurare per illa membra, quæ non habent, scilicet fœminarum, quia formaliter, & in actu signato falsum de Deo, & Sãctis diceretur.

ARTICVLVS V.

An maledictum prolatum in Sanctos, sit blasphemia?

1. ℞. Sic, quia nec maledictum, nec conuitium eis cõuenit, cũ in sanctos dicere redundet in Deum; *ita D. Tho. 2.2.q.15.art.1.ad 2.*

2. Verùm contumeliæ in sanctos, nõ vt sanctos, sed vt homines, non sunt blasphemiæ, sed peccatum contra cultum duliæ sanctis debitum, quia verba cõtumeliosa opponuntur virtuti, qua coluntur sancti, scilicet duliæ, cùm blasphemia opponatur virtuti Religionis.

3. Sed maledicere creaturis irrationabilibus, & rationabilibus, in quantum creaturæ Dei sunt, est blasphemia, quia est maledicere Creatori; *ita D. Tho. 2.2.q.76.art.3.* Ita etiã Diabolo, vt effectus Dei, quia cedit in iniuriam Dei. Secùs si ratione suæ culpæ maledicitur, quia suæ culpæ non fuit causa Deus; *ita D. Th. loco sup. cit.* Nec blasphemia est maledicere creaturis irrationabilibus sine vlla habitu-

dine ad Deũ, vel homines, quia vt sic, non sunt capaces maledictionis; *ita D. Tho. loco supra citato.*

4. Item maledicere rebus irrationabilib' in ordine ad creaturam rationalem, vel maledicere diei, vel loco natiuitatis suæ, licèt non sit blasphemia, est tamen peccatum mortale, quia sic est maledicere homini. Aliàs vt contentiua malorum humanorum propter culpam originalem, & miserias, quas nascendo contulit, quia tropologicè est maledicere malis ipsis.

5. Item maledicere creaturæ rationali non sanctæ, nõ est blasphemia, sed mortale, quia non repugnat Religioni, sed contra Charitatem.

6. Imò licet maledicere peccatoribus, vt puniãtur à Deo per Iudices, & similia, quia est imprecatio sub ratione boni.

7. Tandẽ maledictio duplex: Formalis, & Materialis. Formalis est imprecatio mali, vt malum est. Materialis verò sub ratione boni, iusti, & vtilis, vt Turcis, & Hęreticis eueniant mala, vt conuertantur ad Deum; *ita D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 8. ad 1.*


ARTICVLVS VI.

An blasphemia in Deum differat specie à blasphemia in sanctos?

1. R. Non, quia conueniũt in specie, quæ est tribuere Deo in se, & vt in sanctis singulari modo relucet.

2. Verùm in confessione explicanda est, quia grauiùs est contra Deum, quàm vt repræsentatur in sanctis. Etiam si contra Beatam Virginem, tamen est circumstantia aggrauans. Ac etiam explicare modũ blasphemiæ, si fortè est hęreticalis, quia licèt non differant specie, tamen differunt inter se ex grauitate, & qualitate earũ; & possunt aliundè differre specie, vt blasphemia differt specie à non hæreticali, quia illa est species infidelitatis, cũ sit prolata ex odio in Deum, ab alia prolata ex ira, & tædio aliquo.

3. Nota ꝙ non est eadẽ ratio de blasphemia prolata in sãctos, & de adoratione, qua cultu duliæ veneramur illos, qa blasphemia in sanctos redundat ex se in Deum, qui in ipsis relucet: & quia adoratio sanctorum respicit ex se tamquam obiectum propriam excellentiam sanctorum, & adoratio Dei habet tamquam obiectum excellentiam diuinam, ideò differunt specie adoratio duliæ, & latriæ: Vnde blasphemando sanctos præscindendo ad Deum habitudo, non est blasphemia, sed maledictio.



AR-

ARTICVLVS VII.

An assuetus blasphemare, si in aduertenter, & indeliberatè blasphemaret, peccet mortaliter blasphemando?

1. ℟. Non, quia non voluntariè nec in se, nec in causa blasphemat.

2. Verùm talis si aduerteret se blasphemare ex inaduertentia, & non desinit à blasphemia, peccat mortaliter, quia inaduertentia tunc excusaret à peccato, quando fit ignoranter. Ideò assuetus non tollens consuetudinem blasphemandi, etiam inaduertenter, peccat toties, quoties blasphemat, quia non remouēs malam inclinationem, conuincitur velle potiùs blasphemare, quàm extirpare cōsuetudinem, & sic actus blasphemiæ redit in naturam suæ formæ, & sunt voliti in sua causa, quatenus retractare non satagit, & negligit.

ARTICVLVS VIII.

An peccatum blasphemiæ sit grauius omnibus alijs peccatis?

1. ℟. Non, quia blasphemia licèt sit opposita confessioni fidei, quæ consistit in dicere, non tamen est opposita ipsi fidei; quæ consistit in assensu falso de Deo.

2. Verùm blasphemia est maximum peccatum mortale, quia repugnat charitati diuinę; *ita D. Tb. 2. 2. q. 13. art. 2.* Sed non est maius infidelitate, quia fides opposita infidelitati est virtus præstantior Religione, quæ opponitur blasphemiæ, cùm obiectū fidei sit Deus, Religionis verò sit cultus, qui Deo debetur; *ita D. Tho. 2. 2. q. 34. art. 2.* Neque est maius desperatione, quia desperatio opponitur virtuti Theologicæ, scilicet spei, quæ est præstantior Religione. Sed est grauius periurio, quia facimus Deū testem falsitatis: blasphemia verò tribuimus ipsi Deo falsitatē, quod est grauius; *ita D. Tho. 2. 2. q. 13. ad 2.* Item blasphemia est grauius homicidio, quia ex voluntate peruersa intendit nocumentum inferre Deo; *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Tandem infidelitas est maius peccatū omnibus alijs, quæ opponuntur virtutibus moralibus, non autem alijs, quæ opponuntur alijs virtutibus Theologicis, quia odium Dei, quod opponitur dilectioni eiusdem, est maius infidelitate, cùm optimo opponatur pessimum. At infidelitas est maximum peccatum, quia odio habet veritatem Dei, & ratione odij infidelitas est maximum peccatū, propter quod vnumquodq; tale, & illud magis: *ita D. Tho. loco supra citato art. 1.*

ARTICVLVS IX.

An qui vnico sermonis impetu blasphemat Beatam Virginem, & duodecim Apostolos, duo tantùm peccata committitur?

1. ℞. Sic, quia tota familia Apostolatus pro vna persona accipitur, & Beata Virgo pro alia.

2. Sed vno impetu maledicens Deo, & sanctis, vnum peccatũ blasphemiæ committit, licèt grauius, quàm si semel tantũm Deo, vel alicui ex sanctis malediceret, quia illa maledicta sunt partes vnius cõsumati sermonis, sicut vnico impetu pluries clericum percutit, semel tãtùm est excõmunicatus; *ita cap. cùm pro causa de sentent. excomm.*

3. Sed qui eodem impetu blasphemat Sanctum Petrum, et Sanctum Paulum, duo peccata committit, quia augetur numerus blasphemię pro numero eorum, quibus obijciuntur. Item quot iniuriosa verba, tot peccata, quia quot species iniuriæ; vt vno impetu feriẽs, blasphemãs, & hęresim asserens, tria peccata committit, ita tot iniurias, quot peccata, sicut habens peccatum mollitiei tot peccata committit, quot obiecta recogitat, cùm malum distinguatur ab obiecto.

DISQVISITIO XX.

De Cambijs.

ARTICVLVS I.

An campsoria ars sit licita, & honesta?

1. ℞. Sic, quia non solùm permittitur à Republica, sed etiam necessaria, & honesta ad alendam familiam ex industria; *ita D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4.*

2. Ars campsoria est negotiatio in commutatione numismatum. Cambiũ autẽ est actus huius artis. Cambiorum quattuor sunt species. Prima dicitur cambium ad minutum, seu manuale. Secunda siccum. Tertia per litteras. Quarta reale.

3. Item quattuor sunt genera rerum. Primum sunt intrinsecè bonæ, vt diligere Deum. Secundum

dum omninò, & intrinsecè malæ, vt mentiri. Tertium indifferentes. Quartum quæ habent speciem malam, sed honestantur ex circumstantia, vt occisio sicarij ex sententia Iudicis. Sic ars campsoria, quæ secundum se habet speciem mali, quia importat quoddam fomentũ cupiditatis, cui nullus est terminus, cùm exerceatur lucri gratia, tamen est permissum à Republica. *ita D.Tho. loco supra citato.*

ARTICVLVS II.

An in cambio minuto, & manuali liceat cõmutare pecuniam cum pecunia cum aliquo lucro?

1. R. Sic, quia ratione cõmoditatis pecunia est pretio æstimabilis.

2. Verùm valor pecuniæ in ordine ad vsum primarium cõsistit in indiuisibili, & sic non potest augeri, nec minui, nisi authoritate Principis, & Reipublicæ. Sed ad vsum secundariũ, & accidentarium potest maiori pretio cõmutari, & vendi, dummodo lucrum sit moderatum.

3. Duplex est valor pecuniç, vnus ratione materiæ, seu naturalis, vt pecunia auri aurum est, argentea argentum, & sic habet valorẽ auri, argẽti, & æris. Alter ratione formæ, & legalis, idest impressa sigillo Principis, & Reipublicç secundum valorem illi taxatum.

4. Vsus pecuniæ duplex. Alius per se, & formaliter, vt pecunia est, & signata publico sigillo. Alius verò per accidens, & materialiter, vt confecta ex auro, argento, ære, & sic tot vsus materialiter habere potest, quot vtilitates, *ita D.Tho. 2.2.q.77.art.2. ad 1.* Item vsus pecuniæ per se, & formaliter duplex. Quidam primarius, vt sit pretium rerum venalium, quia in hunc finem fuit inuenta. Quidam secundarius, idest commutare vnam pecuniam pro alia, non vt aurum, sed vt pecunia, & dicitur secundarius, quia oportuit necessitate vrgẽti commutare vnam pecuniam pro alia, & in hunc quoq; vsum illam conuertere.

5. Vnde pecunia ratione materiæ potest pluris vendi, vel cõmutari, quàm valeat iuxta legis præscriptum, quia pretium monetæ authoritate publica, non taxatur, nisi vt moneta formaliter, & primario, vt pretiũ rerum venalium, non autem ratione materiæ, & secundùm metalli naturã, & quo ad vsum per accidẽs. Ideò pecunia, vt pecunia, licèt nõ possit augeri, & minui, tamen quo ad vsum secundariũ potest commutari vltra legem præscriptam, quia lex respicit vsum primarium, & non secundarium, scilicet æstimationem auri, & argenti.

AR-

ARTICVLVS III.

An qui nō fungitur officio campsoris, possit tuta conscientia ex cambio minuto lucrum facere?

1. ℞. Sic, quia licèt non habeat officiū cambiendi, tamen fit in gratiam eius, qui permutationem petit.

2. Verùm talis nō potest exigere tantum, quantum illi, qui ex officio, & authoritate Principis faciunt, quia aliàs talis ex pluribus titulis lucrum faceret. Sed si officium campsoris prohibeatur per legem positiuam, contra faciendo non peccat lethaliter, quia nulli infertur grauis iniuria, neque Reipublicæ prohibenti, cùm nihil damni sit illi illatum. Neq; tenetur in conscientia restituere lucrum acceptum, quia tantùm lucrum iustum arbitrio peritorū accipit.

ARTICVLVS IV.

An in cambio per litteras, tuta conscientia, possit aliquid lucrari?

1. ℞. Sic, quia campsor transmittendo pecuniam de vno loco ad alium est pretio æstimabilis ratione periculi, & obsequij facta indigenti, meretur aliquod lucrum.

2. Lucrum in cābijs per tres regulas mensuratur, scilicet, per legem, vbi lucrum cambiorum taxauit, aut per cōsuetudinem, aut arbitrio boni viri, & hoc lucrum datur in cambio minuto. In cambio per litteras debetur lucrum per vtilitatem transportationis de vno loco ad alium. In cābio reali debetur lucrum propter labores, expensas, & pericula.

ARTICVLVS V.

An in cambio reali possit tuta conscientia ex tali cambio aliquid lucrari?

1. ℞. Sic, quia obsequium translationis pecuniæ est pretio æstimabile.

2. Et tale cambium non habet rationem mutui, quia restituitur in alio loco, quod est cōtra rationem mutui. Ideò potest percipere aliquod lucrum, quia sine periculo, & labore habet pecuniam vbi eam permutat, & secundùm maiorem distantiam compensationem petere potest ratione huius virtualis translationis, & vtilitatis illius.

ARTICVLVS VI.

An cambium fictitium, & siccum sit vsurarium?

1. ℞. Sic, quia tāquam iniustū damnatū fuit à Pio V. in sua constitut.

2. Cam-

2. Cambiũ ſiccum eſt quod caret iuſto titulo ad pariendum lucrum,ſed fictè dum litteræ nõ mittuntur, & ſi mittuntur, fictè ſunt, & tantùm ratione tẽporis, & non loci expectantur, & ſoluitur pretium cum lucro cambij, nomine cambij palliatum.

3. Verùm ſi campſarius indigenti mutuet, & ea de cauſa verum lucrũ illi ceſſet, & facit ſiccum cambium, ſcilicet vt ſoluat fictè alibi, aliàs ſoluat omnia lucra, poteſt excuſari, quia ſicut in alijs contractibus poteſt haberi ratio lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ita etiam in cõtractu cambij.

4. Sed nõ cãbiũ ſiccũ eſt, ſi ibi licet actu non habeat pecuniã, tamen poteſtate habere poſſit, ſcilicet amicum, qui eam dabit mutuò, vel ad cambium, quia ſufficit ad veram rationẽ cambij, quòd habeat, vel habere poſſit, vbi ſoluturus eſſet.

ARTICVLVS VII.

An campſor poſſit paciſci cum cãpſario de aliquo certo lucro recipiendo, ſi vltra terminum non ſoluerit pecuniam, vbi eſſe ſoluendam?

1. ℞. Sic, quia in his, quæ cedunt in vtilitatem aliorum, ſe ipſum ſeruare poteſt indemnem, & paciſci talem indemnitatem.

2. Et hoc bona fide credens illũ habere pecuniã, & creditũ in loco ſolutionis, aliàs ſi campſor dubitatur, & ſuſpicetur ibi non habere pecuniam, neque creditum, eſt cambium ſiccum, & vſurarium, quia dum ſuſpicatur probabiliter litteras campſarij futuras litteras inutiles, eo ipſo cambiũ eſt dãnatũ à Pio V.

3. Similiter non eſt licitum in principio contractus cambij conuenire cum campſario de aliquo certo lucro perſoluẽdo, litteris non ſolutis, vbi facienda eſt pecuniarum ſolutio, ratione futuri damni emergentis, & lucri ceſſantis, quia expreſsè eſt in cõſtitutione Pij V. prohibitum, cùm nemo debeat eſſe iudex in propria cauſa, ſed arbitrio prudentum.

4. Verùm poteſt in cõtractu cambij petere à campſario fidei iuſſores, vel pignora, quia iure naturæ fas eſt vnicuique ſe ipſum ſeruare indemnem. Secùs ſi cambium eſt ſecurum, quia eſt cõtra iuſtitiam exigere duas obligationes, cùm vna ſit per ſe ſufficiens.

5. Poſſet etiam aliquando aliquid exigere à mutatorio vltra ſortẽ, non ratione mutui, ſed ratione periculi, quod ſubijt, cum per mare, loca latronũ, & hoſtiũ eas tranſlaturus, vel ratione periculi, idest inopiæ, fraudulẽtiæ, vel malæ fidei debitoris, quia hoc periculum ſecundùm ſe eſt pretio æſtimabile tranſlaturus.

ARTICVLVS VIII.

An cambium sit licitũ, in quo cãpsor dans pecuniam, exhibet campsario suum factorem, qui in eo loco existens, scilicet Syracusis vbi faciẽda est pecuniarum solutio, soluit pro campsario, qui Messanæ à campsore pecunias acceperit?

1. ℟. Sic, quia nulla fit iniuria, nec iniustitia campsori.

2. Verùm nummularius nõ potest cogere campsarium, vt suo respondenti traijciat debitum, qui pro eo ibi soluat, quia iniustum est, & nemo præter naturam contractus cambij potest cogi, cùm sufficiat, vbi soluãtur, vbi soluẽdæ sint pecuniæ.

3. Similiter si is, qui petit à campsore in vim cambij centũ aureos, non possit habere aliũ, qui ipsius nomine satisfaciat in loco condicto, si spontè petat à campsore sibi aliquem respondentem dari, licitum est cambiũ, si campsor exhibet ei suum factorem existentem in loco conuẽto, si ex sua pecunia, vel aliena, & non ex ipsius campsoris pecunia ibi pro campsario soluat, quia licèt in dicto loco campsarius non habeat pecuniam, habet tamen potestatẽ, & in credito apud amicum, aut respondentem campsoris, qui suo nomine soluit cãpsori.

4. Sed est illicitum cambium quando procurator nummularij datus in respondentem campsario soluit ex pecunijs ipsius nũmularij. Imò suspectum vsuræ, & est mutuum cum lucro, quia tunc dicitur propriè cambire vnam pro alia, quando cambit suam pro aliena pecunia.

5. Tandem potest campsor dans pecuniam Messanæ soluẽdam Syracusis tanquam factorẽ campsario, à quo simul fiat Syracusis solutio cambij, & receptio illius solutionis, & eiusdem solutionis Syracusas fit remissio sub diuersis titulis, & repræsentãte diuersas personas, & ex hoc duplici cambio, duplex lucrum accipere, quia re vera Messana, vbi recipitur pecunia in vim cãbij, litteræ mittuntur Syracusas, & hic virtute primi cambij fit solutio proprijs pecunijs respondentis, & Syracusis scribens alias litteras secundi cambij Messanam ad eundem campsarium sibi debitorem, vt soluat, non virtute primi cambij, sed secundi, & sic potest idem minister agere duplicem personam, scilicet campsoris, & campsarij.

ARTICVLVS IX.

An sit licitum cambium cum recambio?

1. ℟. Non, quia omnis cõtractus liberũ vtriusque

que contrahentis exigit consensum, & si consentit cohactè necessitate compulsus consentit.

2. Neq; campsor potest conuenire tempore cōtractus cambij cum campsario, vt litteris cāpsarij non solutis in loco conuēto remittantur illæ cum recambio, & nouo interesse in alium locum, vel eundem, à quo fuerunt missæ, ibique soluēdæ, quia campsor debet incertæ, & variæ illorum fortunæ esse expositus, quod modò non est, dum pascitur de certo lucro, ideò tanquā vsurarius puniendus, *ita Pius V. in decretali suo de cambijs*.

3. Neque permittitur cambiū, quod vocant (*con la ricorsa*) idest non solùm campsarius tenetur restituere pecuniam cum interesse, sed etiam reddituum, & reductionem illius pecuniæ in eundem locum, quia hæc reductio pecuniæ est pretio æstimabiiis, cùm fit cum magna expensione, cùm cambium sit solū commutatio pecunię de vno loco ad alium, & facta restitutione absolutus manet à cambio.

4. Tandem non est idem cābium duplex, & cambium cum recambio, quia facta solutione primi cambij distincti à primo recipit pecunias. At in cambio cum recambio, fit authoritate propria campsoris cum cōsensu cohacto campsarij. Sed talis tantùm potest petere arbitrio boni viri interesse lucri cessantis, quia iure naturæ vnicuique licet in contractibus, quos exercet se ipsum seruare indemnem.

ARTICVLVS X.

An liceat alteri cambiendum recipere mercedem cambij ab altero, quando vterque ex eo cambio reportat æquale commodum, & onus?

1. ℞. Non, quia idem obsequium ex vtraque parte præstant.

2. Verùm potest aliquis aliquod lucrum exigere, quando alter alterum præuenit in postulando pecuniam, & qui præuenitur non exprimit se indigere tali commutatione, quia rogans viliorem reddit pecuniam suam, sicut merces vltranea vilescit, quamuis per accidens sit sibi vtile, & hoc est iuxta communem vsum fori.

ARTICVLVS XI.

An campsor dans pecuniam bona fide ad cābium, si inuenerit cāpsariū nō habere pecuniā actu, vel potestate, vel correspondentem in eo loco possit illud lucrum exigere, quod percepisset, si ibi soluisset?

1. ℞. Non, quia se habet, vt cambium siccum, cùm recipere aliquid supra sortem ex cambio sicco est vsura.

2. Et talis campsor non pec-

cauit si à principio contractus probabiliter credit habere pecuniam, vel creditum in loco, ad quem fit cambium, quia bona fides, cum qua à principio contraxit, liberat eũ à peccato, quã diù in illa permanet.

3. Vnde recipiens bona fide aliquod lucrum ex vsura, cessante bona fide contractus iniusti tenetur quidquid per illũ lucratus est restituere, tãquam is, qui tunc cognouit se habere alienũ, quia capiens bona fide indebitum, tenetur restituere simul ac sciuerit fuisse indebitum.

4. Verùm talis in tali casu potest sibi retinere lucrum damni emergẽtis, & lucri cessantis, quia tunc fuit in causa, vt lucrum illud, quod re vera campsor accepisset, illi cessauerit. Dummodo tale interesse sit verum, & damnum emergens, & lucrum cessans est actu, & reuera sequutũ, & non positum in principio pacti contractus cambij. Aliàs si nullum damnum patitur campsor, nullum lucrum ex tali cambio potest exigere, quia est cambium fictum, & siccum, & prohibitum à Pio V. *in loco supra citato*.

ARTICVLVS XII.

An cambia, quæ fiunt de nundinis in nundinas, scilicet de feria in feriam sint licita?

1. ℞. Sic, quia præstat obsequium campsario transferendo illius pecuniam in locum, vbi ea indiget, quod est pretio æstimabile.

2. Cambium ad nundinas est dare pecuniam in vno loco, vt soluantur in alio, in quo nundinæ celebrantur. Quater enim in anno singulis trimestribus nundinæ celebrantur certis in locis ab ipsis designatis, in quæ commodè, & opportunè conueniũt cum suis debitis, & creditis, ibiq; fiunt pecuniarum solutiones, & traditiones. Primæ dicuntur nũdinæ apparitionis, idest festum apparitionis Domini. Secundæ dicuntur Paschatis mense Maij, idest festus Pentecostes. Tertiæ dicũtur Augusti, idest in eo mẽse fiunt. Quartæ, omnium Sanctorum, idest quod eius diem inchoare solent. Et sic dantur à campsoribus pecuniæ in vno loco in vim cambij, & soluuntur in alio loco ad primas, vel secũdas nundinas, vbi nullæ nundinæ celebrantur, sed fingunt, & ad solutionem præfingunt ea tẽpora, in quibus nundinæ peragi consueuerunt, & sic ad primos, vel secundos, vel tertios terminos, in quibus nundinæ celebrantur.

3. Vnde cambia, quæ fiunt à nundinis in nundinas sequentes in eodem loco cum aliquo interesse, & lucro, iniqua sunt, & vsuraria, quia cambium debet

fieri

fieri inter pecunias in diuersis locis existentes, & re vera litteræ campsoriæ mittantur, & solutio fiat in alio loco: aliàs etiam est mutuare cum vsura.

4. Sed si fiunt in diuersis locis, & litteræ mittuntur, etiam quod ibi nundinæ non fiant, sed secundùm æqualitatem valoris pecuniarum sunt licita cambia cum aliquo lucro, quia verè est cambium, dum in diuersis locis ad paria, & ad æqualitatem titulo valoris pecuniarum, & non ratione temporis, sed asportationis, pecuniarum, quæ est obsequium quoddam præstitum à campsore campsario pretio æstimabile.

ARTICVLVS XIII.

An ratione diuersæ æstimationis pecuniarum pretium cambiorum possit licitè augeri, vel minui?

1. R. Sic ratione diuersæ æstimationis legalis, quia in omni contractu seruanda est æqualitas in ratione dati, & accepti.

2. Verùm non licet commutare pecuniam in vno loco, vt similis, & eadem reddatur in alio loco, vbi pluris æstimatur æstimatione legali, quia aliàs tunc campsor plus reciperet, quàm dedit. Sepofito tamen lucro traiectionis, & carentiæ suæ pecuniæ præsentis, quia ratione huius obsequij licitum est campsorio aliquod lucrum ex hoc cambio accipere.

3. At ratione maioris, vel minoris æstimationis extrinsecæ, & accidentalis pecuniarum potest iustè pretium cambiorum augeri, vel minui, quia sicut merces ratione paucitatis, & necessitatis, & ratione multitudinis emptorũ, & raritatis vẽditorum, pluris valent, & emi debent, quàm aliàs emerentur.

4. Vnde dari potest casus ꝙ campsor tribus titulis, & causis lucretur. Primò, traiectionis virtualis pecuniæ cãpsarij in hunc locum, vbi dat suam, & obsequium præstat. Secundò, hic tribuit suam maioris estimationis accidentaliter, quam habet, vbi est soluenda. Tertiò, hic sit maioris æstimationis legalis, & intrinsecæ, quam in loco solutionis, & sic non videtur seruari æqualitas in ratione dati, & accepti.

5. Tandem potest mutuare frumentum, & oleum cum hoc, vt tali tempore determinato reddatur idem, vel simile, quia in illo tempore mutato illius pretio, non mutatur frumentum. Sed sciẽs probabiliter tempore, quo frumentũ restituendum est plus valiturum, & vt antè solueret, vsurarium est. Secùs dubium, & libere mutuario relinquatur, vt soluat, & restituat, ac si illud tẽpus

pus velit, quia aliàs patet esse vsuram manifestam.

ARTICVLVS XIV.

An cambiatores possint constituere pretium, & valorem præfinire pecunijs, quæ ab ipsis traduntur in cambium?

1. ℞. Sic, quia iustum, & licitum pretium in quacunque negotiatione illud censetur, quòd periti illius bona fide omnibus exploratis imponunt. Et in hoc conueniunt, & faciunt cōgregationem in loco consulatus mercatorum nō solùm campsores creditores, sed etiam debitores, quorum interest pretia esse minora, & hac mutua cōcertatione, qua singuli suis cōmodis prospiciunt, sumitur medium pretium ad singula loca, in quibus, & ad quæ fiunt cambia, omnibus accommodatum, & talis conuentio censetur in eos esse communis vsus fori, & habetur tamquam lex. Similiter in hac cōgregatione taxatur pretium cambiorum in nundinis proximè futuris secundùm qualitatem, & dispositionem temporis, loci, & pecuniarum.



ARTICVLVS XV.

An sit iustum cambium accipere lucrum cambij nundinarum loco non consueto?

1. ℞. Non, quia debet habere rationem longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus faciēda est solutio à loco consueto nundinarū, aliàs cambium vsuratium; *ita Pius V. in constitut. de cambijs.*

2. Ideò expedit, vt omnibus benè, & perfectè perspectis, & cōsideratis à peritis qualificetur cambium, scilicet æstimatio pecuniarū in vtroq; loco, tēpus solutionis, distantia loci, & similia.

3. Sed si æqua locorum distantia, & tamen æstimatio pecuniæ in loco solutionis esset maior, siue minor, & non æqualis cum loco nundinarum, est cambium illicitum, quia nummularius præter cōsuetum lucrum, recipit etiam maius incrementum pecuniæ.

ARTICVLVS XVI.

An sit licitū cambium, cuius pretium relinquitur in incertum, scilicet, vt illius cambij solutio fiat iuxta pretium cambiorum nundinarum proximè sequentium?

1. ℞. Sic, quia quādo vterq; contrahentiū æquali subia-

subiacet fortunæ, nulla potest interuenire iniustitia ex parte alterius.

2. Verùm non est licitum cambium quando dubitatur de æstimatione pecuniarum post duos, vel tres menses in futuris nundinis, si dum pecuniæ traduntur, cōstituatur in fauorem campsoris aliquod certum pretium medium, quod plus, vel minus creditur pecunias in futuris nūdinis valituras esse, qa in hoc cōtractu nō seruatur ęqualitas ex parte vtriusq; contrahētis, cùm campsor semper sit in tuto aliquid lucrādi, & campsarius priuetur ea sorte.

ARTICVLVS XVII.

An sit iustum, & licitum cambium, quod interpositis primis nundinis, fiat in alias sequentes, si in eo pretium augeatur?

1. R. Non, quia ratione solius moræ temporis aliquid plus exigere in cambio, usurarium est; *ita D. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2.*

2. Verùm si à tempore celebrationis cambij spatio tantùm octo, vel quindecim dierum instarent nundinæ celebraudæ in loco solutionis, & cambium est factum, vt solueretur interstitio trium mensium ad primas nundinas, non diceretur tunc celebratum ad intercallatas, vel mediatas nundinas, quia illæ nundinę dicuntur immediatę, & primæ, in quibus primò commodè potest fieri solutio cambij. Sed sequētes nundinæ dicuntur veræ primæ, & immediatæ nundinæ talis solutionis.

3. Vnde potest campsor dare suam pecuniam ad cābium ad secundas, vel tertias nundinas, eodem tamē pretio, quo dedisset ad primas, & immediatas, quia hoc cedit in fauorē campsarij. Sed peccaret si ratione veri interesse, & veri lucri cessantis plus exigeret, quando ad secundas nundinas cōcederent cambij solutionem, quia est contra iustitiam legalem, & dispositionem iustam Pij V.

4. Sed si campsor exigeret aliquid plus ratione veri lucri cessantis taxari arbitrio boni viri, & ante iudicis sententiam non tenetur restituere, quia nihil contra iustitiam commutatiuam, cuius violatio obligationem inducit restituendi, sed solùm seipsum seruaret indemnem. Maximè si campsarius fuit rogatus, vt expectaret ad secundas nundinas, qui habebat alia cambia, sibi lucrum exigeret, tunc absolutè, & secluso omni iure humano positiuo potest pretium cambij augere, non quidem ratione prolationis tēporis, sed ratione veri lucri cessantis arbitrio boni viri taxandi, quia licet peccet contra legem,

legem, & cōstitutionem Pij V. non tamen peccat contra iustitiam commutatiuam.

ARTICVLVS XVIII.

An campsor plus lucri possit exigere ex cambio, quod ad primas, & proximas nundinas fit, quo magis tempore distant prima nundina?

1. ℞. Non, quia vsurarium est augere pretium propter dilatam solutionem, & semper est ibi peccatum, idest iniustitia, vel vsura; *ita D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2.*

2. Cambiorũ solutiones tribus modis constituuntur. Prima est, & dicitur ad visas litteras. Secunda ad terminum, & ad tempus præfixum à contrahentibus. Tertia ad futuras proximas nundinas, scilicet nomine nundinarũ non intelligitur mēsis vel tempus, in quo celebrantur veræ nundinæ, idest variæ mercium emptiones in aliquo emptorio, vel feria, sed tempus solutionum, & receptionum pecuniarum in vim cambij datarum.

3. Ex hoc licitum est maius lucrum in cambijs ratione maioris distantiæ loci, quia transferre pecunias de loco ad locũ secundùm distãtiam pro huiusmodi obsequio aliquam compensationem condignam distãtiæ loci recipere potest, sicut Agasoni licitè maius pretium recipiunt ratione maioris distãtiæ loci; *ita Pius V. loco supra citato.* Secus ratione tēporis, quia tempus non est nostrum, sed Dei; *ita D. Tho. loco supra citato.*

ARTICVLVS XIX.

An sit iustum cambium factum, scilicet Messanæ, Syracusas sub vno pretio, & Syracusis Messanam sub alio diuerso?

1. ℞. Sic, quia licet sit eiusdem distantiæ, tamē ob varias causas, idest cariùs propter maiorem æstimationē, quam habent pecunię Messanę, quam Syracusis: & Messanæ pauci campsores, & multi campsarij, & è contra Syracusis pecuniæ minus necessariæ.

ARTICVLVS XX.

An banchcarius possit accipere stipendium ab eo solùm, qui pecuniam deposuit, an verò ab eo, cui soluerit?

1. ℞. Tantùm ab eo, cuius pecunia numeratur, quia isti in vtilitatem campsorum, & mercatorum suas operas impendunt.

2. Triplex est genus negotiatorum. Primi dicuntur mercatores celebres, quorum officium est emere merces in vno Regno, vbi est abundantia, & ven-

vendere easdem in alio, vbi est inopia. Secundi sunt campsores, qui negotiantur in mera pecunia permutantes eas, quas habent in vno loco pro eadem reddenda in alio. Tertij sunt Depositarij, mensarij, idest *Bancheri*, quorum officium est habere in deposito pecunias mercatorum, & campsorum, & rationem dati, & accepti in suis libris, & sunt fideiussores ipsorum. Isti olim erant distincti à mercatoribus, & campsoribus, & accipiebant ab istis stipendium, scilicet quinque vel sex ex mille aureis numeratis, soluentes litteras, & debita ab illis ipsis mandata, & scribentes diligenter, & fideliter in suis libris omnia computa, & rationes dati, & accepti. Modò ipsi campsores exercent munus illorum accipientes à creditoribus quinque, vel sex pro milliario. Et huiusmodi possunt aliquod stipendium accipere, quia propter obsequium præstitũ hæc opera sunt iusta mercede, & stipendio digna.

3. Vnde campsor exercens munus mensarij, idest *Bancheri* non potest vltra iustum lucrum cambij aliquod nouum lucrum à campsario accipere, quia pecunia præsens se habet in cãbijs, vt pretium, pecunia verò absens, vt merces; ideò non potest peti aliquid pro hoc labore.

4. Tamen probabile est bancharijs posse recipere aliquam prouisionem tàm à campsore, quàm à campsario ratione laboris, quia sunt illorum veluti depositarij, & fideiussores soluentes debita, & recipientes credita in commodum, & vtilitatem amborum. Et hoc mihi videtur deberi bancharijs solùm tale officium exercentibus, & non bancharijs, & campsoribus simul, quia iam suum lucrum debitum ex cambio consummato receperunt.

ARTICVLVS XXI.

An bancharius obligatus soluere venditori, vel campsario pretium rei venditæ, in chirographis, & syngraphis persoluit eis credita in pecunia numerata, possit ab illis aliquod lucrum exigere?

1. R. Non, quia iam in fine nundinarum tenetur soluere in pecunia numerata.

2. Bancharij, seu nummularij duobus modis recipiũt apud se pecunias à mercatoribus, & à campsoribus: vel in pecunia numerata aurea, argentea, siue alterius rationis: vel in chirographis, & syngraphis, quibus pollicentur soluere nomine eorum ipsis, vel remittentes illas per syngraphas ad alios mẽsarios. Et licèt bancharij ante

tempus nundinarum solent soluere creditoribus per chirographa, & non in pecunia numerata, tamen in fine nundinarum tenentur necessariò soluere debita, & litteras remissas in integrũ in pecunia numerata, quod si creditor velit sui debiti solutionem statim ante tẽpus nundinarum recipere, cõsueuerunt bancharij illius anticipatæ solutionis in numerata, aliquod ab eo recipere lucrum, quod modò prohibetur, quia pecunia numerata non plus valet per se, & absolutè, quàm credita per chirographa, cum pecunia secundùm se non sit lucratiua, nisi exponatur periculo negotiationis. Similiter pecunia in chirographis, & in numerata etiam per accidens sunt æquales, cùm nulli subiaceat periculo, quia banchatius in fine nundinarum tenetur in integrum illas soluere in numerata, & cùm habeant æqualem æstimationem nõ potest ratione anticipatæ solutionis aliquod lucrum accipere.

DISQVISITIO XXI.

De Carne.

ARTICVLVS I.

An carnibus humanis interfectis vesci in extrema necessitate cibi, sit licitum?

1. R. Sic, quia non est nocumentum proximi, & necessitas inhumanitatem operit, & hoc per accidens.

2. Verùm si alij cibi suppetunt, inhumanum est, & peccatum lethale, quia sepulturæ iura, quæ humanis cadaueribus debetur, fœdissimè violantur. Sed pro medicamento potest, vt momiam, quia non potest re vera carnis humanæ esus appellari, sed medicamentum. Tamen non licet ad euitandum mortis periculum vti, quando ad sustentationem vitæ alius cibus non suppetit, hominem occidere, quia homo non potest occidi, vt sit nutrimentum nostrum. *ita D. Thom. 2. 2. q. 142. art. 4. ad 3.*

ARTICVLVS II.

An carnium esus fuerit licitus, & in vsu ante dilluuium?

1. R.

1. R. Sic, quia non erat lex phibēs hoc; & distinctio animalium mundorum, & immundorum fuit post legem scriptam quantùm ad sacrificiorum oblationem; *ita D. Tho. 1. 2. q. 103. art. 1. ad 4. & 2. 2, q. 64. art. 1.*

2. Imò de facto ante dilluuium fuit esus carnium, & ex nimia illarum comestione fuerunt homines ita corrupti, & valdè luxuriosi, propterea venit dilluuium super terram.

3. In statu verò innocentiæ probabile est nõ vesci carnibus, quia nulla erat necessitas, eo quòd fructus terræ erant optimi, & maximè delectabiles ad vescendum. Et probabile est etiam quod si homines perseuerarent in tali statu, aliquoties carnes comederent, licèt non necessariò ad vitæ sustentationem, sed vt maximè laudaretur creator in operibus suis.

4. Nota quòd licèt esu ligni vitæ homines in statu innocentiæ valerent incolumes seruari, vt possent non mori; *ita D. Tho. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* Tamen habuissent corpora passibilia, quia licèt persenerantes in illo statu non essent morituri, non tamen gloriosa, donec fierent beati, quod est donum illorum. Prouidentia verò diuina sic eos fuisset tuita, vt nihil eis occurreret, à quo læderentur, *ita D. Tho. loco citato.*

DISQVISITIO XXII.

De Censuris.

ARTICVLVS I.

Quid sit Censura?

1. R. Quòd cẽsura est poena spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem.

2. Probatur explicãdo eam. Dicitur poena spiritualis, quia est poena animæ. Dicitur inflicta ab Ecclesiastica potestate, quia est potestas Ecclesiastica in foro exteriori. Dicitur priuãs hominem, quia baptizatus, & non infidelis est subditus Ecclesiæ. Dicitur aliquorum, quia non omnibus bonis spiritualibus, sed aliquibus non enim priuat fide, spe, & charitate cum

quibus stat censura. Dicitur spiritualium, quia vsu rerum corporalium, scilicet communione hominum priuat tantùm secundariò per ordinem ad spiritualia. Dicitur per ordinem ad salutem, quia Ecclesia per censuras non intendit animæ perniciem, sed resipiscentiam à contumacia.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit Censura?

1. ℟. Triplex, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, quia *ita enumerantur ab Innocentio III. in cap. quærenti de verb. signif.*

2. Vnde cessatio à diuinis nō est censura, quia censura ligat tantùm subiectum censuratum, cùm sit simplex prohibitio, qua ministris Ecclesiæ prohibetur persoluere diuina officia, ministrare sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro.

3. Neque depositio est censura; quia est priuatio exequutionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter absq; spe restitutionis, retento tamen priuilegio clericali, scilicet canonis, & fori: at censura fertur per emendationem Rei, & delinquentis.

4. Neque degradatio, quæ est duplex. Alia verbalis, quæ idē est, q̄ depositio. Alia actualis, seu realis, quæ est pœna Ecclesiastica, qua vir Ecclesiasticus priuatur omni exequutione ordinis, & beneficij administratione, & omni priuilegio clericali absq; spe restitutionis cū quadam sollemnitate, quæ neque est censura, quia censura est vinculum dissolubile, & illa indissolubilis.

5. Tandem irregularitas neque est censura, quia est impedimentum canonicum, & inductum à iure canonico directè impediens acceptionem ordinū Ecclesiasticorum, aut vsum eorum, quatenus sunt ordines, etiā post pœnitentiam, & hæc non est instituta principaliter ad corrigendos fideles, sicut censura.

ARTICVLVS III.

An censura diuidatur in censuram, quæ est ab homine, & in censuram quæ est à iure?

1. ℟. Sic, quia licèt ambo æquiparent quo ad absolutionem, tamen censura ab homine durat quamdiu viuit, vel manet in officio ille, qui tulit illā; *ita in cap. à nobis.* Sed censura à iure, siue statuto, siue canone durat in perpetuum.

2. Ideò censura lata à iure est illa, quæ vniuersaliter applicatur à conditore canonis, & durat quousque fuerit reuocata, etiam quòd conditor canonis

nonis deperdat iurisdictionem per cessum, vel decessum. Censura verò ab homine, siue generalis, siue specialis durat quousque perseuerat hominis iurisdictio, & vtraque semel incursa durat in perpetuum, nisi relaxetur.

3. Rursus censuræ aliæ sunt latæ, aliæ ferendæ sententiæ. Censura latæ sententiæ dicitur illa, quæ ipso facto incurritur absq; alia sententia iudicis. Ferendæ verò dicitur illa, quæ est comminatoria, & non incurritur ante iudicis sententiam.

4. Vnde his regulis cognosci possunt quando censuræ sunt latæ, vel ferendæ sententiæ. Prima, quando in forma iuris, & etiam hominis apponantur particulæ, scilicet ipso iure, ipso facto, eo ipso, mox, illicò, continuò, ex tunc, protinus, & similia. Est censura latæ sententiæ, quia eo ipso l gantur.

Secunda, quando in censura ponitur verbum præsentis, vel præteriti, vel indicatiui temporis, est latæ sententiæ, quia eo ipso quòd transgreditur, imponitur vinculum censuræ.

Tertia, si per verbũ futurum præsentis, vel optatiui temporis, opponatur clausula ipso facto, & ipso iure, &c. est censura latæ sententiæ, quia eo ipso quòd præceptum transgreditur, vinculum censuræ est iniectum.

Quarta, si sint futuri temporis, & non apponantur supradictæ clausulæ, tunc est censura ferendæ sententiæ, quia tunc ad ferendam censuram requiritur actio iudicis.

Quinta, si verba sunt imperatiuo modo, est latæ sententiæ, quia huiusmodi imperiũ significat eo ipso, quòd transgreditur, incurrere.

Sexta, quando in forma est *sub pœna censuræ*, est ferendæ sententiæ, quia pœna præscindens à lata, & ferenda sententia capitur in mitiori scilicet ferenda.

Septima, si per verbum futurum tantùm absque clausula est ferendę, quia futurum suspendit applicationem de pręsenti tempore transgressionis. Item si per verbum similitudinis, *vt*, est ferendæ, quia similitudo excommunicationis nõ est excommunicatio.

Octaua, quando præcipitur sub indignatione Dei, & Sanctorum, non incurritur in aliqua censura, quia sicut benedictio Papæ non est absolutio à censura, neque maledictio, & indignatio est censura, sed mortaliter peccat, qui contrafacit.



AR-

ARTICVLVS IV.

An censura sub his verbis, scilicet, qui hoc fecerit, vel illud, sit Anathema, sit censura latæ, vel ferendæ sententiæ?

1. ℞. Esse censurã latæ sententiæ, quia ly, *sit*, nisi ex alijs circumstantijs appareat verbum significare futurum, semper præceptũ imperat, cùm frequens sit forma in concilijs contra Hereticos.

ARTICVLVS V.

An causa efficiens censuræ sit Deus, an homo?

1. ℞. quòd potestas ferendi censuras est de iure diuino, quia *Matthæi* 18. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis; ita in extrauag. vnam sanctam, de maior. & obed.*

2. Verùm censuræ institutio est de iure positiuo, quia ritus ferendi cẽsuras est compositus ab Ecclesia; sicut applicatio cẽsuræ adhanc, vel illã personam, quia institutio est de iure positiuo, ita & applicatio. Vnde obligatio non operãdi cõtra censuram tantùm de iure positiuo, est imposita immediatè, quia ab Ecclesia fuit prescriptus subsequẽs versus.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Hinc est quòd non cõmunicare etiam in diuinis cum excommunicatis est de iure canonico, quia non potest Ecclesia contra ius diuinum statuta condere.

3. Hæc potestas ferendi censuras iure ordinario residet in Papa respectu omnium Christianorum. Itẽ in Cardinalibus in proprijs titulis, quia in eis iurisdictionem Episcopalem habent; *ita cap. is, qui de maior. & obed.* Item in Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis respectu sibi subditorum, quia iurisdictio ordinaria est potestas super subditos in foro exteriori; *ita cap. graue nimis de præbendis*. Item in legatis Papæ in sua prouincia, *ita cap. legatos de offic. leg. in 6.* Item in Concilio Gen. cõgregato authoritate Papæ. Item in capitulo Prouinciali, Archiepiscopali, & diœcesano Episcopi, *ita cap. graue nimis de præb.* Item in capitulo, & Vicario capitulari Sede Vacante, quia succedit in iurisdictionem Episcopi, *ita Concil. Trid sess. 24. cap. 16. de reform.* Item in Vicario Episcopi, *ita cap. Romano de appell. in 6.* Item Abbatibus, & Superioribus Religionum approbatarum, quia etiam sunt Prælati Ecclesiastici; *ita gloss. in cap. veniens.*

4. Sed nõ Parochi, & simplices Sacerdotes curati, quia non habent iurisdictionem in foro ex-

exteriori, & contentioso, sed tantùm interno. Neque Vicarius Episcopi excommunicati, quia cessante iurisdictione Episcopi, etiā ius eius cessat. Itē si Episcopus in manibus hostium detineatur, Vicarius eius excōmunicare non potest, quia tunc quasi mortuus Episcopus æstimatur, donec liberetur, & in tali casu capitulum ferre censuras, & alia facere debet; *ita cap. si Episcopus de supplend. neglig. prœl. in 6.*

ARTICVLVS VI.

An fœminæ possint ferre censuras?

1. ℞. Non, quia de iure communi spiritualis iurisdictio ordinem clericalem supponit; *ita D.Tho.3.p. in addit. q.39. art.1.*

2. Verùm ex commissione Papæ potest, quia cùm sit de iure positiuo potestate Papæ dispensari potest, *ita cap. decernimus de iudicijs.*

3. Vnde laicus etiam Religiosus, & electus in Episcopum non potest ferre censuram: quia iure positiuo spiritualia tractare non potest; *ita cap. Ecclesia S.M. de constit.* Nec clericus cōiugatus, etiā si habeat ordines minores, quia non possunt admitti ad negotia Ecclesiastica, *ita cap. sanè el. 1. de cleric. coniug.* Sicut nec ad beneficia, & pensiones, nec Vicarij esse possūt, *ita gloss. cap. vnic. de cler. coniug. in 6.* Item Baptismo nō initiatus, quia Baptismus est ianua Sacramentorum, ac & iurisdictionis. Et huic videtur ꝙ Papa non possit dispēsare, quia non tantùm iure Ecclesiastico, sed diuino, & naturali est incapax iurisdictionis spiritualis.

4. Hinc est quòd ferens censuras necesse est esse hominem, viatorem, baptizatum, & in statu clericali, ita quòd non Angelus, neque beatus, aut extra viā est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ, quia Ecclesia militans, & visibilis per ministros in ea militantes, & visibiles gubernari debet.

5. Olim fœminæ aliquæ vocabantur Diaconissæ, & Presbyteræ, non quod initiabātur ordine, sed tantùm erant destinatæ ad aliqua obsequia diuina, *ita D. Tho. 3.p. in addit. q.39. art. 1.* Presbyter autem idem est, quod senior, ideo fęminæ seniores eligebantur in ministerium quarumdam rerum Ecclesiæ, & in instruēdis mulieribus catechumenis ad Baptismum; *ita can. mulieres dist. 32. & D. Tho. 3.p in addit. q. 39. art. 1.* In Concilio Laodicensi can 11. fuerunt damnati Cataphrygæ, qui hunc errorem, mulieres ordinari posse, affirmabant.

6. Ideò Prælatæ Religiosorū propriè potestatem iurisdictionis, & ferēdi censurā nō habent,

quia

quia non eſt poteſtas clauium, & iuriſdictionis ſpiritualis, ſed cuiuſdam regiminis domeſtici. Et Prouinciales, & Superiores Religionum committunt Prioriſſis, & Abbatiſſis ad honorem monaſterij, & monialiū, & pro bono pacis, vt poſſint huiuſmodi præcepta in graui neceſſitate ponere, quia moniales vouunt obedire Prælatis ſecundum poteſtatem, quam ipſæ habent præcipiendi. Et obligant ad peccatum mortale, quia ratione obedientiæ tenentur.

DISQVISITIO XXIII.

De Cauſa materiali proxima cenſuræ.

ARTICVLVS I.

An ad incurrendam cenſuram ſufficiat peccatum purè internum?

1. ℞. Non, quia nec Eccleſia, nec homines poſſunt iudicare de peccatis purè internis, nec ferre cenſuras, *ita cap. tua nos, & c. ſicut ſuis de ſimon. & D. Tho. 3. p. in addit. q. 91. art. 4.*

2. Tamen per accidens quāuis actus purè internus occultus ſit, poteſt eſſe materia cenſuræ, quia licet in foro iudiciali non poſſit probari, tamen hæreticus occultus eſt ipſo iure excommunicatus, non ſolū quia malè sētit de rebus fidei per actū internum, ſed etiam externum manifeſtatum aliquo ſigno, verbo, vel ſcripto. Nam Eccleſia & ſi nō poſſit actus internos per ſe, & ſolitariè acceptos præcipere, poteſt tamen eoſdem quatenus ſunt neceſſarij ad externos debito modo præſtandos, vt ſint actus virtutum idonei ad finem ſupernaturalem, quia poteſt Eccleſia præcipere videre ſacrum, poteſt, ac & videre, & audire cum attentione, & reuerentia; *ita cap. dolentes de celebrat. miſſ.*

ARTICVLVS II.

An ad ferendam cenſuram requiratur contumacia?

1. ℞. Sic, quia requiritur tranſgreſſio admonitionis

tionis superioris pręcipientis aliquod sub nota censuræ; *ita can. nemo Episc. 16. q. 3. & D.Tho.3.p. in addit.q.21. art.3.*

2. Vnde quælibet censura, siue lata ab homine, siue à iure, siue in genere, siue in specie, siue pro preteritis, siue pro futuris culpis, semper requirit præuiam admonitionē, quia numquam præsumitur exterius contemnere pręceptum Ecclesię, & pœnam repellere, nisi moniatur sub pœna censuræ.

3. Admonitio duplex. Altera canonica, quæ est actio regulata, per quam authoritate Superioris admonetur Reus personaliter, formaliter, vel virtualiter tribus præsentibus, vt à culpa in admonitione explicata resipiscat. Altera verò non canonica, quæ pręrequritur in ferenda censura, est præceptum tùm iuris, tùm hominis generaliter prohibens futura sub nota censuræ.

4. Hinc est quòd in censuris latis ipso iure pro futuris culpis, siue à iure nō riquiritur admonitio canonica, sed sufficit non canonica, quia ipsa lex precipiens aliquid sub pœna censurę ipso facto incurrenda admonet. Neq; in cēsuris comminatorijs pro futuris culpis, quia lex sufficiens est monitio prohibēs. Sed in censuris latis pro culpis præteritis, seu iam commissis requiritur admonitio canonica, quia semper causa inobedientię fertur; *ita cap. romana de sent.excōm. in 6. & cap. sacro approbante de sentent. excomm.* Sicut author libelli, & latrones excommunicantur non ratione delictorum præteritorum, sed quia sunt contumaces in restitutione famæ, & alieni.

ARTICVLVS III.

Quis sit subiectum, seu censuræ capax?

1. ℞. Quòd tantùm homo, viator, mentis compos, baptizatus, inferior, & subditus. Probantur singulæ. Homo, quia non homo non potest esse capax bonorum, & malorū spiritualium. Ideò interdictum locale non fertur in locum in pœnam loci, sed hominis derelinquentis in illo loco; *ita cap. si ciuitas de sentent. excomm.* Viator, quia non viator nō est subditus Ecclesiæ. Mentis compos, quia excommunicatio supponit peccatū proprium. Sed nō interdictum, & suspensio, quia vniuersitas interdicta, & suspensa siue ab homine, siue à iure, etiam infantes, & amentes comprehendit. Baptizatus, quia non baptizatus etiam catechumenus non subijcitur medicinæ Ecclesiæ, *ita cap. postulasti de Iudæis.* Inferior, quia nullus potest seipsum excommunicare, sicut Papa, qui

V in

in terris non habet superiorem. Subditus, quia non subditus nō potest excōmunicari, vt exēpti priuilegio Apostolico non possunt censurari ab Ordinario.

2. Vnde censura excommunicationis ferri non potest, nisi in hominem determinatum. Et sic collegium, & vniuersitas excommunicari non potest, quia aliàs iusti, & dissentientes condemnarentur cum impijs, *ita cap. Romana de sent. excomm. in 6.* Benè tamen diuisiuè dicendo, Excommunico Propositū, Decanum, & tales de tali collegio. Papa autem potest excommunicare vniuersitatem, & censura cadit supra culpabiles, & inculpabiles, sed innocentes seruare debent, & obedire in foro exteriori vsque dum constaret de eorum innocentia ad euitandū scandalum, quia Papa est supra omne ius positiuum quod alij non habent, *ita cap. supradicto.* Item est inualida, dum dicitur à iudice, Excommunico vnum ex tali communitate, quia sentētia incerta, & indefinita nulla est.

3. Item sunt incapaces pueri, infantes, furiosi, & amentes, quia vsu rationis carent, & doli, & nō supponitur in his culpa mortalis. Tamen furiosi, & amentes, qui aliquādo vsum rationis habuerunt, possunt excōmunicari; & sic amens, & insanus potest ob praecedens mandatum in excommunicationem canonis incidere, quia furore adueniente mandatum non tollitur, *ita cap. si quis suadente Diabolo. 17. q. 4.* Et quamuis iudex possit, non tamen debet excommunicare insanum, & amentem, quia excōmunicatio nullam medelam affert incidenti in amentiam, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 24. art. 2. ad 2.* Ideò amēns mandās alicui, vt clericum percutiat, & antequam sequatur effectus, moriatur, in excommunicationē non incidit, quia mandatum morte mandatoris reuocatum est, *ita cap. licet.*

4. Verùm licet vniuersitas, & communitas collectiuè nō possit excommunicari, cùm excommunicatio requirit contumaciam personalem; tamen est capax suspensionis, & interdicti, quia in his sufficit contumacia in capite, *ita in cap. quia sępè de elect. in 6.* Et quamuis in generali suspensione, & interdicto non comprehendantur Episcopi, & Cardinales propter periculum regiminis Ecclesiastici, quia *ita cap. quia periculosū.* Tamē generali excommunicatione nisi excipiantur à lege excommunicationis generaliter lata, etiam & ipsi comprehenduntur, quia *ita cap. periculosum.*

5. Ex his colligitur quòd sētentia generalis censurę pro futuris culpis simpliciter lata, aut sub conditione non ligat, si antequam

tequam culpa committatur, aut conditio extet, iudex moriatur. Item si iudex aliqua de causa priuetur iurisdictione; immo si post sententiam conditionatam antequam adimpleatur conditio, iudex priuetur, & de nouo creetur alius, etiã quòd cõditio extet, sententia sub conditione lata non ligat, quia in his requiritur, vt tempore quo fertur, extrema sint habilia, scilicet, vt iudex tunc sit habilis inferendo, & derelinquens habilis ligari. Etiã quòd tunc derelinquens domicilium mutet, quia sufficit quòd eo tempore sententiæ derelinquens sit subditus iudici, licet non adimpleta conditione. Immò valebit etiam sententia lata à iudice, si excommunicetur, vel in manus hostilium veniat, & postea absoluetur, vel ab hostibus liberetur ante conditionis euentum, quia non est noua iurisdictio, sed eadem non impedita.

6. Mortuus autem excommunicari non potest, quia propriè est pœna medicinalis directè impediens excommunicatum, ne vtatur Sacramentis Ecclesiæ, & sacrificijs. Benè tamen priuari suffragijs Ecclesiæ, & sepultura Ecclesiastica potiùs ad terrorem, quàm ad medelam. Et hæretici post mortem declarantur à iudice excommunicati propter censuram in vita contractam ex peccatis detectis post mortem, quæ in vita erant occulta. Et mortui si post mortẽ absoluantur, indirectè tamen, quatenus conceditur sepultura Ecclesiastica, & suffragia rogandi pro ipso: & talis absolutio nõ potest dari à quolibet Sacerdote, sed à quo viuus absolui potest. Immo talis absolutio est necessaria non solùm in contumacia, & impœnitentia, sed etiã qui contritione, & pœnitentia est mortuus, quia licèt apud Deum solutus sit, tamen apud Ecclesiam excommunicatione ligatus est.

ARTICVLVS IV.

An pluries incidens in actum, cui annexa est censura latæ sententiæ, plures etiam incurrat censuras?

1. ℞. Sic, quia multiplex est transgressio legis moraliter, & formaliter per actus distinctos.

2. Vnde furans in Ecclesia duplici excommunicatione ligatur, si lata est excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos, quia licèt illa actio entitatiuè sit vna, formaliter tamen, & moraliter duplicẽ habet malitiam, scilicet iniustitiæ, & sacrilegij. Verùm percutiens clericum pluribus ictibus, vel communicans pluries cum eodem excommunicato incidit tãtùm in

in vnam excommunicationem, quia cēsetur vnus tantùm actus moraliter, cùm vna sit intentio de vno delicto prohibito, *ita in cap. cùm pro causa. de sent. excomm.* Sed percutiens plures clericos successiuè absq; interruptione morali, tot excommunicationes incurrit, quot sunt clerici, qui successiuè percutiūtur, quia vnitas numerica non solùm desumitur à cōtinuatione temporis, & actionis, verùm etiam ab obiecto, circa quod exercetur actio, scilicet percussio. Et hæc opinio est in praxi, licèt oppositum speculatiuè loquendo, vt probabile defendant.

3. Idem dicimus si peccato furti esset annexa excommunicatio, furans successiuè, absque interruptione morali etiam toto vno die vni, & eidem furatur vinum, oleum, frumentum, &c. vnum peccatum committit, & vnam contrahit excommunicationem; quia vni fit iniuria, & furtum nō habet terminum definitum, & certum. Sed in fornicatione, si est annexa censura, quot fornicationes, tot excommunicationes, etiam cum vna, & eadem, quia vna fornicatio nō continuatur cum præcedente, & quælibet fornicatio per se habet definitum, & certū terminum. Item duas censuras contrahit iudex extrahens per vim ab Ecclesiæ immunitate vnum, & postea alterum, quia vis vni facta non componit vnā actionem cum vi facta alteri: at vna est censura, si simul duos homines extraheret ab Ecclesia, quia vni, & eidem Ecclesiæ vnico actu fit iniuria agendo contra eius immunitatem.

ARTICVLVS V.

An plures censuræ contrahantur ab eo, qui facit vnum actum habentem plures circunstantias mutantes speciem?

1. ℞. Sic, quia licet in genere entis vnus sit actus, tamen formaliter, & in genere moris, tot peccata, quot circunstantiæ malæ mutantes speciem, prō quibus singulis lata est censura.

2. Sed si non mutant speciē circumstantiæ, vnam incurrit censuram, quia accidentaliter se habent circumstantiæ non mutantes speciem in genere moris, vt percutiens clericum, circumstantiæ Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotij accidentaliter se habent ad transgressionē legis, quæ solùm spectat reuerētiam status clericalis. Sed percutere monachum initiatum tonsura, duplicem censuram incurrere, quia circumstantia monachi diuersa est specie à circūstantia clerici, cùm alia sit consecratio clerici, & alia Religiosi. Ita etiam sepeliens publicum ex-

excómmunicatum, interdictū, & vſurarium tres excommunicationes incurrit, quia triplex inobedientia per tria delicta cōmiſſa, pro quibus ſingulis ob diuerſam cauſam excommunicationis pœna infertur. Sed non qui perſonam interdictam tempore interdicti Eccleſiaſticā ſepulturā donauit, committit duplex peccatum, nec duplicem cenſuram incurrit, quia illæ circunſtantiæ non variant ſpeciem moralem, ſed tantùm aggrauant violationem eiuſdem cenſuræ.

ARTICVLVS VI.

An faciens actum prohibitum à pluribus ſuperioribus, tot incurrat cenſuras, quot ſunt ſuperiores prohibentes illum actum ſub pœna cenſuræ?

1. ℞. Non, quia licet conditores cenſuræ ſint multi moraliter, tamen formaliter eſt vnicus actus, & in poteſtate vnus ſuperior, & omnes conueniunt in identitate poteſtatis.

2. Immò ſi in tali caſu vnus ſuperior ſibi excommuuicationem reſeruauerit, alij nō, adhuc vna tantùm excommunicatione ligatur, quia qualitas reſeruationis, & non reſeruationis non variat ſpeciem, & ſubſtantiam excommunicationis nō mutat. Sed ſi actus ſit prohibitus ab habentibus diuerſam poteſtatem; ſcilicet à Papa, & Epiſcopo, tūc tot cēſuræ, quot ſuperiores, quia licèt actus ille ſit vnum delictū, contumacia tamen diuerſa formaliter, cùm quiſq; tulit cenſuram, tamquam ſuam.

ARTICVLVS VII.

An lex, quæ ſolùm profert cenſuram contra committentes aliquod delictum, comprehendat etiam conſulentes, & mandantes?

1. ℞. Non, quia cenſura non ligat vltra intentionē ſuperioris, & eſt in verborum tenore ſtandum, niſi in ſententia exprimatur.

2. Nec officit dictum, ſcilicet agentes, & conſentientes pari pęna puniuntur, quia conſentientium oportet quod fiat mētio in pœna, cùm pœnæ magis ſunt reſtringendæ.

ARTICVLVS VIII.

An mandans, vel conſulens ligetur cenſura, quando non influit in effectum?

1. ℞. Non, quia non facit opus prohibitum ſub cenſura. *ita gloſſ. in cap. in audientia noſtræ.*

2. Verùm ſi mandans, vel cōſulens auxit animū derelinquētis,

tis, licèt iam parati, & effectus sequutus est, incurrit, quia tunc verè moraliter influit in effectum prohibitum. Secùs si nõ auxit animum, nec acrior factus derelinquens ex mandato, & consilio. Neq; cõsulens minus malum incurrit, etiam effectu sequuto, quia ad incurrendam censuram excommunicationis requiritur peccatum prohibens sub censura, & qui consulit minus malũ parato facere maius, non peccat.

3. Immò mandans aliquid prohibitum sub pœna censuræ, non incurrit, si mandatum reuocauit, etiam si sequatur effectus, quia tunc mandans non cẽsetur in effectum prohibitum sub censura influere, sed potius reuocasse influxum. At si reuocatio mandati non est nota mãdatario, incurrit, quia suum mandatum non fuit sufficienter reuocatum. Ideo si consulens reuocat consilium, & satis probabiliter credit bona fide reuocationem sufficere ad impediẽdum, non ligatur censura, etiam si sequatur effectus, quia iam reuocauit consilium. Sed dubitans suam reuocationem non sufficere, tenetur indicare ei, cõtra quem consilium datum non reuelãdo personam, quo facto, etiam si sequatur effectus, non ligatur censura, quia non in gratiam eius percussit, cùm non influit in effectum. Sed si illum non potest monere de periculo, & sequuto effectu mortis incurrit, & irregularis, quia adhuc consulens suo cõsilio influit in effectum, sicut qui iecit sagittam in aliquem, & statim ipsum pœniteat antequam occidat, non excusatur ab homicidio, quia fuit volũtarius, & culpa lethalis.

ARTICVLVS IX.

An quando consulens dubitat, an per suum consiliũ influxerit in factum prohibitum sub censura, possit practicè deponere dubium, & reputare se non incurrisse talem censuram?

1. ℞. Sic, quia lex dubia nõ ligat, quando post diligentiam, adhuc ius manet dubium, *ita D. Thom. quod lib. 4. art. 14.*

2. Immò dubitans in dubio facti, si post adhibitam diligentiam, adhuc manet dubius, potest practicè deponere dubium non incurrisse, quia in dubio iuris fauendum est subditis.

3. Similiter dubitans si suo consilio influxerit in factum prohibitum, potest ab homicida doceri, si is est fide dignus, an se motum esse à consilio eius ad substantiam actus, an ex sua voluntate ratione inimicitiæ, vel alterius causæ commisit delictum, et his coniecturis potest elici datum consilium nihil operatum esse

esse in factum prohibitum, & sic dubitans arbitrio boni viri, censendus est non incurrisse censuram, etiam si contra consulentẽ lata est sententia, quia conditio possidentis est sufficiens ratio ad deponendum dubium speculatiuum, nisi aliter in iure sit expressum, aliàs tunc non est consilium, sed præceptum.

DISQVISITIO XXIV.

De Ritu seruando in ferenda censura.

ARTICVLVS I.

An de essentia formæ censuræ tum iuris, tum hominis sit scriptura, vel verbum?

1. R. Non, quia in iure non est talis necessitas decisa.

2. Verùm debet exprimi per signa exteriora, & non per interiorem voluntatẽ iudicis, aliàs nõ incurritur, quia tantũ incurritur per contumaciam contra præceptum Superioris præcipientis.

3. Ideo nõ censetur excommunicatus ille, cum quo Papa non vult communicare ex antipatia, quia non est signum expressum, & certum ferendi censuram. Neque intelligitur excommunicatus absolutus, cùm participat cum illo, nisi expressè declaret ob plenitudinis potestatem.

4. Sed nõ requiruntur determinata verba, aut certę scripturę sed sufficiũt saltẽ nutus, & signa, quibus intentio iudicis ferendi censuram exprimitur, quia nullo iure cautum est censuram per certa verba ferendam esse. Sed benè definita, & determinata ad aliquam particularem cẽsuram, quia effectus censuræ in genere non est in indiuiduo labilis. At valida est censuræ forma, dum dicitur; excommunicato talem, quia iuxta communem vsum, ly *excommunico*, accipitur pro maiori excõmunicatione, quæ est primum analogatum, ad quod intelligitur, *ita cap. si quam de sent. excomm.*

5. Sed benè debent determinari censuræ verba quo ad personam eam nominando, vel descri-

ſcribendo, vel deſignando in ordine ad delictum, quia ſicut formę ſacramentales ſunt inualidę, niſi determinentur ad certam perſonā, ita formæ cenſurarum. Item forma cenſuræ debet eſſētialiter determinari quo ad tēpus præſens, aliàs futurum inualida, quia verba futuri temporis non inferunt ipſo iure, ſed præcipiunt iudicibus, vt eas imponant, cùm futurum ſuſpendit effectum, *ita gloſſ. cap. quicunq; de hæreticis in 6.* Ideo dicere excōmunicetur, eſt æquiuocum, cùm ſignificet tempus præſens, imperatiuū, & futurū optatiuū. Primo modo eſt valida, & lata ſententia, cùm idem eſt dicere, eſt excommunicatus. At alijs modis eſt cenſura ferendę ſentētiæ, quæ non ipſo iure ligat, cùm ſint pœnæ, *ita in cap. in pœnis de reg. iuris in 6.*

ARTICVLVS II.

An cenſura lata ſub diſiunctione liget, ideſt ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus?

1. ℞. Sic, quia aut iudex ſic applicans cenſuram, declarauit ſe intellexiſſe alternatiuam cum copulatiua, tunc Reus incurrit vtramq; cenſurā: ſi alternatiuā distributiuè, tunc eſt derelinquentis electio cenſuræ, quæ applicatur ab agente, non eligente, quia nullus poteſt contra ſeipſum ferre cenſuram, cùm non eſt inferior, nec ſubditus ſibi ipſi.

2. Immò ſi derelinquēs nullam eligeret, ſubiacebit vtrique, quia intētio ferentis ſub diſiunctione exprimitur per verba ſub dictione alternatiua prolata, & efficaciam habet.

3. Sed ſatis probabile eſt formam cenſuræ ſub diſiunctione, nihil operari, quia ſentētia ſine certa quantitate prolata, non meretur nomen ſententiæ, *ita l. 3. de ſentent.* quæ ſine certa quantitate proferta fuit.

ARTICVLVS III.

An cenſura ferri debeat in ſcriptis, cum expreſſione cauſæ in eodem ſcripto, & traditione exemplaris cenſuræ parti petenti infra menſem?

1. ℞. Sic, quia cùm debeat eſſe determinata quo ad ſpeciem, tempus, & perſonā, magis per ſcripturā cognoſcuntur: debet etiam exprimi culpa illius, contra quem applicatur, quia cēſura applicatur, vt peccator reſipiſcat à culpa; & exēplar dari parti petenti infra mēſem, quia ſi eſt innocens eſt defendendus, ſi nocens, vt reſipiſcat à culpa, quod facilius fieri poteſt tradito cenſurę exemplo.

2. Iudex ergò Eccleſiaſticus, ſiue eius delegatus ferens cenſuram

suram quamcūque, siue speciatim in personam certam, siue generatim in personam incertam, contraueniens siue in vna, siue in omnibus tribus conditionibus supradictis cōtra tenorem iuris, incurrit per mensem suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs, *ita cap. cùm medicinalis de sent. excommu.* Quam si per mensem à die sententiæ obseruauit, immunis remanet à tali suspensione sine alia absolutione, sed tamen peccauit mortaliter, quia fecit contra ius in materia graui. Et quāuis iniusta sententia, tamen est valida, qa omissio scripturæ, seu causæ, nō censetur omissio formæ substantialis, sed tantùm accidentalis.

3. Eximuntur ab ista pœna iudices denunciātes solo verbo aliquem excōmunicatum, quia in iure non fit mentio denunciantis, *ita in supradicto capite.* Itē ferentes ob vrgentem, & iustam causam, dum instat periculum si feratur scriptura, quia sic dicta pœna locum non habet secundum gloss. *in cap supradicto.* Item ferentes censuram bona fide, & ex quadam inaduertentia, & ignorantia iusta, & inuincibili, quia ius loquitur de violatore legis temerario, *ita in cap. citato.* Item Episcopi, quia de eis in textu nō fit particularis mentio, *ita cap. citato.* Item Prælati Regulariū, maximè si statuta suorum ordinum, vel communiter approbata consuetudo aliud habeant, quia ordo iuris in Regularibus non seruatur ad vnguem, *sic omnes Doctores Canonistæ, & Theologi docent.*

4. Nota quòd tales conditiones supradictæ locum habent in censuris, quæ feruntur ab homine pro culpis præteritis, & nō futuris, siue sint canonis, siue iuris, quia sententia pro futuris culpis æquiparantur statuto, *ita can. erit autem lex dist. 4.*

ARTICVLVS IV.

An ante censuram ferendam præcedere debeat canonica admonitio?

1. R. Sic, in censuris latis ab homine pro culpis præteritis, vel præsentibus, quia aliàs non esset contumax, *ita cap. cùm medicinalis de sent. excomm. 6. & cap. sacro eod. tit. & cap. constitutionem eodem tit. in 6.*

2. In alijs licet non sit necessaria admonitio canonica, expedit tamen non canonica, scilicet expressa comminatio, & nota censuræ, quia aliàs pro trāsgressione cuiuscunq; legis Ecclesiasticæ, vel simplicis præcepti iudicis Ecclesiastici, possit quis excommunicari, vel interdici, quod non est in vsu Ecclesiæ, nec in iure ordinario fieri potest. Et licet non sit necessaria quòd admonitio fiat in scriptis,

& præmittere vnā saltem admonitionem absque vrgente necessitate; tamen censura est valida, quia nullo iure asseritur esse inualidam. Tamen peccaret iudex lethaliter illam ferens sine triplici admonitione, sine qua extat prohibitio iuris in re graui. Sed vrgente necessitate vna admonitio pro tribus fieri potest, assignato vno termino, qui valeat pro trina admonitione cum debito interuallo temporis, quia censura, vt censura formaliter fuit instituta ad comprimēdam contumaciam, *ita cap. constitutionem de sent. excomm. in 6*. Ideo expedit debita admonitio, vel saltē comminatio. Sed materialiter censura quatenus pœna vendicatiua potest fieri absque prçuia admonitione in vindictam cōmisi delicti.

ARTICVLVS V.

An trina illa monitio sit de essentia censuræ latæ ab homine pro culpa præterita, ita ut illo iuris ordine prætermisso sententia sit nulla?

1. R. Non, quia vis censuræ non dependet ab admonitione, vt ordine iuridico, sed à clauibus Ecclesiæ, & iurisdictione ferentis, *ita cap. sacro de sent. excomm.*

2. Verùm si iudex excōmunicaret participantes cum excōmunicato à se; si omittat canonicam monitionem; sententia est nulla, quia hoc est expresſū in iure *cap. statuimus de sent. excomm. in 6*. Tamen in alijs casibus, qui non sunt in iure expressi, iudex ferens censuras sine præuia monitione, & si iniustè agat, validè tamen operatur.

ARTICVLVS VI.

An detur aliqui casus, in quibus censuræ sententia ab homine lata sit nulla, & inualida?

1. R. Sic, quia patent in casibus infra citandis.

2. Primò, censuræ latæ à iudicibus per præcepta de re aliqua facienda, vel danda sine causæ cognitione, sunt ipso iure nullæ, nisi temperētur per clausulam iustificatiuam, scilicet, si te senseris grauatum cōpareas, cum debito termino, & iustitia, adhuc soluitur in vim monitionis, quia sicut cōdemnatio, & præceptum sic latum sine causæ cognitione, est nullum, ita & excommunicatio tamquam ei necessaria, est nulla.

3. Item declaratoria excommunicationis ipso iure incursæ facta, parte non citata, est nulla, quia *ita in Clemen. de censibus cap. præsenti*.

4. Item censuræ latæ à iudicibus incursis in censurā non toleratis, sunt inualidæ, quia hi omnē iurisdictionis vsum amittunt,

tunt, *ita can. audiuimus 24. q. 1.* At à iudicibus toleratis valet, quia dum tolerantur à Republica, tolerantur etiam ab Ecclesia propter vtilitatem fidelium, *ita L. Barbarius. ff. de officio pratoris.*

5. Item censuræ latæ ab excommunicato, suspenso, vel interdicto nominatim, & iure publico, sed de facto occulto, idest ab omnibus, vel à pluribus, & publicè ignoratur, sunt validæ, siue hoc accidit in diuerso loco, vel in eodem loco pro diuerso tempore, ita vt memoria eius excidit, vel iam publicè creditur absolutus, quia iuxta canones excommunicatus publicus in vno loco, & in alio esset occultus, & ibi publico officio fungeretur, validè sunt actiones eius.

6. Item iudex denunciatus, nominatim excommunicatus, si alibi existat vbi denunciatus nō est, tamen est notoria censura, vbi habitat in loco, inualida est, quia excommunicatus vbiq; est excōmunicatus; dum verò scitur, suspenditur eius iurisdictio, & non potest validè sui officij munus exercere.

7. Item censuræ latæ à delegato, qui copiam suæ delegationis, & commissionis petenti nō dedit, nec ostendit, sunt nullæ, quia nō possunt ferre censuras, maximè excommunicationem, nisi contra contumaces, qui nō possunt dici tales, dum petunt fidem de mandato, *ita cap. cùm in iure peritus de off. & potestate iudicis delegati.*

8. Item censura lata post legitimam appellationem nulla est, quia per appellationem suspensa est iudicis iurisdictio, *ita cap. Ad præsentiam nostram de appellatione.* Sed tenet si appellatio fieret post sententiam censuræ ipso iure, & absolutè latam, quia tunc non suspenditur censura, nec tollitur eius effectus.

9. Item appellatio ex causa probabili interposita annullat censuras omnes post eam latas, etiam si postea declaretur causam appellationis non fuisse iustam, quia hoc habetur ex iure *cap. per suas de sent. excomm.* Appellatio igitur si fuerit interposita post sententiam latam sub conditione ante conditionis existētiam, quamuis deinde adueniat conditio, excommunicatio nulla est. Si verò sententia excommunicationis purè, & simpliciter sit lata, trahit secum executionem, nec suspenditur per sequentem appellationem, quia *ita in cap. pastoralis de appellat.* Et licet à tali sententia lata non possit appellari, potest tamen à declaratoria appellari ad effectum suspendendi eam, & pendente appellatione talis excommunicatus non debere vitari, benè tamen ipse alios vitare tenetur, qa aliàs contemnere videtur excōmunicationem, & vsurpare cō-

munionem fidelium ſibi interdictam. Dixi, fidelium, quia infidelium nõ priuatur, cùm non ſint de iuriſdictione Eccleſiæ, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 23. art. 2. ad 1.*

10. Immò lite pendente ſuper declaratione excommunicationis, ſi talis excommunicatus eſſet iudex, eius iuriſdictio non ſuſpenditur, & actiones eius valent, quia vt ſic cenſetur adhuc toleratus.

11. Tandem ſentẽtia paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta eſt timenda, dum non conſtat de nullitate eius ad euitandum ſcandalũ; licet in foro interiori certò ſciremus eſſe nullam, immò in foro exteriori petenda eſt abſolutio à cenſuris, quando de nullitate ſententiæ non conſtat, *ita cap. per ſuas de ſentent. excommun.* Ceterum ſi in vtroq; foro conſtaret de nullitate, & iniuſtitia ſententię, tunc non eſſet timenda, nec abſolutio ad cautelam eſt neceſſaria.

ARTICVLVS VII.

An cenſura ſit valida, quando cauſa, propter quam fertur, non eſt iuſta?

1. ℞. Non, quia fertur ob cauſam materialiter iniuſtam, quæ nõ ſubſiſtit cũ nõ adeſt peccatum mortale, quamuis in iudicio probetur cõmiſſum, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 21. art. 4. ad 1.*

2. Verùm ſententia lata ex odio, licèt iniuſta, eſt valida, qa iniquitas iudicis non tollit, quin iuſtitia ſeruet æqualitatem iuſtitiæ, quæ inter homines eſt neceſſaria.

3. Similiter ſententia cenſuræ iniuſta ex defectu ordinis iuris, ſcilicet, quòd non præcedat trina, vel vna pro tribus monitio in ſcriptis, eſt valida, quia vis cenſuræ non ab admonitione, aut ordine iuridico, ſed à clauibus Eccleſiæ, & iuriſdictione dependet.

4. Vnde cenſuratus certus de ſua innocentia, non eſt verè cẽſura ligatus, neq; irregularis celebrando, tamen ratione ſcandali debet obedire, aliàs peccaret mortaliter ob contemptum præcepti Eccleſiæ, & talis ſic cẽſuratus non amittit gratiam gratum faciẽtem, nec generalia Eccleſiæ ſuffragia, ſed ſolùm communionem fidelium per participationẽ Sacramẽtorũ, & officiorum diuinorũ in foro exteriori.

ARTICVLVS VIII.

An cenſuratus ob cauſam, ſeu materiam dubiam, vel ſub opinione, an ſit digna, debet ſe gerere tamquam cenſura ligatum?

1. ℞. Sic, quia non eſt ſubditi, ſed iudicis hoc exa-

examinare, & ſubditi eſt obedire, dum non conſtat de iuſtitia: eſt enim in hoc dubio tota pro iudice, ac eius ſentẽtia poſſeſſio.

2. Verùm quoties dubitatur, an iudex ſententiam in aliquem protulerit, & pręmiſſa diligentia, adhuc manet dubius, non debet ſe gerere, tamquam cenſura ligatum, quia in dubio iuris non obligat, *ita D. Th. quod lib. 4. art. 14.* Sed ſi dubium eſt, an iudex habuerit intentionem ligandi, an ſolùm ad terrorem, tũc tamquã ligatus ſe gerere debet, quia in dubio præſumitur lata, vt verba ſonant; nemo enim dicere præſumitur, quæ in corde non habet, *ita L. Labeo 7. verſ. idem Tubero ff. de ſupellect. legat.*

3. Vnde in edicto poſito ad reuelandum, non includuntur filij & vxores, niſi apponatur clauſula *quantumuis coniuncti*, quia non eſt credendum, quòd iudex in generali edicto intentionem habeat tàm grauiter, & acriter, ideo eſt neceſſaria expreſſio ſpecialis.

4. Similiter quando verba cenſuræ ſunt dubia, an ſit lata, vel ferenda ſententia, non eſt excõmunicatus, quia in dubio iuris tenendus eſt cenſuram nõ incurriſſe. Sed dubius de abſolutione, tamquam illa ligatus, eſt reputandus, quia tunc abſolutio eſt quid facti, & nõ præſumitur, niſi conſtet, & poſſeſſio eſt pro cenſura. Tamen ſi dubius de adimplitione cõditionis in cenſura contentæ, non cenſetur ligatus, quia adimplitio conditionis in hoc caſu non eſt quid facti, ſed quid iuris, & nulla eſt pro cenſura poſſeſſio, ſed potius delinquentis dubitantis.

5. Rurſus dubitans, an appellatio præceſſerit excommunicationem latam ſub conditione, eſt ligatus, quia tunc poſſeſſio eſt pro cẽſura, cùm conſtet eſſe latam, & appellatio dubia, an præceſſerit, *ita gloſſ. cap. venerabilis de ſent. excomm. in 6.*

6. Item ſi dubius de poteſtate ferentis cenſuram, & iudex eſt in poſſeſſione ferẽdi, eſt ligatus, quia poſſeſſio eſt pro poteſtate iudicis. Secùs ſi iudex non eſt in poſſeſſione, qa cũ de illius poteſtate nõ conſtet, eſt dubiũ iuris, & cõſequenter inualida cẽſura.

7. Tandem duobus litigantibus fundum ex vtraq; parte habere ius, & iudex præcipit vni, vt alteri fundum cedat ſub pœna cenſuræ, & nõ cedit, eſt ligatus, quia in dubio ſtandum eſt iudicio ſuperiorioris, illiq; parendũ. Et ſi eſſet clericus, & cõſecraret eſſet irregularis, & orationibus, & ſuffragijs Eccleſiæ priuaretur. Et licèt opinio aſſerens talem non ligari quo ad Deum, & cõſequẽter nõ irregularem, tamen hoc dici poteſt ſpecultiuè, ſed practicè ſtandum eſt pro ſentẽtia iudicis, quia poſſeſſio eſt pro ſententia iudicis.

AR-

ARTICVLVS IX.

An error intolerabilis in ſententia cenſura faciat cenſuram nullam?

1. R. Sic, quia nulla in interiori foro, vt per ſe patet, ac etiam in foro exteriori, cùm ius ipſum ita diſponat. *cap. ſolet.de ſentent. excomm. in 6.*

2. Verùm ſi error intolerabilis in ſententia iudicis non contineatur, neq; de eo aliundè notoriè conſtet, tunc in foro exteriori tenet cenſura, quia error cùm notoriè non conſtet, præſumitur pro ſententia iudicis. Et talis ad euitandum ſcandalum publicè ſe pro cenſura annodato gerere debet, ac petere ab Eccleſia abſolutionẽ, quia Eccleſiæ cùm de nullitate non cõſtet, innodatum eſſe præſumit, *ita cap. per ſuas de ſentent. excomm.* At appellando à tali ſententia coram iudice ſuperiore, vbi probatur error intolerabilis, tunc non indiget abſolutione, quia talis à principio nulla corã Deo fuit, & poſtea authoritate iudicis ſuperioris corã hominibus declaratur talis, *ita cap. cui eſt 11. quæſt. 3.*

3. Sed quando error intolerabilis in cenſura non exprimitur, ſed aliundè conſtat de cenſuræ iniuſtitia, talis cenſura eſt nulla, quia præſumptio, quam iudex diligenter exercuerit, officium ſuum cedit notorietati, *ita arg. can. veritate manifeſta diſt. 8.* Neque tunc abſolutionem petere eſt neceſſe, quia in hoc caſu non eſt ſcandalum, nec contemptus Eccleſiæ, cùm notoriè conſtaret de nullitate cenſuræ.

4. Verùm reuocatio priuilegij, facultatis, & iuriſdictionis, eſt valida, etiam ſi fiat à iudice iniuſto, odio, & ſine cauſa legitima, quia illa non eſt pœna, ſed eſt ceſſatio gratiæ, & liberalitatis, aut delegationis dependentis à voluntate donantis.

ARTICVLVS X.

An ſuperior poſſit ferre cenſuram, dum exiſtit extra proprium territorium?

1. R. Non, quia iuriſdictio contentioſa non poteſt exerceri abſq; licentia ordinarij loci iuxta iura, *ita cap. vt animarum de conſt. in 6.*

2. Iuriſdictio duplex, contentioſa, & voluntaria. Contentioſa, ideſt actor contendit contra reũ; & in ſubditos inuitos exercetur cum ſtrepitu iudiciali. Voluntaria eſt gratioſa, ideſt in ſolos ſubditos volentes, vel ſine ſtrepitu iudiciali exercetur.

3. Rurſus ſentẽtia cẽſuræ, alia dicitur eſſe iudicis, ſeu hominis, alia verò canonis, iuris, ſeu ſtatuti. Prima fertur intentione nõ faciendæ perpetuæ conſtitutionis,

nis, sed ad tempus, & alicui personæ particulari, vel personis, vel alicui negotio consulatur, & talis ligat præsentes, & futuros subditos per totũ tẽpus, quo sententia durat. Secunda quæ fertur à iure, seu à canone, seu per modũ statuti, esse censurã in perpetuum factam à conditore, & generaliter in omnes subditos, & prolatam in futuros transgressores illius statuti.

4. Ex his colligitur quòd iudex Ecclesiasticus non potest ferre censuras extra propriam dioecesim cum causæ cognitione sedendo pro tribunali, quia est iurisdictio cõtentiosa in subditos inuitos. Cęterũ sine strepitu iudicij potest ligare, & absoluere, & exercere iurisdictionem voluntariam, & gratiosam, quia tũc nullum territorium leditur. Vnde potest ferre censuras per modum statuti, aut pro re manifesta, quæ nõ requirit cognitionem causæ, & si requirit, habita licentia ordinarij illius loci.

5. Hinc est, ꝙ aliqui Episcopi expulsi à sua sede, & impediti, ne iurisdictionẽ in proprio territorio exerceãt, possunt exercere in alieno loco vicino suis Episcopatibus, seruata forma, quæ præscribitur in Clement. *vnic. de foro compet.*

6. At Prælati Religiosorum extra sua monasteria, & loca vbique terrarum habent potestatem ferendi in suos subditos censuras, etiam si delinquant extra monasteria, quia eorum iurisdictio nullis finitur locis, ita priuilegia illorum.

ARTICVLVS XI.

An censura lata per modum statuti liget subditos existentes in alieno territorio?

1. ℞. Non, quia statutum superioris, sicut limites suos habet quo ad personas, ita etiam quo ad locũ, & territorium, *ita Bonifacius VIII. in cap. vt animarum.*

2. Item non ligat statutum sub cẽsura subditos furantes, vel ludentes aleis in loco exempto, quia locus exemptus licèt materialiter sit in dioecesi, non tamen formaliter, cùm sit extra iurisdictionem quo ad locum, & personas maximè Religiosorum mendicantium, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. de reform. & sess. 1. 2. cap. 20 de regul.*

3. Verum Episcopus excommunicans non residentes, ligat subditos existentes extra suum territorium, quia clerici extra dioecesim commorantes, licèt non ratione personæ, sed beneficiorum, intra dioecesim esse censentur, & sub ordinario esse dicuntur.

4. Item dicimus si fiat statutum sub poena censuræ, vt subditus, qui vbique furatus est in-

fra

fra mensem compareat, & dum non comparet est ligatus non ratione furti, quod fit in alieno territorio, sed inobedientię quia per tale statutum potuit ad hoc arctari, *ita arg. ex cap. ex tua de clericis non resid.*

5. Sed nō ligatur ille, qui incipiēs stuprum virginis per oscula, & tactus in vno territorio, in quo est excōmunicatio, & postea perfecit delictum in alio territorio, in quo non est excōmunicatio, quia non contrahitur per inchoationem, sed per consummatum actum, propter quem est lata. Ideo existens in Ecclesia iacet sagittam, & occidit hominem extra Ecclesiam, non est ligatus, quia licèt inchoetur in Ecclesia, tamen consummatur extra illam. Sed occidens aliquem in territorio, vbi est cēsura, & ille moritur in alio, est ligatus, quia actio externa homicidij censetur consummata in territorio, in quo lata est censura. Item innodatur censura subditus extra territorium extrahens triticum, si id non fieri ordinarius præcipiat, quia delictum quo ad actionem cōsummatur in territorio, licèt quo ad terminū extrinsecum terminetur in alieno.

6. Item clericus vocatus sub censura ad synodum, & non interfuerit, quamuis sit extra dioecesim tempore celebrationis, innodatur, quia delictum omissionis ibi committitur, vbi actus pręcepti exercendus est.

ARTICVLVS XII.

An subditus Episcopi agens in alieno territorio contra sententiam generalem sui Prælati, per quam censura fertur in eos, qui hoc agūt, vel omittūt, talē censurā incurrat?

1. ℞. Sic, quia censura, quę fertur per modum sentētiæ, sequitur personas subditas vbicunque existant.

2. Secùs mutans domiciliū, quia mutando domicilium non remanet subditus illius. Sed ligatur, si censura est lata per actum præteritum patratum tempore, quo erat subditus, quia remanet subditus ratione delicti. Tamen si præcipiat aliquid agendum, vel omittendum in futurum sine vllo ordine, vel habitudine ad præteritum factum, non ligatur, quia cessante subiectione, cessat, & obligatio, & vis p̄cepti.

3. Sed si furans in alieno territorio conuenitur coram suo ordinario, potest ab illo cogi ad restituendum sub poena censuræ, quia supposita instantia habet ordinarius delinquentis iurisdictionem ad cogendum, vt satisfaciat parti læsæ, *& ita quotidiana praxis confirmat.* Sine tamen instantia partis talis non ligatur, *ita in cap. vt animarum de constit. 6.*

4. Item sententia specialis, vel

vel generalis lata ad præcauendum delictum futurum non ligat subditos degẽtes extra diœcesim, quia talis sententia æquiparatur statuto ignoto. Tum quia iurisdictio habet suos limites quo ad personas, & quo ad loca. Nam sicut sententia per modũ statuti lata primò, & per se datur pro ipso territorio, ac etiam ligat omnes commorantes, imo peregrinantes in eo maiori parte anni, si ibi delinquant, cùm statutum fertur pro territorio, vt ritè gubernari possit, & à malis defendi.

5. Tandem absolutè dicendum est quemlibet Chistianum vbique existentem ligari censuris Papæ, quia totus mundus deseruit illi pro suo territorio. Idẽ dicimus de Religiosis, qui vbiq; ligantur suorum superiorum censuris, quia cùm statutum est impositum à personis, quarum iurisdictio nullis finitur teminis. Secùs si statutum est locale, & pro aliqua Prouincia, scilicet Trinacriæ, quia tunc primò, & per se præceptũ respicit locum, & non personas.

ARTICVLVS XIII.

An subditus vnius diœcesis existẽs in alia, & ibi agens contra statuta illius, incurrat censuras ab eo latas?

1. ℞. Non, quia per breuẽ moram præcisè non acquiritur iurisdictio, & subiectio, *ita L. quæsitum 76. §. final. ff. de legatis* 3. Et isti tenentur seruare statuta proprij domicilij, quãuis opinio opposita sit probabilis, quia obligat oẽs, qui versantur in territorio ratione territorij.

2. Verùm censura lata per canonem ab Archiepiscopo in Prouinciali Cõcilio non solùm ligat suos subditos, sed etiam subditos suffraganeorum, quia territorium adæquatum, in quo seruari debet, est tota prouincia, *ita gloss. in cap. Romana de sent. excomm. in 6.* At sententia Archiepiscopi siue generalis, siue specialis ligat tantùm subditos ipsius, quia suffraganij non sunt subditi Archiepiscopo, nisi in aliquibus casibus.

3. Sed censura lata pro futuris culpis, ne dum ligat subditos præsentes, sed etiam futuros, etiã peregrinãtes, quia pro illo tempore tenentur se conformare legibus illius territorij. Et sic vagi tenentur seruare statuta loci, vbi inueniuntur, quia cùm non habeant peculiare domicilium, subijciuntur ad omnia vbicũq; reperiantur.

4. Etiam ligat præsentes, & nascituros subditos, & eorum, qui iam in eo transferunt domicilium, quia habet efficaciam toto tempore, quo durat. Sed non forenses, quia sententia talis respicit personas, vt subditas, neque extraneos censura lata

lata ob aliquod delictum, etiam si sint præsentes, dum censura fertur, quia sententia fertur in eos, qui sunt subditi, *ita cap. à nobis el. 1. de sent. excomm.*

5. Extraneus in alieno territorio delictum committens, in quo sit lata censura ob illud delictum, licèt vt extraneus non ligatur, ligatur tamen ratione delicti, dummodo fuerit citatione præuentus, quia citatio potest extraneum facere subditum, *ita cap. licèt final. de foro comp.* Secùs si citatione non est præuentus pro censura præterita, quia recessit à territorio ante citationem.

6. Potest tamen iudex requirere iudicem loci, vbi degit delinquens, vt eum citet, vel remittat, & iudex requisitus de iure tenetur hoc facere, & citatus, & comparere recusans excommunicari potest, & processus facere contra eũ, quia iam constitutus est per contumaciam virtute citationis, vbi degit.

7. Tandem censura lata pro futuris culpis ligat illos extraneos, qui intentionem habent ibi versandi maiori parte anni, quia isti sic fiunt diœcesani, & subditi illi[9] Episcopi. Sed si quis decreuit perpetuò commorari media anni parte in vna diœcesi, & media in alia, tenetur seruare leges vtriusque territorij, quia alicubi habitat, & alibi incipit habere intentionem habitandi vicissim in vtroque loco contrahit domicilium, & subiectionem.

ARTICVLVS XIV.

An censura per vim, metumque illata valida sit?

1. R. Sic, quia non est inualida iure naturæ, cùm metus non tollit voluntarium simpliciter, quod sufficit ad validitatem actus iure naturæ, *ita Arist. 3. Ethic cap. 1. & D. Tho. 2. 2. q. 6. art. 6.* Neque inualida iure positiuo, cùm nullus textus in iure asserit oppositum, *ita gloss. in cap. vnic. de his, quæ vi. 6.*

2. Met[9] duplex: vnus leuis, quo timetur leue malum, vel graue malum, sed leuiter, idest ex causa leui, & improbabili, qui cadit in virum leuem timentem, vbi non oportet. Alius grauis cadēs in virum constantem, qui timet graue malum grauiter ex causa probabili. Intellige etiam mulierem, minor timor excusat magis mulierem, quàm virum. Et metus grauis est quando interminatur mors, corporis excruciatus, vel bonorum omnium, vel partis eorum amissio ex probabili causa.

3 Vnde votum emissum ex metu cadente in constantem virum incusso ab homine per iniuriam, licet iure naturæ non sit irritum, tamen authoritate Ecle-

cleſiæ, & iure poſitiuo relaxatur, *ita cap. prælatum*. Ita quòd profitẽs Religionem ex tali metu per iniuriã poteſt liberè contrahere matrimonium, & è Religione exire, *ita Alexander III. in cap. citato*.

ARTICVLVS XV.

An qui cenſuras contraxerunt ſint denunciandi?

1. ℞. Sic, quia ſic fortaſsè citius reſipiſcit, cùm videat omnes eius conſortium fugere, *ita cap. peruenit. el.* 1. *de appell. & cap. paſtoralis §. fin. eod. tit. & cap. pia conſideratione de exceptionibus. 6.*

2. Sed in declaratione, & denunciatione ferenda, non ſemper tenetur, niſi ad petitionem partis, & ad bonum commune, quia nullum ius, quod tàm acrẽ obligationem huius denunciationis faciendam indicat, *ita can. cura* 11. *q.* 3.

3. Vnde ante denunciationẽ cenſuræ, ſiue à iure, ſiue ab homine latæ debet citari, & audiri delinquens, etiam ſi delictum ſit publicum, & notorium, quia denunciatio eſt exequutio pœnæ, quæ requirit cognitionem cauſæ, quæ ſine citatione nequit haberi.

4 Verùm hæc denunciatio fieri debet à legitimo ſuperiore, ſiue de eius authoritate, quia cùm ſit exequutio, facienda eſt de mandato ſuperioris, *ita cap. de raptoribus. & ex Clemen.* 2. *verſ. locorum de pœnis*. In cenſuris latis iure communi poteſt fieri de mandato ſuperioris ipſius delinquentis, vel ſi in alterius diœceſi delinquit, & conſequenter ibi cenſuram incurrit, ab Ordinario illius loci poterit denunciari, quia ratione delicti factus eſt ei (quo ad hoc) ſubditus. In cenſuris verò latis ab homine, primò, & per ſe denunciatio fieri poteſt ab eo, qui cenſuram intulit, quia ad illum pertinet exequi cenſuram ſuam, *ita cap. paſtoralis. §. verum. de appell.* Deinde verò ab alijs paſtoribus, & Epiſcopis fieri poterit, & debebit, qui fuerint ab excommunicatione requiſiti, *ita cap quamuis. de foro compet. §. eorumdem*. Idem eſt dicendum in cenſuris ipſo facto contractis per violationẽ ſtatuti proprij Epiſcopi, quia eadem proportionalis ratio eſſe videtur.

5. Nota, quòd denunciatio fieri ſolet tantùm in cenſura lata contra determinatam perſonam, non verò lata contra indeterminatam perſonam, dum notæ non ſint perſonæ, quæ delinquerunt, quia denunciatio fit, vt fideles moneantur, ne cum eo, qui cenſura ligatus, communicent.

DISQVISITIO XXV.

De cauſis excuſantibus ab incurrenda cenſura.

ARTICVLVS I.

An ignorantia inuincibilis à cenſuris incurrendis excuſet?

1. ℞. Sic, quia requiritur contumacia, quæ eſt inobedientia voluntaria, & non per ignorantiam, *ita cap. animarum. de conſtit. in 6.*

2. Ignorantia triplex: Iuris, facti, & pœnæ. Ignorantia iuris eſt neſcire ſtatutum, præceptũ, & prohibitionem eſſe ab Eccleſia, ſcilicet percuſſionem clerici eſſe prohibitam. Ignorantia facti eſt ſcire, & notitiam habere legis, & præcepti, ſed ignoratur factum, quod prohibetur in ipſa lege, vt percutere clericum eſſe prohibitã. Ignorantia pœnæ eſt neſcire latam eſſe talem pœnã contra delinquentes, ſcilicet ſcire eſſe prohibitũ percutere clericum, & percuſſum eſſe clericum, ſed neſcire eſſe prohibitũ ſub pœna cenſuræ.

3. Ignorantia iuris duplex: Communis, & particularis. Cõmunis eſt ignorare ius, ſeu legẽ communem, quæ vniuerſaliter obligat, vt ignorare excommunicationes latas in Bulla cœnæ Domini. Particularis verò eſt ignorare ius, quod particulares aliquas perſonas obligat, vel tãtùm in aliquo particulari territorio, vt neſcire excommunicationes ab Ordinario alicuius loci in ſuo territorio.

4. Ignorantia triplex: craſſa, ſeu ſupina, affectata, & probabilis, ſeu inuincibilis. Craſſa, ſeu ſupina eſt ignorare quod omnes ſui ordinis ſciunt, quod ipſe ſcire debet, & poteſt. Affectata eſt ignorare, quæ ſcire non vult, ſcire debet, & poteſt, vt poſſit liberè peccare. Probabilis, ſeu inuincibilis eſt, non quòd ſimpliciter conuinci non poteſt, ſed po[...] adhibitam diligentiam debitam, adhuc laborat ignorantia, & manet non benè inſtructus.

5. Vnde ignorantia affectata, craſſa, ſeu ſupina eſt vincibilis, non tamen omnis ignorantia vincibilis eſt affectata, craſſa, ſeu ſupina, quia affectata eſt velle neſcire, quæ debet ſcire; craſſa, ſeu ſupina eſt ignorare propter nimiam

nimiam negligentiam: vincibilis verò eſt adhibere modicam, & mediocrem diligētiam, non tamen ſufficienter moralē, & humano modo ad ſciēdum neceſſarium id, quod ſcire tenetur: ideò hæc diſtinguntur ab alijs propter differētiam aſſignatam.

6. Item ignorantia appellatur antecedens, concomitans, & cōſequēs. Antecedens dicitur illa, quæ eſt probabilis, & inuincibilis, ideſt neſcire eſſe actum malum, aut ſpecialiter prohibitum, quod ſi ſciret, non faceret. Concomitans dicitur illa, quæ ſi non adeſſet, actus tamen fieret, vt ſi percutiat clericum inimicum, putans ſe eſſe feram, tamen ſi animaduerteret eſſe ſuum inimicum, adhuc percuteret. Conſequens eſt ignorantia voluntaria, ſcilicet velle ignorare, vt excuſationem habeat de peccato, vel poteſt ſcire, & debet, & non curat. & ſic non agere, & non velle, & non ſcire ſunt voluntaria indirectè. Et dicitur ignorantia cōſequens nō quòd ſit cauſa peccati, quia vt ſic illud antecedit, ſed quia cùm ſit voluntaria directè, vel indirectè conſequitur actum voluntatis ad differentiam antecedentis, quę nec directè, neque indirectè eſt voluntaria, ſed eſt cauſa actus, qua non poſita non ſequeretur, *ita D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 8. & q. 78. art. 3.*

7. Similiter ignorantia alia eſt cauſa eius, quod ignoranter fit, cum opponitur cognitioni, quæ ſi adeſſet, illud factum impediſſet, & hæc dicitur & antecedens, vel conſequens; antecedens, ſi ſit inuincibilis, & probabilis; conſequens, ſi ſit affectata, craſſa, & ſupina. Alia non eſt cauſa eius, quod ignoranter fit, cùm nō remoueat cognitionē, quæ ipſum factum impediuiſſet, ideſt fuiſſet facturus, etiam ſi cognouiſſet id, quod ignorauit, & hæc vocatur concomitans, quia concomitatur id, quod fit, ſed non eſt eius cauſa, nam ſi adeſſet cognitio, quæ huic ignorantię opponitur, tamen factum nō fuiſſet impeditum. *ita D. Tho. 1. 2. q. 6 art. 8. & q. 78. art. 1.*

8. Verùm ignorantia concomitans, licèt ſecundum ſe formaliter, & propriè non ſit antecedens, & conſequens, cùm nō ſit cauſa eius, quod fit, non enim remouet cognitionem, quæ ſi adeſſet, ipſum factum impediuiſſet, tamē diuerſis reſpectibus poteſt dici vtroque modo. Nam dici poteſt antecedens, vt ſi quis vacans venationi habens prauū animum occidendi inimicum, & adhibita diligentia, credens interficere feram, interficit inimicum, & ſic antecedens dicitur, quia inculpabilis, & non volita, cùm nihil ſit volitum, quod non ſit præcognitū. Poteſt etiā

dici

dici consequens, quando non adhibita sufficienti diligentia, vacans venationi putans occidere feram, & occidit inimicũ, quia hæc ignorantia est culpabilis, & indirectè volita, cùm potuerit, & debuerit scire, & apponere diligentiam, illum, in quem iacit sagittam, esse inimicum, & non feram, tamen non curauit scire, & sic dicitur consequens per actũ voluntatis saltem indirectum sequens, & dicitur concomitans, quatenus cõcomitatur prauum animi affectum occidendi inimicum, seclusa etiam ea ignorantia, quia vt sic non est causa eius, quod fit, non enim remouet cognitionem, quæ si adesset, interfectionem inimici impediuisset; sed potius è cõtra, si adesset cognitio, actus tamen occisionis inimici fieret.

9. Vnde excommunicationẽ non incurrit ignorans inuincibiliter canonem Papæ illam imponentem pro delicto, lege diuina, aut naturali damnato, quantumuis factum esse illicitũ malum, & damnatum, quia per ignorantiam inuincibilem non potest dici inobediens Ecclesię, & contumax; *ita D.Tho quod l. 1. art. 19.* Nec sufficere quòd sępè in excommunicationibus dicitur sufficere affixionem ad valuas Ecclesiæ Sancti Petri, quia hoc verbum est quo ad præsumptionem fori contẽtiosi, & quo ad eos, qui sunt in culpa, vt publicẽtur in suis terris, quorum scilicet ignorantia est affectata.

10. Similiter excusat à censura ignorantia probabilis iuris particularis, vel communis, vel facti, vel qualitatis facti. Prima pars patet ex supradictis. Secunda verò quia occidens clericũ, excusatur à censura credens esse feram, *ita cap. si verò el. 2. de sent. excomm.* Item excusatur à censura, & à sacrilegio, non tamẽ à peccato fornicationis habens rem cum moniali nesciens inuincibiliter ipsam esse monialem, quia si cognosceret esse monialem; non coiret cum ea. Sed incurrit percutiens vnum clericum credens inuincibiliter illum esse alium clericum, quia tàm intentio, quàm opus externũ est iniuriosum statui clericali.

11. Rursus proijciẽs sagittam in clericum, si casu occidat inculpabiliter alium clericum cũ sufficiẽti diligentia adhibita nõ incurrit cẽsuram, quia solus effectus malus non coniunctus cum opere externo non inducit censuram, *ita in can. si quis 17. q. 4.* Sed si actio illa exterior nõ solùm quatenus ad clericum inimicum percutiendum, sed quatenus attingat alium clericũ transeuntem, tunc est actio peccami-

caminosa, & etiam incurrit cẽsuram canonis supradicti, quia non adhibuit sufficiẽtẽ diligentiam, & tunc actus exterior fuit voluntarius saltem indirectè, & culpabilis, scilicet ignorantiam crassam, quæ non excusat ab incurrendis censuris.

ARTICVLVS II.

An ad incurrendas censuras requiratur scientia illarum?

1. R/. Sic, quia *cap. de sent. excomm. & cap. vt animarum de constit. in 6.* asseritur ingnorantes non ligari sententijs.

2. Similiter ad incurrendam irregularitatẽ secũdùm aliquos requiri scientiam ipsius irregularitatis ex delicto cõmisso prouenientis, quia irregularitas est pœna contemptus, quam ignorans non contẽnit. Sed verius, & probabilius dicimus ignorantiã irregularitatis cõsurgẽtis ex delicto, etiam inuincibilem, non impedire, quin irregularitas cõtrahatur; quia irregularitas ex delicto non est medicinalis, quę pro contumacia formaliter fertur, vt recedat ab illa; sed irregularitas ista fertur in vindictã delicti. Vnde propriam contumaciam non requirit.

3. Sed irregularitas ex defectu propter indecentiam, vel propter significationem, constat eam contrahi, quacumq; data ignorantia siue iuris, siue facti, siue ipsius irregularitatis, quia hæc sequitur factũ ipsum absq; omni culpa. Dicitur irregularitas ex defectu propter indecentiam, quia non decet, vt qui sanguine cõtaminatus sit minister agni Christi. Irregularitas verò propter significationem incurritur ex bigamia, quia Christus vnam Ecclesiã sibi desponsauit.

4. Rursus ignorantia inuincibilis de præcepto Ecclesiastico prohibente actum, pro quo imponitur irregularitas, non excusare ab incurrẽda irregularitate, quando actus ab Ecclesia prohibitus sub pœna irregularitatis est de se malus, & contra legem diuinam, aut naturalem, quamuis ignorantia illa inuincibilis excuset à culpa inobediẽtiæ Ecclesiæ, & à transgressione legis eius, non tamen excusat à culpa simpliciter, quia hi dant operam rei illicitę; & pœna irregularitatis sequitur naturam delicti, cui per legem Ecclesiasticam est decreta, licèt lex ipsa pœnalis ignoretur. Verùm ignorãtia inuincibilis excusans simpliciter à culpa, excusat etiam à pœna irregularitatis; quia hæc non nisi ob culpam grauem imposita est. Immò sine culpa rebaptizatus, vel occidens hominem, si postea gaudet, & approbat factum, non est irregularis, quia ille consensus, & ratihabitio non facit priorem actionem

culpa-

culpabilem, ſed ſolùm illa ratihibitio, vel cōſenſus eſt peccatum de nouo commiſſum, cui pœna irregularitatis in iure nō eſt impoſita. Ideo pueri rebaptizati irregularitatē non incurrunt, etiā ſi poſtea factum ratificant, quia hæc irregularitas rebaptizationē ſcienter, & culpabiliter exercitam, vel receptam ſupponit.

5. Nota quod regula illa, ſcilicet ignorantia facti, nō autem iuris excuſat, valet in foro externo, in quo iuris ignorantia non præſumitur; at in foro animæ nedum ignorantia inuincibilis facti, ſed etiam iuris, ſi ſit probabilis, excuſabit ab incurrēdis cenſuris. Vnde hęretici ſi excommunicationem ignorent, ea minimè ligari, quia eſt pœna medicinalis, quæ ignorātes probabiliter factum, vel ius cenſuram imponens non afficit.

ARTICVLVS III.

An ignorantia concomitans eximat à cenſuris incurrendis?

1. ℞. Sic, quia licèt habeat animum internum, & in mente culpam, & prauum affectum, & deſiderium malum, ſcilicet interficiendi inimicum, tamen iſte actus externus, ſcilicet occidendi feram, & occidit inimicum, non procedit ex illo affectu malo interno, & ideo nō imputatur ad culpam, neq; ad cenſuram.

2. Verùm vacans venationi, ſi dubitat, an ſit fera, an eius clericus inimicus, quem videt, & mittens ſagittam, voluntatem habuit interficiendi quemcunq; ſiue hoſtem, ſiue feram, tunc nō euadet cenſuram, & irregularitatem, quia affectus, & opus externum ſunt praua, & iniuſta habentia culpam ſacrilegam.

3. Vnde non ieiunare diebus ſtatutis ab Eccleſia, ſi in aliquo die inaduertenter non ieiunet, non peccat contra præceptum non ieiunandi, quia in tantum tranſgreſſio alicuius pręcepti eſt peccaminoſa, in quantum eſt voluntaria, & dum inaduertentia tollit voluntarium, tollit & peccatum.

ARTICVLVS IV.

An ignorantia vincibilis excuſet ab incurrendis cenſuris?

1. ℞. Ob culpam leuē ſic, quia pœnæ grauiſſimæ non imponuntur ab Eccleſia ob culpam leuem. Secùs ob culpam grauem, & moralem, quia ignorantia vincibilis moraliter eſt craſſa, & ſupina, *ita cap. vt animarum. de conſtit. in 6.*

2. Ignorantia vincibilis, alia eſt affectata, ſiue optata, & hæc eſt volita. Alia craſſa, & ſupina, quæ licèt non ſit volita directè, eſt tamen indirectè, & conſequenter vincibilis, quia ignorat

quæ

quæ tenetur ſcire, & facillimè conuinci, ſed nullam, aut modicam adhibuit diligentiam ad eam vincendam, *ita D. Tho. 2. 2. q. 76. art. 3.*

3 Tandem ignorantia vincibilis, Alia culpabilis venialitèr, & alia culpabilis mortaliter. Prima eſt quando aliquam adhibuit diligentiam, ſed non ſufficientem, & neceſſariam ad eam vincendam. Secunda eſt quando valdè modicam, aut nullam adhibuit diligentiam ad id ſciendum, quod tenetur, & poterat ſcire, & ſic omnis ignorantia mortaliter culpabilis eſt craſſa, & ſupina; non tamen ignorantia vincibilis venialiter tantùm culpabilis, eſt craſſa, & ſupina.

ARTICVLVS V.

Qualis ignorantia excuſet à cenſuris incurrendis, dum canon imponit pœnam cenſuræ facienti aliquid ſcienter?

1. ℞. Ignorantiam craſſam excuſare à cenſuris, quia non ſcienter dicitur facere aliquid, qui ex ignorantia craſſa aliquid facit: ſic enim in litteris ponitur, ſcilicet ſi ſciẽter fecerit.

2. Similiter tranſgreſſor non incurrit cenſuram ob ignorantiam illius craſſam, ſi canon aliquid prohibens ſub pœna cenſuræ apponat aliquam particulam, quæ ex proprietate ſuæ ſignificationis requirit ſcientiam, quia Eccleſia tunc intendit punire, formaliter, & expreſsè volitum, quod ſupponit illius notitiam, & per ignorantiam craſſam, & lethaliter culpabilem virtute, & indirectè eſt volitum.

3. Verùm ignorantia affectata non excuſat ab incurrendis cenſuris, quia hæc non minuit culpam, nec efficit actum inuoluntarium, ſed potius è cõtra auget culpam, & facit actum voluntarium, cùm directè, & per ſe eligatur, *ita D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 2.*

4. Vnde habẽs ignorantiam craſſam clericatus, ſi percutiat clericum, alij probabiliter dicũt non incurrere cenſuram, quia quod fit ex ignorantia craſſa, nõ dicitur fieri ſcienter. Sed probabilius eſt dicere incurrere cẽſuram, quia verba iuris, ſcilicet *ſuadente Diabolo* non important dolum, ſed ad correctionem, aliter abſolutè incurrit, & ignorãtia craſſa non excuſat ad incurrendas cenſuras latas.

ARTICVLVS VI.

Quando ignorantia, & inaduertentia, ſiue iuris, ſiue facti reputantur vincibilia, quæ à culpa non excuſant, nec à cenſuris incurrendis?

1. ℞. Quando qui opus aggreditur, & operatur, adſit aliqua actualis aduertentia

ad obiecti malitiam, aut aliquid dubitandi ratio, aut scrupulus de eius malitia in mente operātis praecessit, & operatur cum hoc scrupulo, tunc ignorantia, & inaduertentia sunt vincibilia, quae nec excusant à culpa, nec à censuris incurrendis, *ita D. Tho. 1. 2. q. 88. art. 6.* Sed si nullus scrupulus, aut dubium, dum operatur, praecessit, & operatur; excusatur à culpa, nec incurrit censuras, quia homo non se applicat ad operandum, nisi per voluntatem, & voluntas non mouetur nisi praeuia cognitione, at si nulla cognitio, dubium, aut scrupulus in mentem venit, vnde voluntas possit exercitari ad quaerendam scientiam, aut considerationem illius, quod tenetur scire; non erit in potestate proxima hominis, sed illam mouere, & consequenter illa ignorantia erit inuoluntaria, & inculpabilis, & inuincibilis, *ita D. Tho. de verit. q. 15. art. 4. ad 10.*

2. Similiter ignorantia legū pertinentium ad particulare alicuius officium, & statum, erit inculpabilis, & inuincibilis, si quando aggreditur opus, nullū dubium, aut scrupulus est incōtrarium. Sed si haberet confusam notitiam de illis legibus ad suum officium pertinentibus, tūc ignorantia esset implicita, & indirectè volita, & vincibilis, & culpabilis, *ita ca. sicut nos de ieiunijs. & Instit. de lege aquilia, §. praeterea.*

3. Nota, quòd ignorantia importat habitum, obliuio verò inaduertentiā, & inconsideratio importat actum, non tamen ea differunt quo ad excusandum à culpa, quia ignorantia crassa non excusat, inuincibilis excusat, ita obliuio, inaduertentia, & inconsideratio si sint ex negligentia crassa non excusant, si ex inuincibili excusant, *ita D. Tho. 1. 2. q. 88. art. 6.* Ignorantia habitualis tunc est, quando quis nihil omninò audiuit esse praeceptū superioris praecipiētis aliquid sub poena censurae. Actualis obliuio est, quando quis iam nouit praeceptum, & in eius memoriam habitu retinet, tamen hìc, & nunc in memoriam non venit, nec ad illud aduertit, & haec potest esse voluntaria, & inuoluntaria, vincibilis, & inuincibilis; & sic si est voluntaria, & vincibilis non excusat, si inuoluntaria, & inuincibilis excusat, *ita D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 8.*

ARTICVLVS VII.

An ebrij incurrant censuram, si committunt delictum sub censura prohibitum tempore ebrietatis?

1. ℞. Non, quia cùm non sint voluntaria, non imputabuntur ad culpam.

2. Verùm si tempore, quo ebriari voluit, aduertit, & praeuidet

det peccata inde conſurgentia ſiue in genere, ſiue in ſpecie, & noluit præcauere, incurrit ſi cōmittit peccatum ſub cenſura, qa ſufficit, vt imputetur ad culpam, cùm præcedens libertas cauſæ, quæ in illis actibus manet virtute, *ita D. Tho. 1.2.q.20. art. 5.*

3. Et quamuis verba contumelioſa non ſint peccata, cùm tamquam facetiæ admittuntur, tamen blaſphemiæ, infidelitas, periuria in ebrietate dicta, vel facta, ſi ſint præuiſa, & præcognita, ſunt peccata, quia licèt in ſe non ſint voluntaria, nec ſcienter fiant, tamen in cauſa ſunt præuiſa, & libera.

4. Immò ebrius poſtquam ſobrius factus eſt tenetur ad omnium damnorum reſtitutionem, quæ proximo intulit, quia indirectè ſunt voluntaria, & ſatis eſt ad conſtituendum peccatum.

5. Sed præuidens mala, & peccata ſequenda in ebrietate, & de illis indirectè volitis pœnitentiam agens, mala poſtea ſi ſequantur, non imputabitur ad culpam, quià cùm non ſint voluntaria, nequeūt habere aliam malitiam, quam habēt in cauſa.

6. Hinc eſt quòd opera de ſe mala, & peccata commiſſa in ebrietate etiam ſi non imputantur ad culpam, dum in ſe non informantur aliqua malitia, non eſſe formaliter peccata, ſed ſolùm eſſe quoſdam peccati effectus, etiam ſi fuerit præuiſa, & voluntas mala non ſit per pœnitentiam interrupta, quia actiones in ebrietate contingentes, quando iam vitari nequeunt, liberi non ſunt, nec in poteſtate operātis, tamen ille actus externus eſt capax malitiæ moralis exiſtentis in interiori mala voluntate, quamdiu liber eſt, & in poteſtate operantis. Sed tutius eſt cōfiteri peccata in ebrietate perpatrata, quia facto ſequuto innoteſcit prior culpa.

7. Tandem ſi ante ebrietatē præuidet clerici percuſſionem, etiam ſi antequam ebrius ſit per contritionem verè pœnituit ſi poſtea ſequitur effectus, incidit in excommunicationem, quia ad cauſas incurrendas ſatis eſt quòd quis liberam cauſam factis ſub cenſura prohibitis dederit, & quòd effectus ſit ſequutus. Secùs ſi ſufficientem diligentiā adhibuit, quia tamquam omninò inuoluntarium reputatur.

ARTICVLVS VIII.

An appellatio expreſſa, vel tacita ſententiam cenſuræ poſtea latam annullet?

1. R. Non, quia à ſententia exequtioni mandata nemo poteſt appellare, *ita cap. 51. cui de ſentent. excomm. in 6.*

2. Verùm ſi ſententia lata eſt

sub conditione, & ante sententię existentiam fit appellatio, etiã si deinde adueniat conditio, excommunicatio nulla, quia deuoluitur ad alium iudicem, & suspẽdit iurisdictionẽ prioris iudicis, *ita cap. praeterea el. 2. de appel.*

3. Appellatio autem, quæ à minori ad maiorem superiorem vel prouocatio, seu translatio causæ est duplex: Explicita per verbum, appello, implicita, & tacita; vt quando fit per arreptionẽ itineris ad superiorem, quod fieri potest, quia plus est aliquid facto explicare, quàm verbo.

4. Item appellatio aliquando fit à sententia interlocutoria, quæ nõ fertur in tota causa, sed circa aliquem eius articulum, & in ea proponere causam appellationis coram iudice à quo, & illam probare coram iudice, ad quem appellatur, *ita in cap. vt debitus de appell.* Et debet fieri in scriptis, vt exprimat causam appellationis, vel viua voce, dum exprimit causam legitimã, & non videtur ratio, quare viua voce non valeat. Aliquando appellatio fit à sententia diffinitiua, quæ respectu totius causæ iuridicè tractatæ fertur à iudice, quę vt valeat foro externo, non est necesse causam exprimere, sed simpliciter appellare, neque oportet inseri causam, *ita in l. 2. ff de appell.*

5. Item ad legitimam appellationem duo requiruntur. Primum quòd appellatio fiat cum probabili, & sufficiẽti causa, vel existimãs se habere talem, aliàs non excusatur ab incurrenda censura per appellationem, quia par non est, vt ex dolo, & fraude commodum reportet, *ita arg. can. illa. 11. q. 3. & D. Tho. 3. p. in addit. q. 21. art. 4.* Secundum quòd appellatio fiat debito tempore, quo conditio impleta non est, quia totum illud intermedium tempus est legitimum ad appellationem interponendam.

6. Vnde appellatio à sententia censuræ sub conditione lata ab homine excusat ab incurrenda pęna, si appellans etiamsi nõ prosequatur, quia per appellationẽ iurisdictionis vsus impeditur, & deuoluitur causa ad alium iudicem, *ita cap. si à iudice de appell. 6.* Et sententia censuræ lata sub conditione, tamquam à non legitimo iudice lata, est statim nulla, quia quod initio non valet, tractu temporis non conualescit, *ita in reg. iur. in 6.*

7. Similiter est valida appellatio nõ exprimendo ad quem, cùm tunc intelligatur appellare ad proximum superiorem, quia in dubijs non est à iure recedẽdum, cùm ius disponit, vt gradatim appelletur, *ita cap. dilecti el. 3. de appell.* Ideò gradatim appellatio debet fieri, aliàs non valet, nisi quis ad Papam voluerit appellare, vel ad Legatum à latere,

re, *ita in cap. ſupradicto, & qu.9.3. can. cuncta.*

8. Et quamuis à ſententia cēſuræ lata à iure, ſeu per viam ſtatuti non ſit appellatio, cum ſentētia canonis ſemper præſumatur iuſta. Neque ſententia cenſuræ purè, & ſimpliciter ab homine per appellationem ſuſpendi poteſt, cùm ſecum ferat exequutionem. Neque à ſentẽtentia ſub conditione data poſt expletam conditionem validè appellatur, cùm tempus legitimum ſit elapſum. Tamen eſt licitum reo à ſentētia declaratoria illata appellare, vt probare poſſit percuſſionem clerici fuiſſe ob ſui defenſionem.

9. Tandẽ in cauſa fidei nullum habet locũ appellatio, quia *ita cap. vt inquiſitionis de hæreticis in 6.* Neque in cauſa Religioſi admittitur appellatio, quando ſecundùm regulam corrigitur, *ita cap. ad noſtram & cap. reprehenſibilis de appellat.*

ARTICVLVS IX.

An impotentia faciendi, quod præcipitur ſub cenſura, excuſet ab incurrenda cenſura?

1. R. Sic, quia ad impoſſibile nemo tenetur, *ita lib. impoſſibilium ff. de reg. iuris.*

2. Immo excuſat non ſolùm impotentia phyſica, ſed etiam moralis, ſcilicet non poſſe ſine graui detrimento, & incommodo, quia reſtitutor, cui magnum emergitur damnum, impotens moraliter cenſetur ad reſtituendum, ſi in nullum, vel paruum cederet damnum creditoris, *ita D.Tho. 2.2.q.62.art.8.ad 2.*

3. Sed talis poſtea veniens ad pinguiorem fortunam, non ſoluens incurrit cenſuram, quia impotentia non extinguit obligationem, ſed dat dilationem, *ita cap. Odoardus de ſolut.* Et qui ſoluendo præcipitur ad aliquam partem, & non ad totum, ſi non ſoluit, ligatur, quamuis poſtea euadat impotēs ad totum, & ad partem; ſemper manet in foro Eccleſiæ innodatus cenſura, licèt quo ad Deum poſſit eſſe in gratia. Dummodo iudex ligans adhuc duret in officio; & debitor, dum pecuniam habet, maneat ſub eius iuriſdictione, aliàs nō ligatur, quia præceptum hominis expirat ceſſante hominis iuriſdictione in iſtum.

4. Sed debitor conſtitutus ad ſoluendum ſub cenſura determinato tempore, ſi infra tempus poterat ſoluere, præuidens indeterminato tempore fore impotētem inuoluntariè, ſiue voluntariè, & malitioſè, vel ex ignorantia proueniat ipſamet impotentia, incidit in cenſuram, quia eſt ſufficienter contumax contra præceptum, & illa omiſſio vetita ſub cenſura imputatur ad culpam. Etiam ſi ante præ-

diſ-

diffinitum tempus per pœnitentiam de patrata culpa doleat, ſi non ſoluit præfixo tempore, incurrit, quia ad incurrēdam ſatis eſt liberam illi cauſam dediſſe, ac effectum ſubſequutum, ſcilicet ſolutionem ſtatuto tempore non eſſe factam. Sed non incurrit ſi verè euaſit impotens nec voluntariè, nec malitiosè, ſi reuera in egeſtate maneat; quia propter factum, & non factum inuoluntariū nemo poteſt cenſuram incurrere.

ARTICVLVS X.

An penſionarius in forma Cameræ obligatus, cenſuram incurrat ſine intimatione pœnæ, ſi elapſo tempore penſionem non ſoluerit?

1. Rꝶ. Quòd ſi perſonaliter ſe obligauit, ſic, quia illa obligatio eſt tamquam lex, qua continuò admonetur.

2. Secùs ſi per Procuratorē, donec fuerit intimatus, quia is, qui per alium tantum obligatur, per ignorantiam probabilem excuſatur.

3. Verùm vſus, & ſtylus curiæ eſt, quòd ad incurrendam cenſurā requiruntur litteræ declaratoriæ penſionantis, qui declaret ſe velle illum eſſe incurſum quia in fauorem penſionātis lata eſt cenſura. Sed talis voluntas creditoris nō ſatis eſt priuata, ſed per ſententiam Cameræ debet eſſe intimata debitori, quia per ſententiam iudicis melius dignoſcitur, ſi debitor ſit ſoluendo potēs, vel impotens, aliàs iniuſtè ligatur. At ſi creditor, vel debitor moriatur, vel fiat cōcordia non ligatur cenſura, quia ante illam declarationem non cenſetur contumax, cùm præceptum Cameræ pendeat ex voluntate creditoris: ſed ſi iam termino elapſo creditor poſt menſem, vel annum vellet illum eſſe incurſum, tunc debitor etiam perſonaliter obligatus, non ligatur cenſura, quia in illo priori non fuit cōtumax præcepto cameræ, & reuera tunc non contraxit, aliàs eſſet declaratio falſa.

ARTICVLVS XI.

An metus grauis cadens in conſtantem virum excuſet ab incurrendis cenſuris?

1. Rꝶ. Sic, quia benignè sūt accipienda præcepta Eccleſiæ, quę non intendit obligare cum tanto rigore.

2. Ideo lex Eccleſiaſtica non ligat aliquem, dum cōmunicat cum excommunicatis in tēporalibus, & humanis inſtante metū graui cadente in conſtantem virum, neque etiam in diuinis cum periculo mortis; quia piè credendum eſt nolle Eccleſiam tàm graui periculo obligare. Vnde ſi Princeps excommunicatus

catus non in odium fidei, sed ad ostendendum se non fuisse censuræ ligatum, cogeret Sacerdotem, vt coram ipso missam celebraret, tunc celebrans nō peccaret, nec minorem excommunicationem incurreret. Sed si fit in cōtemptum legum Ecclesiæ, & ad ostendēdū vanam esse potestatem Ecclesiæ, tunc Sacerdos per accidens committit sacrilegium, & peccat mortaliter non ratione prohibitionis, scilicet communicationem habere cum excommunicatis in diuinis, sed ratione præcepti diuini, quo tenemur confiteri fidem, non obstante periculo mortis, quia facit cōtra ius diuinum de confessione fidei. Et si tale peccatum est ligatum cum censura, secundùm aliquos ligari, nam metus, dum non excusat à peccato, neque a censura. Tamen probabilius non ligari, quia præcepto diuino tuendæ fidei, & Religionis licet obliget cum periculo vitæ, nō est ligata cēsura.

3. Verùm non est committendum mortale, vel veniale propter quemcumque metum, etiam mortis, quia peccatum nunquam est elegibile, aliàs nō esset peccatum, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 23. art. 3. ad 1.* Vnde Ecclesia ex vi suæ potestatis potest obligare ad aliquid agendum sub pœna mortalis, & cum periculo vitæ, quia Rex temporalis ob bonum commune potest vnum, vel plures ciues exponere morti à fortiori multo magis Ecclesia, & quamuis liceat Sacerdoti excommunicato denūciato, vt vitet mortis periculū, communicare cum illis, & sacrum facere coram illis, quia ius Ecclesiasticum non obstringit cum tanto periculo.

4. Tamen talis ad euitandum periculum mortis nō potest audire confessiones, quia tunc sacerdos intentaret Sacramētum, quod est intrinsecè malum, & contra præceptum Religionis obligans cum periculo vitæ, vt reddatur irritum Sacramentum.

5. Sed metus leuis non excusat nec à culpa, nec à censura, benè autem metus grauis cadens in constantem virum, dūmodo non incutiatur in odium fidei, & contemptum Religionis, *ita cap. sacris de his, quæ vi, metuq; causa sunt, & ita Innocentius III. in eodem loco.* Et sic clericus deferens arma prohibita sub cēsura, si metu mortis ad propriā vitam tuendam, nec peccat, nec incurrit, quia prohibitio legis non obstringit cum periculo vitæ. Item etiam Parochus nō deferens nomina interdictorum, qui tēpore Paschatis Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ non sumpserunt, si id faciat ex probabili metu mortis, q. a præceptum putum Ecclesiasticum cum periculo vitæ non obligat. Item excusantur propter hoc, qui

qui non deferunt officio Inquisitoris eos, quos ex edictis, vel monitorijs præcipitur deferre. Tamen hereticos etiam cum periculo vitæ denunciare, quia bonũ fidei Christianæ vitæ propriç corporali est præferendum.

6. Tandem Carthusiani possint in extrema necessitate morbi, vel ciborum inopia vesci carnibus, etiam cum voto, & iuramento firmato, quia periculo mortis censentur excepti. Secùs expresè vouẽs, quia possumus vitam negligere, quando honesta ratio suppetit, scilicet statutũ reuerentiale sui Ordinis.

ARTICVLVS XII.

An manente censura per Papæ dispẽsationem fieri possit, vt effectus alioquin per illum prohibitus licitè fieri possit?

1. ℟. Sic, quia prohibitio tantùm est de iure humano, quòd Papa rationabili causa habet potestatem supra illud.

2. Et nullus alius præter illũ, ita quod communicans cum excommunicatis, à seipsis contrahat excommunicationem minorem, quia talis poena à iure profertur, *ita cap. nuper de sent. excommun.*

3. Verùm Ecclesiarum Antistites contrafacientes proprium statutum, nec peccant, nec incurrunt, quamuis sua statuta debeant obseruare, quia obligat subditos, & nullus est sibi ipsi subditus. Sed subditus ludens cum conditore statuti in ludis prohibitis, si non suspenditur, peccat, & incurrit, quia facit cõtra edictum Episcopi.

4. Tamen præsumitur suspẽdere, quia non præsumitur velle onerare alterum ad tàm graue peccatum. Sed Episcopus ludẽs cum subdito à se excommunicato, peccat, & incurrit, quia ita iura communia prohibent, *cap. nuper. de sent. excomm. & cap. concubina eod. tit. & ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 23. art. 2.*

5. Sed solo iure communi prohibitum est communicare etiam in diuinis cum censuris inuolutis, quia aliàs posset Ecclesia contra ius diuinum statuta condere, *ita Concil. Constantiense.* Ideo ordinatus ab Episcopo excommunicato, non tamen denũciato vsum ordinis, & functionem non amittit, quia per supradictum Concil. Constantien. vitare non tenemur, nisi specialiter denunciatos. Sed ab Episcopo denunciato, vel notorio clerici percussore, characterem recipit, sed non exequutionem, quia eam ipse non habet, nemo dat, quod nõ habet, quia *ita in arg. ex can. gratia 1. q. 1. & cap. innotuit de eo, qui furtiuè ord. recip.* Et sic scienter, vel per ignorantiã affectatã suscipit ordines ab

ab hæretico nominatim, & cenſuris inuoluto, eſt ipſo iure ſuſpenſus ab ordine, *ita cap. cum clericis de ordine ab Epiſc.* Et talis abſolutio ante Concilium Tridentinum ſolum ſpectabat ad Papam, modò poteſt ab Epiſcopo, quando eſt occultum delictum, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* Item ſi ſuſcipit ordines ab Epiſcopo ſuſpẽſo ab ordinũ collatione, interdicto, ſchiſmatico, depoſito, degradato, & hoc poſt denunciationem. Sed ſi ignorantia probabili participat in diuinis cum tali Epiſcopo, & ab eo ordines ſuſcipit, debet adhuc ab vſu ordinum abſtinere, & debet ab alio Epiſcopo à tali ſuſpenſione abſolui; quia talis non habet vſum ordinis, nec iura dare alijs permittunt, *ita cap. cum cleric. de ord. ab Epiſcop. qui renunt. Epiſcop.* Sed non incurrit ſuſpenſionem, ſi laboret ignorantia inuincibili, & illa ſuſpenſio non eſt vera cenſura, ſed quędã inhabilitas ex prohibitione Eccleſiæ in vituperium ordinantis, quia celebrando in ſacris ordinibus ab illo ſuſpẽſis, non fit irregularis, ſed tantum in foro exteriori impeditur.

ARTICVLVS XIII.

An conſenſus illius, in cuius fauorem lata eſt cenſura, excuſet ab incurrenda cenſura, eamque ſuſpendat?

1. ℟. Sic, quia dominium habet, & poteſtatem ad remittendum, & differendum debitum.

2. Ideo cenſura prorogata de conſenſu partis obligat abſque noua ſententia iudicis, quia prorogante parte terminum cenſetur à iudice prorogat⁹, & elapſo termino prorogato à creditore, & non ſatisfacto, ligatur cẽſura. Sed talis prorogatio debet fieri de conſenſu iudicis, vt elapſo ſecundo termino, & non ſatisfacto incidat in cenſurã, aliàs non incurrit, quia cenſuram ſuſpendere eſt actus iuriſdictionis, qui ſpectat ad iudicẽ. Taliter quòd cenſura eſt nulla, ſi iudex non habet animum ligandi, quia voluntas iudicis eſt neceſſaria ad ferendam cenſuram. Bene verũ eſt, quòd cenſura lata ad inſtantiam partis non ligat vltra intentionem requirentis, & ſic non ligabit, niſi quos, & quot, qui fert cẽſuram, aut qui eam petit, obſtringere intendit, quia officium iudicis requiſitum ad cẽſuram ferendam non debet excedere intentionem requirẽtis.

DISQVISITIO XXVI.

De Abſolutione Cenſurarum.

ARTICVLVS I.

A quo poſſit auferri cenſura?

1. ℞. Quòd ab habente iuriſdictionem in foro exteriori ligandi, quia abſolutio à cenſuris eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, *ita cap. vnic. de major. & obed. & cap. venerabilibus §. porrò de ſentent. excomm. in 6. & D.Tho. 3.p. in addit. q. 24. art. 1. ad 1.* Verùm confeſſor potens abſoluere à mortalibus, poteſt abſoluere à cenſuris non reſeruatis, ſiue à iure latis, ſiue ab homine per ſententiam generalem pronunciantis in foro interno ex delegata iuris facultate, quia *ita D.Tho. loco ſupra citato.* Sed in foro cõtentioſo directè, & propriè tantùm ab habente iuriſdictionem, *ita can. verb. dist. 1. de pœnit.*

ARTICVLVS II.

An omnis ſeu quæcunque cenſura poſſit ab eadem abſolui?

℞. Sic, quia par eſt poteſtas ligandi, & abſoluendi, *ita arg. can. verb. de pœnit. diſt. 1. & D.Tho. 3.p. in addit. q. 24. art. 1.*

2. Vnde ſuperior habẽs omnem iuriſdictionem, & poteſtatẽ poteſt abſoluere à cẽſuris ſiue ſpecialibus, ſiue generalibus latis ab inferiore, quia abſolutio à cenſuris eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, *ita cap. vnic. de maior. & obed. 6. & D.Tho. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3.* Sicut Papa omnibus ſuperior, nec alicui facit iniuriam, quia vtitur iure ſuo. Ita eius Pœnitẽtiarij abſoluere poſſunt à ſententijs cenſurarum latis ab alijs inferioribus Eccleſiaſticis, *ita D.Tho. loco ſupra citato.* Et ita Epiſcopus à cenſuris latis à ſibi ſubiectis, quia Epiſcopus eſt ordinarius totius diœceſis, *ita cap. cùm ab Eccleſiarum de offic. ord.* Tamen ſi irrequiſitis inferioribus abſoluit, eſt valida, ſed peccat, quia contra debitum ordinem operatur, *ita cap. ſupradicto.*

3. Idem dicimus de Generalibus Religionum, & Superioribus poſſunt abſoluere à cẽſuris latis ab inferioribus ſibi ſubditis, quia hi habent inter ſe iuriſdictionẽ ſubordinatam. Verùm non decet inuitis, & irrequiſitis inferioribus hoc agere, quia ſuo

suorum subditorũ quò ad possunt, iurisdictionem seruare debent, *ita cap. ad hæc de excess. Prælat.*

4. Tamen Archiepiscopus nõ potest ad suum arbitrium absoluere censura ligatos ab Episcopis suis suffraganeis, aut eorum Vicarijs, nisi in casu appellationis, & auditis partibus, quia non est immediatè iudex, aut ordinarius suorum suffraganeorum, sed tantùm in actu visitationis, *ita cap. Romana & cap. venerabilibus de sentent. excomm.* Ita dicimus Vicarios Episcopi, licèt habeant totam iurisdictionem ordinariã in toto territorio, nõ tamen possunt absoluere censura ligatos à subditis Episcopi, quia nõ est verisimile, quòd in specie commisisset suo Vicario aliquid cũ iniuria alterius, cùm hoc cederet in eorum iniuriam, *ita in cap. si Episcopus de pœnit. & remiss.* Ita quòd Vicarius Episcopi iurisdictione ordinaria non potest absoluere ex generali mãdato nominatim censura ligatũ, benè tamen ex speciali ordine, quia reseruatæ sunt ipsi ferenti, vel eius superiori, cùm talis iurisdictio sit delegabilis.

5. Et sic successor alicuius dignitatis potest absoluere à cẽsura lata à suo prædecessore, quamuis sit successor ad tẽpus, quia successor eadem censetur persona, cui succedit, *ita in cap. Episcopus. 11. q. 3. & arg. cap. 1. de solut.* Et sic Episcopo iurisdictione priuato, vel mortuo, potest adhuc successor à censuris latis absoluere. Item administrator positus ab Archiepiscopo sede vacante in aliqua cathedrali potest absoluere à censuris, & non capitulum negligens. Item maior Pœnitentiarius mortuo Papa iuxta potestatẽ, quam viuente Pontifice habebat, quia priuilegium non extinguitur morte concedentis, *ita in Clemen. Romani. §. eo tamen de electione*. Sed collegium Cardinalium sede vacãte, Pontificiam iurisdictionem exercere non valet, & præcipuè quæ sunt Romano Pontifici reseruata, neque à reseruatis absoluere, quia *ita in Clemen. ne Romani. §. irritũ de elect.* Et licèt hoc sit concessum collegio canonicorum, non tamen Cardinaliũ, quia hoc illis de iure cõcessum est, quod istis de iure est prohibitum, vt Cardinales Pontificis electionem maturent, *ita cap. si Episcopus de maior. & obed. 6. & ca. 15. cui. de elect. 6.* Verùm in collegio Cardinalium, licèt actualis iurisdictio non remaneat, sed benè habitualis, seu quantùm ad radicem proximam, quia habent facultatem eligẽdi Papam. Nõ tamen conferunt Pontifici facultatem Pontificiã, sed Christus Dominus electo per Cardinales dat, *ita cap. nemo de reg. iuris in 6.* Verùm sede vacante collegium Cardinalium in certis casibus, & magna ex causa à cen-

ſuris poteſt abſoluere à quibus Papa poteſt, quia *ita in can. ſi quis pecuniæ diſt. 79. & cap. vbi periculū. de elect. 6. ita Gloſſ. in cap. vnic. de Schiſmaticis. 6.*

ARTICVLVS III.

An cenſura ab homine per ſententiā ſpecialem determinata poſſit ab alio auferri?

1. R. Nō, quia aliàs perturbaretur iuriſdictio, & fieret iniuria iudici ferenti cenſuram.

2. Ità quod excommunicatus ab vno Epiſcopo, ſi mutat domicilium, non poteſt abſolui, niſi à ferente cenſuram, quia licèt ratione domicilij deſinat eſſe ſubditus, tamen remanet ratione delicti.

3. Verùm incurrens in vna diœceſi excommunicationem non reſeruatam per ſententiam generalem, ſi transfert domicilium, poteſt à quolibet confeſſario diœceſis, in quam venit, abſolui, quia ſententia generalis in multis æquiualet ſtatuto, & canoni, quorum cēſura poteſt auferri ab habente poteſtatē abſoluendi à peccatis mortalibus, *ita cap. nuper. de ſentent. excomm.* Sed nō ſentētia ſpecialis nominatim cōtra aliquā perſonā, nā ab eo tantùm poteſt auferri, qui eam tulit, vel ab eius ſucceſſore, vel ſuperiore in iuriſdictione, vel ab habente iuriſdictionem delegatam.

ARTICVLVS IV.

An ius concedens proprio Sacerdoti facultatem ad abſoluendum à cenſura iuris, per contrariam conſuetudinem ſit abrogatum?

1. R. Quo ad internū non, benè tamen quo ad externum, quia praxis communis, & conſuetudo admittit talē abſolutionem in foro interno, non autem externo, ne perturbetur iuriſdictio Eccleſiaſtica in foro contentioſo, vbi ab habēte iuriſdictionem abſolui debet. Tamen conſuetudine introduci poteſt, vt Parochi vel alij Sacerdotes expoſiti à nulla poſſint cenſura abſoluere, quia cum facultas abſoluendi à cenſuris non reſeruatis Parochis, & Sacerdotibus expoſitis ſit conceſſio humana, per conſuetudinem humanam abrogari poſſit.

2. Verùm regulares ex priuilegijs à Romanis Pontificibus auctis ex conſuetudine, quam nunc habent, abſoluere poſſunt à cenſuris iuris, vel hominis generaliter latis non reſeruatis, abſolutionem ſacramentalem impedientibus, non tamen in foro externo, cum hoc communi praxi ſit abrogatum, ſed in foro interno liberè poſſunt abſoluere fideles, etiam quòd in aliqua

dioe-

diœcesi per contrariam consuetudinem sit reuocatum, tunc quilibet consulet priuilegium concessum à Pontificibus. Nec officit decretum sacræ Congregationis mandato Pauli V. *edito 1617.* nam in illo tantùm interdicitur Regularibus, ne absoluere valeant ab excommunicationibus, & casibus reseruatis sedi Apostolicæ, & locorum Ordinarijs, non autem prohibetur, quòd non possint vi suorũ priuilegiorum à non reseruatis absoluere. Immo per prædictũ decretum priuilegia Regulariũ quo ad eorumdem absolutiones, non sunt ablata, sed tantùm quo ad sæculares personas sunt limitata. Sic eadem Sacra Congregatio viuę vocis oraculo declarauit mentem Summi Pontificis.

3. Sed à suspensione, & interdicto etiã non reseruatis habentes tantùm authoritatem communem non possunt absoluere, quia hæ censuræ non impediũt absolutionem sacramentalem. Immò ligatus cẽsura suspensionis potest confiteri, & communicare corpori Dominico, & omnia, quæ potest Laicus, quia suspensus actiuè tantùm prohibetur exercere diuina, non autẽ passiuè illa suscipiẽdo, vt laicus.

4. Rursus interdictum generale locale, & generale personale non excludit à participatione Sacramenti pœnitentiæ, quia propter summam eius necessitatem nullus excluditur, cùm sit Sacramentum post Baptismum, *ita cap. quoniam. de sent. excomm. 6.* Excipiuntur tamen illi, quorum culpa, dolo, vel fraude latum est interdictum, siue fuerint causa interdicti generalis loci, vel generalis personalis, siue sint in sua persona specialiter interdicti; nunquam hi debent admitti, nisi forma iuris, scilicet nisi prius satisfaciant, vel idoneam cautionem dent de satisfactione, *ita cap. alma mater.*

ARTICVLVS V.

An quis inuolutus censuris ab homine non reseruatis ingrediens Religionem possit absolui à Prælato Religionis?

1. ℞. Sic, quia tunc Prælatus illius Religionis, quam quis ingreditur, est eius ordinarius.

2. Ita quòd mẽdicãtiũ superiores ordinarij habẽt priuilegiũ ad absoluendum professos, & nouitios in ordine perseuerantes ab omni cẽsura ante, & post ingressum Religionis contracta, (exceptis his, quæ cõtinentur in Bulla Cœnæ,) ne detur occasio Religioso vagandi.

3. Vnde Prouinciales Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarij absentibus Prouincialibus, & quibus ipsi specialiter commise-

miserint in quocunq; loco quarumcunque Prouinciarum in toto orbe existentes, licèt non iure communi, sed ex priuilegio, possunt absoluere nouitios non solùm à censuris iuris, & hominis generaliter latis nõ reseruatis, sed etiam à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, quia *ita concessit Clemens VII. decreto edito* 1530. Et absoluti virtute huius concessionis etiam si retrocedant ab ordine non incidunt in censuras; quia priuilegium conceditur absolutè absque clausula. Alij contrarium sentiunt, quia in priuilegijs pro nouitijs sẽper intelligitur clausula, *si perseuerauerint.*

4. Immò ex eodem Clemẽte VII. conceditur mendicantibus, vt possint absoluere ingredientes Religionẽ, etiam si fuerint nominatim, & specialiter ab homine censuris inuoluti, facta tamen satisfactione parti læsæ, quia in eo priuilegio cõceditur absolui ab omnibus cẽsuris Papæ reseruatis.

5. Item ingrediẽtes Religionem Prædicatorum, vel minorum possunt dispensari à superioribus dictarum super irregularitatibus contractis nondum ortis ex delicto occulto, sed etiã notorio cũ reincidentia tamen, vt si retrocedant à Religione, in easdem relabantur, quia *ita Clemens VII. Prædicatoribus, & Minoribus, & Pius V. Cassinensibus.*

6. Item dicti Superiores cũ professis, & nouitijs in Religione perseuerantibus etiam super irregularitate in foro conscientiæ orta ex occulto homicidio voluntario, vt ad ordines promoueri, & in susceptis liberè ministrare possint, & etiam ad Prælaturas Religionis, quia *ita Pius V. in supradicto decreto edito* 1571. concessit per participationem Prælatis ordinum mendicantium per decretum Iulij II.

7. Tandem Prælati mendicãtiũ possunt absoluere suos subditos à censuris extra forum Sacramentale, licèt in eorum priuilegio ponatur clausula, *in foro conscientiæ*, quia non posuit in priuilegio in pœnitẽtiali tantùm, sed in foro interno extra Sacramentum, sed non externo.

ARTICVLVS VI.

An Prælati Regularium possint absoluere suos subditos censuris inuolutos ab alijs priuationibus, & inhabilitatibus?

1. ℟. Sic, quia ex Pio V. gaudẽt facultate, qua Episcopi erga suos subditos, vi Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reformat.*

2. Ideo possunt committere suis confessarijs, vt cum ipsis dispensent, & absoluantur ab omnibus casibus, in quibus possunt ipsi cum suis subditis, quia aliàs essent

essent deterioris cōditionis subditorum.

3. Item possunt dispensare in irregularitatibus, & suspēsionibus ex delicto occulto prouenientibus, (excepta ea, quę oritur ex homicidio voluntario, & alijs deductis ad forum cōtentiosū,) & omnibus casibus occultis, etiam Papæ reseruatis, quia cōceditur Episcopis vi Côc. Trid. Excepta tamē, quòd per seipsos: quia sic Pius V. in priuilegio expressit.

4. Immò à delictis in foro cōtentioso absolutus siue iustè, siue iniustè, siue diffinitiuè per interloquutoriam sententiam ab instantia iudicij, vel cum nō sit plenè probatum, & delictum adhuc manet occultum, quia per illam sententiam sublata est infamia orta ex deductione delicti in id forum contentiosum, & sic delictum manet occultū, & absoluitur.

5. Nota, quòd illa dicitur sententia diffinitiua, id est plena diffinita, qua principalis quæstio, de qua agitur, diffinitur, & nunquam potest iterū in iudicium deduci. Liberari verò per sententiam interloquutoriā est terminare iudicium, non diffinitiuè, & totaliter, cùm possit nouis indicijs, & probationibus iterū in iudicium deduci etiam post decennium, ideo dicitur sententia non plena, sed semiplena. Dicitur etiam occultum delictum illius, cuius socij crimen in iudicium deduxerunt, quia res inter alios acta, alijs præiudicare nequit, quibus res iudicata non nocet, *ita cap. res inter alios acta*.

6. Ita quod absolutus ab occultis gaudet priuilegio absolutionis, & dispēsationis, si delicta postea deferantur ad forum cōtentiosum, quia absolutio illa, & dispensatio non est data cum reincidētia. Per delictum autem occultum dicitur illud, quod nō est publicum, etiam si sciatur à quinque personis, & in iudicio probari possit, cēsetur occultū. At tunc tantùm occultum non est, quando in ratione delicti est publicum, scilicet quòd in maiori parte viciniæ, Collegij, vel Monasterij cognoscitur per decem saltē personas, quia facultas absoluendi non est contra delictum probabile, sed vt distinguitur contra publicum, vel id, quod deductum est ad forum contentiosum.

7. Etsi delictum alicubi publicum, & in aliquo loco distātissimo sit occultum, potest absolui ab habente authoritatem super occulta, quia secundum canones in delicto sic occulto valida est absolutio.

8. Secùs si delictum est deductum ad forum contentiosū, etiam si fugiat ad locum, vbi delictum est occultum, quia vbicunque crimen illorū in id forum fuerit delatum, in illo versatur.

satur. Et eo maximè si delictum diffinitiuè damnatum sit, quia iam est publicum, & nõ amplius occultum. Verùm si actus delicti materialiter est publicus, nõ autem formaliter, dicitur delictum occultum, & nõ publicũ, quia ad delictum publicum requiritur etiam, vt sit publicum talem actum fuisse delictũ. Vnde si occultè excommunicatus celebret, licèt incurrat irregularitatem, tamen dispensari potest ab habẽte facultatem in occultis dispensandi, quia licèt delictũ sit publicum, tamen vt censuræ, & irregularitati subiectũ est occultum, nam est publicum in genere, non autem in specie, vt subiectum irregularitati.

9. Et sic Episcopi, & Prælati Religiosorum Regularium possunt dispẽsare in priuationibus, & inhabilitatibus contractis ob delictum occultũ, quia sub nomine suspensionis, irregularitatis, & casus occulti intelligitur etiam priuatio, & inhabilitas ob delictum occultũ contracta. Exceptis simoniacè ordinatis non potest Episcopus, vel Prælatus Regularis dispensare, quia Romano Pontifici est reseruata.

ARTICVLVS VII.

An Episcopus vi Cõcil. Trid. sess. 24. cap. 6. de refor. & Prælatus Regularium vi priuilegij Pij V. possint absoluere suos subditos absentes à censuris occultis Sedi Apostolicæ reseruatis?

1. ℞. Sic, quia ita praxis, & non debemus gratias restringere.

2. Vnde absens localiter potest absolui à censuris, quia totum dependet ex intentione absoluentis, & sic absolutio generalis à censuris facta à Prælatis Religiosorum in capitulis, & visitationibus extẽditur ad absentes si id Prælati intendunt, etiam si absentes non faciant, quod Prælati iniungunt, quia etiã inuitus potest absolui, multò magis volens, quamuis negligens. Item in consimilibus absoluuntur ab irregularitatibus, suspensionibus, & alijs censuris generaliter à suis superioribus, esto quòd non meminerint illa, sublata tamen censentur, nec tenẽtur aliam dispensationem, & absolutionem quærere ab eis, sed satisfaciunt confitendo simpliciter peccata, ob quæ illas incurrerunt, cuicumq; alteri confessario, quia si inuitus potest absolui à censuris, & pœnis Ecclesiasticis, multò magis ab his, quorum obliuiscitur, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 24. art. 2.*

3. Si-

3. Similiter confessor absoluens aliquem à peccatis habentibus annexam excommunicationem, à qua non absoluitur propter defectum auctoritatis, potest postea obtenta facultate hunc absoluere absentem, quia non est necesse, vt absoluendus à cẽsuris, & pœnis acceptet absolutionem, cùm pœnæ non dependeant à voluntate puniti, sed punientis, *ita D. Tho. loco supra citato*. Nec non cum absente potest dispensari super irregularitatibus, quia iurisdictio cũ alijs dispensandi ex se non pertinet ad forum Pœnitentiæ.

4. Verùm in Iubileis Confessores non possunt absoluere à censuris, & casibus reseruatis sedi Apostolicæ extra Sacramẽtalem confessionem, quia in illis est clausula, scilicet *confessionibus diligenter auditis*, cùm hæc absolutio sit præludium ad absolutionem peccatorum. Itẽ dicendum de votis commutandis in Iubileo, quia licèt absoluere à peccatis, & commutare vota differant inter se, tamen committitur confessori, vt dum eligitur ad confessionem audiẽdam possit ante, vel post confessionem vota commutare.

5. Sed Episcopi existẽtes extra suam diœcesim non possunt in foro conscientiæ absoluere suos subditos, etiam existentes extra diœcesim à cẽsuris, & casibus Sedi Apostolicæ occultis reseruatis, licèt possint ibi ab alijs peccatis absoluere, atque etiam à censuris Papæ non reseruatis, quia Concil. Trid. tantùm concedit in sua diœcesi, vt constat ex eius verbis. Benè tamen potest Episcopus intra diœcesim absoluere subditum absẽtem in alio oppido eiusdem diœcesis, quia in hoc satis est, quòd subditus sit intra diœcesim.

6. Item potest dispensare cũ illis absentibus ab irregularitatibus, & suspẽsionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & alijs deductis ad forum contentiosum, quia cùm dispensatio ex se non pertineat ad forum pœnitentiæ, æqualiter se habet ad absentem, & præsentem.

7. Idem dicimus quòd Episcopi degentes in propria diœcesi, & subditi extra existentes, & è contra, Episcopus extra, & subditus intra diœcesim potest absoluere, vt supra, quia illa verba Concilij, scilicet *in diœcesi sua*, non refertur ad vtramque partem, scilicet ad Episcopum, & ad subditũ, sed sufficit, quod vnus ex ambobus sit in diœcesi, cum concessiones non sint restringendæ. Sed Prælati Religionum ex priuilegio Pij V. totam hanc facultatẽ concessam Episcopis ex vi Concilij Trid. habẽt ampliori modo, scilicet extra monasteria, & loca, vbique ter-

ratum, quia eorum iuriſdictio nullis finitur locis, ſecùs Epiſcoporum.

8. Nota, quòd quādo à peccato remouetur cenſura, illud peccatum nō cenſetur amplius reſeruatum Papæ, quia culpa erat reſeruata reſpectu cenſuræ reſeruatæ.

ARTICVLVS VIII.

An ſub facultate abſoluendi à cenſuris Papæ reſeruatis, comprehendātur etiam reſeruatæ Epiſcopis?

1. ℞. Sic, quia Papa tamquā ſuperior poteſt delegare hāc poteſtatem abſoluendi à caſibus, & cenſuris Epiſcoporum, non obſtante reſeruatione eorum.

2. Nota, quòd priuilegium cōceſſum Epiſcopis ex Concil. Trident. *loco ſupra citato* per decretum Clementis VIII. & per Paulum V. non eſt reuocatum, quia in illis decretis non fit mētio Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* & conſequenter non ſublatur Epiſcopis facultas ibi conceſſa. Et ſic Epiſcopus poteſt abſoluere ſuum ſubditum à caſibus reſeruatis, & cenſuris ſimiliter reſeruatis latis per ſentētiam generalem ab Ordinario alterius diœceſis, quas maiori parte anni, ibi manens, contraxit, quia vi Concil. Trid. poteſt abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris, & caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, multò magis Epiſcopis tamquam inferioribus. Sed non, ſi ſubditus ſuus ab alio Ordinario ratione delicti nominatim, & per ſentētiam ſpecialem fuerit cenſura ligatus, quia Ordinarius poteſt abſoluere à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & alijs Epiſcopis, dummodo delicta ſint occulta, modò per talem ſententiam peccatum non eſt amplius ſecretum, ſed publicū. Tùm quia iuriſdictio ratione cauſæ inchoatæ per cenſuræ ſententiā particularem permanet apud eum, qui eam tulit.

3. Immò Epiſcopus poteſt abſoluere ab excommunicatione publica, & alia quacunque reſeruata Papæ ſubditum habētem legitimum impedimentum adire ad Papam, quo ablato, ſi nō eſt perpetuum, tenetur, aliàs, reincidit in cenſuram, *ita cap. qua fronte, de appell.* Et adēdo ad Papam, non vt iterum ab excōmunicatione abſoluatur, cùm planè ab illa ſit abſolutus, ſed vt Pontifex medicinam adhibeat conuenientem, ſatisfactionemq; imponat, quia ex benigna Papæ voluntate non præſumitur voluiſſe reſeruationem reſeruare cum tanto incommodo. Sed nō poteſt Epiſcopus, ſi is poſſit adire ad legatum, vel alium habentem priuilegiū abſoluendi, quia non eſt legitima cauſa impedimenti,

menti, dum ab alio absolui possit. Verùm contrahens excommunicationem publicam Papæ reseruatam, etiam cum præserua, scilicet *præter quam in mortis articulo*, si talis longissimè distat ab Vrbe, in discessu proficiscēs Romam, à suo ordinario petit talē absolutionem, ne fortè deficiat in via, promittens, vt quàm citò commodè poterit per se, vel per alium aditurum Papam ad eius mandatum pariturum, valet absolutio, quia *ita colligitur in iure*.

4. Vnde obtinens facultatem à Papa absoluendi à casibus reseruatis, etiam potest à censuris reseruatis, quia reseruatio est ratione censuræ, *ita cap. nuper de sentent.excomm. & D.Tho.in 4. dist. 18. q.2.art. 5.* Et habens à Papa facultatem absoluēdi ab omnibus censuris, potest etiam à censuris reseruatis, quia aliàs priuilegium inutile, cùm quilibet absoluere possit à censuris non reseruatis. Exceptis contentis in Bulla cœnæ, quia acquirūt specialem mentionem, *ita cap. in generali de reg. iuris.in 6.* Imò habita hac facultate non includitur excommunicatio ob hęresim cōtracta, nisi specialiter exprimatur, quia est strictissimæ reseruationis. Sed in facultate concessa ab Episcopo in casibus reseruatis, non potest etiam à censuris, quia Episcopi habent casus reseruatos absque censura annexa, cùm hæc duo distincta sint apud ipsum, & à diuersis non fit illatio. Similiter Prælatus concedens absoluendi facultatem ab omnibus suis casibus, & cēsuris, non censetur concedere facultatem dispensandi in irregularitate, votis, & iuramentis, in quibus ipsemet Prælatus potest, quia hæc sunt diuersa; irregularitas enim, vota, & iuramenta non sunt casus censuræ.

ARTICVLVS IX.

An absolutio à censuris per experessionem mendacem, & falsam, sit valida?

1. ℞. Non, quia præsumēdum est ordinarium non habere intentionem ordinariam absoluēdi, *ita cap. officij de sentent.excomm.*

2. Impetrare absolutionem à censuris per subreptionem, vel obreptionem, est quando apud iudicem Ecclesiasticum aliquid falsum ad eam obtinendam explicatur.

3. Verùm absolutio valida, si iudex licèt sciat exponi falsum absoluit, sed iudex peccat, quia tunc iudex non decipitur, peccat tamen contra ius litigatoris. Et si talis intentio iudicis non constat, tunc pro non absoluto habendus est, quia tunc præsumitur iudex deceptus.

4. Ideo hęreticus fictè petēs

absolutionē ab Inquisitoribus; absolutio in foro interiori nulla est, quia veritate cognita non absoluisset. Et si talis postea resipiscens in foro cōscientiæ priuatim absolui potest ab habēte aliàs facultatem absoluendi in foro interno, quia saltem in foro externo valuit.

5. Sed valet absolutio à censuris expressa causa principali vera, & non accidentali, & vera, quia sola causa finalis vitiat gratiam, & dispensationem. At ligatus vna tantùm censura ex pluribus causis prouenientē, & non exprimuntur, non censetur absolutus, quia quælibet earum est sufficiens ad incurrēdas cēsuras. Et sic tantum expresse iudex retulit absolutionem, & talis nec hominum consortio, nec Sacramentis restitutus est, quia fraus, & dolus nemini suffragatur, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 24. art. 3.*

6. Verùm si vnam exprimit, & alias ignoranter tacet, si illi generalis absolutio impēditur, est ab omnibus absolutus, quia non est fraus, & intentio absoluētis est absoluere ab omnibus. Similiter inualidè absolutus tēpore Iubilei habens casus reseruatos, & censuras, non potest talis absolui à cōfessario habente tantùm facultatem communē, quia tempore Iubilei conceditur absolui à reseruatis, & censuris non quoslibet pœnitentes, sed verè pœnitentes, cum defectu doloris, vel integritatis confessionis non est verè pœnitēs, *ita arg. cùm pro causa, & cap. officij de sentent. excomm.* Si verò extra Iubileum confessus à legitimo Superiore habente potestatem delegatam absoluendi à censuris, ne dum in Sacramento confessionis; sed etiam extra Sacramentum, licèt cōfessio inualida defectu contritionis, vel attritionis, vel culpabiliter peccatum pretermissum in confessione, tamen remanet absolutus à reseruatis, & censuris expressis, quia quòd non valet, vt agatur, valet saltem, vt valere possit, *ita cap. vnic. de dispens. impuberum 6.* Et vt sic talis non est absolutus à cēsuris, quas voluntariè malitiosè in confessione substinuit, quia confessarij intentio non præsumitur absoluere à censuris, quas spontè pœnitens sine iusta causa malitiosè reticet.

7. Sed si facultatem tantùm habet absoluendi à censuris in Sacramento Pœnitentiæ, & nō extra, à nulla censura expressa, & non expressa validè absoluit, si confessio est inualida ex parte pœnitentis, quia nullum Sacramentum nullum potest habere effectum. Et sic facultas imposita confessarijs pro Regularibus à Prælatis Religiosorum in festiuitatibus, vt absolui possint à censuris, & casibus reseruatis, si extra tempus illis concessum

con-

confiteantur, & etiam si intra tempus, sed sine contritione, & dolore debito, & integrè confiteantur, minimè remanent liberati à censuris, & à reseruatione casuum, quia intẽtio Prælati est concedere facultatem illis Religiosis, qui eo tempore festiuitatis, purificatis cõscientijs dignè, & sanctè celebrare possint, & confessor absoluens talem sine dispositione requisita peccaret lethaliter, quia committit sacrilegium, faciens Sacramentum inualidum.

8. Sed qui per obliuionem inculpabilem prætermisit in cõfessione censuras, & casus reseruatos remanet absolutus, quia confessor habet potestatem tollere omne vinculũ, & pœnitens facit quod in se est.

9. Et Sic tempore Iubilei inculpabiliter oblitus, aliàs peccati habentis censuram, si postea recordatur, sufficit cõfiteri peccata oblita, vt ab ipsis directè absoluatur, quia illa confitendo subijcit clauibus Ecclesiæ. Et non tenetur confiteri censuras illis peccatis annexas, dum confessus sit Sacerdoti habenti facultatem absoluendi ab illis cẽsuris oblitis, quia ex prima absolutione generali remanet solutus ab illis vinculis.



ARTICVLVS X.

An habens facultatem absoluendi à censuris absq; limitatione satisfactæ partis, validè absoluat pœnitẽtem à censuris, qui non satisfecit parti læsæ?

1. ℞. Sic, quia priuilegium accipiendũ est, vt sonat absq; limitatione satisfactæ partis; tamen peccat contra iustitiam, quia facit iniuriam parti læsæ.

2. Item validè absoluit, sed peccat habens potestatem ordinariam, quia agit contra ius litigatoris, licèt non contra ius cõstitutionis. Sed non absoluit habens priuilegium limitatum sub conditione satisfactionis, dum possit cõmodè satisfacere, quia priuilegium non conceditur vltra limites præscriptos.

3. Tunc autem dicitur priuilegium cum conditione, quãdo expressè limitat potestatem, & iurisdictionem siue actiuè, siue passiuè, quia forma data in concessione sub illis verbis, tamquã necessaria conditio ad validitatem absolutionis requiritur. Sed si conditio dicit *satisfacta parte*, vel *consensu partis*, valida est absolutio collata ante satisfactionẽ partis, quia in priuilegio non additur, ly *aliter*, quæ expressè irritat absolutionẽ; sed est iniusta, quia facit iniuriã parti læsæ.

Item

Item est valida, si priuilegium præscribitur noua forma, aliàs vt est in iure communi, sed est etiam iniusta, quia tunc non intendit limitare, sed certiorem facere siue explicitè, siue tacitè confessarium, vt seruet formam iuris communis, scilicet vt non absoluat pœnitentem absque satisfactione.

4. Sed pœnitens non valens simpliciter, vel moraliter satisfacere propter impotentiam aliquam, & absolutio differretur per multum temporis, vel quando commodè nequit, vel cum graui damno, & periculo vitæ, famæ, aut magno bonorum detrimento potest absolui cum cautione pignoratoria, vel fideiussoria, vel saltē iuratoria, dummodo confessarius credat illum oblata occasione satisfacturum, quia adest tunc periculum decidēdi è vita in excommunicatione. Item pœnitens potest absolui quoties nō stat per ipsum, ne satisfactionem præstet, sed per ipsam partem, quæ non vult satisfactionē acceptare, quia extat nouus motus proprius Gregorij XIII. quòd tales absoluantur.

5. Facta restitutione, vel satisfactione non statim aufertur excommunicatio absq; alia absolutione, sed facta restitutione debet absolui, quia *ita cap. quòd in dubijs de sentēt. excomm.* Verùm solus Papa, & non alij potest excommunicare aliquem, ita vt posita satisfactione, vel alia conditione liberatus maneat ab ea absque alia absolutione, quia Papa habet potestatem supra ius commune.

6. Verùm censuræ interdicti, vel suspensionis latæ ad tempus, vel vsque ad aliquam actionem, vel cessationem actionis, elapso illo tempore, vel facta restitutione, vel satisfactione, ipso facto tollitur interdictum, vel suspensio, quia ita vsu, & praxi est receptum in interdicto, & suspensione, non verò in excommunicatione.

ARTICVLVS XI.

An absolutio à censuris data in foro interiori in Sacramentali Confessione valeat etiam in foro exteriori?

1. ℞. Sic, si in Bullis nulla sit limitatio, quia Papa habet potestatem in vtroque foro, *ita in Iubileo Pij V.*

2. Sed si sit conditio, scilicet in foro cōscientiæ pro cōscientia tantùm valet, quia priuilegiū tantùm valet, quantùm sonat.

3. Verùm absolutus in foro interno à censura ob delictum, non indiget noua absolutione, dum constet alijs ipsum fuisse absolutum ratione scādali, quia per illam absolutionem fuit totaliter ablata, cùm sit absolutio sim-

simpliciter, & non cum reincidentia. Idem dicẽdum de iorodato censura publica propter scandum, quia necesse est, vt cõstet Ecclesiæ talem recessisse à sua contumacia, aliàs debet absolui in foro exteriori causa cognita in forma iudicij, quia aliàs non potest audiri in iudicio in foro contentioso, dum non cõstat de eius absolutione, *ita cap. solet de sentent. excom. in 6.*

4. Tandem cõfessor tempore Iubilei, vel habens facultatem ex aliquo priuilegio potest attestare se absoluisse pœnitentem in foro conscientiæ habita licẽtia pœnitentis, quia aliàs cõfessor de auditis in confessione nõ potest loqui. Imò cum tali licentia fidem facere in iudicio in scriptis, vt iuridicè constet ad effectum dimittendi absolutum, sine tamen præiudicio publico, vel priuato, quia alias iudex instante aduersario debet procedere secundùm allegata, & approbata in foro exteriori.

ARTICVLVS XII.

An absolutio à censuris per laicum, vel clericum non Sacerdotem, in articulo mortis, possit impendi?

1. ℞. Sic, quia ita credendum est esse voluntatem piæ Ecclesiæ, vt suscipiãt Sacramenta, & Ecclesiastica sepulturam.

2. Et licet non possit absoluere à peccatis, potest tamen à censuris, quia non constituitur ordo, & necessaria connexio vnius absolutionis cũ alia. Vnde infirmus oppressus infirmitate obmutuit, vel in phrenesim versus, & absolutionem peccatorum petere non potuit, potest tamen absolutio censurarum impendi, vt possit recipere reliqua Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam.

3. Censuræ, quæ obstant susceptioni Sacramẽtorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, & absoluendi in articulo mortis sunt assignatæ à Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7. de casuum reseru.* scilicet excommunicatio, interdictum personale, suspensio à susceptione Sacramenrorum, & ab Ecclesiastica sepoltura, & hæ concedũtur, ne aliquis pereat, & damnũ animæ spirituale patiatur. Etiã non expectata superioris facultate, imò simplex Sacerdos potest etiam quando dubitatur, an pœnitẽs existat in periculo mortis, quia superior non intendit reseruare illas cum periculo dãnationis alterius. Ita quod positus in tali periculo, non tenetur per nuncium, vel per litteras ad superiorẽ recurrere, sed potest absolui à quolibet Sacerdote, quia ita extat priuilegium fauorabile in fauorem fidelium. Concil. Trid. *loco supra citato.*

4. Verùm talis ablato impedi-

dimento, & periculo tenetur ſe præſentare coram Superiore, aliàs reincidit in eandem cenſuram, etiam ſi Sacerdos abſoluēs, ſe præſentandi pœnitenti tunc non iniunxerit per obliuionem, malitiam, aut ignorantiam quia obligatio nō ex Confeſſoris voluntate, ſed ex ipſo iure pendet.

ARTICVLVS XIII.

An abſolutio cenſurarum dari poſſit ſub conditione, vel ad cautelā?

1. ℞. Sic, quia abſolutio ſub conditione non ſuſpendit Sacramenti effectum, ſecùs ſi nulla eſt neceſſitas.

2. Abſolutio cenſurarum duplex: Abſoluta, & Conditionata. Abſoluta eſt, quæ & in verbis, & in intentione abſoluētis nullam claudit conditionem. Conditionata eſt, quę datur ſub conditione, vel de præſenti, vel de præterito, vel de futuro.

3. Rurſus abſolutio duplex: Ad cautelam, & ad reincidentiam. Abſolutio ad cautelam eſt, quæ ex defectu cognitionis, ſeu certitudinis ipſius cenſuræ tribuitur, quādo ob periculum, quod ineſſe poteſt, dubitatur, ſcilicet cenſuram eſſe ignoratā, vel dubiam, & hæc ſemper includit conditionem. Abſolutio cum reincidentia eſt, per quam tollitur cenſura, non tamen in perpetuum, ſed ita, vt reddītura ſit poſt certum tempus, vel poſt talem effectum conſequutum, & hæc aliquando datur ad cautelam, quando dubitatur cenſuram ineſſe, aliquando ex certa ſcientia præexiſtentis cenſuræ.

4. Vnde abſolutio cenſurarū ſub conditione de præſenti, & de præterito valet, quia ſic non ſuſpenditur actus, cùm æquiualeat abſolutioni abſolutæ, cùm conditionalis nihil ponat ineſſe, quando conditio non eſt adimpleta. Item valida eſt abſolutio ſub conditione de futuro, quia fauorabilior eſt abſolutio à cēſura, quā ipſa cēſura, & cēſura ſub conditione de futuro valet, multò magis abſolutio talis valebit, *ita cap. præterea. el. 2. de appell.* Verùm abſolutio data ſub conditione de futuro ante ſatiſfactionem, & adimpletam conditionem non ſortitur effectum ſuum, quia excōmunicatio de futuro non ligat, niſi adimpleta cōditione, ita & abſolutio eius.

5. Item abſolutio à cenſuris poteſt dari ad cautelam, quia quando dubitatur, & neſcitur, cum excommunicatio inter cęteros effectus priuet hominem ſuſceptione Sacramentorum. Item valet abſolutio ad reincidentiam, quia Papa in collatione beneficiorum impendit abſolutionem à cenſuris cum reincidentia, ſcilicet *ad hunc effectum dumtaxat conſequendum*. Et cùm in illas reincidit, non requiritur nouum peccatū mortale,

tale, quia cēſura redit ex vi prioris contumaciæ, in qua ſententia fundata eſt.

6. Nota quòd eſt diſcrimen inter abſolutionē Sacramētalē, & cenſurarum. Nam cenſurarū ſuſpendi poteſt, cùm ſit in poteſtate iudicis abſoluentis, quia abſolutio à cenſuris eſt quædā ſententia humana introducta à iure poſitiuo, ſicut cenſura. Et ſic abſolutio cenſuræ ſub conditione de futuro non eſt omninò nulla, nec ſtatim efficax, ſed ſuſpenſa, donec tempus conditionis adueniat. At abſolutio Sacramentalis fuit inſtituta à Chriſto, ideo eius effectus non pendet ex intentione miniſtri, quamuis ſine intentione miniſtri non fiat Sacramentum, neq; adueniente conditione, cùm tunc non adſit forma, & materia, ſine quibus neq; poteſt validè confici Sacramentum, ideo Sacramentalis abſolutio non eſt valida cum conditione de futuro, *ita D. Tho. 3. p. q. 64. art. 8.*

ARTICVLVS XIV.

An abſolutio à cenſuris valeat, ſi dicatur, abſoluo te, non addito, ab excōmunicatione, ſuſpēſione, vel interdicto?

1. ℞. Sic, quia *abſoluo te*, in Sacramento Pœnitentiæ valet, & tamen eſt formæ præſcriptio, multò magis cenſuræ, vbi non eſt formæ præſcriptio, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 3.*

2. Vnde abſolutio collata pœnitenti cenſuris irretito ſub his verbis tantùm, *abſoluo te*, liberat illum, & à cenſuris, & à peccatis, quia abſoluens poteſt ex intentione ijſdem verbis vti ad vtrumque effectum, ita quod Sacerdos ignorans poſſe dari ſimul per verba, *abſoluo te*, abſolutionem à cenſuris, & à peccatis, & proferens, *abſoluo te*, intendit tantùm morti propinquum abſoluere à peccatis, adhuc valida eſt abſolutio à peccatis, & à cēſuris, quia non eſt credibile Eccleſiam velle priuare pœnitentem beneficio abſolutionis in eo euentu cum tanto detrimento ipſius.

3. Neque in abſolutione ſacramētali, vel a cenſuris eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti adiungere inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, quia ſubſtantia formæ ſoluitur in his, *abſoluo te, ita D. Tho. loco ſupra cit. ad 3.*

4. Item Papa poteſt impendere abſolutionē à cenſuris per nutus, & ſigna abſque verbis, & ſcriptura, quia vt ſupremus non obſtringitur forma iuris cōmunis, *ita in Clem. de ſent. excomm. cap. ſi Sūmus Pōtifex.* Sed nō alij Prælati inferiores, quia non poſſunt variare formam iuris, *ita cap. cùm deſideres de ſent. excomm.*

5. Tandem hæc forma, *abſoluo te*, limitatur, & extenditur ſecun-

cundum intentionem absoluētis, ita quod ad Confessorē stat, si vult absoluere à peccatis tantùm, vel simul à peccatis, & cēsuris per verba, *absoluo te*, quia est sufficiens à censuris, & à culpis pœnitentem sacramentaliter absoluere. Si verò non est Sacramentalis absolutio liberat tātùm à censura, quia petitio, & traditio est à censura.

DISQVISITIO XXVII.

De Concilio Generali.

ARTICVLVS I.

An Concilium Generale ritè, & legitimè congregatum maioris sit authoritatis, quàm Papa?

1. ℞. Non, quia Papa cōfirmat acta Conciliorum, *ita Concil. Lateranense sub Leone X. sess. 11.*

2. Concilium est congregatio Sacerdotū maximè Episcorum ad tractandum de fide, Religione, & moribus authoritate capitis cōuocata. Cōtra Lutherum, & Bucerum vlulantes conuocari debere omnes indifferēter laicos, & Sacerdotes, sed qa sic extat vsus, & cōsuetudo antiqua toti⁹ Ecclesię, ita tenēdū est.

3. Concilium Triplex: Generale, Prouinciale, & Episcopale. Generale est Synodus Catholicorum generali conuocatione, Papæ authoritate celebratum. Dicitur Episcoporum, quia ipsi iurant se venturos ad Concilium Generale. Cęteri, scilicet Abbates, & Generales ordinum ex priuilegio, *ita cap. iure iur.* Dicitur authoritate Papæ, quia alias erit conciliabolum, schismaticum, & synagoga Satanæ, *ita cap. significasti de elect. & D. Th. 2. 2. q. 1. art. 10. ad 2.* Concilium Prouinciale est synodus Episcoporū vnius Prouinciæ, aut Regni Metropolitani, Primatis, & Patriarchæ authoritate congregata, in quo fiunt cōstitutiones annexæ cum censuris adstringentes omnes illius Prouinciæ clericos, & laicos nō exemptos. Concilium Episcopale est synodus, quam Episcopus celebrat cum curatis, clericis, & Religiosis Abbatibus non exemptis, irrequisito suo Metropolitano, in qua condi possunt constitutiones adstringētes omnes

nes

nes illius diœcesis, & non alios.

4. Vnde potestas totius Ecclesiæ, vt includit potestatem Papæ, non est maior ipsius Papæ, quia omnis potestas Ecclesiæ non solùm virtualiter, sed etiam formaliter in Papa tamquã Monarcha, scilicet ab vno, & in vno deriuatur potestas, & iurisdictio tamquam à prima causa, & vniuersali post Christum in totam Ecclesiam.

5. Dantur tamen casus, in quibus sine Papæ authoritate Concilium Generale conuocari potest. Primus si Papa incidens in hæresim, & admonitus non resipiscit, tunc Cardinales, & Episcopi congregant Concilium ad inquirendum, & deponendum eum, non tamquam à Superiore principali, sed tãquã à ministro superioris, scilicet Dei, qui est iudex Ordinarius, & immediatus; & Ecclesia, & Cõcilium habent potestatem ministerialem, & instrumentalem ipsius, quia aliàs esset supra Papã, quod est falsum, & creditur esse Apostolicam traditionem. Secundus casus est ex causa schismatis, vt quando duo contendunt de Pontificatu, & ex æquo vtriusque ius esset incertum, & dubium, tunc penes Ecclesiam est congregare Concilium, vt Schisma, & scandalum Ecclesiæ tollatur. Tertius casus est, quando omnes Cardinales morirentur, & Papa quoque, tunc Cõcilium ab Episcopis est congregare, cuius authoritate Pontifex crearetur. Quartus si Pontifex in perpetua infidelium captiuitate esset detẽtus; cuius spes Ecclesiæ esset adempta.

ARTICVLVS II.

An Concilium Generale legitimè congregatum assistentibus Legatis ipsius Papæ, possit errare in rebus fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem?

1. ℞. Sic, quia licitum est à Concilio legitimè cõgregato appellare ad Papam, cui dictum est, *ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, sed tu conuersus confirma fratres tuos*, nam ipse est certa regula fidei, & alia concilia non dum confirmata in multos errores lapsa sunt, *ita D. Tho. q. 10. de potentia. art. 4. ad 13.* Ideo non est verum dicere penes vtrumque esse regulam firmam, & certam definiendi res fidei, quia aliàs essent duo tribunalia ad dogmata fidei definienda, quod est falsum, *ita D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 10. ad 2.*

2. Quæ potestas Papæ definiendi res fidei, non potest delegari, neque assistentibus Legatis in Concilio, quia licèt sit potestas iurisdictionis, tamen excellentioris ordinis, quàm aliæ. Ideo Concilium tàm Generale, quàm Prouincialæ, &

Episcopale confirmatum à Papa non potest errare in rebus fidei, quia ipse est certa regula fidei.

3. Neque Concilium Generale confirmatum authoritate Papæ potest errare in condendis legibus spectantibus ad bonos mores, quia ad cōseruationem Ecclesiæ spectat condere leges veras, tamquam media necessaria ad conseruationem fidei.

4. Verùm licèt simpliciter, & absolutè Concilium Generale ante confirmationem Papæ in rebus fidei potest errare, tamē impossibile est omnes vsq; ad vnum posse errare, quia tota Ecclesia innititur dictis patrum, & Doctorum.

5. Ideo negare veritates definitas in Concilio Generali ante confirmationem Papæ, licèt nō sit hœreticum, tamen est valdè temerarium, & errori proximū, quia valdè temerarium est recedere à communi omnium sententia patrum Concilij, vbi Spiritus Sanctus in definiendis rebus fidei assistit.

6. Tamen Concilium Generale licèt legitimè cōgregatum Sede Vacante in rebus fidei errare non potest, tamen dogma, & fidei sententias definire non potest, quia hæc potestas solùm ad Papam spectat, tamquam Vicarium Christi.

ARTICVLVS III.

An Concilium Generale legitimè cōgregatum, & authoritate Papę cōfirmatum, in canonizatione Sanctorum errare possit?

1. ℞. Non, quia ascribere aliquē numero Sanctorum est tamquam lex, & exemplum bonorum morum quod proponitur Ecclesiæ, *ita D. Tho. quodlib. 9. art. vlt.*

2. Canonizatio est canonicè, & regulariter instituere, quòd aliquis pro sancto honoretur, & de eo sollemne officium fiat, vt fideles publicè precari possint, *ita cap. audiuimus, de reliq. & vener.* Quamuis singulis iustis, qui cōsequuti sunt regna Cœlorum; porrigere preces possint, quia Deus orantis fidem respicit. In canonizatione inquiritur excellentia vitæ, scilicet, vt sit in laboribus patiens, in moribus castus, in actionibus strenuus, humilis, & simplex, charitatiuus: inquiruntur miracula, & cum maxima diligentia omnia, quæ ad tam eminens ministerium sunt necessaria, & debitè ventilantur, & discutiuntur, *ita cap. ex studijs de præsump. & cap. 7. q. 1. can. ibi adunati & 1. q. 1. C. vide quàm bonum.*

3. Vnde hœreticum est negare in Ecclesia, & in Papa non esse authoritatem ad canonizādos

dos Sanctos, quia *ita Concil. Trid. sess. 25. de inuocat. adorat. & reliq. Sanct.* Etiam dicere Concilium Generale authoritate Papæ cõfirmatum posse errare in canonizatione Sanctorum, temerarium impium, & erronium est. *ita Concil. Trid. sess. 13. can. 6. & D. Tho. quolib. 9. art. vlt.*

ARTICVLVS IV.


An negans Concilium Generale legitimè congratum, & à Papa confirmatum, tamquam hæreticus puniendus sit?

1. ℞. Sic, quia de fide est credere definita in tali Concilio; & de fide etiam quòd Concilium sit verum, & legitimum.

2. Nota, quod vt aliqua propositio pertineat ad fidem, & sit de fide, requiritur, quòd debent esse reuelata à Deo, vel formaliter sint in Sacra Scriptura, vel per expressam difinitionẽ Sacrorum Conciliorum, & Papum, vel virtualiter per communem consensum totius Ecclesiæ tenentis, & proponentis illam, tamquam de fide.

3. Dupliciter autem aliqua propositio pertinet ad fidem. Vno modo per se primò, alio modo per se secundò. Per se primò pertinet ad fidem, quæ immediatè, formaliter, vel virtualiter sunt reuelata ab ipso Deo. Per se secundò sunt, quæ euidẽter inferuntur aliqua propositione fidei, & altera euidẽs lumine naturali per euidentem consequentiam, & talis propositio appellatur cõclusio Theologica. Sicut dicere *Innocentium X. esse Papam, & Concil. Trid. verum Concilium*, sunt propositiones de fide, quia mediatè, & per se secundò pertinent ad fidem, cùm Innocentius X. sit ab omnibus, vt Papa acceptatus, & Cõcilium Tridẽtinũ fuit legitimè congregatum, & à Papa confirmatum.

4. Vnde has propositiones negare est temerarium, scandalosum, & hœreticum, quia tota Ecclesia sic fide diuina credit, docet, & tenet.



DIS-

DISQVISITIO XXVIII.

De Confeſſione Sacramentali.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Confeſſio Sacramentalis?

1. ℟. Eſt legitima, & ſacramētalis accuſatio de proprijs peccatis facta Sacerdoti ad obtinendā remiſſionē peccatorum per abſolutionē. Probatur explicando. Dicitur legitima, quia ad ipſam requiruntur debitæ conditiones, & circumſtantiæ. Dicitur Sacramentalis, quia non quælibet, ſed quæ fit ad obtinendam vi clauium Eccleſiæ peccatorum remiſſionē. Dicitur accuſatio, quia nō peccatorum manifeſtatio, ſed doloroſa indicans dolorem internū. Dicitur de proprijs peccatis, qa materia confeſſionis ſunt peccata propria, non aliena. Dicitur facta Sacerdoti, quia confeſſio facta laico, & clerico nō Sacerdoti non eſt ſacramentalis, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.* Dicitur ad obtinendam remiſſionem peccatorum, vt appareat finis, & effectus cōfeſſionis ſacramētalis. Dicitur per abſolutionem, quia remiſſio peccatorum in ſacramentali confeſſione obtinetur beneficio clauium Eccleſiæ per abſolutionem traditam à Sacerdote, *ita D.Tho. in 4. diſt. 17. art. 2. Et 3 p. in addit. q. 7 art. 1.*

2. Vnde confeſſio ſacramentalis non poteſt fieri à laico, vel clerico non Sacerdote, imò ſacrilegium committunt tàm cōfitens, quàm ſacramētaliter per poteſtatem clauium abſoluens, ac iſte etiam irregularitatem incurrit, quia ex iure miniſtrās in aliquo ordine, quem non habet, tamquam ſi eſſet ordinatus, fit irregularis, *ita cap. ſi quis de cleric. non ord. miniſt. in Concilio Florent. in litteris, & Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.*

3. Et non eſt eadem ratio de Baptiſmo, & de Confeſſione ſacramentali, nam Baptiſmus non eſt ordini Sacerdotio alligatus, & cū ſit de neceſſitate ſalutis, ne diſpendium animæ patiatur, inſtitutū eſt, vt Baptiſmus ab omnibus adminiſtretur, & ſemper eſt validus, dummodo ſit debita materia, forma, & intentio cuiuſuis miniſtri. Sed Sacramētum Pœnitentiæ cùm ſit tantùm pro adultis, nullis omninò eſt in re ipſa neceſſarium ſimpliciter, nam in defectu, & abſentia Sacerdotis poſſunt ſibi proſpicere

cere ad ſalutem per contritionem, *ita D. Tho. 3. p. q. 67. art. 3. ad 3.*

4. Verùm confeſſio facta laico dicitur quodamodo ſacramentalis non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſcilicet in ordine ad verã confeſſionẽ, & adiuuat propter humilitatem ad contritionem habendam, vt iuſtificetur per confeſſionem in voto, nam cõfeſſio facta laico eſt per modum conſilij, & non præcepti, & vt oſtendat ſe ſufficienter eſſe diſpoſitum ad alia ſacramenta ſuſcipienda, ſcilicet ad Euchariſtiam, & extremam vnctionem.

ARTICVLVS II.

An confeſſio ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ?

1. ℞. Sic, quia eſt Sacramentum conſiſtẽs in actibus pœnitentis, & abſoluentis, inſtitutum a Deo per modũ iudicij emendatiui ad remiſſionem peccatorum. Genus in hac definitione eſt ly Sacramẽtum. Differentia eſt ly conſiſtẽs in actibus pœnitentis, & abſoluentis &c. Et eſt bona definitio, quia in illa comprehenduntur omnia genera cauſarum, ſcilicet formalis, cauſalis, finalis, & efficientis. Cauſa materialis, ſeu cauſalis conſiſtit in actibus pœnitentis. Formalis eſt forma abſolutionis. Efficiens principalis eſt Deus, miniſterialis eſt Sacerdos, finalis eſt remiſſio peccatorum, ad quam inſtitutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. ad 2. & Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.*

2. Pœnitentia eſt virtus ſpecialis, qua dolemus de peccato præterito, vt offenſa Dei, quatenus eſt emendabile auxilio Dei, *ita D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 2.* Et Actus pœnitentis ſecundùm Cõc. Trid. *loco cit.* ſunt Cõtritio, Cõfeſſio, & Satisfactio. Cõtritio dupliciter ſumitur, primo vt eſt actus virtutis pœnitẽtiæ, & vt eſt dolor perfectus voluntariè aſſumptus propter Deum pro peccatis. Secũdo verò vt eſt pars Sacramẽti Pœnitẽtiæ habẽs relationem ad alias partes, & ſic eſt dolor perfectus voluntariè aſſumptus propter Deum pro peccatis cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, *ita D. Tho. 3. p. in addit q. 9. art. 1.*

Confeſſio eſt legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio, quæ ſexdecim habet conditiones his verſibus contentas, ſcilicet.

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis:
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda:
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Satisfactio verò eſt quædam cõpen-

penſatio facta Deo pro culpis cōtra ipſum cōmiſſis cum propoſito virtuali ſaltē eū nō offendēdi, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 12. art. 3. & in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1. q. 3.*

3. Item materia Sacramenti Pœnitentiæ duplex: Remota, & Proxima. Remota ſunt peccata, tamquam circa materiam deſtruendam, & abſoluendam. Materia verò proxima sūt actus pœnitentis, ſcilicet cōtritio, cōfeſſio, & ſatisfactio, quia Sacramentū Pœnitētiæ exercetur per modū iudicij emendatiui, & recōciliatiui; Sed in iudicio emēdatiuo requiruntur accuſatio, dolor, & ſatisfactio, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 2.* Et omnes ſunt partes integrales Sacramenti Pœnitētiæ, quia ita in Concil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 3.* Verùm confeſſio, & contritio non ſolùm ſunt integrales, ſed etiam partes eſſentiales, quia ſine dolore, & confeſſione non ſaluatur Sacramētum Pœnitentiæ. Et licèt ſatisfactio nō ſit pars eſētialis illius, tamen Sacramentum non erit integrum, & perfectum ſine ſatisfactione, quia ad integritatem iudicij pertinet punitio, ſeu ſatisfactio pro delicto, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 2.* Imò contritio ante actualem Confeſſionem, vel in ipſa Confeſſione, vel etiam facta confeſſione ante abſolutionem eſt pars eſſentialis materialis Sacramenti Pœnitentiæ, quia vt ſic ſit quodamodo ſenſibilis; informat enim ſubſequentem, vel præcedentem Confeſſionē Sacramentalem, quæ eſt ſenſibilis, *ita D. Tho. loco ſupra citato ad 1.* Et licèt contritio ſecundum ſe, & ſua propria principia intrinſeca, & ſpecifica, vt contritio eſt, non habeat ex hac parte precisè quod ſit pars Sacramēti Pœnitentiæ, nec eſt prædicatum eſſentiale illius, tamen contritio ſecundùm inſtitutionem Chriſti, in quantum ſcilicet ordinatur ad confeſſionem Sacramentalem, & ſatisfactionem, efficitur pars actu Sacramenti, quatenus coniungitur confeſſioni, & per illam exterius ſignificatur, *ita D. Tho. loco ſupra citato.* Et cōtritio, vt pars Sacramenti Pœnitentiæ dicit ordinem ad ſatisfactionem, quia hoc habet ex inſtitutione Chriſti. Quòd ſi pœnitens nō habet propoſitum ſatisfaciēdi in hac vita, ſed in alia, tunc contritio iſtius erit imperfecta, quia etiam Sacramentum erit imperfectum, ſi non eſt ſatisfactio, quæ etiam eſt illius pars integralis.

4. Verùm hæc materia proxima, ſcilicet actus pœnitentis, vt contritio, confeſſio, & ſatisfactio cum forma Sacramentali non eſt ſimul, & in eodem inſtanti temporis, ſicut in compoſito phyſico naturali, ſed ſufficit, quòd materia, & forma ſint ſimul moraliter, & ſucceſſiuè, quia ſe habent ad modum partium

tium

tium entium ſucceſſiuorum, quamuis verè componant ens ſucceſſiuum. ita iſti actus pœnitentis componunt Sacramentum Pœnitentię non ſimul, ſed ſufficit, quòd componant cum ordine inter ſe. Ideo facta confeſſione, & abſolutio non datur, non fit Sacramentum, quia tunc fit Sacramentũ, quando fit abſolutio in ordine ad cōfeſſionem præcedentem.

ARTICVLVS III.

An Confeſſionis Sacramentum ſit de neceſſitate ſalutis?

1. ℞. Sic, quia ſine eo, vel in re, vel in voto, ſalus non obtinetur ab illis, qui lapſi ſunt poſt Baptiſmum, *ita Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *& D. Tho. 3. p. in addit. q. 6. art.* 1.

2. Meritò Sacramētum Pœnitētiæ dicitur confeſſionis Sacramentum, quia denominatio in Sacramentis fit à materia, & à materia ſenſibili; Sacramenta enim conſtant ex rebus, & verbis ſenſibilibus, tamquã ex materia, & forma, *ita D. Tho. 3. p. q. 60. art. 6. ad* 2. ideo non dicitur Sacramentum contritionis, quia eſt materia in obliquo, neque dicitur Sacramentum ſatisfactionis, quia ſine ea eſt verè, & eſſentialiter Sacramentum, non tamen integrum, & perfectum. Neque dici debet Sacramentum abſolutionis ad abolē-dam hæreſim, latrātē nō requiri dolorem ex parte pœnitentis, *ita in cap. de abolend. de hæreſ.* Cōfeſſio Sacramentalis ſic phyſicè definitur; Eſt confeſſio oris exterior ab interna Contritione, vel Attrtione prouenіente, facta ſub præſcripta verborũ forma, ſeu debita abſolutione, quia phyſica definitio entis artificioſi, materia ponitur in recto, & forma in obliquo. Methaphyſicè ſic definitur. Eſt Sacramentum nouæ legis ad ſignificandã, & conferendam gratiam ſanantem, & ad remittenda peccata commiſſa poſt Baptiſmum; Et eſt congrua, quia conſtat ex genere, ſcilicet Sacramentum nouæ legis, vt conueniat cum alijs Sacramentis; & ex differentia; ſcilicet, ex verbis ſubſequētibus.

3. De fide eſt Sacramentum confeſſionis, & alia Sacramenta nouæ legis inſtituta fuiſſe à Chriſto, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 7. can.* 1. Et talem excellentiæ poteſtatem ſuis miniſtris communicare potuiſſet, ſed ipſe ſolus inſtituit in quantum caput principale Eccleſiæ, ne multa capita viderentur in Eccleſia. Quod ſi alijs communicaſſet, ipſe tamen eſſet caput principale, alij verò ſecundariò, & inſtrumentaliter, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 1. & D. Tho. 3. p. q. 64. art.* 3.

4. Similiter Sacerdotes non accipiunt ſimul, & in eodē actu poteſtatem conſecrandi, & po-

testatem complétam absoluendi; sed in verbis, *Accipe potestatẽ offerendi, &c.* accipiunt potestatem proximam consecrandi, & radicalem absoluendi; & hanc recipiunt in illis alijs verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum, &c.* Ita quod si Parochus accipiendo primam potestatem, & statim Episcopus moritur, non potest absoluere à peccatis, nisi ab alio cõferatur; quia potestas absoluendi datur in secunda.

5. Confessionis Sacramentũ est necessarium necessitate præcepti, quia quod est necessariũ necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, modo medium ad salutem cum sit in nostra potestate; sunt enim alia media ad salutem, quæ non sunt in nostra potestate, vt est Prædestinatio, prima gratia efficax, &c. & eorum omissio non imputatur ad culpam. Taliter quòd peccata remissa per Confessionem in voto, scilicet contritionem sunt remissa absolutè, & simpliciter per ordinem ad confessionem futurã, cui Deus vult illa peccata subijci, & facta confessione pœnitens liber remanet obligatione; *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 6. art. 1.* Et tale votum sufficit esse implicitum, scilicet desiderium, sicut ad remissionem peccatorum ante Baptismum sufficit votum implicitum Baptismi, quia per tale desiderium, & contritionem habet vltimam dispositionem ad gratiam, *ita D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 5. quæstiunc. 1. & 3. p. q. 69. art. 4. ad 2.*

6. Duplex autem est votum, siue propositum recipiendi aliquod Sacramẽtum: Vnum implicitum, alterum explicitum. Implicitum est, quando solùm ratione quadam communi terminatur ad tale Sacramentum, vt habens contritionem, habet etiam propositum seruandi omnia præcepta. Explicitum est, quod in particulari terminatur ad tale Sacramentum explicitè cognitum, vt quando per fidem credens confessionem esse necessariam formaliter, & explicitè, desiderat confiteri. Ad iustificationem ergo per contritionem sufficit votum implicitum confessionis, quia facilè contingere potest, vt ille, qui baptizatus est, antequam sciat esse Sacramentum confessionis, peccat mortaliter, & habet contritionem, tunc iste iustificatur per solum votum implicitum confessionis.

DISQVISITIO XXIX.

De Materia Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An peccata mortalia sint materia remota Confessionis Sacramentalis?

1. ℞. Sic, quia propriè, principaliter, & necessaria sunt peccata mortalia pœnitentis. Propriè, quia pœnitere dicimur, quæ nostra voluntate commisimus. Principaliter, quia ad deletionem illorum est institutum Sacramentum. Necessaria, quia mortale post Baptismũ solùm per confessionis Sacramentum, vel in re, vel in voto deletur, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 2 ad 3.*

2. Triplex est materia, scilicet, in qua, ex qua, & circa quã. Materia in qua est subiectum. Ex qua, est, quæ simul cum forma constituit rem. Circa quam, est, quæ circa quam versatur actio agentis, & in hoc sensu peccata dicũtur materia Sacramentalis cõfessionis ad destruẽda, & abolenda ipsa peccata.

3. Peccatum triplex: Originale, Mortale, & Veniale. Originale est priuatio iustitiæ originalis in esse singulis ex pacto facto à Deo cum Adamo. Mortale, quod est contra legem, dignũ æterna pœna. Veniale, quod propriè non est contra, sed præter legem, dignum temporali pœna, *ita D. Tho. 1. 2. q. 88. art. 2.*

4. Vnde peccatum Originale, vel Actuale ante Baptismum nõ est materia remota necessaria, vel sufficiens Sacramẽti cõfessionis, quia est institutum ad recõciliãdos fideles lapsos post Baptismum, qui tunc subijciuntur iurisdictioni Ecclesiæ, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 2.*

5. Venialia propriè sunt materia, circa quã versantur actus pœnitentis, non principaliter cũ sit institutum ad delẽdum mortale. Neque necessariò, cùm nõ sint digna pœna æterna, nec amittitur gratia diuina, sed est sufficiens materia, quia venialia verè sunt peccata post Baptismum commissa, *ita Concil. Trid. loco supra cito, & D. Tho. 3. p. q. 84. art. 2. 6. ad 3.*

6. Similiter peccatum dubiũ non est sufficiens materia, quia debet esse certa materia, vt in Baptismo aqua naturalis, in Eucharistia panis triticeus. Ideo impenditur absolutio sub conditio-

ditione, dum materia sit sufficiens, licèt sit expressa sub dubio in confessione.

7. Verùm pœnitens certus de peccato, sed dubius de grauitate, dum non habet conscientiam alterius mortalis, non tenetur aliam materiam exhibere, quia iam exhibuit materiam sufficientem. Et sic peccata actualia semel dimissa siue mortalia, siue venialia possunt esse materia sufficiens nouæ confessionis, dummodo adsit distincta materia proxima, idest distinctus dolor, & confessio, quia recipit remissionem aliquantæ pœnæ, & augmentum gratiæ, *ita D.Th. in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 4.* Et tunc forma absolutionis applicata peccatis iam remissis est vera, quia si culpa fuit remissa, cōfertur augmētū gratię, & remissio partis pęnę, (si tota nō fuit remissa,) & hoc vi Sacramenti ex opere operato. Ideo laudabilis confessio generalis de præteritis, quæ potest fieri hodiè partem, & ab illis absolui, & cras aliam partem, & iterū absolui, & sic per totam hebdomadam, & hoc non est dimidiare confessionem, quia non sunt materia necessaria, sed sufficiēs. Sed benè super eandem confessionem non potest reiterari absolutio, quia sicut hostia consecrata non potest iterum consecrari, ita eadem confessio post absolutionem datam nō potest iterum successiuè esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICVLVS II.

An pænitens teneatur in confessione peccata venialia manifestare?

1. ℞. Non, quia sunt alia media ad tollēda venialia, *ita Cōc. Trid. sess. 14. c. 4.* Ita vt nō habēs mortalia, sed venialia nō tenetur semel in anno confiteri, cū venialia non teneatur ex præcepto Diuino, neq; Ecclesiastico, cùm Ecclesia tantum determinet tēpus adimplendi præcepta diuina, *ita cap. omnis de pœnit. & remiss.* Verùm talis ratione sumendæ Eucharistiæ tenetur adire confessionem, & dicere se non habere cōscientiam peccati mortalis; cui adhibenda est fides, dum contrarium euidenter nō constat, quia in hoc foro vnicuiq; credēdum est tàm pro se, quàm contra se loquenti, *ita D.Tho. quodlib. 1. art. 12.* Iure autē diuino non tenemur, licèt possimus venialia confiteri; quia non separant à Deo, neq; naufragium innocētiæ, licèt ad eius remissionem aliquis motus gratiæ requiratur.

2. Ecclesia tamen potest præcipere cōfessionem fieri venialium; quia confessio venialium est opus virtutis, quod in vtilitatem fideliū Ecclesia potest præcipere, non tamen omnium venia-

nialium, quia ad præceptum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ non est necessaria confessio omnium venialium, *ita in Clement. ne in agro. §. sanè de statu monach.*

3. Tamen si quis etiã de venialibus teneatur, vt monachus Sancti Benedicti, qui tenetur singulis mensibus cõfiteri, & sine prorsus dolore confiteatur, peccat mortaliter, quia peccata detestata sunt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, & impedit scienter ne Sacramentum faciat, quod potest, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 2.* Verùm habens quattuor peccata venialia, quorum duo in confessione tantùm detestatur, & alia duo non, hic nõ peccat lethaliter, & verum conficit Sacramẽtum, quia illa duo detestata sunt materia sufficiens. Quãuis peccet venialiter, quia apponit in confessione illa duo non detestata, quæ re vera non sunt sufficientia. Sed confitens se peccasse, scilicet commisisse vnum veniale, & in hoc scienter mentitur, peccat lethaliter, & Sacramentum nullum, non quia in re mentitur, sed quia sciẽter absolutionem à peccatis suscipit, cùm nullam Sacramenti materiã præstet. E contra cõfitens simplici Sacerdoti multa venialia, & inculpabiliter obliuiscitur alicuius mortalis, tunc Sacramentũ validum, & formatum, quia licèt directè absoluatur à venialibus, indirectè tamen, & per accidẽs ab illo mortali, cum obligatione tamen, quòd si postea illius obliti recordaretur iterum confiteatur illud cum habente facultatem absoluendi.

ARTICVLVS III.

An peccatum veniale possit remitti sine mortali?

1. ℟. Non, quia peccator non est amicus Dei, consequenter non est gratia, neque satisfactio, cùm passio Christi nõ applicetur membro mortuo, *ita D. Tho. 3 p. q. 87. art. 4.*

2. Tamen de potentia Dei absoluta possunt, vt si peccator elicit actum cõtritionis incompossibilem cum venialibus, sed Deus tali potest denegare gratiam habitualem iustificantem, & sic delentur venialia non remissis mortalibus, quia mortalia licèt dispositiuè deleantur per actum contritionis, formaliter tamen per gratiam, quam in tali casu supponimus denegari, sine qua mortalia deleri non possunt.

3. Et quamuis habitus infidelitatis, vel disperationis tollatur per actus fidei, & spei, cùm vnumquodq; tollatur per suum contrarium, tamen habituale peccatum infidelitatis, vel disperationis non tollitur per actum

fidei,

fidei, vel spei, sed per infusionē gratiæ, qa habitus infidelitatis, & desperationis sunt maculæ etiā positiuæ in essentia, & potestate animę qui non possunt tolli, nisi per gratiā. Ita dicimus de veniali actu intemperantiæ, qui licèt sit venialis, tamē tollitur per diuinā gratiam, quia licèt macula venialis non opponatur gratiæ, sed perfectio supponit ipsam gratiam, ideò impossibile est de lege ordinaria quòd remittatur veniale sine gratia. Et licèt per gratiam diuinam auferatur habitus vitiorum formaliter, sed non materialiter, quia licèt abhorreat pœnitens, & actualiter auertatur ab illo bono commutabili, sæpe tamen remanet in eo quędam habitualis inordinatio, & materialis inclinatio ad bonū apparens. Et tunc cum gratia infunduntur non solùm virtutes Theologales, sed Morales, quia per gratiam constituitur in esse quodam diuino, & supernaturali, vt sit rectè dispositus circa finem vltimum supernaturalem, & circa media per virtutes morales, *ita D. Tho. 1. 2. q. 63. art. 3. & q. 110. art. 4. & 3. p. q. 62. art. 2.* Et [illegible] virtutes morales infusæ ordinantur, vt sint ciues Sanctorū, & domestici Dei, morales verò acquisitæ, vt benè se habeant ad res humanas, *ita D. Thom. 1. 2.* [illegible]

[illegible] habitus vitiorum materialiter remanens in iustificato non opponitur directè virtutibus infusis, sed acquisitis, quia propriè aduersatur dictamini rectæ rationis humanæ. Et sic habitus temperantiæ infusæ stare poterit cum habitu intemperātiæ acquisitæ, quia hi directè nō opponuntur. Isti ergò habitus vitiosi in homine iustificato per gratiam debilitātur, franguntur, & sunt quasi in viam corruptionis, quia virtutes infusæ impendiunt, vt nō possint ita promptè prodere in prauos actus circa eandem materiam, *ita D. Tho. in 4. dist. 17. q. 2. art 1. ad 4.* Imò tales promptiores sunt in operibus virtutum, quàm alij cęteris paribus, quia de ratione virtutis est, quòd sit habitus, seu qualitas difficile mobilis, per quam faciliter, & delectabiliter homo operatur, vt publicani, & peccatores in Religione Christiāna statim facti sunt in omni genere virtutum perfecti, *ita D. Tho. 3. p. q. 69. art. 4. & de virtut. in comm. art. 10. ad 14. & 15.*

5. Ideo baptizatus proueniēs ad vsum rationis sentit difficultatem in operibus virtutum nō propter defectum habitus virtutum, sed quia gratia iustificans non aufert omnia impedimēta fomitis, passionum, & concupiscentiæ, quamuis ista in iustificatis diminuuntur, & non facilè ab his dominatur, *ita D. Tho. 3. p. q 66. art. 4. ad 3.* Passiones verò ad malum inclinantes non tota-

totaliter tolluntur per virtutem acquisitā, & infusam, nisi fortè miraculosè, quia etiam post iustificationem, & moralem virtutem infusam, & acquisitam remanet colluctatio carnis contra spiritum, quamuis tam per virtutem acquisitam, quàm infusam huiusmodi passiones modificantur, quia tunc non ita effrenatè mouetur homo.

6. Hinc oritur, quòd impugnatio passionum minus sētitur ab habente solū virtutes acquisitas, quàm infusas, quia in frequētatis actibus fit habitus. Ideo per actus virtutum moralium infusarum nō producuntur alij habitus, sed prior habitus intenditur, & perficitur, quia essent per potentiam Dei ordinariam in eodem subiecto duo accidētia eiusdem speciei, quod nō est verum iuxta doctrinam *D. Tho. 1. 2. q. 51. art. 4. ad 3.*


7. Facilitas verò ad operandum actus virtutum, vt in puero baptizato perueniente ad vsū rationis persistēs per multos annos in gratia, si per peccatum postea amittit illos, & cęteras virtutes per se infusas, si inuenit se promptum, & facile ad benè operandum, scilicet ad ieiunandum &c. hoc non prouenit ex aliquo habitu acquisito temperantiæ, sed infuso ex cuius exercitatione pręcedēti manent passiones moderatæ, & difficultates superatæ; quia habitus præcedens passiones moderatas reliquit.

8. Qui quidem habitus, & virtutes infusæ sunt in duplici differentia, per se, & per accidens. Per se sunt, quæ non viribus naturæ, sed diuinæ, & supernaturalis infusionis acquirūtur, vt gratia, fides, & spes. Habitus verò infusæ per accidens, quæ licèt viribus naturæ acquiri possunt, & Dei tamen munere nobis aliquando infunduntur per accidens, vt scientiæ infusæ Salamoni, Adamo &c. sunt eiusdem speciei cum acquisitis, vt oculus miraculosè restitutus cęco est eiusdem speciei cum cęteris; Et sic virtus infusa per se non est eiusdem speciei cum acquisita, quia infusa, corrupta charitate per mortale, ipsa quoque corrumpitur; acquisita verò remanet secundùm suam essentiam. Virtus verò in genere sic definitur à S. Tho. 1. 2. q. 55. art. 4. scilicet, virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nemo malè vtitur, quia virtus non potest esse principium actus mali, secundùm quod procedit ex virtute, *ita D. Tho. 1. 2. q. 57. art. 2. ad 3. & art. 3. ad 1.*

9. Nota obiter, quòd duplex est pœna, scilicet damni, & sensus. Pœna sensus est dolor, seu afflictio quædam positiua afflictiua appetitus siue inferioris, siue superioris. Pœna verò damni

est

eſt carentia diuinæ viſionis. In damnatis eſt pœna damni, & sēſus, in paruulis decedentibus cum Originali poſt diem iudicij tātùm pœna damni afficiuntur, quia afflictio pœnæ delectationis culpæ, quæ nulla fuit in iſtis, ſe tenet ex parte conuerſionis ad bonum commutabile: peccatum autem Originale formaliter conſiſtit in priuatione originalis iuſtitiæ, *ita Innocentius III. in cap. maiores de Baptiſmo, & eius effectu, & D. Tho. q. 5. de malo. art. 2. & in 2. diſt. 21. q. 2. art. 1.* Imò non poteſt dari peccatum veniale cum ſolo Originali, quia omnis veniens ad vſum rationis conuertitur ad Deum, & ſic eſt in gratia, vel non, & tunc lethaliter peccat, quia tenetur conuerti ad Deū implicitè cognitū, ſed dum ſeruat præceptum naturale, implicitè ſe conuertit ad Deum, *ita D. Tho. 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. Et q. 14. de verit. art. 10. ad 1.* Aliàs ſi in principio vſus rationis appetit bonum apparens, peccat mortaliter, quia bonum apparens eſt creatura, & inſtituens creaturam tamquam vltimum finem, eſt peccatum mortale.



ARTICVLVS IV.

An venialia iuſtorum delicta in futuro ſæculo remittantur?

1. ℞. Sic, quia per actum contritionis, quem anima primo inſtanti poſt mortem elicit, quoq; ſe ad eorum remiſſionem diſponit, quatenus per charitatem perfectè cognoſcit bonitatē Dei, ſuum ſtatum, & turpitudinem peccati, etiam venialis diſplicētem Deo, deteſtatur: maximè cum habeat auxilium Dei efficax ad huiuſmodi eliciendum, *ita D. Thom. q. 7. de malo. art. 11.*

2. Sed quia anima per illum actum contritionis, quem elicit in primo inſtanti poſt mortem, nihil meretur, & nihil demit de pœna, quæ morięti pro peccatis reſtat ſoluenda, quia poſt mortem non eſt amplius tempus ſatisfaciendi, ſed ſolùm ſatiſpatiendi, *ita D. Tho. loco ſupra citato.* Ideo probabile tātùm eſt, quòd tunc anima ſeparata per actus contritionis, & dilectionis meretur ſibi remiſſionem peccatorum venialium, quia adhuc eſt in ſtatu merendi aliquod accidentale, ſeu neceſſarium, vt remiſſio peccati venialis, quo ad culpam neceſſariam ad ſuā purgationem, cùm quātùm ad hoc non ſit in termino, ſed quodammodo in via, *ita D. Th. 3. p. in addit.*

q. 4.

q 4. art. 3. ad 3. & in 4. dist. 15. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. Quamuis nullum posſit eſſe meritũ augmenti gratiæ, aut gloriæ, quia hoc eſt viatoribus proprium.

3. Sed rationabiliter dicimus venialia tunc remitti ob merita præcedentia propria, vel Christi applicata cum illo feruenti actu dilectionis, quia perfectè diſpoſitus à Deo amãte illum actum dilectionis ſtatim conſequitur remiſsionẽ peccati venialis. Sed nullam meretur remiſsionem pœnæ Purgatorij, quia iam non eſt locus, & modus ſatisfaciendi huius vitæ, ſed incipit intrinſecè ſatisfactio per Purgatorium, vbi ſoluũtur reatus, & obligationes pœnæ luẽdæ ex peccato dimiſſo. Ideo in Purgatorio magis dicitur debitæ pœnæ ſolutio, quã ſatisfactio, cũ ſatisfactio debeat eſſe per operationem liberã, & in Purgatorio non habet actum poſitiuum acceptandi illas pœnas, ſed ſolùm non renuunt, & priuatiuè ſe habent.

4. Vnde animæ in Purgatorio non ſunt ſimpliciter in termino, quia nondum poſsident obiectum beatificum. Sũt in via negatiuè, quatenus ſatisfaciunt, & luunt pœnas. Et animæ in Purgatorio Angelorum miniſterio, vel Dei munere poſſunt preces noſtras, & vota percipere, nõ tamen inde ſequitur eas mereri, ſed ſolùm ex meritis præcedentibus impetrare, ſicut nũc beati in cœlo cum Chriſto regnantes pro nobis impetrant, nõ tamen merentur.

5. Et dato ex impoſſibili, quod quis decederet cũ peccato Originali, & veniali, ſine mortali, tunc talis puniretur pœna ſenſus æterna in Inferno, per accidens tamen ex coniunctione, quam habet cum Originali pœna debetur æterna, vel detur aliqua pœna temporalis in aliquo ſignato à Deo ſecundùm mẽſuram talis peccati venialis. Similiter veniale ſi in hac vita nõ fuit remiſsũ quo ad culpã, in Inferno nũquam tollitur, quia in eo non eſt medium, ſcilicet actus bonus. Et licèt veniali debetur pœna temporalis, modò per accidẽs ex coniunctione ad mortale iuſtè punitur pœna æterna ſecundùm eandem intentionẽ, quæ illi debetur, quia nõ remittitur veniale, niſi deleatur lethale.

6. Verùm flagella vitæ præſentis à Deo inflicta ſunt ſatisfactoria; quia Chriſtus per dolores, & pœnas corporales ſibi extrinſecus illatas pro nobis ſatiſfecit, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 9. & D. Tho. 3. p. in addit. q. 15. art. 2.* Aliàs ſi per impacientiam ſuſtinere diſſentiat, non ſunt ſatisfactoriæ, quia pœnæ extrinſecus illatæ ex merito operantis ſunt ſatisfactoriæ, quas acceptat voluntariè, & patienter.

7. Vnde ſi duo cum æquali

Ee vo-

voluntate patientes mortem ab extrinseco illatam, vnus iustè, alter verò iniustè, non æqualiter satisfaciūt pro pœnis debitis peccatis dimissis, quia mors iusti maior pœna est in esse moris, quàm illa mors, quæ iustè infertur, cùm ille magis satisfecit. Similiter si duo æqualiter iusti, & æqualiter diuites, vnus cum maiori voluntate, & conatu tribuit pauperibus paruā eleemosynam, scilicet *scutum vnum*, alius verò minori voluntate, & conatu dat ingentem eleemosynam, scilicet *mille scuta*, licèt actus primi sint magis intensus, quàm actus secundi, tamen actus secundi est magis meritorius, & satisfactorius, quàm primi; quia quantitas meriti, & satisfactionis nondum attenditur ex intentione actus, sed etiam ex bonitate, & excellentia obiecti. Hinc est, quòd actus magis meritorius est magis satisfactorius; quia in tantum opus bonum est satisfactorium, in quantum est pœnale, & omne opus meritorum est pœnale.

8. Verùm quando actus virtutis differunt specie, actus excellētioris virtutis est magis meritorius, & satisfactorius, licèt aliquantulum minus intensus. Ita tamē potest multiplicari bonitas actus inferioris virtutis, vel secundùm intentionem, vel secundum extentionem, vt sit magis meritorius, & satisfactorius, quàm actus superioris virtutis, vt si Petrus ieiunet in pane, & aqua magis meretur, & satisfacit, quàm Paulus, qui exercet actum iustitię commutatiuę, seu Religionis, & licèt secundùm se sit perfectior, quàm sit alia, scilicet, temperantia, tamen in indiuiduo potest actus inferioris virtutis esse perfectior ob maiores difficultates, & circumstantias contingentes in singulari, *ita D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 2. ad 2.* Ideo actus non est magis meritorius, & satisfactorius ex eo, quod procedit ab habente intētiorē habitum gratiæ, quia præmium, meritum, & satisfactio corrispondent operi, cùm non habitibus mereamur, sed actibus.

9. Vnde meritum, & satisfactio coram Deo crescit pro pœnis debitis peccatis dimissis ex triplici capite. Primò, ex intentione actus charitatis, & motus liberi arbitrij resurgentis à peccato per pœnitentiam, cui datur maior, vel minor gratia, & consequenter maius, vel minus præmium, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 2.* Secundo, ex bonitate maiori, vel minori obiecti, quia dilectio amici magis est meritoria, quàm inimici, sic dilectio Dei est magis meritoria, quàm proximi, *ita D. Tho. 2. 2. q. 27. art. 2.* Tertiò, difficultas operis maximè auget meritum, & consequenter satisfactionē pro peccatis

catis debitis, *ita D. Tho. 1. 2. q. 114. art. 4. ad 2.*

ARTICVLVS V.

An peccata dimissa per Sacramentalem confessionem redeant per sequens peccatum?

1. R. Secūdùm quid, quia homo per peccata dimissa secundò peccās, ex hoc ipso grauius peccare videtur ratione ingratitudinis, *ita D. Tho. 3. p. q. 88. art. 1.*

2. Imò de potentia Dei absoluta peccata dimissa nō possunt redire per sequens peccatum, quia aliàs reproducerentur à Deo tamquam à causa principali, & illi imputarentur, quod est hæreticum. Sed redeunt sub cōditione, vt de nouo peccans, redit idem pœnæ reatus, ac si speciatim remissa non fuissent, & sic peccata redeunt, & non aliter, ita quod si Deus annihilaret peccatorem non potest illū reproducere numero cum peccatis, quia aliàs peccata illi imputarentur.

3. Neq; Deus potest condere legem, vt peccata iam remissa quo ad culpam redeant, quia aliàs reproducta, Deo imputarentur tamquam principali, cuius solius est rem corruptam eādem numero reproducere. Posset tamen condere legem, vt si Adam peccasset, omnes illius descendentes contraherēt peccatum originale, quia in peccato originali nō reproducitur id, quod erat antea numero idem, cum transfundatur per seminalem generationem.

4. Certum est, quòd per sequens peccatum non redeunt dimissa ex parte conuersionis, quia aliàs homo per peccatum, scilicet prodigalitatis reduceretur in habitum, & dispositionē auaritiæ, & sic vnum contrariū esset causa alterius, quod est impossibile, *ita D. Tho. loco supra citato*. Sed ex parte auersionis à Deo, quia per sequens peccatū priuatur gratia, & fit reus pœnæ æternæ. Ideò dicimus, quòd redeunt secundùm quid, non quo ad culpam, & maculam, quia maculæ, & culpæ, scilicet infidelitatis non possunt stare cum habitu fidei: neq; quo ad reatū, quia reatus est debitum, quod non reuiuiscit per solam creditoris voluntatem, cùm culpa lethalis per sequens peccatum nō redeat, *ita D. Tho. loco supra citato*. Sed redeunt peccata dimissa secundum quid, ex peccato perpetrato ratione ingratitudinis, ideo grauius puniendus perpetuò non solùm pro peccato in quod lapsus est, verùm etiam pro peccatis antea dimissis, pro quibus nondum in hac vita satisfecit, quia dum non satisfecit in hac vita, neq; in Purgatorio satis patiendo, at in Inferno non

est satisfactio, nec satispassio, sed puniendus est perpetuò. Secùs si pro ipsis in hac vita satisfactionem præstiterit, quia nulla debetur pœna pro peccatis quo ad culpam, & quo ad pœnam remissis, *ita D. Tho. 1. 2. q. 87. art. 5. ad 2.*

ARTICVLVS VI.

An per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus quantus fuerat peccatorum prius dimissorum?

1. ℞. Non, quia quantitas reatus redeuntis est secũdùm grauitatẽ peccati subsequentis, sed non est necessarium, quòd peccatũ subsequens sit ita graue, sicut peccata præcedentia.

2. Ingratitudo est vitium oppositum gratiæ, seu gratitudini. Vnde sicut gratitudo est virtus retribuẽs benefactori, quod debet, ita ingratitudo est vitium non retribuẽs benefactori, quod debet, *ita D. Tho. 2. 2. q. 107.* Quæ duplex est, alia materialis, alia verò formalis, seu specialis. Ingratitudo materialis est ad Deũ in quolibet peccato, vt si quis voluptate ductus fornicationi cõsẽsit cõtra Deũ benefactorẽ. Formalis verò, & specialis est quãdo actualiter beneficiũ cõtemnitur, vel non appretiatur, & non recognoscitur, & sic est speciale peccatum, & ingratitudo formalis, *ita D. Tho. 3. p. q. 88. art. 1.*

3. Modò ingratitudo materialis, quæ vagatur per omnia peccata, non est necessariò in specie, sed in genere in confessione aperienda, quia huiusmodi ingratitudo, quæ in reincidẽtia peccatorum reperitur, sufficienter in confessione exprimitur; Benè tamen formalis, quia tunc non solùm est circumstantia, sed speciale peccatum ab omnibus alijs distinctum.

4. Ideo peccata commissa post remissa sũt grauiora, & maioris reatus pęnæ ratione ingratitudinis, quia ratione ingratitudinis attenditur grauitas peccatorum. Aliquando peccata cõmissa post remissa non sunt grauiora, vel æqualia peccatis ante dimissis, quia præcisa ingratitudine, non sunt grauiora, cùm furtùm sit maius ratione ingratitudinis, non verò pręcisè ascẽdit ad grauitatem adulterij, & homicidij, *ita D. Tho. loco supra citato art. 3.* Hinc est, quòd idem numero peccatum commissum à Petro post remissionem peccatorum, & à Ioãne sine tali remissione, grauius est peccatum in Petro, quàm in Ioanne, quia peccatum fit grauius ratione maioris ingratitudinis. Verùm grauitas peccati commissi post pœnitentiam habẽtis annexam formalem ingratitudinem, quatenus se ostẽdit contemnere benefi-

neficia à Deo accepta, adæquat malitiam, & pœnam omnium præcedentium, & ſuperat, quādo non ſunt ita grauia, quia ingratitudo formalis dicit cōtēptū formalem explicitum, & voluntarium cōtra Deum. Sed reatus pœnæ ſenſus, & damni præcedētium iam commiſſorum per ſequens peccatum non redit totus, vel æqualis, quia reatus eſt maior, vel minor iuxta grauitatem, vel leuitatem peccatorum. Et maior, vel minor pœna damni damnatorum non eſt pēſanda ex maiori, vel minori triſtitia eorum in Inferno, ſed propter cauſam peiorem, vel minus peiorem ſubſtinetur, quia dicit ordinem ad grauiora, & leuiora peccata, quæ ſunt illius cauſa, *ita D. Tho. loco ſupra citato.*

5. Verùm peccatum cōmiſſum poſt gratiam baptiſmalem eſt minus ratione ingratitudinis, quàm commiſſum poſt pœnitentiam, quia beneficium remiſſionis peccatorū maius eſt, quàm beneficium innocentiæ, *ita D. Tho. loco ſuprà cit. art. 2. ad 3.*

6. Beneficium autem, ſeu donum collatum à Deo dupliciter poteſt æſtimari maius alio. Primò, ex quantitate dati, quia ſcilicet in ſe maius eſt. Secundò, ex modo dationis, quia ſcilicet magis gratis eſt datum. Et ſic donum innocētiæ datum Adæ, licèt ex quātitate dati fuerit maius bonum, quàm remiſſio peccati, poſtquam ipſe deliquit, tamen remiſſio, & peccati venia per gratiam fuit maius donum, & beneficium ex modo donationis, quia innocentia fuit data Adę, qui nec erat amicus, nec inimicus, remiſſio verò peccati data Adæ ſimiliter eſt maior ex modo donationis, *ita D. Tho. 2. 2. q. 106. art. 2.* Ita dicimus, quòd gratia Baptiſmalis collata puero, licèt ſit maius bonum ex quantitate dati remiſſione peccatorum, quam obtinuit ille deueniens ad vſum rationis poſt actuale peccatum commiſſum, hæc tamen eſt maius donum, & beneficium ex parte dationis, quia fit magis gratis, & maiori inimico confertur, quàm gratia Baptiſmalis. Vnde deueniens ad vſum rationis poſt Baptiſmum ſuſceptum, per primum peccatum amittit maius bonū, quàm per ſecundū ex quantitate dati, ſcilicet iuſtitiam Baptiſmalem, tamen ſecundum peccatum ratione ingratitudinis eſt maius peccatum, quia eſt cōtra remiſſionem etiam actualiū, quæ eſt maius bonum ex modo dationis, quæ facta fuit maiori inimico: primum enim peccatū non fuit niſi contra beneficium remiſſionis peccati Originalis, quod non cauſabat tantā inimicitiam inter Deum, & hominem. Et ſic peccatum commiſſum poſt remiſſionē primi actualis eſt maius peccato commiſſo poſt gratiam

tiam Baptismalem; quia subsequens secundum peccatum, & alia subsequentia habent respectum ingratitudinis ad omnia præcedētia beneficia, & ad omnes remissiones peccatorum cuiuscunque generis, etiam Baptismalis.

7. Ex his deducitur, quòd cùm vitium ingratitudinis opponatur gratiæ; scilicet rei gratis datæ, maior, & minor ingratitudo illa erit, quæ gratiæ magis, vel minus gratis datæ opponitur, eo quia remissio peccati actualis fit magis inimico, & gratia Baptismalis minus inimico, ideo ratione ingratitudinis magis peccat homo per secundum peccatum, quàm per primum, quia per secundum peccatum facit contra gratiam magis gratis collatam, nam magis inimico est data. Per primum verò agit contra gratiam minus gratis datā, quia minus inimico est collata. Sicut seruus reincidens in errorem, licèt in eandem seruitutem reducitur, tamen iuxta inæqualitatem ingratitudinis, & offensæ reducitur in maiorem, & minorem seruitutē, ita quantitas reatus peccati subsequentis redit maior, vel minor ratione ingratitudinis.

DISQVISITIO XXX.

De forma Absolutionis Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An forma Sacramenti Confessionis sit hæc, Ego absoluo te?

1. ℞. Sic, quia in his consummatur significatio formæ, & effectus eius, cum implicitè contineatur, *à peccatis tuis*, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 3.*

2. Item dicere, *Absoluo te*, valet, quia in alijs Sacramentis, in quib⁹ materia proxima est actus causatus ab ipso ministro, necessarium est, quòd significetur in forma; at in Sacramento Pœnitentiæ cum materia apponatur ab ipso pœnitente, non est necesse, quòd expressè, sed impressè formam appositam esse à ministro.

3. Neque, *à peccatis tuis*, sunt

sunt necessaria necessitate Sacramenti, quia Confessio est iudicium, in quo non est necesse exprimi iterum culpam, sed audita accusatione, pronunciat hunc esse immunem, vel reum.

4. Ideò inualidum dicere, *Absoluat te Deus, Christus &cet.* quia non expresse significatur actus exercitus à Sacerdote. Tum quia dicitur, *Dominus Iesus Christus te absoluat &c.* aliàs successiuè erũt duæ formæ sufficientes super eandem materiam; quod est falsum, *ita Diuus Thom. loco supra citato ad 2.* Valet tamen dicere, *Absoluatur seruus Christi*, quia exprimitur actio exercita à ministro p modum imperatiuum. Item non valet, *Absoluat te Deus*, quia ostendit tantum, quod Deus facit, non autem Sacerdos ministrat, tamquam iudex, sed tamquam præco, *ita D. Thom. opusc. 22. cap. 12.* Ideo sub forma deprecatiua non valet, quia licet Christus potuit sub tali forma instituere, tamen de facto debet proferri sub forma, vt est instituta à Christo, *ita D. Thom. loco supra cit. & 3. p. q. 84. art. 3. ad 1.*

5. Neque necessaria inuocatio Trinitatis, vt sit valida, quia instituens non apposuit, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 3. ad 3.* Et quia in Baptismo expressit, ideo necessaria, quia ibi fit sollemnis professio fidei, vbi præcipuum est mysterium Trinitatis, *ita D. Thom. 3. p. q. 66. art. 5.* Sicut etiam in Sacramẽto Confirmationis, quia confertur ad promptius potestandam, & confitendam fidem, cuius initium est Trinitas, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 29. art. 9.* Et quamuis in Sacramento Pœnitentiæ non sit de essentia, tamen omittendo peccat, quia facit contra communem vsum Ecclesiæ.

6. Item validum dicere, *Remitto, condono, vel Sacramentum Absolutionis impendo*, quia ac si diceret, sacramentaliter te absoluo. Item est validum, absoluendo Regem dicat, *Absoluo maiestatem tuam*, Vel dicat, *Nos*. Vel si plures absoluendo dicat, *vos absoluo*, tempore necessitatis. Vel dicere, *Remittuntur tibi peccata*, dum remanet in forma sacramentali idem sensus, & eadem significatio, & dum mutatio est solùm accidentalis, validum est Sacramentum; sed hæ mutationes verborum non possunt fieri absque peccato, quia faciunt contra doctrinam Cõciliorum, & vniuersalem vsum Ecclesiæ.

7. Sed relinquere, *te*, non est validum, quia mutat substãtiam formæ, cùm verbum, *absoluo*, possit enunciari non solùm circa peccata alicuius præsentis, sed etiam absentis, quod fieri non potest, *ita Cõcil. Florent.*

inde-

in decret. Eugenij IV. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. & D. Thom. 3. p. q. 84. art. 3.

8. Item necessarium necessitate Sacramenti est, quòd forma sint ipsa verba, & non signa idem significantia; quia omnia Sacramenta constant rebus, & verbis, excepto Matrimonij Sacramento, *ita Concil. Florent. in decret. super Union. Græcorum, & Armen. ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. & D. Tho. loco supra citato.* Tandem pœnitens tunc manet absolutus, quando dicitur, *Absoluo te*, etiam si addantur alia verba sub intentione perficiẽdi Sacramentum, cum substantia, & essentia illius nõ pendeat ex arbitrio Sacerdotis, nec ipse suspendere potest effectum formæ, sed pendet ex institutione Christi.

ARTICVLVS II.

An sensus huius formæ Sacramenti Pœnitentiæ, Ego absoluo te, semper sit verus?

1. R. Sic, quia idem est dicere, Sacramentum Absolutionis, tamquã Dei minister tibi impendo, quæ de se sufficiens est ad remittẽda peccata, & ad gratiam conferendam, *ita D. Thom. 3. p. quæst. 84. art. 3. ad 1.*

2. Tripliciter potest contingere, quòd pœnitens accedat ad Confessionis Sacramentum. Primò taliter, quòd nõ recipiat gratiam, sed sit tantùm Sacramẽtum informe. Secundò, in alio extremo potest accedere cum contritione, atque adeo iam habens gratiam. Tertiò, potest accedere medio modo cum sola attritione, supernaturali tamen.

3. Quando accedit cum peccatis, & sola attritione, est verus, & proprius sensus formæ Sacramenti Cõfessionis dicendo, *Ego absoluo te*, quia tunc obtinet remissionẽ vi Sacramenti. Et quãdo accedit cum contritione, etiam verus est sensus, quia idẽ est dicere, *confero beneficium Absolutionis quantùm in me est*, & per se attinet ad virtutem Sacramenti, *Ego absoluo te, ita D. Tho. loco supra citato*; per accidens enim est, quòd pœnitens sit in gratia. Etiam est verus sensus, quando pœnitens est indispositus, & accedit cum obice peccati, quia Sacerdos quantùm in se est absoluit, ex culpa propria vult in vinculis detineri.

4. Item forma Absolutionis prolata à Sacerdote in proprietate sermonis, scilicet, *Ego absoluo te*, verificatur, quia à Sacerdote remittitur culpa, & pęna ęterna ministerialiter, & tamquam ab instrumento Dei. Sed nõ nudum solum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata,

cata, sed ad instar actus iudicialis ab ipso velut à iudice sententia proferatur, quia dum absoluit vt iudex, iudex in omni iudicio propriè dicitur absoluere, *ita Concil. Trident. sess. 14. cap. 6.*

ARTICVLVS III.


An valeat absolutio Sacramentalis, si pœnitens per literas peccata sua transmittat ad Confessorem, deinde in præsentia absoluatur?

1. ℞. Sic, quia tunc absolutio, & Confessio censetur in præsentia pœnitentis, cùm integrè se accusat de omnibus peccatis per literas transmissis.

2. Imò absolutio valida cum conditione, *si non es absolutus, te absoluo*, quia Sacerdos tunc intendit absoluere de præsenti, si res ita se habet. Sed non de futuro, scilicet *si restitueris, Ego te absoluo*, quia non est in potestate Sacerdotis nunc conferre Sacramentum, & in futurum differre eius effectum.

3. Ideo data absenti non valet, & contrarium asserere est temerariũ, & scandalosum, quia debet sistere ante tribunal, quod est actu se præsentem cõstituere, *ita Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. & Clemens VIII. in decreto edito 1602.*

4. Neque valet, si nullum signum, aut verbum de peccatis commissis exprimit coram Cõfessore, licèt peccata in scriptis eidem transmiserit, quia Confessio Sacramentalis est actus personalis, quo de præsenti loquitur. Si verò pœnitens mutus, & nutu capitis annuit, dum Sacerdos legit peccata, valet, quia loquutioni æquiualet, & ad realem accusationem hoc satis est. In prolatione tamen sententiæ, & absolutionis requiritur vox humana, & verba propriè, quia Christus instituit formam absolutionis ore proferre, cùm in Sacramẽtis forma multò expressius significet, quã materia, *ita Concil. Trident. loco supra citato.*



DISQVISITIO XXXI.

De Dolore requiſito in Confeſſione Sacramentali.

ARTICVLVS I.

An dolor neceſſariò requiſitus in Sacramento Pœnitentiæ debeat Confeſſionem præcedere?

1. ℞. Sufficere ante quam abſoluatur, quia cõfeſſio habet ſufficientem rationem accuſationis per actum doloris, cum quo ipſi abſolutioni ſubijcitur.

2. Vnde ſi poſt abſolutionẽ, vel incæptam abſolutionis formam eliciat actum doloris, inualidum Sacramentum, quia in iudicio recõciliatiuo preſupponitur cognitio cauſæ, & dolor.

3. Sed validum, ſi in recogitatione peccatorum dolet de illis, quia ille dolor moraliter cõiungitur confeſſioni, quæ virtute illius cenſetur doloroſa.

4. Similiter validũ eſt ei, qui dum confitetur, incidit in phreneſim, vel amentiam, dummodo moraliter credatur talem in eadem voluntate, & pœnitentia mãſiſſe, quia abſolutio eſt quædam ſententia, quæ fieri poteſt in confeſſione dilectorum, quæ antepræceſſit, & more humano cenſetur præſens abſolutioni.

5. Secus eſt in alijs Sacramẽtis, ſcilicet Baptiſmi, Vnctionis, & Confirmationis, ſi prius formam, & poſt prolationem formæ applicet materiam, vel è cõtra, valida ſunt Sacramenta, quia non exercentur per modum iudicij reconciliatiui, ideo ſufficit ad eorum conſiſtentiam, quòd concurſus materiæ, & formæ more humano cenſeãtur ſimul, cùm prolatio formę parùm precedat applicationem materiæ, & è contra, *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 4.*

ARTICVLVS II.

An aliquis dolor ſit de eſſentia Sacramenti Confeſſionis?

1. ℞. Sic, quia non poteſt eſſe accuſatio ſui ipſius ſine aliquo dolore, aliàs eſſet hiſtorica narratio, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 4. & D. Tho. 3. p. q. 90. art. 2.*

2. Vnde de neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis eſt volũ-

tas confitendi peccata, & obtinẽdi absolutionem eorum, quia in omni suscipiente, si vsum rationis habet, requiritur voluntas, & intentio recipiendi eam. Tamen hæc voluntas nõ requiritur vt pars Sacramenti, sed vt necessaria conditio ex parte subiecti, quia intentio dandi, vel recipiendi Sacramentum non est pars eius, licèt sit de necessitate. Quamuis hæc voluntas sit facta propter humanum motiuum, scilicet inanẽ gloriam, vel cõmodum temporale, tamẽ sufficit ad valorem Sacramenti, & adimplet præceptum, quia voluntas ex illo fine est tantum peccatum veniale, quod non est obex gratiæ, absolutio est fructuosa, & valida, nisi alium defectum habeat.

3. Rursus ad valorem huius Sacramẽti requiritur dolor formalis, quia materia huius Sacramẽti à Christo instituta fuit dolor formalis, *ita Concil. Trid. loco supra citato. & D. Tho. loco supra citato.* Et non sufficit dolor virtualis, idest act⁹ dilectionis Dei, quia aliàs in Eucharistia sufficeret vua pro vino, & triticum pro pane, virtualiter continentes vinum, & panem, quod est falsũ. Posset tamen cum hoc dolore excusari à peccato ob ignorantiam, vel inaduertentiam, quia facit bona fide, & implicat aliquem habere actum dilectionis Dei super omnia, & grauiter peccare, tamen non recepit Sacramentum Pœnitentiæ, quia non exhibet materiam, quam Christus instituit, *ita Concil. Florent, sess. vlt. de decret. Eugenij. & Concil. Trid. sess. 14 cap. 4. & D. Tho. in 4. dist. 23. art. 4. quæstiun. 2.*

4. Nota, quod dolor, pœnitentia, & displicentia est duplex. Altera actualis, & formalis, idest habere actualem, & verum dolorem de peccatis commissis. Altera virtualis idest non actualis displicentia de peccatis, sed formaliter alius actus, idest dilectio Dei super omnia tantæ virtutis, & vis sit, vt ex eo nata sequi actualis, & formalis displicentia peccatorum, & talis dicitur dolor virtualis, & implicitus peccatorum. Primus dolor requiritur ad validitatẽ huius Sacramenti, quia est vera pars essentialis huius Sacramenti. Secundus dolor non sufficit ad valorem, quia non est materia, quam in hoc Sacramento Christus instituit exhibendam. Imò ad recipiendam absolutionem de peccatis venialibus non sufficit dolor virtualis, sed formalis, quia dolor formalis est vera accusatio, *ita D. Tho. in 4. dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2.*



ARTICVLVS III.

An ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, & eius effectum consequendum, sufficiat attritio?

1. R. Sic quia licèt ex se sola non sufficiat, sufficit cum Sacramento, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. & D. Tho. 3. p. in addit. q. 1. art. 1. & 3. p. q. 80. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 27. q. 3. art. 5. quæstiunc. 1.*

2. Talis autem attritio vera, & supernaturalis est detestatio peccati disponens hominem ad gratiam suscipiendam, quia dispositio, & forma, ad quam disponit, debet esse eiusdem ordinis, cùm forma sit ordinis supernaturalis, scilicet gratia iustificãs, quæ est donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus nõ adhuc inhabitantis, sed tantùm mouẽtis, quo pœnitens aditus viam sibi ad iustitiam parat, & sufficit ad confitendum Sacramentum, quia materia Sacramenti huius non exhibetur à ministro, sed à Deo interius operãte, *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 3.* Ad differentiam contritionis perfectæ, quæ sine Sacramento in re iustificat, *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Verùm dolor, & attritio peccatorum secundum quod terminatur ad naturalem turpitudinem peccati, licèt sit naturalis, cùm quælibet virtus naturalis acquisita possit detestari peccatum sibi contrarium ob turpitudinem, quam habet in se; tamen quatenus ordinatur à fide diuina, & à spe veniæ peccatorũ consequendæ ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ ratione istius supernaturalitatis, & perfectionis supernaturalis, est donum Dei, & sufficiens dispositio ad valorem Sacramenti, & gratiam consequendam, *ita Concil. Trid. sess. 4. cap. 4. & D. Tho. 3. p. q. 85. art. 5. ad 3.*

4. Certum est etiam, quòd attritio, quæ concipitur ex gehænnæ, & pœnarum metu, vel ex damno spirituali amissionis beatitudinis, & gratiæ, vel ex aliquo externo motiuo, quantum ad omnia, supernaturalis est donum Dei, & sufficiens dispositio ad valorem Sacramenti, & cum eo ad gratiam consequendam, quia cùm sit de obiecto supernaturali, quæ nequit haberi sine speciali gratiæ Dei auxilio, est supernaturalis quantum ad omnia obiectiuè, & effectiuè.

5. Etiam attritio, quæ concipitur ex consideratione naturali turpitudinis peccati, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ, indiget auxilio speciali Dei, quia vt sic salutaris est, & pia, donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, entitas, & dispositio supernaturalis proueniẽs ab auxilio supernaturali. Quamuis obie-

obiectiuè, vt terminat ad fœditatem naturalem peccati sit naturalis, & absque speciali auxilio Dei haberi potest, in generali tantùm ordine naturæ, quia vt sic præcisè est propter naturalem virtutis amorem, & vt sic alijs conditionibus præcisis naturalis est. Similiter dolor, & attritio orta ex timore detrimentorum bonorum temporalium, si voluntatem peccādi excludit cum spe veniç peccatorum consequendæ, sufficit ad valorem Sacramenti, & ad iustificationem, quia ille timor relatus ad susceptionem Sacramenti cum spe veniæ peccatorum consequendæ, nō est merè naturalis, sed diuinus, & supernaturalis, & ad virtutem spei pertinet.

6. Nota, quòd attritio, quam quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ triplex esse potest. Prima est dolere de peccatis ob timorem pœnæ excitatiuè, scilicet timore pœnæ occasionem accipit dolendi de peccatis, & præstādi aliquod bonum opus. Secunda est, qua quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ, tāquam ob finem proximum, nō excludendo vltimum finem, scilicet Deum, ad cuius gloriam hoc totum referri potest. Tertia est, qua quis dolet ob timorem pœnæ, sed cū tali affectu, quòd si pœna non esset, non præcaueret peccatum. Prima, bona est, quia per illam homo pertrahitur à Deo ad meliorē frugem, *ita Concil. Trid. sess. 6. cap. 6.* Secunda etiam est bona, quia consentaneum est rationi, vt peccatum odio habeatur propter pœnam. Tertia verò mala, & peccaminosa, & insufficiens ad valorem Sacramenti, & gratiam consequendam, quia includit actualē affectum ad peccandum. Ideo prima, & secunda directè ad suscipiendum Sacramētum cum spe veniæ, & peccatorum consequendæ, & voluntate amplius non peccandi, sufficiunt ad valorem Sacramēti, & ad gratiam medio illo consequendam, quia habentur auxilio Dei, & sunt simpliciter actus supernaturales ab auxilio supernaturali emanantes.

ARTICVLVS IV.

An attritio, vt sit sufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ debeat includere efficacem voluntatē non peccandi de cætero?

1. ℞. Sic, quia dolor inefficax nō excludit voluntatem peccandi, cùm aliquādo aliquis de facto peccet, & habeat velleitatem nō peccandi in futurum, *ita Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.*

2. Verùm propositū virtuale præcauendi peccata futura est suf-

sufficiens ad valorem Sacramẽti Pœnitentiæ, quia ad valorem Sacramenti sufficit perfecta detestatio, & dolor de peccatis, etiã quòd nõ habeat formale, & explicitum propositum non peccandi, cùm hoc pendeat ex futuro euentu, & non est necessarium, *ita Concil. Trid. loco supra citato.*

3. Vnde attritio supernaturalis etiam vt attritio cognita, est sufficiens ad iustificationem cũ Sacramento, quia *ita Conc. Trid. loco supra citato.* Secùs non habẽs veram attritionem supernaturalem, licèt doleat se illam nõ habere, nõ validum suscipit Sacramentum, quia huiusmodi non est attritio peccatorum, sed dolor carentiæ attritionis. Imò attritio naturalis credita inuincibiliter supernaturalis, neque est sufficiens, quia expedit, quòd proueniat ex inspiratione interna, & supernaturali, & sit donũ Dei verè. *ita D. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. ad 1.*

4. Neque sufficit attritio particularis vnius, vel alterius peccati mortalis, sed attritio vniuersalis omnium, quia impium est à Deo iusto dimidiam sperare salutem, *ita D. August. & D. Tho. 3. p. q. 84. art. 3.* Verùm de venialibus sufficit particularis attritio vera de quibusdam, licèt non de omnibus, quia non sunt materia necessaria in Confessione, sicut peccata mortalia, ideò dolor de aliquibus, ne confiteãtur sine dolore. Tamen omissio veræ attritionis omnium lethalium, quæ exponuntur in Cõfessione, si cõtingat ex ignorantia, & inaduertentia inculpabili, Confessio non est simpliciter nulla, sed absolutè valida, quia sicut Confessio nõ est nulla ob inculpabilem obliuionẽ, ita neque attritio ex eadem causa. Tenebitur tamen illa iterum confiteri, si defectum commissum postea recognoscat, quia sicut peccatum oblitum in Cõfessione tenetur iterum confiteri, ita etiam peccatum confessũ sine vera attritione. Neque valet Confessio facta sine dolore, etiam si postea adueniat vera attritio, quia quod ab initio nullum, tractu temporis non conualescit.

ARTICVLVS V.

An Attritio, & Contritio, quæ sunt partes essentiales Sacramenti Confessionis, differant specie, & essentialiter?

1. ℞. Sic, quia habent diuersa obiecta, scilicet Contritio, vt offensa Dei, Attritio ob metum Inferni. Item habent diuersos effectus, cùm Contritio sit vltima dispositio, causat gratiam ex natura sua, Attritio verò est remota dispositio

tio simul cum Sacramento causat gratiam.

2. Nota, quòd prima Contritio elicita à peccatore prioritate naturæ ante iustificationẽ, quæ est dispositio ad gratiam, & remissionem peccatorum, de qua agit *Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.* non est actus elicitus ab aliquo habitu supernaturali infuso, sed ab auxilio supernaturali supplente vicem illius habitus, quia prima Contritio est prior natura ipsa gratia, & habitibus per se infusis, scilicet pœnitentiæ, & Charitatis, supplente vicem habitus illarum, *ita D. Tho. 3. p. q. 62. art. 2. ad 3.* Sed benè secunda Cõtritio facta ab existẽte in gratia, est actus elicitus ab habitu Pœnitentiæ infusæ, quæ est in voluntate, quia cùm sit detestatio peccati, vt offensa Dei cum proposito emendandi vitã, confitendi, & satisfaciendi, & spe veniæ diuinitus obtinendæ, & hoc pertinet ad virtutem pœnitẽtię, *ita D. Tho. 3. p. q. 85. art. 2. & in addit. q. 1 art. 2. ad 1.*

3. Et ille primus actus Contritionis intelligitur informis, qa non intelligitur formatus, nisi per gratiam. Tamen dici potest formatus, quatenus intelligitur esse actus hominis grati, & iusti, quia in illo instanti temporis, in quo homo conteritur, et infunditur gratia, & sic sufficit, vt sit dispositio ad gratiã consequendam, *ita D. Th. 3. p. q. 89. art. 1. ad 2.* Et licèt talis actus contritionis, vt formatus, non sit meritorius gratiæ iustificantis, cùm principium meriti non cadat sub merito, tamen est meritorius saltẽ de condigno gloriæ, quia licèt non procedat à gratia habituali, habet tamen coniunctionem cum illa gratia, *ita D. Thom. 1. 2. q. 112 art. 2. ad 7.*

4. Similiter Cõtritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam iustificantem non includit essentialiter formalem diuini amoris actum, quia in re ipsa aliquãdo est contritio sine formali amore re ipsa inhibito, & sic formalis amor non est de essentia cõtritionis, quę non tendit directè in Deum summè dilectum, vt quod, sed vt quo, *ita D. Tho. in 4. dist 14. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.*

5. Imò quando dicitur in Cõcil. Trid. *sess. 14. cap 4.* perfectam Contritionem informari charitate, non intelligitur de actu formali charitatis, sed de infusione gratiæ, & charitatis, per quam formatur contritio, quia in eodem instanti, & est contrititio, & infusio gratiæ, & charitatis, & omnium habituum per se infusorum per concomitantiam. Verùm in tali contritione virtute, & implicitè includitur votũ formalis amoris Dei super omnia, quia cõtritio essẽtialiter includit transcẽdetalem ordinem ad dilectionem.

6. Item Contritio supradicta in-

includit in ſe motiuum vniuerſale ſiue formaliter, ſiue virtualiter deteſtandi omnia peccata, quia omnia peccata continent grauem offenſionem, & iniuriam Deo, ideò deteſtantur, vt offenſa Dei, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 2.* Non tamen vniuerſalis deteſtatio requirit vniuerſalē virtualiter de omnibus venialibus, quia poſſunt remitti omnia mortalia per contritionem ſine venialibus, *ita D. Tho. loco ſupra citato.* Sed benè contritio venialium cōtinet in virtute deteſtationem mortalium, quia non poteſt remitti veniale ſine mortali, cùm requiratur aliquis actus gratiæ, qui eſſe nequit, vbi eſt peccatū, *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 4. ad 2.*

7. Tandem attritio, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad Sacramentū Pœnitentiæ nō eſt actus Pœnitentiæ infuſæ, quia quandoque prius tempore producitur, quàm penitentia infuſa. Sed procedit ab auxilio Dei ſupernaturali, quia eſt donum Dei, & Spritus Sancti impulſus. Et talis attritio includens motiuum deteſtandi omnia peccata mortalia, ſaltem virtualiter odio habet omnia peccata mortalia, quia reatus pœnæ æternæ non minus contrahitur per vnum mortale, quàm per omnia. Verū attritio alicuius mortalis cōcepta ex aliquo motiuo ſpeciali, non ſe extendit ad omnia mortalia, quia ratio ſpecifica turpitudinis non eſt eadem in culpis lethalibus ſpecie diſtinctis, *ita D. Tho. loco ſupra citato.*

ARTICVLVS VI.

An ad valorem Confeſſionis Sacramentalis pro ſingulis peccatis ſingulæ cōtritiones requirantur?

1. ℞. Non, quia difficile eſt, quòd confitens mille peccata, mille contritionis actus eliciat ſigillatim. Tamen laudabile eſt, & optimum conſilium, vt pro ſingulis peccatis ſingulas contritiones eliciat, ſi poteſt, vt plenam remiſſionem peccatorum quo ad culpam, & quo ad pœnam, quantum in ſe eſt, conſequatur, ſed in Confeſſione expedit ſingula crimina manifeſtanda eſſe, quia integritas Confeſſionis eſt de iure diuino, quod non apparet obligatio ſingulas contritiones de ſingulis peccatis habere, *ita D. Tho. 3. p. in addit. art. 6.*

2. Contritio de peccatis duplex: Formalis, & expreſſa, ideſt habere verū, formalem, & actualem dolorem de peccatis. Altera eminens, & virtualis, ideſt in actu dilectionis Dei ſuper omnia, memor peccatorum dolet de illis.

3. Item Contritio expreſſa, & formalis duplex: Alius formalis explicitus dolor circa omnia pec-

peccata. Alius formalis implicitus, vt quando cognoscēs offendisse Deū, dolet de illis omnibus in communi.

4. Item dolor formalis explicitus de peccatis dupliciter potest fieri. Primò, recogitatis omnibus, & singulis peccatis, postea in omnibus habet dolorem vnicum de omnibus. Secundo, circa singulas recogitationes singulos dolores habet; & sic potest esse dolor talis magis, & magis explicitus, cum melius recogitantur peccata. Modò ad Sacramentalem Cōfessionem necessariò requiritur ad eius valorem, & substantiam dolor formalis, & actualis, quia pars essētialis huius Sacramenti est contritio, quæ est dolor formalis, & actualis.

5. Vnde ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non sufficit, vt pœnitens habens plura mortalia, vnū formaliter ex motiuo vniuersali detestetur, & alia virtualiter, quia expedit, quòd cōtritio, vel attritio formaliter terminentur ad omnia peccata, licèt confusè concepta, & virtute extenditur ad singula, de quibus fit Confessio, & recordatur. Quòd si vnius tantùm memoriam habet, & aliorum inculpabiliter obliuiscitur sufficit ad valorem Sacramenti, quòd formaliter detestetur illud, cuius memoriam habet, & virtute aliorū, quorum inuincibiliter non recordatur. Tamen tenetur, si postea in mentem venit, Sacramēti Confessionis clauibus subijcere, & de illis memoratis specialiter dolere, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 2. art. 3. ad 7.*

ARTICVLVS VII.

An Contritio sit necessaria necessitate medij, & præcepti ad salutem?

1. ℞. Non, quia recipiendo Pœnitentiæ Sacramentum cum sola attritione iustificatur, & saluatur, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.*

2. Nota, quòd obiectum materiale Contritionis est peccatū commissum destruēdum, & expellendum, quia Contritio circa illud versatur. Obiectū formale est peccatū, quatenus malū, & offensa Dei, quia per hoc distinguitur contritio ab actibus aliarum virtutum. Ideò cōtritio differt specie ab attritione, quia contritio detestatur peccatum, vt offensa Dei, attritio verò propter Infernum.

3. Vnde peccatum dimissum, non vt dimissum, sed quatenus fecit hominem Deo inimicum, potest esse obiectum Contritionis, quia iusti sæpius eliciunt Contritionis actum ob memoriam peccatorum antea commissorum. Similiter venialia possunt esse obiectum Contritionis, quia sunt aliquo modo

Gg of-

offensa Dei, & aliquo modo efficiunt hominem Deo inimicũ, *ita D. Th. 3. p. in addit. q. 1. art. 4.* Sed non peccatum futurum, quia Contritio propriè significat retractationem voluntatis, quæ versatur circa opus iam cõmissum. Ideò peccata futura non primariò, sed secũdariò possunt esse actus Contritionis, quia ex eo, quòd quis dolet de præteritis, secundariò sequitur non velle peccare in futurum, & potius dicitur cautio, quæ est pars Prudentiæ contritioni adiuncta. *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 2. art. 4.*

4. Neq; peccatum Originale est propriè obiectum contritionis, quia contritio propriè est de peccato, quod propria voluntate contrahitur, & ex origine vitiatæ naturæ, *ita D. Tho. loco supra citato.* Neq; peccatum alienũ, quia dolor de peccatò alieno est magis actus Charitatis, sicut dolor Christi de alienis peccatis, *ita D. Tho. loco supra citato.*

5. Vnde cõtritio explicita, & formalis necessitate medij etiam extra Sacramentum non requiritur ad iustificationem, sed satis est virtualis in actu dilectionis Dei super omnia simpliciter. Et hoc solùm obtinetur in casu naturalis obliuionis, vel inconsiderationis, quãdo peccata memoriæ non occurunt, & homo cogitando de Deo, super omnia diligit illum, quia præceptum formalis, & explicitæ Pœnitentiæ non obligat, nisi supposita conscientia peccati mortalis, & per naturalem obliuionem non obstat, *ita D. Tho. q. 87. art. 1.* Cõsequenter vt sic non potest pro sua libertate elicere actum fructuosum, & sufficientem ad iustificationem, nisi per pœnitentiam formalem detestentur peccata cognita, & memoriæ occurrentia, quia extra Sacramẽtum medium necessarium ad iustificationem est contritio, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. & D. Tho. 3. p. q. 86. art. 2.*

6. Verùm iustificatus per cõtritionem virtualem nõ tenetur statim dolere de peccatis tunc recordatis, sed quando occurrit præceptum Cõfessionis, & post sufficientem indaginem mortalia veniant in mentem, quia dilectio illa includit votũ, & propositum formaliter dolendi de illis quando occurrit præceptũ confessionis. Sed votum tale nõ includitur in remissione venialium, quia præceptũ est dolere de mortalibus, cùm de venialibus sint multa alia remedia instituta ad tollenda ea, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.* Tenebitur tamen actũ verę penitentiæ formalis elicere in periculo mortis corporalis, vel perpetuę amẽtię, quia cum sit præceptum affirmatiuum obligat tempore necessitatis peculiaris.

7. Similiter obligat extra vsũ Sacramenti non solùm ratione medij

medij ſed etiam præcepti ad ſalutem in ſtatu legis naturæ, legis veteris, & legis gratiæ, quia quod eſt neceſſarium neceſſitate medij, neceſſarium etiam erit neceſſitate præcepti, *ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & D. Tho. 3. p. q. 86. art. 2. & 2. 2. q. 79. art. 3. ad 2.* Imò tenetur etiam inſtante occaſione, ſeu neceſſitate moriendi prò Chriſto, vnde ſi voluntariè hoc omittit, & ſine ea diſpoſitione moriatur, ſi peccata commiſſa in mentem veniunt, non ſaluabitur per martyrium, niſi conteratur, quia occaſio martyrij non tollit obligationem contritionis extra Sacramentum, cum martyrium non ſit inſtitutum ad tollendum peccatum.

8. Nota, quod neceſſarium neceſſitate medij illud eſt, quo prætermiſſo in quouis ſtatu etiā inculpabiliter, & inuoluntariè non obtinetur extra Sacramentum. Neceſſarium verò neceſſitate præcepti eſt, quo culpabiliter ſalus non obtinetur, quia contritio in quouis ſtatu eſt neceſſaria.

ARTICVLVS VIII.

Quo tempore obliget præceptum Contritionis?

1. ℞. In periculo mortis, & perpetuæ amentiæ, quia tunc eſt maxima neceſſitas Contritionis, cùm adſit periculum damnationis. Immò magis quàm ſemel in anno, quia ſicut præceptum fidei, ſpei, & charitatis, licèt ſint affirmatiua, obligant etiam extra tempus extremæ neceſſitatis, ita & contritionis. Et talis accedens ad Sacramentum confeſſionis tenetur ſe accuſare de violatione huius præcepti, quia contritio per ſe eſt diſpoſitio ad gratiam in peccatore, & abſurdum eſt eſſe ſine gratia per totam vitam vſque ad articulum mortis.

2. Sed per accidēs ex aliqua circumſtantia poteſt quis obligari ad eliciendum actum contritionis plus, quàm ſemel in anno, quia non poteſt quis dignè ſuſcipere, vel adminiſtrare Sacramentum, niſi peccatum deleat per confeſſionem, vel ſaltem per cōtritionem. Excepta tamen ſuſceptione Baptiſmi, vel Pœnitentiæ, ad quam ſufficit attritio, quia ſunt inſtituta ad conferendam primam gratiam, & ſunt Sacramēta mortuorum, quæ nō ſupponunt in ſubiecto, ſed eam conferunt ſubiecto attrito. Similiter obligat actum contritionis habere de præteritis, quando eſt in periculo probabili incidenti in aliquod mortale, quia D. Gregorius ait: peccatum, quod per Pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad alterum, quod per actum cōtritionis poteſt euitare.

3. Verùm obtinens absolutionem Sacramentalem in supradictis, postea non tenetur ad præceptum contritionis, quia Sacramentum facit de attrito contritum. Et si in supradictis casibus non conteritur, non cōmittit duo, sed vnum peccatum, quia vbi est vnū propter aliud, ibi est vnum tantùm. Sed quando præceptum cōtritionis obligat ratione sui, committit duo peccata, vt Sacerdos existens in periculo mortis administrat Sacramentum absolutionis in peccato, vnum ratione præcepti contritionis, & aliud ratione administrationis Sacramenti.

4. Tandem peccator non tenetur elicere actum cōtritionis statim post peccatum commissum, quia præceptum est affirmatiuum, quod obligat more affirmatiuorum, scilicet tempore necessitatis. Neq; tenetur cōteri de mortali, de quo semel habuit contritionem, quia sicut peccatum confessum non tenetur iterum confiteri, ita neque conteri. Neque præceptum cōtritionis obligat in die festo, quia nullibi extat tale præceptum.

ARTICVLVS IX.

An dari possit Sacramentum Pœnitentiæ verum, & validum quo ad substantiam, & informe quo ad effectum?

1. ℞. Sic, quia gratia, & charitas sunt effectus Sacramenti, & non pertinent ad essentiam ipsius, cum effectus sit posterior causa, illam supponit perfectam, & completam, *ità D. Tho. in 4. dist. 17. art. 4. quæstiun. 1.*

2. Sacramentum dicitur informe, quando est sine gratia, & charitas sequitur gratiam, & virtutes tunc dicuntur formatæ, quando coniuguntur cum charitate, & deficiente charitate, dicuntur informes.

3. Verùm confessio integra omnium peccatorum cum absolutione suscepta sine dolore, etiam cum proposito non peccandi formali, vel virtuali, non est valida confessio, neque quo ad substantiam, quia dolor est pars essentialis, & de absoluta necessitate huius Sacramenti, *ita D. Tho. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2.* Etiam si defectus talis, scilicet esse sine dolore non percipiatur à pœnitente, & sine peccato propter ignorantiam inuincibilem, quia sicut Baptismus nullus, quando deest aqua elementaris, cùm sit pars essentialis, & materia necessaria illius, ita confessio sine dolore, *ita D. Tho. loco supra citato.*

4. Tamen valida, sed informis confessio, quando quis habet attritionem aliquorum peccatorum mortalium, & non omnium ex inaduertentia inuincibili,

bili, quia iſte ex obliuione inuincibili excuſatur à debito habendi veram attritionem aliorū, cùm ſupponit attritionem aliquorum ſufficere, ſed informis ex defectu attritionis vniuerſalis omnium oblitorum. Eſt tamen informis quo ad effectū ex defectu attritionis extenſiuo, non intenſiuo, ſeu ex defectu integritatis non qualitatis ipſius attritionis proueniente ex inculpabili inaduertentia, vel ignorantia, quia eſt ſine effectu ex defectu integritatis.

5. Sed attritio orta ex propria malitia conuerſionis alicuius peccati non ſe extendit ad peccata oblita, vel ad ea, quæ ſine vera attritione quis exponit in confeſſione, & licèt hæc attritio ſit ſufficiens ad gratiam reſpectu ſui obiecti, tamen ex malitia cōuerſionis impedit, niſi tollatur obex per cōſortium alterius verè contritionis, vt ſit adæquata, & abſolutè ſufficiens diſpoſitio omnium peccatorum, & ſic homo ſimul cum Sacramento iuſtificatur. Et licèt defectus integritatis materialis confeſſionis, quādo eſt inculpabilis, nec ſubſtantiam, nec effectū Sacramenti tollat, quia dum præceptum confeſſionis ſufficienter, & inculpabiliter impletur, quantum neceſſe eſt ad ſubſtantiam Sacramenti, ſufficiet etiam ad effectum. Tamen ſi deſit ex reſpectu alicuius peccati mortalis nō dum dimiſſi, iſte defectus, etiam inculpabilis licèt non ſit contra ſubſtantiam Sacramenti, tamen impedit eius effectum, quia eſt informe ob defectum integritatis attritionis, ſeu Pœnitentiæ interioris. Verùm recedēte fictione, & ſublato obice, ideſt poſita vera attritione peccatorum, tūc producit ſuum effectū, ſcilicet gratiam, quia ſublato impedimento, omnis cauſa habet cauſare ſuum proprium effectum. Et effectus ſe extendit etiam ſaltem virtualiter ad oblita, ſi quæ eſſent, de quibus Pœnitens non recordatur, quia ſublato obice per vniuerſalem attritionem Sacramentum non amplius informe producit formaliter, & virtualiter effectum. Sed ſi poſt ſuſceptum Sacramentum informe eſt commiſſum aliquod nouum peccatum mortale, requiritur alia confeſſio cum vniuerſali attritione, vel contritio, quia vnū peccatum non remittitur ſine alio, & præcedens Sacramentū informe non habet efficaciam circa peccata poſt ipſam commiſſa.

ARTICVLVS X.

An ad iuſtificationem obtinendam per Contritionem ſecundùm ſe, & extra Sacramētum requiratur ſaltem confuſa peccatorum remiſſorum recogitatio?

℞. Sic,

1. R. Sic, quia non potest dolere, & satisfacere, nisi cognoscat, in quo Deum offenderit.

2. Verùm præceptum contritionis non obligat ad examen conscientiæ, sicut, & præceptum confessionis, quia confessio exterior est iudicium, in quo debet homo reddere rationem alteri homini rigorosè, sed per contritionem coram Deo, qui intelligit omnia cordis intima. Imò tacto peccatorum examine, si recordatur vnius peccati tantùm, & de illo contritionem elicit, licèt alia commiserit, quorum non recordatur, sufficit, quia per illum actum contritionis virtualiter, & implicitè includit detestationem omnium aliorum peccatorum, quorum pœnitens non recordatur, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 1. art. 3. ad 2.* Et si cogitans de vno commisso conterit, etiam debet per formalem vniuersalem detestationem de dubijs conteri, quia præceptum contritionis formaliter obligat ad omnia, & non sufficit virtualiter conteri. Verùm de dubijs sufficit, quòd confusè, & recogitando posteà de illis doleat, quia præceptum est de formali Pœnitentia omnium, non verò de distincta, & in particulari illorum, *ita D. Tho. q. 28. de verit. art. 5. ad 3. & 4.*

3. Sed cogitans de vno peccato extra confessionem, & per contritionem iustificatus, si postea vult confiteri, tenetur ad rigorosum examen, quia de iure diuino sic obligantur fideles, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7.* Tamen ob inopiam Confessoris talis excusatur à rigoroso examine, quia rigorosum examen obligat ad actualem confessionem.

ARTICVLVS XI.

An qualibet contritio sit sufficiens, vt homo iustificetur?

1. R. Sic, quia minima gratia est sufficiēs ad destruendum peccatum.

2. Contritio dupliciter dici potest magna, & summa. Primò intensiuè, secundò appretiatiuè, seu comparatiuè. Contritio magna, & summa intensiuè dicitur illa, quę magno conatu elicitur; maxima intensiuè, est qua maximo feruore, & toto conatu possibili peccata detestātur. Cōtritio magna appretiatiuè, seu comparatiuè est illa, qua quis detestatur magis peccatum, quā aliquod aliud malum. Maxima appretiatiuè, seu comparatiuè, est qua qui detestatur peccatū super omnia mala, & super omnia detestabilia. Et sic Contritio dicitur appretiatiuè maxima quo ad substantiam, & modum essentialem operis, licèt non faciat totum, quod in se est quantum

tum ad modum accidentalem, idest personæ offensæ, cui non potest reddere condignum. Et ad veram contritionem quo ad substantiam, licèt non requiratur intentio magna, vel maxima physica, & entitatiua, benè tamē requiritur intētio quædam moralis maxima, quæ consistit in appretiatione, & æstimatione Dei super omnia bona, & in detestatione peccati super omnia mala, quia aliàs plus diligeret creaturam, quàm creatorem. Item sufficit propositum subeūdi quodlibet malum, quàm offendere Deum absq; alia comparatione peccatorum cū alijs malis, quia potest detestari peccata per actum contritionis, nulla facta comparatione aliorum malorum. Caueat ergò Confessarius, ne descendat cum pœnitente ad comparationes particulares, etiam ad pœnas Inferni, quia magis debet dolere de ipsa culpa secundùm se, quæ separat ab ipso Deo, quàm de omni malo & pœna etiam Infernali, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 4. art. 1. ad 4.*

3. Similiter si pœnitens nullam facit comparationem inter maius, & minus peccatum, non tenetur magis intēsiuè detestari maius peccatum, quā minus, quia per veram contritionem satisfacit præcepto contritionis. Sed tenetur, dum facit comparationem, quia vbi est maius peccatum, est maius motiuum destationis, quod est malitia, & offensa Dei, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 3. art. 3.* Et quamuis omnia mortalia appretiatiuè sint in summo detestabilia super omnia mala, physicè tamen, & intēsiuè non tenemur detestari toto conatu possibili, sed fieri potest, quòd vnum magis detestatur, quàm aliud, quia intentio actus, & dolor sensualis, nō tamen est de essentia contritionis.

4. Vnde maior contrio intēsiuè quo ad culpam licèt non requiratur ad remissionem grauissimi, quàm leuioris, & plurium, quam vnius peccati, cum per quamlibet Contritionem conferatur gratia, quæ est incōparabilis omnibus mortalibus; Tamen quo ad pœnam quatenus maius delictū meretur maiorem pœnam, & cōsequenter maiorem satisfactionē exhibendam esse, & magis esse intentionis pro tota poena satisfactionē exhibere, quia tantò magis remittitur de hac pœna, quantò magis intensiuè fuerit Cōtritio, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 3. art. 3.*

5. Tandem ad veram Contritionem non requiritur duratio aliqua temporis, quia peccatum fit in instanti, sic & actus Cōtrictionis statim quod fit, est vltima dispositio ad gratiam, cū talis actus perficiatur in instanti, *ita D. Tho. 3. p. q. 80. art. 2.*

AR-

ARTICVLVS XII.

An Attritio possit fieri Contritio?

1. ℞. Non, quia sunt actus differentes essentialiter, cùm habeant distincta motiua specie differentia, scilicet dolor propter Deum, & propter Infernum, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 1. art. 5.*

2. Nota q aliud est Attritionē fieri cōtritionē, & aliud Attritū fieri contritum, quia hoc est transire subiectum à forma imperfecta ad perfectā, illud verò, quod vna forma fit alia, quod est impossibile, vt potest album fieri nigrum, non autem albedo fieri nigredinem.

3. Vnde attritio continuata in homine iustificato per actum charitatis non potest fieri Contritio, quia Attritio ex natura sua, etiam cōtinuata numquam est ordinabilis ad Deū summè dilectum, sicut Contritio. Verùm secundùm participationem accidentaliter, & extrinsecè honestatem Contritionis participat, quia potest quis imperare sibi detestationem, seu odium ipsius malitiæ peccati propter turpitudinem eius.

4. Verùm homo vi Sacramēti nouæ legis dicitur fieri ex Attrito contritus, non quia actualiter attritio vi Sacramenti fiat Contritio, sed quia talis homo habitualiter tunc remanet contritus, quia recepit habitum pœnitentiæ, quæ est forma sufficiens ad sic denominandum, licèt talis numquam habuerit Cōtritionē simpliciter, & actualiter, quia vi Sacramenti ei datur gratia, & consequenter habitus pœnitentiæ, à qua habitualiter, & non actualiter dici potest Contritus.

ARTICVLVS XIII.

An possit homo iustificari absq; vllo contritionis actu?

1. ℞. Extra Sacramentum non, quia in adulto requiritur dispositio, quæ extra Sacramentum est contritio, vel dilectio Dei super omnia, *ita Cōcil. Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. & D. Tho. 3. p. q. 86. art. 2.*

2. Verùm de potētia Dei absoluta potest homo iustificari absq; vllo actu cōtritionis, quia non implicat Deum infundere gratiam, & per illam delere peccatum absq; vlla dispositione. Et quamuis possit Deus absoluta sua potētia remittere peccatum sine pœnitentia, & sine infusione gratiæ diuisiuè, non tamen complexiuè, idest, potest infundere gratiam sine pœnitentia, & pœnitentiam sine gratia, non tamen sine omnibus istis, quia peccatum est priuatio sanctitatis, quæ non potest auferri, nisi

per

per formam aliquam poſitiuã, ſcilicet, per Pœnitentiam, vel per infuſionem gratiæ, aliàs ſine vlla illorum non aufertur peccatum.

3. Nota, quòd actus contritionis eſt duplex. Alius formalis, & actualis, ideſt habere verũ, & actualem dolorem de peccatis cõmiſſis. Alius virtualis ideſt, dilectio Dei ſuper omnia tantæ virtutis, & vis, vt ex ea nata ſequatur diſplicentia actualis peccatorum, ſi tunc venirent in mentem.

4. Item peccatum duplex. Actuale, quod conſiſtit in aliquo actu, quod materialiter ſic diffinitur à D. Tho. 1. 2. *q.* 11. *art.* 6. Peccatum actuale eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternã. Formaliter verò; eſt priuatio debitæ rectitudinis. Et habituale, quod eſt quædam macula, quã per ſe reliquit peccatum actuale, & eſt priuatio nitoris animæ, ideſt, carentia gratiæ, & permanet in homine, donec peccatũ præteritum non fuerit per Pœnitentiam retractatum, & deletum, *ita D. Tho.* 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. *&* 2. Et hæc macula non eſt aliquid poſitiuè, ſed priuatiuè, ideſt priuat nitorem animæ in ordine ad cauſam, & ſecundùm peccatorum diuerſitatẽ, à quibus cauſantur maiores, & minores maculæ ſunt, *ita D. Tho. loco ſupra citato art.* 1. *ad* 3.

DISQVISITIO XXXII.

De integritate confeſſionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An oporteat confeſſionem eſſe integrã ſaltem moralem?

1. ℞. Sic, & eſt de Fide, quia aliàs non confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio, *ita Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 7. *& D. Tho.* 3. *p. q.* 9. *art.* 2. *ad* 3.

2. Integritas duplex. Moralis, & Mathematica. Hæc eſt quando quis confitetur aliqua mortalia non relinquendo aliquod mortale, neq; ſcienter, neq; ex ignorantia, neque ex rationabili cauſa, neq; etiam ſine cauſa. Moralis verò eſt, quæ poteſt haberi modo humano, ſcilicet facta ſufficienti diligentia confitetur peccata, quę memoriæ occurrunt.

3. Rurſus in Sacramento ſuf-ficien-

ficiendis, alia sunt necessaria necessitate præcepti, vel diuini, vel ecclesiastici, & potest sine illis fieri Sacramentum. Alia sunt necessaria necessitate Sacramẽti, sine quibus non fit Sacramẽtum: vnde in Sacramentis omnia, quæ sunt necessaria necessitate Sacramenti, esse simul necessaria necessitate præcepti diuini, sed non è contra.

4. Item dupliciter contingere potest confessionem non esse integram. Primò per se formaliter, & culpabiliter, vt quando ex libito, & sine causa dimidiatur à pœnitente, & hæc non valet, quia ex intentione, & volũtatiè dimidiatur. Secundò per accidens materialiter, & inculpabiliter, idest per obliuionem, vel inaduertentiam relinquitur aliquod peccatum, quod necessariò est confitendum, & confessio sic non est integra, & valet.

5. Vnde grauitatem peccati nescientes, & in confessione nõ explicantes, non tenentur postea certiores facti de illius grauitate, & numero reiterare confessionem, quia per accidens materialiter, & inculpabiliter fuerunt dimidiatę confessiones, & non integræ: sed confessario imputabitur, quia ad ipsum spectat instruere rusticos. Sed si est inter peritos conuersatus, est co[illegible] ad confessiones repetẽ[illegible] quia non est ignorantia inuincibilis, sed satis crassa, & vincibilis.

6. Verùm non est contra integritatem confessionis confiteri ex industria, vni confessori mortalia, & alteri venialia, quia nullum est pręceptum quòd venialia, & mortalia vni, & eidem Confessori cõfiteamur, nisi fortè pœnitens exponatur periculo grauiter iterum peccandi.

7. Similiter quando pœnitẽti in confessione non occurrit certus numerus peccatorum, cuius postea recordatur, si prima confessione non expressit plus, vel minus, tenetur in secũda hunc determinatum numerum explicare, quia numerus supra numerum in prima non est sufficiens. Imò si in prima confessus sit numerum certum, idest *decies*, non dicendo plus, vel minus, & postea cognoscit plus *duodecim* peccasse tenetur in alia fateri illud plus scilicet *illa duo* prætermissa in prima, quia illa duo, neq; implicitè, neque explicitè fuerunt expressa.

8. Item ministrans Eucharistiam, vel audiens confessiones in mortali, tenetur explicare numerum personarum, quas ministrauit, quia isti actus habent suum terminum definitum, in quo perficitur, & completur. Quamuis alij teneant vnicum committere peccatũ, sicut omittẽs septem horas canonicas vno die, vnum peccatum committit,

quia

quia ſeptem preces horariæ ſunt vnius diei oratio.

9. Item omittentes diuinum officium tenentur explicare numerum horarum dimiſſarum, quia ſingulæ horæ ſunt diſtinctæ orationes diſtinctis temporibus Deo ſoluendæ. Sed impotẽs ratione infirmitatis eam partem recitare tenetur, quam cõmodè poteſt, quia tunc eſt ratio excuſationis.

10. Irem fornicator non tenetur explicare actus antecedẽtes, & ſubſequentes fornicationem, niſi aliundè ſpecie differãt à concubitu, quia ſunt partes ipſius, ſcilicet initia, complementa, vel cauſæ.

11. Item habere propoſitum vitandi mortalia, & nõ venialia, tenetur explicare, quia lethale eſt ratione propoſiti, quod in ſe continet apertiſſimum periculũ peccandi lethaliter.

12. Item mulier parata ad peccandum, ſat eſt explicare tẽpus ſuæ turpitudinis ſed benè perſonas aggrauautes peccatũ, ſi recordatur, & quàm frequentiùs, & quot in hebdomoda, quia aliud eſt mente peccare, aliud facto, cum in opere peccatum ſemper augeatur.

13. Item committens plura adulteria cum vna, vel cum pluribus non tenetur explicare ſe peccaſſe cum vna, vel pluribus, quia deformitas peccati non habet diuerſam repugnantiam cũ recta ratione, quòd ſit cum vna, vel diuerſis eiuſdem tamen ſtatus, & conditionis.

14. Item vir ſi ſuperficie tantùm vaſis præpoſteri vxoris refricaret ſua verenda, etiam ſine periculo pollutionis, peccat lethaliter, neceſſario explicandũ, quia medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ ſcilicet ſodomiæ inchoatæ aſſumit ad actum coniugalem.

15. Item ſi in actu coniugali delectetur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum, quia eſt delectatio moroſa in obiecto lethaliter malo.

16. Item vno ictu occidens plures laicos, vel furãs vno actu pluribus, tenetur numerum perſonarum aperire, quia diſtinctæ perſonæ, ſeu obiecta numero, & materialiter diſtincta, poſſunt dare malitiam actui independẽter ab alio.

17. Item ſæpius fœminam aliquam carnaliter diligens, vel aliquem odio habens, tenetur nnmerum delectationis moroſæ, vel odij explicare, quia illi actus moraliter interrupti, ſunt numero diſtincti, ac & diſtincta peccata. Et hæc peccata non multiplicantur numero, donec prior voluntas per contrariam voluntatem interrumpatur, & poſtea ad priorem voluntatem iterum redeatur, quia quamdiu interruptio non ſit per contra-

riam voluntatẽ, ſcilicet per Pœnitentiam, in ea quis cenſetur moraliter perſeuerare. Quamuis ſecũdùm aliquos ſatisfaciat, ſi per modum vnius peccati cõfiteatur. Sed quod diximus tutiꝰ, quia peccata voluntatis in vniuerſum temporis interruptione multiplicantur numero.

18 Item intendens occidere inimicum replicando hanc intentionem, vnum peccatum cõmittit, quia prior intentio non fuit reuocata, ſed virtualiter perſeuerat in itinere ſuſcepto ad occidendum inimicum. Sed ſi prior intentio fuit reuocata per diuerſionem voluntatis ad alia, & poſt iterum deliberat occidere inimicum, tunc tot peccata, quot nouæ voluntates deliberatæ, quia quoties multiplicantur actus mali intra eandem malitię ſpeciem, etiam numericè multiplicantur.

19. Item detinens aliena tenetur in confeſſione explicare numerum volitionum habitatũ non reſtituendi, quia ſunt peccata numero diſtincta. Tamen non occurrit numerus volutionum, ſed ſufficit explicare tempus, quia pręceptum explicandi numerum peccatorũ non obligat ad impoſſibile, ſed ad id, quod fieri poteſt a pœnitente.

20. Item adulter, qui confeſſus eſt adulterium poſt euentũ adulterinæ prolis inde genitæ, non tenetur confiteri de prole, quia licèt adulteria commiſſa fuerint culpæ lethales, tamen ipſa proles ſic genita nõ eſt peccatum. Vnde votum emiſſum ab adultero de erogando alicui Templo centum aureos, ſi ex adultera ſit filius genitus, tenetur adulter ſubſequuta prole illud adimplere, licèt non obſtãte tali voto debuerit ab adulterio abſtinere, quia adulterium eſt malum, non autem proles ſuſcepta.

21. Item petens à muliere parata ad fornicandum ſecum, non eſt neceſſaria circumſtantia in confeſſione, quia qui fornicationem fatetur, ſatis explicat à communiter accidentibus ſe petijſſe. Sed ſi fœmina etiam parata petit ad fornicandum, duo peccata committit, ſcilicet, fornicationem, & inductionem quia communiter viri petunt corpus ad fornicandum, & raró fœminæ. Sed ſi homo petit fæminam etiam paratam pro alio, peccat mortaliter, quia inducẽs ad peccandum etiam paratam, eſt cauſa peccati, cùm non exequiretur, niſi hic induceret.

22. Item faciens confeſſionẽ generalem peccatorum aliàs ritè confeſſorum, non tenetur ſingula mortalia aliàs expiata iterũ exprimere, quia ſicut de venialibus non tenetur omnia exprimere in confeſſione particulari, ita nec de ritu confeſſis mortalibus.

23. Item

23. Item committens peccatum bestialitatis non tenetur in confessione explicare beluam, cum qua peccauit, quia licèt beluæ specie differant, vna tamē est rationis turpitudo, scilicet copulam habere cũ re alterius speciei. Hinc coitus cum Dæmone succubo, vel incubo est eiusdem speciei cum bestialitate, quia est coitus cum re alterius speciei.

24. Item exponens se periculo peccandi, tenetur confiteri speciem illius peccati, quia in moralibus idem est se exponere periculo committendi aliquod peccatum, & illud committere.

25. Item diuinans non tenetur exprimere speciem rei, per quam diuinauit, quia diuinare per aquam, siue per astra dicit solam differentiam in genere naturę, non autem moris.

26. Item cadens in hęresim nõ tenetur exprimere hęresim, in quam lapsus est, quia hęreses omnes sũt eiusdem speciei. Tamē Apostata licèt nõ sit distinctus ab hęretico, tenetur tamen in Confessione circumstantiam Apostasię aperire, quia Apostasia notabilissimè aggrauat peccatum hęresis.

27. Item qui gloriatur de peccatis commissis, tenetur exprimere speciē illorum, de quibus gloriatus est, quia eiusdem speciei est complacentia, & cõsensus interior, cuius est actus malus.

28. Item qui se iactat de opere, quod est mortale, peccat lethaliter, siue verè, siuè falsò de illo malo se laudat, & etiam debet speciem malitiæ exprimere, quia ea iactantia de mala, & mortifera re eius approbationē continet. Sed si solùm narrat peccatum mortale, vt inde appareat eius dexterei tas, ingeniũ, virilitas absq; approbatione, vel affectũ ipsius operis, nõ est peccatum, neq; exprimendum, quia sic non approbat peccatũ mortiferum, quod enarrat, sed tantũ iactauit de facto, quod est veniale.

29. Itē qui se laudat de peccato mortali commisso aliqua delectatione morosa committit duo peccata, quia peccat iactãdo, & morosè delectando.

30. Item laudans alium de mortali, siuè verè, siuè falsò peccat mortaliter, quia quasi illud approbat. Imò si laudat in præsentia, vel coram eius consanguineis, est aliud mortale, quia datur ansa gaudendi de illo, si sit commissum, si aliàs desiderandi, vt admissum esset.

31. Item relinquens ex inaduertentia circumstantiam aliquam necessariò explicandam in cõfessione, tenetur illius speciem, vt quando quis surripuit calicem, sufficit dicere, se mortale sacrilegium commisisse, nõ expri-

exprimendo furtum, quia ſicut qui oblitus alicuius peccati ſatisfacit exprimendo in ſecunda confeſſione peccatum oblitum.

32. Itē omnia peccata mortalia quo ad ſpecies morales, & quo ad numerum ſunt in confeſſione explicanda, quia mortale non remittitur ſine alio, impium enim eſt à Deo dimidiam ſperare veniam. *ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de Pœnitentia*;

ARTICVLVS II.

An peccata neceſſariò ſint explicanda in Confeſſione quo ad omnes circumſtantias?

1. ℞. Sic mutātes ſpeciem, quia ita decreuit Cōcil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 5.*

2. Circumſtantia eſt accidēs actus humani, quia ſcilicet verè attingit ipſum, eſt tamen extra ſubſtantiā eius, & vt ſic in quantum circumſtantia formaliter, neq; conſtituit ſpeciem, neque illam variat. Aliquando circūſtantia vnius ſpeciei conſtituit ſpeciem, reſpectu cuius non dicitur amplius circumſtantia, ſed ſpecies, vt coniugatus fornicatur, circumſtantia perſonarum cōſtituit adulterium, altera ſpecies à fornicatione communiter dicta, *ita D. Tho. 1. 2. q. 7. art. 7.*

3. Rurſus circumſtantias eſſe quadruplices. Aliæ ſunt impertinentes, quæ nec augent, neq; minuunt peccatum, vt furari dextera, vel ſiniſtra. Aliæ ſunt augentes notabiliter, qualis eſt intentio actus, ſcilicet proſequi aliquem magna intentione odij. Aliæ notabiliter minuentes, vt odium ſtatim ac fuit elicitum, fuit omninò depoſitum. Aliæ ſunt mutantes ſpeciem, ſcilicet aggrauantes peccatum in infinitū ratione malitiæ moralis, vt votum caſtitatis in peccato luxuriæ. Circumſtantia ergò mutans ſpeciē, ſeu aggrauans infinitè eſt importare ſpecialem repugnantiam cum ratione vltra propriam malitiam ipſius actus, & addit nouam ſpeciem in genere moris, vt percuſſio Clerici aggrauat infinitè actum percuſſionis, & conſtituit ſpecialem malitiam Sacrilegij, *ita D. Tho. in 4. diſt. 16. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 3.* Vel circumſtātia mutat ſpeciem moralem, quando actio licèt non ſit mala, tamen ratione circumſtantiæ fit mala, vt cognoſcere vxorem carnaliter non eſt malum, ſed in Eccleſia aggrauat infinitè, & mutat ſpeciem.

4. Vnde ſi tantùm grauiter, vel leuiter circumſtantiæ minuant intra eandem ſpeciem non ſunt exprimendæ in confeſſione, vt non audire ſacrum precibus amicorum, quia aliàs Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 5.* deficeret in traditione doctrinæ adeò neceſſariæ. Verùm ſunt exprimendæ circumſtantiæ minuētes

nuentes culpam esse venialem, quia aliàs esset mortalis, vt si quis furetur obulum; quia furtum simpliciter est mortale secundùm D. Tho. 2. 2. *q. 66. art. 6.* & paruitas materiæ in furto excusat à mortali secundùm D. Tho. *loco supra citato ad 3.* Sed furtum notabile, & furtum leue nõ distinguntur specie, cùm vtrumque respiciat idem specie obiectum, sed bene genere, quia furtum notabile priuat gratia diuina, non autem veniale. Ideò circumstantiæ non aggrauantes notabiliter, & euidenter culpã, & non mutantes speciem non sunt exprimendæ, quia nimis angerentur fideles ex tali obligatione, cùm pauci benè cognoscant, quæ nam sint circumstantiæ aggrauantes, *ita D. Tho. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2.* Sed aggrauãtes notabiliter sunt exprimendæ, vt habere odium, vel amorem per annum, & similia, quia circumstantia longi temporis notabiliter aggrauat peccatum. Et hæreticum est dicere circumstantias mutantes speciẽ non esse aperiendas in confessione, quia addunt nouam malitiam vltra malitiã ipsius actus, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. de Sacram. Pœnit.*

5. Vir perdens suam virginitatem per primam copulam carnalem non tenetur exprimere, quia tunc dicitur stuprum, quãdo virginis fœminę signaculum violatur, *ita D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 6.* Benè tamen fœmina virgo tenetur, quia stuprum addit specificam deformationem supra luxurię genus, *ita D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 7.* Et falsum est contrarium asserere, quia concubitus cum virgine opponitur speciali virtuti virginitatis, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 3.*

6. Ideò falsum est dicere virginem non teneri se accusare se esse virginem de intentata, vel habita pollutione, & in dilectationibus morosis venereis cum cum homine soluto, & virum iuuenem desiderare carnalem copulam cũ virgine, quia sicut mutat speciẽ in opere, ita etiã in consẽsu interno, cùm peccatum mentis, & operis sit eiusdem speciei, *ita D. Tho. 1. 2. q. 72. art. 7.*

7. Verùm tunc dicitur stuprũ verum, quãdo virgineum claustrum violenter aufertur ab ea, & talis violẽtia aperienda est in confessione, quia supra fornicationẽ additur iniuria in puellã, cùm per vim integritas corporis ei adimitur. Etiam corrumpens virginem precibus est stuprum, quia preces importunę violentię equiualent. Et eò magis tenetur exprimere, si dolis virgo circumuenta, aut ignorans cognoscatur, quia dolus nõ solùm castitati aduersatur, sed etiam iustitię, cùm dolus, mendacium, & fraus sint mediũ contra iustitiã.

8. E si parentibus, aut tutoribus

bus retinentibus è domo virgo etiam volens abducatur, & cognoscatur est raptus respectu parētum, & tutorum necessariò in confessione explicandus, quia infessione explicandus, quia infertur notabilis iniuria parentib' per raptum, quę constituit specialem speciem luxuriç.

9. Ad raptum tria propriè requiruntur. Primò, vis illata personç causa libidinis siue masculo, siue fœminę, siue nuptę, siue innuptę, siue vis inferatur soli abductę, siue parentibus, & tutoribus, quorum potestati subditur, scilicet marito, sponso, curatori abducendo illam ipsis cōtradicentibus, & repugnantibus, siue vtrique. Vnde si nulla vis inferatur, sed spontè descendit cum amatio, parentibus nesciētibus, non est raptus, sed voluntaria fuga. Secundò, abductio de loco ad locum, aliàs non est raptus, nam qui virginē stuprauit etiam per vim inuentam in aliquo loco, nō est raptus. Tertiò, vt fiat causa concubitus, vel libidinis, vel eo fine, aliàs enim non est raptus, si non adducatur causa libidinis, sed redigendi in seruitutem, sed potius dicitur furtum hominis, *ita D. Dho.* 22. *q.* 154. *art.* 7.

10. Verum virgo sic rapta tipta timore compulsa consentit suæ deflorationi non tenetur exprimere circustantiam virginitatis, quia virgo non aufert, sed patitur auferri violenter virginitatem. Neque circumstantiam raptus, quia abducitur, & non abducit de loco ad locum causa libidinis. Benè tamen rapiens tenetur vtrumq; exprimere, quia violenter, vel saltem non habēs voluntatem spontaneam virginis, aufert eius virginitatem, & quia causa libidinis abducit de loco in locum violenter.

11. Item nupta vi oppressa non committit adulterium, cùm absoluta violentia tollit volūtarium, Tamen si ex metu mortis consentit, rea est culpæ adulterij, quia metu mortis non licet agere contra legem naturæ, & intrinsicè malum.

12. Et nō est eadem ratio de virgine, & nupta, nam virgo dū non consentit, est stuprum; sed si consentit est fornicatio, quia malitia stupri pendet ex virginis voluntate, ita vt illa concurrente tollitur stuprū. Cæterum circustantia adulterij non pendet ex voluntate fœminæ, ita vt spōtaneè concurrēte tollatur adulterium, & illa retinente ponatur, quia iniustitia adulterij est secūdum se, & intrinsicè mala independenter à voluntate coniugatæ. cùm sit iniuria notabilis marito.

13. Item coniugati habentes delectationem morosam circa solutas tenentur exprimere, quia non solùm corpus, sed etiam internum affectum debent coniu-

gi obligasse. Ita etiam qui habēt votum castitatis, quia votum castitatis complectitur omnes internos affectus erga Deum. Etiam si emittit votum abstenendi solùm ab opere externo, peccat peccato Sacrilegij, quia cum opus externum habeat malitiam sacrilegij ac & opus internum.

14. Item coniugatus se polluens tenetur exprimere se esse coniugatum, quia vltra peccatū contra naturam, agit contra fidē matrimonij, cùm semen sit ordinatum ad cōiugalem copulam.

15. Item fornicans sponsam de futuro, ambo tenentur exprimere, quia vltra iniustitiam, irrogat iniuriam sponso de futuro, *ita D. Tho. 2. 2. q. 154. art.* 8. Secùs fornicās sponsam suā de futuro, quia iniuria facta à sponso est leuis.

16. Item exprimenda est persona, circa quam habita est delectatio morosa venerea, scilicet coniugatę, consanguineę, monialis, &c. quia non solùm est mala ex malo motiuo libidinis, sed etiam ex causalitate, quam ex natura sua habet in opus externum excitantem ardorē corporis. Dummodo hęc delectatio morosa feratur secùndū suā totam malitiam, scilicet delectari de cōcubitu coniugatę, monialis &c. est exprimenda, quia tūc plenam, & integram operis externi malitiam, & speciem sortitur. Secùs si secondùm partē malitiæ; scilicet non quia coniugata, vel monialis, sed quia pulchra, tunc reducitur ad speciem fornicationis tantùm, quia neque expresè, neque interpretatiuè nulli fit iniuria, sed contra castitatem.

17. Item in amplexibus, osculis, & tactibus personarum, circa quas sunt habitę, etiam exprimenda, quia sunt lethalia, cū ordinentur ad copulam, & sortiantur conditionem personarū, *ita D. Tho. de malo q. 15. art. 2. ad* 14.

18. Item delectatio capta ex aspectu mulieris non ordinata ad concubitum est venialis; sed est lethalis si ratione appetendi rem turpem, & est exprimenda, quia hæc delectatio est eiusdem malitiæ cum actu consumato.

19. Item turpiloquia, cantationes, auditiones turpium, & turpia gesta, & dicta ad solum quoddam solatium sine praua intentione, & affectu venereo quia tunc finis intentus, ex cuius malitia est metienda culpa, non excedit limites venialis culpæ. Sed si ob delectationem veneream, sunt mortalia, & exprimenda, sicut in delectationibus tactuum, & aspectuum, quia illa cogitatio consurgens ex re turpi cogitata est mortalis, eò magis verbis factis fouere est lethale, *ita D. Tho. 2. 2. q. 168. art.* 2.

20. Item peccans peccato

Sodomiæ tenetur exprimere, ſi id commiſerit cum fœmina, vel cum maſculo, quia Sodomia propria eſt mas cũ mare, & fœmina cum fœmina, tunc peccatum eſt contra ſexum, & contra debitum inſtrumentum, ſed mas cum fœmina peccatur contra debitum inſtrumentum, & partem naturalem, & dicitur Sodomia improria. Et quando Sodomia committitur cum mare, vel fœmina votum caſtitatis habente, vltra Sodomiam eſt ſacrilegium, etiam exprimendum in Confeſſione, quia votum caſtitatis continet promiſſionẽ Deo factam abſtinendi ab omni libidine carnali.

21. Item vxoratus Sodomiã committens duorum peccatorũ malitias neceſſariò exprimẽdas, quia fit iniuriam matrimonio ſiue tradatur ad copulam cõſuetam, ſiue ad copulam inſolitam, & talis actus nõ dicitur propriè adulterium, ſed habẽs malitiam, & iniuriam contra matrimoniũ. Imò coniugatus, qui propoſtere abutitur aliena coniuge, circũſtantias perſonarum tenetur in Confeſſione exprimere, quia vltra peccatum Sodomię, eſt malitia, & iniuria contra matrimonium ex parte vtriuſque agentis, & patientis in iſto malo congreſſu reperitur.

22. Item iuuenis pathicus rẽ habens cum vxorato vltra peccatum Sodomię, etiã facit iniuriam contra bonum fidei coniugalis, quia licèt propriè non ſit adulterium, quod eſt deformitas in concubitu naturali, tamen reductiuè eſt adulterium, & ſic exprimendum. Ita etiam talis iuuenis committens cum Religioſo, ſeu cum habente votum caſtitatis, committit etiam Sacrilegium, quia abſolutè in quacunque materia cõtra rem Deo dicatam agitur.

23. Item peccans Sodomiticè cum conſanguineo, etiam valdè remoto tenetur exprimere, quia habet malitiam inceſtuoſam, licèt ſit inceſtus impropriè. Cum affinibus verò in primo, & ſecũdo gradu tenetur etiam exprimere, quia eſt deformitas irreuerentię, quę debetur iure naturę iſtis cognatis. Non autem alijs affinibus in tertio, & quarto gradu, quia ſunt valdè remoti, & talis reuerentia iure naturæ non debetur.

24. Item committens Sodomiam cum virgine non tenetur exprimere eſſe virginem, ſed tãtùm fœminam, quia per peccatum nefarium, nõ violatur clauſtrum virginale, neque eſt ſtuprum. Ita etiam non tenetur ſi cum duobus fratribus, quia nulla affinitas oritur ex actu propoſtero, & extra vas debitum. Neque commiſſa cum perſona cognata cognatione ſpirituali, vel legali, ſcilicet à ſe baptizato, vel lauato in Baptiſmate, vel chriſmate,

mate, vel cū ſibi in filium adoptato, quia nulla eſt lex ſpecialis prohibens pręter legem naturalem in genere prohibente Sodomiticum peccatum.

25. Item concubitus Sodomiticus cum vxore etiam de illius conſenſu habet malitiam Sodomię, & adulterij, quia coniuges obligantur ſe, & ſua corpora, ne alio vſui innaturali tradantur: imò grauius hoc propter fidem, quam inter ſolutos, ideò exprimenda.

26. Item coniugatus peccans cum coniugata, vtramque circumſtantiam coniugis debet exprimere, quia per vnum actum facit iniuriam marito illius, & ſuæ propriæ vxori. Ideò duplex adulterium, quia coniugatus cognoſcens ſolutam, vel è contra, dicitur ſimplex adulterium. Ita etiam mulier ſoluta peccans cū coniugato tenetur exprimere, quia ſpecies luxuriæ ne dum ex parte fœminæ, ſed etiam ex parte viri deſumitur.

27. Item committens inceſtū tenetur exprimere gradum affinitatis, vel conſanguinitatis, quia circumſtantia notabiliter, & euidenter aggrauans per ſe cēſetur addere malitiam moralem, licèt non mutet ſpeciem. Maximè in primo gradu, ſcilicet cum matre, ſorore, & conſimilibus. Et habens copulam cum matre, ſufficit dicere habuiſſe copulam cū cōſanguinea in primo gradu.

28. Nota quòd inceſtus eſt cōgreſſus cum perſona cognita intra gradus, in quibus non poteſt celebrari matrimonium: omnes inceſtus ſunt eiuſdem ſpeciei, quia gradus affinitatis, cōſanguinitatis, cōgnationis legalis, vel ſpiritualis, tantum differunt ſecundùm magis, & minus, & non variāt ſpeciem, *ita D. Tho. 2.2. q. 154. art. 9. ad* 1. Nec obſtat Concil. Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 5. in circumſtantijs obligare tantùm, quæ mutant ſpeciem, & non has notabiliter aggrauātes, quia hoc fecit, vt, quod eſt certum, doceret, & quod eſt controuerſum inter Doctores non definiret.

29. Item Confeſſarij carnaliter cognoſcentes ſuas pœnitentes tenētur id exprimere, quia præter Sacrilegium, etiam ad inceſtum reducitur, cùm tollatur reuerētia debita confeſſoribus, & cognatio ſpiritualis oriatur. Ita dicimus de Parochis carnaliter cognoſcentibus ſuam parochianam, etiam ſi non baptizauerit, & tenetur exprimere, quia tenetur ex officio oues ſuas benè cuſtodire, & curam ſalutis earum habere.

30. Item pater cum filia præter inceſtum tenetur exprimere, quia incumbit ex officio curam habere de eis in moribus.

31. Item obſtrictus voto caſtitatis cognoſcēs aliam tali voto obſtrictam quia duplex Sacrilegium ex parte agētis, & pa-

tientis. Si verò habet duo vota castitatis, imò millies, & cognoscit solutam, sufficit exprimere se fecisse contra votum castitatis, quia omnia vota ad vnam Religionis speciem pertinent. Sed si cum voto castitatis est adiunctum iuramentum, tenetur exprimere votum, & iuramentum, quia ambo diuersa ratione ad Religionis virtutem spectant, nam votum ob fidem datam Deo, iuramentum verò, cùm Deum adducit falsò in testem fornicans.

32. Item Sacerdos, & Religiosus non sufficit dicere se esse Sacerdotem, tacita Religionis professione, quia licet huiusmodi actus sunt eiusdem speciei, tamen grauior notabiliter est fornicatio Monachi, quàm Sacerdotis, cùm status ordinis Sacri non habeat suapte naturâ castitatem annexam, sed ex statuto Ecclesiæ; Monachus verò suapte natura continet castitatem, & est perfecta mors spiritualis. Ideo Religiosus professus non satis est, vt votum castitatis tantum explicet, quia licèt votum Religionis, & votum simplex non differant essentialiter, & specificè, addit tamen circumstantiam status Religiosi notabiliter aggrauantem, *ita D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 11.*

33. Item Episcopus non cõsecratus, sed tantum electus, & confirmatus fornicans non tenetur exprimere dignitatẽ, quia huiusmodi fornicatio nulli obligationi speciali ad castitatem aduersatur, Sed consecratus tenetur, quia mutat speciẽ propter singulare præceptum Ecclesiæ. Imò Episcopus pœnitens Episcopatus circumstantiam in quolibet mortali tenetur explicare, quia ratione status tenetur ad professionem vitæ christianę habendam.

34. Item Religiosus professus, & clericus in sacris, vel qui votum castitatis emisit habens speciale votũ non habendi mollitiem, satis est fateri se esse professum, vel in sacris, vel votum castitatis habere, tacito voto mollitiei, quia multiplicatio votorum de eadem re non addit nouam actualitatem. Si verò talis vltra mollitiem admitteret aliud peccatum in eo voto castitatis aduersum, vt delectatio morosa in fœminæ cogitatione, aut concupiscentiæ ipsius, aut factum cum tertia persona, non satis est votum abstinendi à pollutione explicare, sed aut simul esset votum castitatis explicandum, aut solum votum castitatis, quia in peccato adiuncto non explicaretur circumstantia violationis voti, *ita D. Tho. 2. 2. q. 184. art. 8.*

35. Item accessus fidelis cũ infideli mutat speciem, & est exprimẽda; quia vltra accessum contra virtutem castitatis, est con-

contra decus Religionis, & pertinet ad Sacrilegium. Similiter dicimus de copula fidelis cum hæretica, quia est dedecus Religionis.

36. Item accedēs ad consanguineam in primo gradu sponsę de futuro contra publicæ honestatis impedimentum dirimens matrimonium tenetur exprimere, quia non propriè, sed reductiuè ad incestum reducitur, cũ ex sponsalibus propriè nõ oriatur affinitas, sed quoddam coniunctionis genus.

37. Item dans res sacras in pretium luxuriæ duplicem malitiam tenetur exprimere, scilicet luxuriæ, & Religionis, quia specialiter fit iniuria rei sacræ, quæ conuertitur ad vsus profanos. Non tamen committit Sacrilegium fornicans, dum habet res sacras, scilicet reliquias, vel Agnum benedictum ad collum appensas, quia non agit specialiter contra rem sacram, vt res sacra est, sed tantùm comitatur illa res sacra actum luxuriosum.

38. Item Sacrilegium committit, qui pollutionem, aut copulam habet in Ecclesia, & est apperienda, quia fit specialis iniuria loco sacro. Verùm in casu necessitatis concubitus coniugalis non est illicitus in Ecclesia, quia moraliter loquendo assueti illi actui videntur esse in magna necessitate ineuitabili. Secus si aliquem locum non sacrum possunt habere, vel si est ad breue tempus, quia alia præcepta Ecclesiæ in casu magnæ necessitatis non obligant. Et extra casum necessitatis est culpa lethalis, & Sacrilegium exprimendum in confessione vti matrimonio in loco sacro tàm petendo debitum, quàm reddendo, quia non petitur, neq; redditur debitum in loco non opportuno, scilicet publico. Item fornicatio occulta, & effusio seminis in Ecclesia est conditio exprimēda in confessione, quia per se polluitur Ecclesia, licèt non teneamur abstinere à celebratione in ea, dum occulta manserit.

39. Nota, quod nomine Ecclesiæ, seu loci sacri in hac materia intelligitur Ecclesia consecrata, vel benedicta, cœmiteria, & oratoria constructa auctoritate Episcopi, & deputata ad diuinum cultum, illud ergò spatiũ Ecclesiæ dicitur sacer, quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ à tecto interiori vsque ad pauimentum. Vnde non est sacrilegium, quando semen, vel copula, vel effusio sanguinis fit supra tectum, neq; extra parietem Ecclesiæ, vel cœmiterij, vel in loco subterraneo, (dummodo non sit ille locus sepultura,) vel in campanili, nec in Sacristia, & cameris Ecclesiæ adhærentibus, vel extra limen eidem. Sed est locus sacer chorus, & capellæ

etiam

etiam altera de nouo addita. Similiter in hac materia nõ est locus sacer monasteria, dormitoria, cubicula Religiosorum, & oratoria priuata non constituta auctoritate Episcopi, quia licèt gaudeant immunitate Ecclesiæ, non sunt sacra.

40. Item coniux habens votum castitatis alteri petenti debitum, reddens non peccat, quia licèt illicitè, non tamen iniustè, cùm per votum castitatis non amisit ius petendi ratione matrimonij. Sed peccant si ambo votum castitatis emiserunt ex communi consensu, reddat, vel petat, quia tunc vterq; cedit iuri suo, cùm votum mutuò consensu emissum est quoddam genus mutui contractus.

41. Item actu solo interno peccãs carnaliter in loco sacro, non tenetur exprimere, quia ratio Sacrilegi est violatio loci sacri, quod non est in desiderio. Sed benè est peccatum exprimendum, si habuit desiderium habendi copulam, vel pollutionem in Ecclesia, quia hæc intẽtio est eiusdem intentionis cum actu externo.

42. Item aspectus, nutus, verba inhonesta, tactus, turpes in Ecclesia absq; pollutione, non est sacrilegium, quia in istis non est violatio Ecclesiæ.

43. Item relinquens missam in die Dominico, in quo accidit festum aliquod alicuius Sancti, vnum peccatum exprimẽdum, quia talis omissio est vnum numero non mutans speciem. Sed non ieiunans ratione præcepti, & voti, duplex peccatum exprimendum, quia est peccatum contra temperantiam, & contra Religionem specie diuersa. Similiter omissor diuini officij ratione ordinis sacri, & beneficij, tenetur fateri obligationem duplicem satisfaciendi, quia obligatio ad diuersas virtutes, scilicet ad Religionem, & ad iustitiam. Sic etiam coniugatus peccans cum coniugata, tenetur exprimere se ambos fuisse coniugatos, quia duplex iniustitia, duplex malitia diuersa non specie, sed numero.

44. Item furãs aliquid, quod sub excommunicatione præcipitur non surripiendum, vnicam malitiam incurrit, quia respectu eiusdem virtutis iustitiæ, scilicet seruandæ lege diuina, naturali, & humana furtum prohibetur. Sed furans rem sacram, vel in loco sacro tenetur fateri circũstantiam rei sacræ, & loci sacri, quia peccatur contra immunitatem, & sanctitatem rei sacræ.

45. Item occidens aliquem per venenum, vel per insidias, tenetur hanc circumstantiam fateri, quia nõ tantùm committit homicidium, sed est reus productionis hominis innocentis. Similiter vi rapiens aliena, tenetur exprimere, quia rapina constituit

stituit speciem distinctam à furto, nam furtum est occulta acceptatio rei alienæ inuito Domino, Rapina verò sciente Domino, sed inuito etiam secundùm quid, scilicet per vim, & metum consentiente.

46. Item occidens consanguineum, vel affinem, tenetur exprimere, quia sunt specie distinctæ, & dicuntur parricida, cùm vltra iustitiam proximi, etiã contra pietatem, quam honorare debemus personas nobis carnis propinquitate coniunctas.

47. Item tenetur exprimere iniurians Principem, vel Superiorem, vel Sacerdotem, quia his debetur peculiaris reuerẽtia.

48. Item detrahentes, vel turpia loquentes coram pluribus, vel de pluribus tenetur exprimere numerum personarum, & qualitatem sermonis, quia peccata sumunt malitiam ab obiecto, & à motiuo.

49. Item consuetudo peccãdi est nenessariò exprimenda, quia licèt non mutet speciem, aggrauat tamen notabiliter, vt confessor medicus congrua remedia pro eius salute exhibeat.

50. Item peccans in die festo non tenetur exprimere, quia non extat præceptum ratione temporis. Neq; in die festo tenetur ad actum dilectionis Dei, neque ad actum contritionis, quia solus actus exterior cadit sub hoc præcepto.

51. Verùm præceptum diligendi Deum, cùm sit affirmatiuum nõ omni tempore, sed certis temporibus obligat. Primò, cùm ad annos discretionis venerit, quia tunc lex diuina promulgatur, & ad sui impletionẽ inuitat. Secundò cùm adultus baptizatur, quia tenetur firmare animum ad fideliter Deo inseruiendum. Tertiò, cùm contritionem habere tenetur, quia dolor de peccatis propter Deũ includit dilectionem Dei super omnia. Quartò, cùm quis singulari beneficio à Deo afficitur, quia lex amicitiæ tunc exigere videtur, vt homo Deum suum benefactorem redamet. Quintò, cùm graues odij Dei tentationes instant, & periculum succumbendi adest, nisi sic tentatus, actum amoris eliciat.

52. Similiter præceptum spei obligat. Primò, quando primũ rationis vsum puer assequitur, quia tunc tenetur se in Deum conuertere, & omnia in ipsum referendo, quod absq; actu spei præstare nequit. Secundò, quãdo aliquis graui desperationis tentatione vexatus in succumbendi periculo est, nisi actu spei contrario animum confirmet, quia obligat præceptum spei ad non desperandum.

53. Similiter præceptum fidei obligat. Primò, quandò infideli sufficienter proponitur fides, tunc obligat ad credendum,

quia

quia fides eſt mediũ neceſſariũ ad ſalutem, & rationi diſſonum eſt, vt eius receptio amplius differatur. Secundò, quandò quis grauem aliquam contra fidem tentationẽ patitur, quia per elicitum actum fidei talibus tentationibus obuiari commodè poteſt.

54. In his igitur temporibus non elicere actum amoris, ſpei, & fidei eſt ſpeciale peccatum exprimendum in Confeſſione. Nullum tamen eſt præceptum, quo diebus feſtiuis hos actus elicere obligamur, quia præceptũ feſtorum ſanctificationem abſtinendo ſolùm, & tantummodò à ſeruilibus operibus præſcribit, & prohibet, *ita D. Tho. 2. 2. q. 122. Art. 4.*

ARTICVLVS III.

An ex ingnorantia, obliuione, & impotentia quis excuſetur ab integritate Confeſſionis?

1. ℟. Sic, quia Chriſtus præcepit Confeſſionem integram formaliter, & per ſe, & non materialiter, & per accidẽs, ſcilicet per obliuionem.

2. Tenetur tamen poſtea lethalia confiteri, ſi menti occurrunt non ſtatim, ſed quando ex vi alterius obligationis tenetur confiteri.

3. Excuſatur etiam ab integritate, cùm antequam integrè compleat confeſſionem, confeſſor ſubitò confert abſolutionem, ſatisfaciet poſtea in alia Confeſſione peccata, quæ in præcedenti per accidens, & inculpabiliter non expreſſit, non tamen priora per ſe ritè confeſſa iterum tenetur repetere, quia per ipſum non ſtetit integrè cõfiteri.

4. Item excuſatur ab integritate, ſi narrando aliquod peccatum alteri Confeſſori reuelet alterius peccatum auditum in Cõfeſſione, quia arctius eſt præceptum de ſigillo, quàm de integritate Confeſſionis.

5. Item excuſantur muti, ſurdi, & idomatis ignoti, & conſimiles, qui explicant peccata eo modo, quo poſſunt propter impotentiam. Item qui in procella maris, peſte, prælio, incendio multi periclitantes, tunc Confeſſor audit ſimul alta voce aliquod peccatum confitentes, & ſimul abſoluit, quia in articulo neceſſitatis ſatis eſſe videtur apud Deum, ſi faciat pœnitens, quod in ſe eſt.

6. Item infirmus imminente periculo mortis, Confeſſor non debet expectare integrã omniũ peccatorum Confeſſionem, ſed audito vno mox poteſt, & debet illum abſoluere, quia propter periculum mortis confeſſio tũc non eſſet integra per accidens, & inculpabiliter. Imò ſi infirmus fatigatur nimis, poteſt etiam ab-

ſolui, antequam dicat omnia peccata, ſed ſi poſtea obtẽta abſolutione ſtatim non moriatur, debet, ſi tempus illi concedatur, proſequi Confeſſionem, vt integrè ſua peccata fateatur, quia omnia peccata mortalia ſubijcienda ſunt Confeſſioni quantùm moraliter fieri poteſt. Et perfecta Cõfeſſione impendenda eſt noua abſolutio, dummodò pœnitens nouum attritionis actum eliciat, quia forma nõ poteſt iterari ſuper eadẽ materia proxima. Similiter quando infirmus laborat morbo contagioſo, & confeſſor non ſine periculo etiam à longe audire diutius immorãdo in peccatis audiendis, poteſt auditis aliquibus peccatis abſolutionem ſtatim impendere, quia pręceptum Confeſſionis integrè faciendę, vel audiendę non obligat cũ tanto periculo graui.

7. Item pœnitẽs integrè confiteri non tenetur, ſi in explicatione integra peccatorum aliquod ſcandalum, vel malum inde exoriatur, quia eſſet hoc contra Charitatem, & iuſtitiam.

8. Item pœnitens non poteſt reticere peccatum aliquod, ſi credat ſuum Confeſſorem habiturum fore de ipſo in futurum malam opinionem, quia hoc incommodum per ſe, & immediatè ſequitur ex Confeſſione, & tamen Chriſtus pręcepit Cònfeſſionem. Verùm poteſt reticere aliquod peccatum vel circũſtantiam in infinitum aggrauantem, ſi timet ſibi vel alteri graue periculum grauis infamię, vel alterius ſimilis incommodi temporalis, vel ſpiritualis, quia ex Charitate tenemur ſcandalum, & graue ſibi, & alienum damnũ euitare. Imò quotieſcumque occurrit pręceptum Confeſſionis, ſiue ſit diuinum, ſiue Eccleſiaſticum etiam in Confeſſione annuali, ſi non habet copiã alterius Cõfeſſoris, tenetur illa peccata confiteri, quę abſque proprio, & alieno detrimẽto poteſt. Idem etiam quando eſt neceſſitas ſuſcipiendi Euchariſtiam, vel faciendi ſacrum, aut aliud quodcumque Sacramentum ſine graui ſcandalo, aut alio incommodo prętermitti id nõ poteſt, quia tunc etiam eſt pręceptum prętermittendi Confeſſionem, & poteſt impleri modo dicto. Et licèt ex cauſis enumeratis poſſit ſic confiteri, quia pręceptum integritatis Confeſſionis obligat quoties ſeruari poteſt abſque graui incommodo, non tamen obligat ſub mortali, ſaltem ſic confiteri, quia illud incommodum temporale eſt, & proprium, & poteſt homo cedere iuri ſuo. Sed ſi ex dilatione Confeſſionis aliorum ſcandalum graue timeatur, tunc enim non ſolùm licebit, ſed etiam neceſſarium eo modo confiteri iuxta qualitatẽ ſcandali. Sed ſi tantùm dubitat, aut leuiter ſuſpicatur periculum

grauis infamiæ, vel incõmmodi tẽporalis, vel ſpiritualis, tunc nõ poteſt reticere, quia cum præceptum integrè confitendi poſſideat, in dubio iudicandum eſt potiùs in confeſſionis fauorem.

9. Rurſus licitum eſt dimidiare Confeſſionem ſi per multum temporis non ſperetur cõmoditas alterius Confeſſoris, integrèque confitendi, quia difficile eſt habere contritionem, & ſemper adeſt aliquod periculum mortis. Aliàs ſi poſt breue tempus ſperatur commoditas alterius Confeſſoris, integreque confitendi, debet homo differre Confeſſionem, ſi poteſt abſque ſcandalo, quia nulla rationabilis cauſa cogit ad alium Confeſſionis modum.

10. Similiter habens tantùm vnum peccatũ mortale, de quo, ſi illud exprimat in Cõfeſſione, timet infamiam, periculum, & graue incommodum, inſtante præcepto Diuino, vel Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis adimplendæ, aut neceſſitate ſummẽdi Euchariſtiam, vel faciendi ſacrum, tenetur peccata venialia confiteri, tacito peccato mortali, de quo graue periculum timet, quia ſic foret ex attrito cõtritus, & impletur tũc ſubſtantialiter illud præceptum, & poteſt fieri ſine iniuria Sacramenti, vel alio incõmodo graui. Sed ſi ſine ſcandalo talis ſacrum facere, vel Euchariſtiam ſumere poteſt, non tenetur de venialibus confiteri, quia non eſt ex præcepto confeſſionem facere ante ſacrũ, & Euchariſtiam ſumere.

11. Itẽ Sacerdos celebraturus neceſſitate, & quilibet pro euitãdo ſcãdalo Euchariſtiã ſũpturus, ſi habet peccata reſeruata, & nõ reſeruata, tenetur ſaltẽ confiteri cum Confeſſore habẽte tantùm poteſtatem abſoluendi à non reſeruatis, quia ex iuſta cauſa poteſt abſolui directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis, quia Confeſſio integrè facienda eſt ex iure diuino, non fieret autem integra, ſi liberum eſſet pœnitenti abſque iuſta cauſa tunc peccata reſeruata reticere. Sed ſi talis ex graui neceſſitate, ſcilicet ad euitandum maximum ſcandalum habet ſolùm vnum peccatum mortale reſeruatum, & alia venialia, ſi non poteſt reſeruatum confiteri Sacerdoti habenti facultatem reſeruatorum, per ſe non tenetur prętermittere Confeſſionem venialium, vt directè ab illis abſoluatur, & indirectè à reſeruato, quia licèt non ſit obligatio de venialibus, ſed tunc talis tenetur ad actum contritionis. At ſi per accidens, ſcilicet ne excommunicetur, cùm putat ſe non eſſe contritum, ſed ſolùm attritum, tunc tenetur cõfiteri venialia, & illud reſeruatũ Confeſſori non habenti facultatem reſeruati, quia hoc pacto ſaltem indirectè obtinet remiſſionem

ſionem peccati mortalis reſeruati, & fit capax gratiæ Sacramentalis, & ſancta ſanctè tractaret.

12. Item qui habet iuſtam cauſam reticendi in Confeſſione aliquod peccatũ, non poteſt reticere plura. Neq; habẽs iuſtã cauſam reticendi actum externum, debet confiteri internum, quia reticens furtum extremum; tenetur ſaltem confiteri ſe volũtatem ſurripiendi habuiſſe. Et peccatum reſeruatum poteſt in neceſſitate ſaltem confiteri actũ internum, & ab eo abſolui. Imò tenetur, ſi putaret ſe tantùm eſſe attritum, vt Sanctum ſanctè ſuſciperet, quamuis pœnitens adhuc retineret obligationem pręſentandi ſe coram legitimo ſuperiore pro reſeruatione, quia Confeſſio integrè facienda eſt, quantùm moraliter fieri poteſt.

13. Tandẽ qui ex iuſta cauſa reticuit peccatum, non tenetur ſtatim oblata occaſione illud cõfiteri, ſed differre poteſt Confeſſionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur, quia tunc ſic cõfeſſus ſatisfecit integritati morali Confeſſionis. Sed Sacerdos, qui vrgente neceſſitate celebrauit non pręmiſſa Confeſſione mortalis, tenetur quam primum cõfiteri, quia Concil. Trid. de Sacerdotibus tantùm, & non laicis fecit mentionem.

ARTICVLVS IV.

An pœnitens excuſetur ab integritate Confeſſionis, ſi manifeſtando in Cõfeſſionẽ ſuum peccatum, vel aliquã circumſtantiam ſui criminis neceſſariò fatendam, perſonam complicis in particulari Cõfeſſori reuelet?

1. ℞. Sic, quia lex Confeſſionis non obligat cũ tanto detrimento vitę, & famę ad explicandas omnes peccatorum circumſtantias.

2. Verùm ſi altera perſona eſt concors eiuſdem peccati, vt ſi quis fornicatur cũ vnica ſorore cognita à Confeſſore, & non adeſt alius Confeſſor inſcius, & Confeſſio eſt in pręcepto, tunc poteſt pœnitens peccatum ſuũ confiteri Confeſſori ſcienti perſonam complicis, quia illa tertia perſona videtur cedere iuri ſuo, eo ipſo, quo eſt concors eiuſdẽ criminis, nam ſcit ſoror fratrem ſuum aliquando acturum pœnitentiam, & integrè peccatum ſuum completurum. Sed quando peccatum eſt ſine culpa illius tertię perſonę, non poteſt pœnitens talem circumſtantiam explicare; vt ſi quis infamauit Pręlatum de tali crimine, etiam dicendo verum, quia in hoc caſu illa tertia perſona non cedit iuri ſuo, ſiquidem non peccauit in actu alterius, neque ſua culpa, quã cõmiſit cũ ſuo pœnitente,

se in tale periculum immissit.

3. Nota obiter quòd lex diuina duplex, Naturalis, & Positiua. Naturalis est, qua præcipitur idem, quod præcipitur à lege naturali, scilicet, quod tibi non vis, alteri ne feceris, vt in præceptis Decalogi. Positiua verò, qua præcipitur aliquod, quod lege naturali non est sancitum, vt præceptum præmittēdæ confessionis ante sumptionē Eucharistiæ, ab habēte peccatū mortale. Ideo lege naturali sufficit contritio ante sumptionem Eucharistiæ, lege tamen positiua requiritur cōfessio. Hinc est, quòd pœnitens potius oportet tacere circumstantiam complicis, ne lædatur fama apud confessorem, & debet vti in hoc casu lege naturali, & nō positiua.

ARTICVLVS V.

An pœnitens integrè confitens, sed animo perseuerandi in peccato, teneatur postea hanc confessionem iterare?

1. R. Sic, quia talis non habet debitum dolorē, dum habet animū perseuerādi.

2. Verùm non censetur occasio proxima peccādi illa, quæ si fortè sæpius induxerit ad peccandū, tamen si adhibetur cautio non frequenter trahitur ad culpam, quia in tantum dicitur occasio proxima ad peccandū, in quantum posita cautione, adhuc frequenter peccat.

3. Nota, quod occasio proxima peccandi duplex, Voluntaria, & Non Voluntaria. Voluntaria est quando absq; graui infamia, scandalo, vel alio graui incommodo dimitti potest, & hæc omninò tollēda est, vt pœnitēs absoluatur. Non Voluntaria, moraliter loquendo, est, quando non possit dimitti sine graui infamia, scandalo, vel graui incommodo, & talis non est sufficiens causa denegandi absolutionem, si pœnitens habet rationabilem causam non separandi se ab ea, si habet maximū dolorem de præteritis, firmum propositum non amplius peccandi, & Dei auxilio sperat non peccaturum. Sed non habens dolorem saltem, & propositum nō peccandi nō est absoluēdus, quia tunc videtur esse occasionem proximā peccandi, (regulariter loquēdo,) non velle dimittere.

4. Ideò qui domi retinet cōcubinam, seu ancillam, cum qua frequenter peccare solet, non est absoluendus, nisi illam dimittat, quia existit in occasione proxima peccandi. Sed si cum ancilla, vel alia tertia persona raró, vt ter, vel quater in anno peccauit, repentina limbidine correptus, & in confessione proponit, & sperat, non amplius fore, vt relabatur, est absoluendus, quia non est in proxi-

proxima peccandi occasione, cùm nō frequenter delinquat.

Similiter nō est absoluendus quis habitus pro concubinario à populo, licèt re vera non sit, nisi eijciat fœminam illā creditam concubinam, quia non solùm ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie cauēdum est.

5. Aliàs aliquādo Confessor potest absoluere concubinariū absque eo, quod dimittat illam, quando sine graui scandalo, infamia, & graui incommodo, & habet sufficiens propositum, & firmum dolorem non peccandi, quia tanta difficultas efficit occasionem non voluntariam. Sic etiam cum tali proposito potest absolui filius familias, qui de domo patris non expellit cōcubinam, vel aliam, cum qua peccare solet, quia hoc non dicitur occasio proxima voluntaria respectu filij familias, qui nō est sui iuris.

6. Item incidenti sępius in peccatum mollitiei, non cogitur Confessor denegandi absolutionem, quia fragilitas peccandi nō censetur occasio proxima voluntaria, cùm adolescēs non potest illam expellere. Potest tamen Confessor aliquādo differre absolutionem non in casu necessario, sed vtili, vt pœnitens cū maiori proposito proponat euitare huiusmodi turpia peccata. Deneganda tamen est absolutio pœnitenti, quando potest occasionem mollitiei expellere, & eam non expellit, si frequenter illa occasione posita hoc turpe scelus admittit, vt ex aspectu alicuius fœminę, cum qua versatur, & alloquitur, incidit sępius in turpes cogitationes, illisque consentire, quia hic censetur esse in proxima occasione voluntaria peccandi, cū possit illas euitare, & nō abscindit.

7. Rursus instante aliqua rationabili causa non tollendi occasionē peccandi, vt pœnitētes, qui versatur inter mulieres emēdo, vēdēdo, familiariterque tractando, cum quibus sæpè peccant voluntate, verbis, aut tactibus impudicis & aliquando etiā copula licèt nō statuant abstinere se semper ab occasione peccādi, si subest rationabilis causa abstinendi ab ea, nolentes illam dimittere, sunt absoluendi, quia occasio, quæ datur ad peccandùm, neque ex se est malum, neque talis naturæ, vt de se semper faciat peccatum lethale, non videtur habere rationem occasionis propinquæ. Ita dicimus artificem, qui omni confessione se accusat de fraude, & mēdacijs in arte, quam exercet, si est licita, & non potest eam relinquere absque notabili incommodo; dum adest propositum de futuro non peccandi, esse absoluendum, quia relinquere illam artem esset maximum incom-

commodum, & ex se, & ex natura sua non est ars mala, & non debet dici occasio proxima voluntaria peccandi.

DISQVISITIO XXXIII.

De Præcepto Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

Quo tempore obliget præceptum auricularis Confessionis?

1. ℞. Post vsum rationis si cognoscat se esse in mortali, ac in articulo, & periculo mortis; quia præceptum diuinum obligat tempore necessitatis, *Ita Concil. Triden. Sess. 14. cap. 4.*

2. Vnde iure diuino tenetur confiteri ante sumptionem Eucharistiæ, quia debet probare se per confessionem, vt consuetudo declarat, *ita Concil. Triden. Sess. 13. cap. 7. & D. Tho. in 4. dist. 16. in exposit. textus.* Aliàs accedens cum peccato, aliud committit, quia indignè sumit Eucharistiam. Sed si talis tenetur confiteri propter præceptum annuæ Confessionis, & sine ea sumit Eucharistiam, duo peccata committit, quia vnum propter pręceptum, & aliud propter indignam sumptionem. Sed excommunicatus vnum peccatū committit sumens Eucharistiā, quia communicare se cum annexa censura est vnus actus malus eidem honestati Religionis contrarius, scilicet, vt Sancta Sanctè non sumat.

3. Verùm obligatio Confessionis iure diuino non extenditur ad tempus susceptionis, vel etiam collationis cuiuscumque alterius Sacramenti, quia talis obligatio non est in iure positiuo, diuino, nec Ecclesiastico, nec naturę, ad quam sufficit cōtritio. Et dum initiatur sacris Ordinibus debet confiteri, quia communicaturus est. Minister autem Sacramentorum sub lethali tenetur, vt in gratia per cōtritionem constituatur, antequā administret Sacramentum, quia aliàs irreligiosè, & cum peccato ministrat Sacramentum, cùm sit peccatum contra Religionem in re graui, *ita D. Tho. 2. 2. q. 99. & 3. p. q. 64. art. 6.* Et talis dum cognoscit non posse habere contritionem, sed tantùm attritionem, debet Sacramentum Pœnitentiæ

nitentiæ recipere antequam administret, quia debet assumere media, quibus ad gratiam sanctificantem disponatur, vt Sacramenta dignè pertractet.

4. Secus tenetur prius confiteri, vel conteri transferens Eucharistiam de loco in locum, quia hæc non est administratio Sacramenti, neque videtur materia sufficiens ad mortale. Sed benè tenetur Diaconus in mortali existens, vt in gratia Sanctificantè ministret, quia hoc faceret ex officio, & participat officium Sacerdotij. Sed Parochus in necessitate ministrans Baptismum sine sollemnitate, non tenetur, quia non ex officio ministrat, idem dicendum de Diacono, & laico baptizando in necessitate, *ita D. Tho. 3. p. q. 64. art. 6. ad 3.* Neque Sacerdos assistens matrimonio, nec peccat assistendo in peccato, quia non est minister conficiens Sacramentum, & benedictio quam ipse præstat, est Sacramentale quoddam. Sed contrahentes peccant, non quia sunt ministri consecrati huius Sacramenti, sed quia suscipiunt hoc Sacramentum in peccato, quia ponunt obicem recipiendæ gratiæ per Sacramentum.

5. Item exercentes functionem Ordinum minorũ in peccato nõ peccant, quia tale exercitium non est officium in materia graui, sed leui, ideò leuiter peccant.

6. Item exercentes officium Subdiaconi, cùm sit remotum à Sacramento, non peccant, quia nõ est res grauis. Sed benè Diaconus, cum sit vltima dispositio ad Sacerdotium, quia vltima dispositio in naturalibus reducitur ad naturam formæ.

7. Item Episcopus conferens primam Tonsuram, vel benedicens sacras vestes, Abbatissas, & benedicens aliud, (excepta Chrismate, & oleo) in peccato, non peccat, nec tenetur ad cõfessionem, vel contritionẽ, quia non sunt actiones habentes in se sanctificationem, qua homines iustificantur, *ita D. Tho. 3. p. q. 64. art. 6.* Idem dicimus de iudice Ecclesiastico exercente actus iurisdictionis, & de Concionatore prædicando, vel benedicente aquam benedictam in peccato, non peccant, quia huiusmodi functiones non sunt immediatè sanctificatrices. Ita clericus tangens res sacras, scilicet calicem, corporalia, & similia in peccato, non peccat, quia non est materia grauis, neque functio sanctificans.

8. Similiter existens in peccato, & constitutus in periculo peccandi, vt periculum euitet, tenetur ad confessionem quia tunc est necessitas grauis. Sed si adest periculũ obliuiscẽdi peccata, quamuis alij dicant peccare, nam in iure diuino tenetur integrè confiteri, quod illam

diffe-

differendo obliuiscitur: tamen dicimus non peccare, quia satis est, vt statuto tempore Ecclesiæ diligētiam faciat ad recordandum. De venialibus, nec iure diuino, nec naturali tenetur cōfiteri, quia ad venialia sūt alia remedia, *ita Cōcil. Trid.* Sed bene in dubio, an sit veniale, vel mortale, quia in dubijs pro consciētia tutior pars est eligenda.

9. Item constituti in aliquo periculo vitę, vt in periculosa nauigatione, milites in prælio, fœmina in partu, infirmus in graui morbo, tenētur confiteri, quia in casibus prædictis imminet grauis necessitas, & periculum damnationis.

10. Item infirmus, qui post viaticum peccauit, tenetur denuò confiteri, sed non iterum communicare, quia Eucharistia non est instituta per se ad delenda peccata mortalia, sicut Pœnitentia.

11. Item deueniens ad vsum rationis tenetur sub mortali cōfiteri semel in anno, non tamen statim ad communionem, sed post duos, aut tres annos, prout Confessor iudicauerit expedire, quia Sacramentum Eucharistię non est tantæ necessitatis, sicut & confessionis.

12. Præceptum commune obligat, & complectitur quindecim dies à Dominica in Palmis vsque ad Dominicam in Albis, quia talis vsus est totius Ecclesiæ, & traditio Apostolica, *ita Eugenius. 4.*

13. Item pueri licèt deuenientes ad vsum rationis teneātur sub præcepto Ecclesiastico, & Diuino confiteri semel in anno, & in articulo necessitatis, cùm sit præceptum necessitatis, tamē Ecclesia vsque ad annum ætatis duodecimum per censuram neminem ad confessionem cogit, quia licèt pueri antea possunt peccare, tamē relinquit eos sub diuino iure. Ideò pueri non cōprehenduntur ante duodecimū annum in excommunicatione, quia leges humanę in pueris relinqui solet indultum, quod prouenctioris ætatis ducunt seueriùs puniēdū humanę leges.

14. Verùm pueri ante decimum quartum, vel duodecimū annum violenter manus in Clericos imijcientes, & sunt doli capaces, sunt excōmunicati, quia in illo iure est sermo de pœna, quæ ipso facto incurritur, in Confessione verò de pœna incurrenda. Imò pueri occidentes alios sunt irregulares, & si populo sacris interesse interdictū sit, etiam pueri doli capaces comprehenduntur.

15. Pœna trāsgressoribus huius præcepti confessionis in iure solùm est, vt arceātur ab ingressu Ecclesiæ, & priuentur Ecclesiastica sepoltura, & vtrumque requirit sententiam à iudice latam, quia *ita constat in ipso iure.*

Quam-

Quamuis in cōsuetudine Episcopatuum adiungi soleat pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & talis interdictus ab ingressu Ecclesiæ per sententiam iudicis ob transgressionem præcepti annuæ cōfessionis, vel ob aliud delictum non priuatur vsu Sacramentorum, quia quādo non celebrantur diuina officia in Ecclesia, potest recipere Sacramenta.

16. Similiter pueri post septennium tenentur nedum præcepto annuæ confessionis, sed etiam omnibus Ecclesię legibus præter ieiunium, & Eucharistiæ legem, quia cùm pueri vsum rationis habent, legalis obligationis sunt capaces. Ita tenentur audire sacrum, & à carnibus, & lacticineis abstinere, licèt consuetudo in contrarium obstet, maximè cùm aliqui Doctores teneant pueros non teneri ad præcepta Ecclesiæ vsq; ad duodecimum annum, & fœminas ad decimum.

17. Ita etiam Papa tenetur ad præceptum annuæ cōfessionis, non quo ad vim coactiuam, idest non debet puniri, etiam quod faciat contra legem, sed ad vim directiuam ad seruandā talem legem, quia ratio naturalis dictat, quòd caput conformetur corpori suo, ideò peccat si non confitetur per annum.

18. Vnde qui Natiuitate Domini, aut in alio die confitetur, satisfacit præcepto confessionis, nec ex vi huius præcepti tenetur in Paschate, nisi alio titulo confiteri teneatur, vt si sit suscepturus Eucharistiam aduertens se conscientiam habere lethalis culpæ, quia præceptum annuæ confessionis est, quòd fiat semel in anno, *ita cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* Et annus iuxta determinationē Ecclesiæ computandus est ab vno Paschate ad sequēs Pascha, quia *ita est communis vsus, & praxis.* Et si incipit confiteri prima die mensis Aprilis, annus computatur ab ea die vsq; ad eamdē diem anni sequentis, & sic debet confiteri semel intra annum à die, qua confiteri cæpit.

19. Similiter qui non est cōfessus anno præterito, tenetur hoc anno quamprimum confiteri ex præcepto annuæ confessionis, quia annus non præfigitur ad finiendam, sed ad sollicitandam adimpletionem pręcepti confessionis, *ita D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 3.* Ita dicimus de eo, qui se non communicauit tēpore Paschatis, quamprimum tenetur commodè in eodē anno communicare, quia cum sit etiam diuinum præceptum præter Ecclesiasticū, quod transacto illo obligat.

20. Nota, quòd dupliciter præcipi potest aliquod faciendum tali tempore. Primò, ob circumstantiam, conditionem,

& honorem talis temporis, & elapso tẽpore determinato cessat eorum obligatio, vt recitare officium singulis diebus, audire sacrum in die festiuo, ieiunare in vigilijs, quia tales obligationes præcipiuntur tali die, & tẽpore ob circumstantiam temporis. Secundò absolutè, & simpliciter non spectata circumstãtia temporis, sed potiùs, ne diutiùs executio differatur, elapso tempore determinato non cessat eorum obligatio, vt præceptum cõfessionis, & communionis, quia terminus non fuit appositus ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam adimpletionem obligationis. Et videtur, quòd qui distulit confessionem anni præteriti vsque ad præsens, non satisfacit præcepto annuæ confessionis semel confitendo, quia requiruntur duæ confessiones distinctæ, cũ etiam augeatur necessitas confessionis pro anno præsenti. Tamen est vsus receptus ab omnibus, vt qui multis annis præcedentibus non est confessus vnicam in sequentibus annis faciat confessionem.

21. Item qui non est confessus in periculo mortis, cùm haberet conscientiam mortalis, nõ tenetur postea quãprimũ confiteri, quia præceptũ confessionis in articulo mortis obligat, vt occurratur periculo dãnationis ob circumstantiam temporis.

22. Item qui per obliuionem prætermisit aliquod peccatum, & recordatur post communionẽ, non tenetur illud quamprimum confiteri, vt confiteri infra annum, si non dum annus sit elapsus, quia iam satisfecit præcepto annuæ confessionis, cùm re ipsa semel in anno validè cõfessus est. Tenetur tamen confiteri, si recordatur ante communionem, quia nullus potest accedere ad Eucharistiam maculata conscientia. Secus si ex malitia aut ignorantia crassa facit confessionem imperfectam, & sine debito dolore, aut non obtenta absolutione, non adimplet præceptum, quia præceptũ confessionis est præceptum diuinum determinatum ab Ecclesia ad tale tempus, & consequẽter per confessionem imperfectam non adimplet, *ita, Concil. Trid. sess. 14. cap. 5.* Ita quod cõmunicans in peccato mortali, non satisfacit præcepto, quia lex præcipiens aliquem actum, nedum requirit adimpletionem substantiæ actus, sed etiam modi, cùm communicari in gratia sit modus essentialis. Verùm faciens confessionem informem, sed validam adimplet præceptũ annuæ confessionis, quia præceptũ Ecclesiæ obligat ad substantiam actus, non verò ad modum, *ita D. Tho. 1. 2. q. 100. art. 9.*

23. Item non adimplens præceptum annuæ confessionis, nõ toties

toties peccat, quoties postea se offert occasio confitendi, sed tãtùm manet obstrictus illo peccato, quia qui vouit ingredi Religionem tali tempore, manet continuò in eodem peccato, quod admisit non ingrediendo, quo ad vsque ingrediatur.

24. Item præuidens se non habiturum copiam confessoris, quando aderit præceptum, tenetur præuenire tempus cõfessionis, quia qui cognoscit, quod in fine diei non potest recitare officium, tenetur recitare antea, ita, & confessio. Sed non posse recitare officium ob impedimẽtum non voluntarium, non tenetur illas horas recitare, quia horæ sunt destinatæ tempore statuto signanter, ideò rigorosũ est obligare aliquem ad recitandas omnes horas manè, quando præuidet non posse recitare tẽpore statuto, cùm tunc sit inuoluntarium.

25. Item præuidens Missam in die festo audire non posse, non tenetur alio die audire, vel anticipare, sed debet manè prȩuenire, vt opportunè audiat Sacrum, quia tunc extat præceptum, & præuenire, aliàs se exponit periculo non adimplẽdi.

26. Item debitor debet præuenire solutionem, dum cognoscit post terminum præfixum impotentem ad soluendum fore, quia qui prefixo tempore aduertit se non posse soluere creditoribus, quia professurus Religionem aliquã, tenetur ante professionem soluere ex bonis, quibus, dum profitetur, est renunciaturus. Similiter si quis ob obligationem voti nondum obligantis timet probabiliter futurum impedimentũ perpetuum, tenetur præueniendo tẽpus adimplere votum, scilicet Religionem intrare, si vouit fieri Religiosum, quia voti adimpletio, cùm sit promissio acceptata à Deo, transit in vim quasi contractus, & iustitiæ, ita multo magis tenetur debitor soluere, & præuenire solutionem, si tempore præfixo aduertit se nõ posse soluere.

27. Item qui præuidet non posse intra quindecim Paschales dies Eucharistiam sumere, neque intra alios quindecim, vel viginti, vel triginta dies solitos determinari ab Ecclesia, tenetur anticipare communionẽ, quia aliàs hic se exponeret periculo violandi præceptum diuinum.

28. Item qui committit aliquod peccatum de nouo post confessionem, & communionem actualem, nondum elapso anno, in quo prius cõfessus est, tenetur illud peccatum confiteri, quia vt satisfaciat præcepto annuæ confessionis, quo præcipitur omnia mortalia confiteri, quamuis oppositum, vt probabile defendi potest.

29. Item non faciēs confessionem perfectam involuntariè relinquens aliquod mortale sine debito, aut causa, carens dolore, incurrit censuras, si quæ infligerentur contra eos, qui nō sunt confessi, quia censetur cōtumax cōtra Ecclesiā, cùm nō adimpleat præceptū ob cuius violationē imposita est cēsura.

30. Item qui confitetur, & non communicetur, vel è contra, scilicet si non confitetur, sed communicatur in anno, non incurrit censuras, quia satis est confessionem, vel communionem emisisse, cum canon de vtroque agit Sacramento.

ARTICVLVS II.

An Papa possit dispensare vt aliquis, vt semel in anno non confiteatur?

1. R. Sic, quia est institutū ab ipsa Ecclesia, & quia annua Confessio non euidenter constat esse de iure diuino, sicut constat esse de iure Ecclesiastico, de quo Papa potest dispensare, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 6. art. 6.*

2. Nota quòd duplex est ius diuinum naturale, Aliud absolutum non dependens ab actu humano, vt non fornicando, non mentiendo, & in hoc non potest Papa dispensare. Aliud verò ius diuinum naturale fundatum in contractu humano, & ab eo dependēte, in hoc Papa potest aliquando dispensare, quia decet ad bonum regimen animarum dispensatio, quæ licet sint de iure diuino naturali, tamen sunt admissæ aliquid gubernationis humanæ, cùm Dei Prouidētia remedia ad salutem animarum sint adèo conducētia. Tum quia experientia docet concedi dispensationem à Papa in voto, & iuramento, quæ sunt adimplenda ex obligatione iuris naturæ, & diuini, *ita D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 10. ad 1.*

3. Ideo Papa dispēsās in his, quæ sunt de iure diuino, non propriè dispensare dicitur, quia inferior nequit legem superioris tollere, cùm lex diuina sit immutabilis *ita in Clement. ne Romani, de elect. & cap. inferior. distin. 21. ita D. Tho. loco supra citato.* Sed impropriè dicitur Papam dispensare in voto & iuramento, in matrimonio rato, & non consummato, quatenus supponit causam legitimam non obligare, quia Papa potest interpretari ius diuinum occurrētibus talibus circumstantijs non obligari. *ita D. Tho. loco supra citato.*

4. Vnde Papa non potest dispensare, vt quis saluetur sine Confessione secundum quod obligat ex vi Sacramenti, idest ex institutione diuina, quia Sacramentum Cōfessionis est Sacramentum necessitatis, sicut Baptismus *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 6. art. 6.* Tamen potest ex aliqua

aliqua circumstantia interpretari diuinum præceptum Confessionis non obligare. Vt quis in aliquo Regno sit destinatus ad conuersionẽ gentiũ per aliquos annos, vbi non est copia alterius Confessoris, quia bonum vniuersale totius Regni præpõderat bono particulari vnius. Sed si talis ex fragilitate lethaliter deliquerit, si cognoscat in se ipso magna contritionis signa, & non sentiat periculum iterum peccandi, poterit sic celebrare, & iustificatur supposita attritione prudẽter existimata Contritione; quia qui accedit ad Eucharistiam credens se esse in gratia, cum verè sit in peccato mortali, si habet actum attritionis, primam gratiam recipit, & iustificatur, ita celebrans in necessitate putans se esse contritum, & tamen est tantùm attritus, non habens copiam Confessoris recipiet etiam primã gratiam, & iustificatur. Aliàs talis si sentit se non esse contritum, & est periculum se non esse contritum, & est periculũ sæpè peccandi lethaliter, non potest sic manere per multos annos absque Confessione, & Papa non potest tunc diuinum præceptum intrepretari non obligare ad Confessionem, quia Papa vti non potest sua auctoritate dispensare cum dispendio damnationis æternæ alterius.

5. Sed habens solùm venialia non tenetur implere præceptum annuæ Confessionis, quia talis non tenetur ex præcepto diuino, neq; tenetur ex præcepto diuino neq; tenetur ex præcepto Ecclesiastico. Tamen ad euitandũ scandalum debet comparere coram proprio Sacerdote tempore Paschatis, quia Ecclesia non differentes attestationem Confessionis solet excommunicare, & interdicere. Sed habẽs venialia, & mortalia, quæ confessa timet periculum infamiæ, vel nocumenti sibi, vel alijs extra confessionem, tunc tacitis mortalibus, tenetur confiteri venialia, quia si iste non confitetur, negabitur ei Eucharistia in Paschate, & excommunicabitur, ideò debet implere præceptum. Et talis ideò tenetur confiteri venialia, quia cùm nõ sit in gratia, magis eget confessione, & quasi per accidẽs obligatur ad venialia confitenda, vt ab istis directè absoluatur, & de mortalibus tacitis ob graue periculum indirectè consequatur remissionẽ, & vt sic dignè præceptum Communionis in Paschate adimplere valeat.

6. Similiter potest Ecclesia, seu Papa præcipere, vt qui solis peccatis venialibus tenentur, ea confiteri certis temporibus debeãt, quia quis potest voto promittere se venialia cõfessurum, multò magis, & Ecclesia hoc præcipere, maximè cùm præ-

ceptum

ceptum Monachis, vt quolibet mense confiteantur, ac & etiam venialium, cùm ius non distinguit, nec nos distinguere debeamus, *ita in Clement. ne in agro dominico. §. sanè de statu Monachorũ.*

7. Excusatur tamen ne dum moraliter, sed etiam physicè, vt si quis non habet copiam confessoris, nisi longum iter acciperet, quia Ecclesia non obligat cum tali incommodo, & difficultate. Similiter existens in naui cum alijs,& confessor surdus, & non potest confiteri, nisi audiatur ab alijs, excusatur, quia Ecclesia non obligat ad confessionem publicam. Neque hoc præceptum diuinum obligat extra periculum, & articulũ mortis, imò in tali casu, & periculo mortis, si non potest actum cõtritionis elicere, debet confiteri publicè ea, quę sunt minoris infamiæ,quia homo tunc tenetur, quãtùm potest, adhibere media illa ad salutem sine graui infamia.

8. Similiter ratione surditatis confessoris,vel pœnitens carens lingua, nec nutibus, aut alia via explicare potest coram Sacerdote per scripturam confiteri, quoties instat præceptum confitendi, quia si pœnitens potest commodè absq; periculo, & damno per scripturam cõfiteri, tenetur. Sed non tenetur lubricam memoriam habens, peccata sua scribere, vt tempore suo confiteatur integrè, quia sufficit diligentia moralis, & non maxima.

ARTICVLVS III.

An pænitens peccata sua sacramentaliter præsenti confessori confessus, possit ab eodem absente absolutionis formam obtinere?

1. ℞. Non, quia confessor tempore absolutionis non potest cognoscere in absentia, an iste sit dispositus, & viuus.

2. Vnde secluso decreto Clementis VIII. *edito 1602.* absolutio ab absente Sacerdote collata est nulla, & in nullo casu licet, & dicere quòd facta tenent, & liceat in aliquo casu; est erroneum, quia *ita expressè decreuit Conc. Trid. sess. 14. cap. 3.*

ARTICVLVS IV.

An pænitens peccata sua per litteras, seu internuntium absenti Sacerdoti sacramentaliter confiteri, & ab eodem præsente absolutionẽ impetrare possit?

1. ℞. Non, quia talis confessio non est materia Sacramenti Pœnitentiæ, cũ non sit oris confessio,neq; actus pœnitentis vitalis, *ita Pius V. in Catechismo Rom. & ita in can. de pænit. distin. 1.*

2. Vnde contrarium asserere est propositio errori proxima, *ita in decreto Clementis VIII. ita Concil. Florentin. tract. de confessione, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. de Sacram. pœnit.*

3. Verùm pœnitens quando misit per litteras, seu internuntium peccata sua absenti Sacerdoti, si postea in ipsius præsentia dicit, quòd se accusat de illis, potest absolui, quia tunc jam est oris confessio, & materia Sacramenti pœnitentiæ.

4. Nota, quòd est discrimē inter materiam Sacramēti Baptismi, & Pœnitentiæ. Materia Baptismi est omninò ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur, & ideò Baptismus dari non potest, nisi in aqua. Actus verò Pœnitentiæ est ab intra, & a nobis, ideò confessio fieri potest in omnibus actibus qui ad intra procedunt, qui sunt vitales vitæ immediatè coniuncti, & vitaliter producti, & affectum pœnitentis manifestantes, ideò confessio fieri potest verbis, nutibus, & signis, qui sunt actus vitales. Si autem per internuntiū, seu per litteras fiat, cùm non sit actus pœnitentis vitalis nequit esse Sacramentalis, quia pœnitens tamquam reus præsentialiter ante Tribunal Confessoris sisti debet, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 9. art. 3. ad 2.*

ARTICVLVS V.

An pœnitens morti vicinus, qui absente Sacerdote in præsentia testiū, contritionis signa exhibuit, & Sacramentum pœnitentiæ petijt, & postea sensibus fuit priuatus, possit à superueniente Sacerdote ex relatione testium illud scientium sacramentaliter absolui?

1. R. Non, quia absolutio est actus iudicialis, & tunc nulla materia, nec potest absq; Sacrilegio absoluere, & iudicium ferre, *ita in can. 9. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 5.*

2. Verùm si talis vnum tantùm confiteatur peccatum, potest sacramētaliter absolui, quia alia per accidens non potuit. Non tamen si talis tantùm pœnitentiæ Sacramentum petijt, & signa contritionis exhibuit, potest absolui, quia nullum sit peccatum in specie, super quo possit Sacerdos suum ferre iudicium.

3. Nota, quòd in sacris canonibus hoc nomen Pœnitentiæ quattuor modis accipitur. Primò pro pœna peccatoribus ad statum pœnitentiæ admissis, vel admittendis iniuncta, quæ publicè, vel priuatim iuxta qualitatem delictorum accipiebatur ab Episcopo, vel Præsbitero, *ita 26. q. 7. canon. is qui. & cap. pœnit. & cap. Sacerdos.* Secundò, pro

pro remissione sine absolutione ab huiusmodi pœna, *ita can. de pœnit. de conserat. dist.* 5. Tertiò, pro absolutione Sacramentali à peccatis, *ita can. si præsbyter.* 26. *q.* 6. Quartò, pro pœnitentia, seu satisfactione, quæ pœnitenti pro peccatis suis à Confessario post confessionẽ Sacramentalem tribuitur, *ita can. nisi infirmis.* 26. *q.* 7. Vnde illi tres primi canones loquuntur de pœnitentia primo, & secundo modo explicata.

ARTICVLVS VI.

An confitens peccata initio Quatragesimæ dilata absolutione in festũ paschæ, si ante illud morti proximus signa contritioni ostendit, & Sacramentum Pœnitentiæ petijt, & deinde priuatur sensibus, superueniente eodem Sacerdote illud ex relatione testium scienter possit sacramentaliter absolui?

1. ℟. Non quia ista absolutio nõ potest, moraliter loquendo, esse simul cũ Confessione.

2. Imò contrarium dicere est falsum, cùm præter decretũ Clementis VIII. iam erat decretum Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 2.

3. Vnde in Sacramentis nouæ legis debent saltem moraliter coniungi materia, & forma, vt qui abluit puerum quinque ab in hinc diebus, & hodiè formam Baptismi confert, nullum Sacramentum efficit, quia tunc materia, & forma moraliter nõ cõiunguntur, ita de cõfessione.

4. Verùm pœnitens confessus initio Quadragesimæ, & nõ absolutus, si in die Paschæ se accusat de peccatis tunc confessis, potest absolui, quia confessio, & absolutio iam sunt moraliter simul. Sed si talis in initio Quadragesimę morti vicin⁹ ab eodem pręsente Sacerdote, nisi se accuset de peccatis, quæ illi in Confessione exposuerat, non potest Sacramentaliter, & absolutè absolui, quia petere Sacramentum Pœnitentię, & ostendere signa contritionis, nõ est Confessio Sacramentalis, sicut accusare se de illis peccatis iam sibi confessis, & cognitis.

ARTICVLVS VII.

An pœnitens peccata sua absenti Sacerdoti per litteras, seu internuntium confessus, possit ab eodem absente absolui?

1. ℟. Non, quia iam est decretũ Clemẽtis VIII. *Die* 20. *Iunij* 1602.

2. Nota, quòd matrimonium contractum per Procuratorem potius dici ciuilem contractum, quàm matrimonium, & dato quòd sit matrimonium, tamen per se primo matrimonium nõ ordinatur ad remit-

remittenda peccata, sicut Sacramentum Pœnitentiæ, ideò matrimonium contractum in mortali non est nullum, sed tantùm peccat mortaliter, sed Sacramētum Pœnitentiæ per se primò ordinatur ad delenda peccata, & quando Pœnitēs est in mortali, nullum suscipit Sacramentum. Similiter non est eadem ratio de iudice temporali, & de spirituali Sacramenti Pœnitentiæ, quia temporalis potest absoluere ab vno delicto, relictis alijs, & sic potest absolui absēs, qa nō incōuenit, quòd absoluatur ab illo delicto, quando illud committit. Secùs in iudicio Sacramenti Pœnitentiæ, quia implicat, quòd absoluatur ab vno peccato, & non ab alijs, & consequenter non potest absolui absens, quia fortasśè tunc esset actualiter peccans.

ARTICVLVS VIII.

An decretum Clementis VIII. Scilicet, quod non liceat per litteras, seu internuntiū Confessori absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, vtraque pars propositionis diuisiuè, & non copulatiuè sit damnata?

1. R. Quòd ly, *et*, sumitur diuisiuè, quia per decretum vtraq; pars propositionis copulatiuè esset probabilis, & sic liceret pro libito per litteras cōfiteri, & absolutionē per litteras etiā obtinere, quod est valdè falsum, *ita Concil. Trid. sess. 6. canon. 4. & 9. & sess. 13. de Eucharist. can. 4. & 9. & sess. 24. de matrim. can. 2. 3. 9.*

2. Nota, quòd quando Rituale Pauli V. dicit, quòd si infirmus confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est, non intelligitur ly, *siue*, disiunctiuè, sed est sermo, quòd quando infirmus sine loquela non potest peccata confiteri, nisi per signa, & nutus, siue per interpretem, ita vt confessor cognoscat pœnitentē perpetrasse aliquod peccatum saltem in genere, & sic in primo peccata pœnitētis huiusmodi cognoscens, & in secūdo eius dolorem depræhēdens, ipsum absoluat.

3. Verū probabile est, quòd pœnitens morti vicinus per se profert, *Peccaui*, & signa contritionis ostendit in præsentia Sacerdotis, possit Sacramentaliter absolui, quia Confessio Generalis, & signa illa contritionis hic, & nunc prolata ab infirmo in præsentia Sacerdotis habentur pro Confessione particulari.

DISQVISITIO XXXIV.

De Satisfactione Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An pœnitens teneatur satisfactionem sibi impositam acceptare, & acceptam implere?

1. R. Sic, quia satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, & sine illa erit imperfectũ Sacramentũ.

2. Satisfactio est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis taxatis à Confessore. Dicitur *compensatio pœnæ temporalis*, vt significetur Pœnitentiam Sacramentalem iniungi in satisfactionem pro reatu pœnæ temporalis remanente post culpam iam deletam. Dicitur *debitæ ob iniuriam Deo illatam*, quia cum homo per peccatũ inferat Deo iniuriam, dignus est aliqua pœna, in cuius satisfactionem imponitur pœnitentia in cõfessione. Dicitur *consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis*, vt ostenderet quæ nam opera iniungebantur in satisfactionem, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 12. art. 3.*

3. Vnde remissa culpa per Pœnitentiam potest remanere, & remanet pœna soluenda siue in hac, siue in altera vita, quia *ita sancitum in Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. can. 12. & est de Fide.* Tamen talis pœna potest esse tàm magna, vt aliquando transeat in contritionem, & interdum totã pœnam dimittat. Similiter iustus potest verè, & propriè pro pœna temporali relicta post remissionem culpæ satisfacere, & de facto satisfacit, quia *ita in Concil. Trid. sess. 14. can. 13. de Pœnit. Sacram.* cùm ista pœna sit temporalis, potest pro illa fieri satisfactio. Et pro ista pœna satisfacit iustus reddendo æquiualens, quia illud opus ad satisfaciendũ pro pœna consideratur simul prout est à Deo, & ab homine: & vt sic habet quandam extrinsecam infinitatem, sicut pœna ex parte, qua respicit Deum, habet quandam infinitatem. Sed ista satisfactio pro ista pœna nõ est de rigore iustitiæ, quia sic satisfaciens nõ reddit ex proprijs, sed ex receptis ab ipso creditore, qui est Deus.

4. Simi-

4. Similiter Satisfactio est pars Sacramẽti Pœnitẽtiæ, quia *ita Concil. Trid.* Non tamen essẽtialis, quia istud Sacramentum verè est tale ante satisfactionẽ. Sed integralis, quia cùm sit pars non essentialis, erit integralis. Et satisfactio vi Sacramenti remittit maiorem pœnam; quàm per aliquod opus satisfactorium extra Sacramentum, & contritionẽ, quia hæc satisfactio vi operis remittit pœnam, Sacramentalis verò satisfactio vi Sacramẽti remittit ex opere operato. Et licèt in Sacramento Pœnitentiæ Cõtritio, & Confessio ordinentur principaliter ad remittendũ peccatum, & conferendam gratiam, Satisfactio verò ad remittendam pœnam, tamen ratione satisfactionis, etiam aliqua gratia gratumfaciẽs ex opere operato cõfertur; quia cum sit pars Sacramenti nouæ legis, causat gratiam, *ita D. Tho. 3. p. q. 90. art. 2. ad 2.*

5. Verùm pœnitens potest rogare confessorem, vt minuat pœnitentiam sibi ab eo impositã, quia hoc fieri potest à Reo in foro externo, multò magis in foro interno. Imò confessor in tali casu debet pœnitentiam minuere quantùm potest. Aliàs pœnitens absq; peccato mortali ante acceptam absolutionem potest dicere se malle adire alteri confessori confessionem facere, quàm tam grauem pœnitentiam acceptare, quia hic non habet affectum ad mortale, cum intendat alteri legitimo confessori confiteri.

6. Sed si acceptit pœnitentiam etiam grauem, siue iniunctam pro mortalibus aliàs non confessis, siue etiam pro venialibus, & non adimplet, peccat mortaliter, quia facit contra obligationem in re graui. Sed non peccat mortaliter, si non adimplet pœnitentiam leuem, etiam iniunctam pro peccato mortali aliàs nunquam confesso. Idem dicimus de omittente partem leuem magnæ pœnitentiæ, quia licet peccata ex genere suo sint mortalia, ex leuitate tamen materiæ venialia sunt. Verùm probabiliter dici potest secundum aliquos, quòd qui cõfitetur venialia non teneri sub mortali adimplere pœnitentiã grauem iniunctam, quia in omni præcepto leuitas materiæ, scilicet leuis excusat à peccato. Sed nostra opinio tutior, quia etiam in hoc casu Sacerdos habet potestatem iniungendi pœnitentiam Sacramentalẽ & consequenter obligandi pœnitentem ad eius adimpletionem.

7. Similiter pœnitens tenetur sub graui peccato implere pœnitentiam præfixo tempore implendam, quia facit contra obligationẽ in re graui, sicut in obligatione adimplendi votum. Et si præfixo tempore non adimplet,

plet, adhuc tenetur implere, quia praeceptum confessoris cadit directè circa substantiam operis, in tempus verò tamquā in circumstantiam accidentalē. Et si tempus praefixum mutatur, dummodo non sit nimis dilatio, non peccat, quia est mutatio leuis. Quanta verò dilatio requiratur ad peccatum mortale, non facilè potest definiri, sed iudicio prudentis ex circumstantijs spectandum. Verùm si non est praefixum tempus, tenetur tamen quamprimum cōmodè potest adimplere, aliàs si absque causa differt, grauiter peccat, quia facit contra voluntatem Cōfessoris, & finem Sacramenti in re graui.

8. Vnde poenitens numquā liberatur à poenitētia sibi imposita etiā per susceptionē Indulgētię, nā poenitētia imposita à Confessore est de iure diuino, cùm certum non sit consequi beneficium Indulgentię, & satisfactionem necessariam, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 5.*

9. Ideò satisfactio iniuncta à Confessore nō potest per aliū adimpleri, sed per ipsummet poenitentē adimplenda est, quia cùm sit personalis, non potest per alium adimpleri. Sed satisfactio, quę non est iniuncta à Cōfessore, & aliàs debetur pro poena temporali, potest pro alio satisfacere, quia D. Paulus ait, *Alter alterius onera portate. Ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 13. art. 2.* Similiter si poenitētia iniuncta à Sacerdote non consistit in actione personali, vt est ieiunare, orationes recitare, & huiusmodi, sed in illis operibus, quę per aliū tamquam per verum instrumētū fieri possunt, vt traditio eleemosynae, talem poenitentiam potest per aliū adimplere, quia mens confessoris est praecipere eleemosinam in satisfationem paenitenti, tanquā causae principali. Sed quando Confessor iniūgit poenitenti, tanquam causę principali. Sed quando Confessor iniūgit poenitēti aliquod opus, siue per se, siue per alium, potest per alium adimplere poenitentiam, quia adhuc adimplet pręceptum Confessionis. Et tale opus per alium exercendum nō habet propriè rationem poenitentię Sacramentalis, nec est pars Sacramenti, sed hoc conuenit soli illi actioni, quam exercet poenitens procurando per donationem eleemosynę, vt alter illud opus faciat, quia illa sola procuratio habet rationem poenitentiae Sacramentalis, quae est opus poenale, & satisfactorium.

10. Similiter licèt iustus non possit mereri alteri primam gratiam de condigno, benè tamen potest poenam alteri debitam in veritate persoluere per condignam, & equalitatem satisfationem, quia licèt meritum dicat

esse

esse personale, tamen ex diuina ordinatione, & ex virtute, & vnione Charitatis potest iustus alteri mereri.

11. Verũ satisfactio iusti pro se, vel pro alijs non tàm prouenit ex natura rei, quàm ex acceptione diuina valorem habet, quia omnes credunt vnius satisfactionem alteri posse prodesse, supposita diuina ordinatione. Dummodò ambo existant in gratia; scilicet, qui satisfacit, & pro quo satisfacit; quia aliàs Deus peccatores odio habet. Et talis satisfacit pro alio, sed non pro se, sed ipse meretur gratiam, & vitam æternam, quia omnem satisfactionem, quam actio illa habet, alteri satisfaciens donat, & à se alienat.

12. Item satisfactio, & pœnitentia facta in peccato mortali valet, & satisfacit præcepto Confessoris, quia non fuit imposita, vt adimpleat in statu gratiæ. Et non tenetur eam repetere, quia hæc nihil aliud exigit, quã vt satisfiat præcepto Confessoris. *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 14. art. 2. ad 2.* Verũ talis delinquit, quia ponit obicem effectui satisfactionis, quæ est pars Sacramenti, illamque indignè tractat, non tamen peccat lethaliter, sed venialiter, quia nullus de hoc consueuit in confessione se accusare, cùm non sit materia grauis ponere obicem. Et illa satisfactio valebit quo ad expiationem pœnæ debitæ, quãdo charitatem habuerit, quia recedente fictione, per contritionem operabitur remissionem pœnæ debitæ pro peccatis dimissis; *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 14. art. 3. ad 2.* Taliter quòd adueniente gratia suum effectum sortitur, quia sicut opera meritoria effecta in statu gratię si mortificẽtur per peccatum, reuiuiscunt postea adueniente gratia, ita pœnitentia Sacramentalis, cum sit opus Dei reuiuiscit. Sed reliqua opera bona in statu peccati mortalis facta nõ reuiscunt adueniente gratia, quia vndequaque mortua sunt, & fuerunt semper. Tamen ista opera facta in peccato mortali sunt cõsulenda, quia secundùm se sunt bona, & deseruiunt multoties ad implenda præcepta, & vt non peccet de nouo mortaliter, & Deus inspirat, & respicit ad illa bona, vt conuertat peccatorẽ, non quia illa bona propriè sint dispositiones, sed sola misericordia Dei.

ARTICVLVS II.

An Confessor tenetur sub mortali pœnitentiam pœnitentibus iniungere?

1. ℞. Sic, quia Confessor per se, & ex officio tenetur, vt Sacramentum Pœnitentiæ sit integrum, *ita D. Tho. 3. p. q. 80. art. 2.*

2. Vnde pœnitentia non injungitur per modum Consilij, sed præcepti, quia *ita Cõcil. Trid. sess. 14. cap. 3. & 8. de Sacram. pœnit.* Nam per modũ consilij non est Sacramentalis, quia per modum consilij non ligat clauibus sed remanet liber, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 18. art. 3.* Et Sacerdos imponendo pœnitentiam omnino liberam, peccat mortaliter, quia tenetur, vt Sacramẽtũ fiat integrũ, quomodocunq; est possibile. Et licèt pœnitentia data sit leuis, semper tamen ex parte Confessoris in genere suo est grauis, quia ad integritatem Sacramenti, & Religionẽ Deo debitam pertinet. Et quamuis superior communior possit rem grauem sub veniali præcipere, non tamen potest Confessor, quia Confessor nõ agit hic nomine suo, sed prout postulat institutio Sacramenti. Secùs impotenti, & morti vicino, sed leuem sufficit inuocationem nominis Iesu, vel Mariæ, quia cùm non sit pars essentialis, non est omittendum Sacramentum in tanta necessitate, & integrum quantùm fieri potest.

3. De scrupuloso sæpius accedente ad confessorem sufficere secundùm aliquos pœnitentiam, aliàs injunctam, sed tutius toties, quoties debet confessor iniungere nouam pœnitentiam, quia sunt distincta numero Sacramenta, quæ debent habere partes integrales, quas confessor ex officio quantùm potest curare sub mortali tenetur.

4. Similiter pœnitens non acceptans nullam pœnitẽtiam, secundùm aliquos esset absoluendus, ne Sacramentum, quod est in medicinam, fit in laqueũ, & ruinam ipsius. Tamẽ firmius est dicendum non absolui, quia censetur non esse dispositum. Sed si Sacerdoti fieret diuinitùs reuelatio, quod sint pœnitenti remissa peccata miraculosè quo ad omnem pœnam, tunc non tenetur satisfactionem aliquam imponere, quia tunc nõ videtur obligandus ad nouam satisfactionem, cùm Sacramentum tunc censeatur perfectum.

5. Potest tamẽ confessor iniungere satisfactionẽ sub disiunctione, scilicet, vel ieiunes die Sabbati, vel recites circulum Rosarij Beatæ Virginis, quia adhuc est satisfactio. Et pœnitentia debet esse opus pœnale, quia dum pœna Purgatorij compensatur satisfactione præsentis vitæ, opus satisfactorium debet esse pœnale, & non delectabile, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 13. de Sacram. pœnit.* Hinc est, quòd licet actus virtutis secundùm se maximè sit delectabilis, cùm sit conformis rectæ rationi, tamen secundùm quod cõtradicit sensualitati, est homini pœna, quia cùm quis se priuat pecunijs, quæ

sunt

sunt bonum, vtile illas habenti. Et his tribus operibus nos priuamus tribus bonorum generibus, scilicet bonis corporis per ieiuniū, bonis fortunæ per eleemosynam, & bonis animæ per orationem, *ita D. Tho. loco supra citato q. 15. art. 2. & 3.* Et propter hoc opus pœnale internum potest iniungi in pœnitentiam, quia licèt sint actus interni, & per se insensibiles, tamē per accidens sensibiles, quatenus exterius imponuntur, & acceptantur, quod sufficit, vt sint pars Sacramenti.

6. Possunt etiam pro pœnitentia iniungi ea, ad quæ pœnitens aliàs præcepto diuino, aut humano est obligatus, vt audire Sacrum in diebus festiuis, quia quodcunq; opus meritorium, etiam, si aliàs sit debitum habet virtutem augendi gratiam.

7. Differentia est inter debita realia, & debita legalia, nam debita realia cum sint iustitiæ commutatiuæ nequeunt vnica solutione pluribus debitis satisfieri. At legalia, cùm ex legislatoris intentione pendeant, qui voluit vnico bono opere posse pluribus satisfactionibus legalibus satisfacere. Verùm ex vsu Ecclesiæ confessor debet iniungere opera, ad quæ aliàs non obligantur, quia est in punitionem peccatorum preteritorum. Benè tamen potest imponere, vt in die festo audiat duas Missas in satisfactionem, quia vna pro debito præcepti, & altera pro obligatione satisfactionis confessionis. At si imponit, vt singulis diebus per mensem audiat sacrum, satisfacit penitentiæ, & præcepto in die festo, vnā tantùm audiendo, quia ex modo loquendi confessoris rationabiliter creditur noluisse aliter grauare pœnitentem. Sed non satisfacit pœnitentiæ, & præcepto Ecclesiæ si iniungitur pœnitenti, vt audiat Sacrum qualibet septimana, si tantùm audiat die festo, quia iniungitur opus, ad quod pœnitens aliàs obligatur. Idem dicendum est, si confessor imponeret auditionem Sacri in die festo, nec mentem suam explicaret, an de sacro necessitate præcepti debito, an de solo voluntario intelligeret, quia regula generalis ex natura satisfactionis, vt in dubio pœnitentia imposita intelligatur de operibus voluntarijs.

8. Verùm eleemosyna in pœnitentiam iniuncta si detur extremè indigenti, cui aliàs ex eleemosynæ præcepto debita erat, pœnitens satisfacit, quia credi potest talem esse intentionem confessoris, ne pœnitens nimis grauetur. Secus si eleemosyna esset alio titulo debitę; quia confessor solet intelligere, quæ non sunt alioquin debitę; sicut si essent debita ratione restituendi incerta, cùm ea non

ſint eleemoſyna, ſed iuſtitiæ debitum. Sed ſi quis eleemoſynā voueret, ſatisfacit dando extremè indigenti, quia vouens intendit indigētiam pauperis ſubleuare.

9. Similiter pro pœnitentia poſſunt iniungi non ſolùm pęnalia in particulari, ſed etiam in generali, ſcilicet dicendo in abſolutione; *Quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, &c.* quia ſicut peccatum in cōmuni poteſt eſſe materia huius Sacramēti, ita ſatisfactio in comuni poteſt eſſe illius pars integralis, *ita D. Tho. quodlib. 3. art. 28.*

10. Ideò in articulo mortis audita confeſſione generali poteſt abſolui, quia ſi ſufficit dicere, *Peccaui*, multò magis ſufficit confeſſio generalis, *ita D. Tho. in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. ad 1.*

11. Nota, quòd ꝑ tres gradus bonorum operum pęnaliū, quibus Deo ſatisfacimus. Primus eſt illorum bonorum, quæ agimus, & ſunt in particulari iniūcta à Confeſſore; hæc enim ſunt opera maximè ſatisfactoria. Secundus eſt eorum operū, quæ confeſſor iniungit generatim dicendo, *Quidquid boni feceris, &c.* & hæc ſunt multùm etiam ſatisfactoriæ virtute clauium. Tertius eſt eorum, quæ propria voluntate ex deuotione facimus, & hæc nullo modo sūt Sacramentalia; & ideò cæteris paribus minus habent de ſatisfactione. Hinc eſt, quòd fortè cōfeſſores excuſantur aliquando imponendo paruas pęnitentias in particulari, cùm omnes illa clauſula, ſcilicet, *Quidquid boni feceris, &c.* vtuntur, quia tunc omnia bona opera vitæ ſuæ in ſatisfactionē pęnæ peccatis ſuis debitæ iniunguntur.

12. Rurſus propter peccata occulta non debet imponi à Confeſſore pęnitentia publica, quia ſunt improportionatę peccatis occultis propter bonam famam pœnitentis. Sed benè pro peccatis publicis, aliquādo expedit ad Eccleſiæ ſatisfactionem, & exemplū aliorum, *ita, & Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. de reform. & D. Tho. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 4. ad 4.* Et imponere pœnitētias publicas pro peccatis publicis, nō eſt contra ſigillum Confeſſionis, quia alij tantùm poſſunt colligere pœnitentem aliqua grauia peccata eſſe confeſſum, dum pœnitens non ſolùm conſentit, ſed operatur. Imò quando peccatū eſt publicum, & ſcandalum non ceſſat ſine pœnitentia publica, tunc tenetur Confeſſor eum cogere, & nolenti acceptare, non abſoluere, *ita D. Tho. loco ſupra citato, & in 4. diſt. 14. q. 1. art. 5. quæſtiunc. ad 1.* Sed ſecluſo ſcandalo, & non neceſſaria, nō debet negare abſolutionem, quia duræ curationes, & periculoſæ non ſunt adhibendæ,

quan-

quando aliter salus obtinere potest.

13. Item ad prudentiam Cõfessoris spectat iungere pœnitẽtiam considerata grauitate peccati, & qualitate pœnitentis, quia in iure non est determinata quantitas pœnę indulgendæ, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 18. art. 4.* Imò ex rationabili causa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis potest dissimulare, & leuiorem satisfactionem, quia si hic peccator plenè non satisfacerit, in Purgatorio soluet vsque ad minimum quadrãtem, & sic causa Dei sẽper manet integra, *ita D. Tho. loco supra citato.* Maximè tempore Iubilei, aut Indulgentiarum minorem potest præscribère pœnitẽtiam, quia per eas tollitur debitum ad pœnam debitã pro peccatis dimissis, *ita 26, q. 9. 7. can. alligant autem onera.*

14. Rursus non est de necessitate Sacramẽti imponere pœnitentiam ante absolutionem, sed sufficit moralis simultas post absolutionem. Sed Consultiùs ante absolutionem, quia Confessio, Contritio, & Satisfactio cùm sint materia proxima huius Sacramenti conueniens est vt materia præcedat formã, scilicet absolutionem.

15. Neque Confessor debet obligare pœnitentem, vt ante absolutionem pœnitentiam adimpleat, quia reatus pœnæ tẽporalis non tollitur ante debitam culpam per absolutionem. Sed dubitans non adimpleturã pœnitentiam, cùm sæpiùs eam prætermisserit, tunc potest præcipere eam ante absolutionem, quia tamquam iudex, & medicus habet ius præcipiẽdi ea, quæ ad curationem pœnitentis iudicauerit expedire.

16. Hæc autem pœnitentia adimpleta ante absolutionem, non statim habet effectum suũ ex opere operato. quia remissio pęnæ cum sit effectus secundarius, non remittitur, nisi remittatur culpa per absolutionem. Imò si quis pęnitentiam adimpleat antequam absoluatur, etiã si sit in statu gratię per contritionem prius habitam, adhuc illa satisfactio Sacramentalis non habebit effectum suum remittẽdi pęnam temporalem ex opere operato, nisi post absolutionem datam, & completum Sacramẽtum per formam, quia contritio cùm sit potior pars huius Sacramenti, quàm satisfactio, & tamen non habet effectũ ex opere operato, sed operantis, si præcedat, ita & satisfactio non habet effectum ex opere operato ante absolutionem, & perfectũ Sacramentum.

17. Tandem pœna temporalis, scilicet reatus, relicta post absolutionem non potest tolli, nec minui, donec integrè, vel ex parte satisfactio imposita exhibea-

hibeatur, quia sicut Sacramentum non habet effectum suum ex opere operato, donec re ipsa suscipiatur, ita neq; pars eius integralis, scilicet pęnitentia imposita à Sacerdote remittendi pęnam, donec integrè, vel in parte exhibeatur. Verũ ex opere operantis pęna temporalis relicta post absolutionem datam, potest remitti, vel minui per alia opera satisfactoria, antequam pęnitens adimpleat pęnitentiam Sacramentalem sibi à Secerdote impositam, quia impositio pęniteatiæ confessoris non abstulit vim suam alijs operibus satisfactorijs.

ARTICVLVS III.

An Confessor possit commutare, vel minuere pœnitentiam ab alio impositam?

1. ℞. Non, absq; iusta causa, quia ad dispensationem legum humanarum requiritur iusta causa, multò magis in cõmutatione satisfactionis, quæ est pars Sacramenti instituta à Christo.

2. Iusta causa commutandi pęnitentiam est necessitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pęnitentis in pręstanda pęnitentia, vel obliuio pęnitentiæ aliàs iniunctæ. Et sic potest confessor commutare ab alio sibi æquali iniunctam, & multò magis ab inferiori, quia tunc non exercet iurisdictionem supra æqualem, vel superiorem cõfessorem, sed circa pænitẽtem sibi subiectum.

3. Item non habens facultatem absoluendi à reseruatis etiã iusta causa potest commutare pęnitentiam impositam pro reseruatis, quia tunc exercet iurisdictionem in pęnitentẽ sibi expositum, & subiectum non habẽtem ampliùs reseruatos, cùm fuerint iam à Superiore sublati.

4. Secùs potest hoc facere extra confessionem, quia satisfactio est actus iurisdictionis clauium in foro pęnitẽtiali, quã non potest extra confessionem.

5. Ideò vt commutetur, tenetur iterum confiteri peccata, ob quæ fuit iniuncta pęnitentia, quia hęc mutatio debet fieri per actum iudicialem in foro pęnitentiali, quod nequit fieri, nisi proponãtur peccata. Imò quãdo pęnitens accedit eundem Sacerdotem, vt pęnitentiam mutet, debet iterum confiteri, nisi censeatur adhuc moraliter durare primum iudicium, scilicet eodem die, vel saltẽ sequẽti, quia censetur tũc durare primũ iudicium, *ita D. Tho. in 4. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 5. Ac etiam quando imprudẽter fuit imposita ab alio confessore, vt moraliter sit impossibilis adimplere, vt pauperi eleemosynam, debili ieiunia, nobili longam peregrinationem pedestrem imponere, aut

aut si initio fuerit iniuncta postea mutatis circumstantijs, pęnitentia facta est moraliter impossibilis, vel eam sine graui incommodo explere non potest, & tunc non expedit, vt cõfiteatur iterum peccata, quia in hoc sufficit iudicium prudentis, qui causa cognita iudicat, hic, & nunc, vel ex toto, vel in parte non obligare. Et talis commutatio non est Sacramentalis, scilicet virtute clauiũ, & ex opere operato, prodest tamẽ pęnitenti ad remissionẽ pęnæ debitę, quia hæc nequit fieri in foro pęnitẽtiali, nisi nouerit peccata, ob quæ fuit iniuncta pęnitentia.

6. Sed pęnitens obliuiscens pęnitentiæ sibi iniunctæ, non tenetur iterum confiteri, vt præcepto pœnitentiæ iniũctæ satisfaciat, quia iã remissa sunt peccata, integrè confessus, & legitimè absolutus, remissio pęnæ temporalis alia ratione etiam in hac vita obtineri potest. Neq; Confessor debet præcipere cõfessionẽ iterare, sed aliud opus propter impotẽtiã adimplẽdi, id cuius nõ recordatur. Sed si pęnitens citra culpã oblitus est, liber est à præcepto confessoris satisfactionem adimplẽdi, Reus tamen manet obligatus, eam in Purgatorio soluendi. Si verò sua culpa diu pęnitentiam distulit, tenetur hoc peccatum confiteri. Et si credit Sacerdotem esse memorem, tenetur ipsum adire, si commodè potest, sed si credit illam non esse memorem, non tenetur iterum cõfiteri peccata, quia iam ritè cõfessa sunt.

7. Similiter pęnitens nõ potest pęnitentiam iniunctam inæqualem, vel maiorem propria auctoritate commutare, quia commutatio voti in æquale, aut in melius semper est actus iurisdictionis, sicut est commutatio pęnitentiæ. Sed facta cõmutatione pęnitentiæ liberum est ei eligere primam, vel secundam pęnitẽtiam, quia commutatio fit in fauorem pęnitentis, qui potest cedere iuri, & fauori suo.

8. Item pęnitens, qui ratione obliuionis, aut aliter factus impotens ad implendam pęnitentiã, & non valens adire Confessorem, qui iniunxit, siue id sit factum cum peccato ipsius, siue non, minimè tenetur eius loco alia opera satisfactoria per seipsum facere, & si ea faceret, & postea fit potens implere illam, eodem modo tenetur eam implere, at si illa opera non fecisset, quia hęc satisfactio non est Sacramentalis, neque vi clauiũ, neque ex opere operato operatur remissionem pęnę, sed ex opere operantis, ne maneat reus eam in Purgatorio soluendi.

9. Nota, quod est differentia inter pęnitentiam publicam, & priuatam, nam in publica attẽ-

ditur exemplum aliorū, & peccatoris correctio, & ideò non pertinet ſolùm ad forum conſcientiæ, ſed ad forum mixtum. Sed in priuata, & ſacramentali, ideſt in foro conſcientiæ, non aliud attenditur, quàm punire peccatum, & pro eo Deo ſatiſfacere, quod æquè benè fieri poteſt per pęnitentiam à ſecundo confeſſore commutatam iuſta cauſa in aliam prorſus ęqualem, quod hoc non poteſt fieri in publica.

ARTICVLVS IV.

An ad hoc, vt actus virtutis ſit ſatiſfactorius, & meritorius, ſufficiat relatio habitualis in vltimum finem ſupernaturalem?

1. R. Non, quia ideò actus Fidei elicitus à peccatore fideli non eſt meritorius, quia non eſt informatus gratia, & charitate, ideò non ſufficit relatio ad vltimum finem ſupernaturalem, vt actus virtutis ſit meritorius, *ita D. Tho. diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 6.

2. Neque actus bonus, vt ſit meritorius vitæ æternæ requiritur, quòd actualiter referatur in vltimum finem ſupernaturalē, quia aliàs non eſſet actus meritorius vitæ æternæ, niſi producens illum actum de Deo cogitaret, quod eſt duriſſimum.

3. Relatio in vltimum finem ſupernaturalem triplex; Prima actualis, per quam formaliter, & actualiter aliquod opus bonum actu refertur in vltimum finem, vt volo ieiunare propter Deum. Secunda virtualis, quæ fundatur in relatione actuali præcedenti. Et hæc duplex, vel in relatione actuali proximè præcedenti, ſcilicet ante duos, vel tres dies; vel in relatione actuali remotè, vt in principio iuſtificationis. Tertia habitualis, quæ continetur in virtute habitus Charitatis, per quem poteſt aliquid referri in Deum. Tenetur autem homo exire in actum charitatis, quando currit præceptum diligendi Deum ſuper omnia, & ſi tunc habens charitatem non exeat in actum, ſed peccat mortaliter, & interrūpitur relatio præcedens per contrarium actum peccati, atque adeò virtute illius, bona opera per peccatum ſubſequentia non referuntur virtualiter in vltimum finē ſupernaturalem, ſed oportet, quòd nouo actu referantur, *ita D. Tho.* 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 9. *de malo art.* 2. *&* 3. *contr. gent. cap.* 109. *&* 110.

4. Ex his ſequitur ad meritū non requiri relationem virtualem proximam, ſed ſufficere virtualem remotam, quia aliàs eſſent multi actus indifferentes quantum ad meritum, & demeritum in habētibus charitatem, quod eſt abſurdum. Et hæc relatio virtutis eſt etiam neceſſaria,

ria, vt actus cuiuſcunque alterius virtutis infuſæ ſit meritum, quia vt actus virtutis infuſæ ſit meritorius vitæ æternæ oportet, vt attingat, & reſpiciat vltimum finem ſupernaturalem formaliter loquendo ſub ratione vltimi finis. Et ſic in adulto poteſt dari actus indifferens ad meritum, & demeritum, cùm opus bonum morale non relatum in finem ſupernaturalem per actum dilectionis Dei ſuper omnia non eſt meritorium vitę æternę. Neque demeritoriũ, quia eſt opus bonum morale, & ſic erit indifferens. Ita vt adultus per attritionem vi Sacramenti iuſtificatus, ſi poſtea non prorumpit in aliquem actum charitatis, ſed ſolùm in alia bona moraliter, & ſtatim moriatur, conſequitur vitam æternam per ſolum meritum Chriſti ſibi per Sacramentum applicatum, quia dum non habuit vllum actum charitatis, illa bona opera moralia nõ fuerunt neq; actualiter, neq; virtualiter relata ad finem ſupernaturalem, conſequenter non meritoria.

5. Similiter ſi infidelis ante duos, vel quatuor annos retulit ſe, & omnia ſua in idolum formaliter, poſtmodum non omnia opera, quæ facit, cenſentur relata virtualiter in idolum, quia relatio in idolum ſi duraret, omnia opera infidelium eſſent peccatum, quod eſt abſurdum, *ita D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4.* Sed benè fidelis in gratia retulens omnia in Deum virtute illius actus, omnia opera bona moraliter, quæ fiunt ab illo toto diſcurſu vitæ ſuæ, cenſentur virtualiter referri in finem ſupernaturalem, quia relatio in vltimum finem ſupernaturalem non eſt contra naturam bonorũ operum moraliter, ſed valdè conformis, cũ opus bonum ex natura ſua tendit in Deum verum, & bonum.

ARTICVLVS V.

An opera bona mortificata per peccatum, poſtea per pœnitentiam reuiuiſcant, itaut valeant ad vitam æternam?

1. ℞. Sic, quia illa opera ſunt in diuina acceptatione, ita vt poſſent hominem perducere ad vitam æternam, ſi auferatur peccatum, & obex, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 3.*

2. Imò per pęnitentiam etiã omnes virtutes infuſæ in quocunque ſtatu hominis neceſſario reſtituuntur, quia per pęnitẽtiam infunditur gratia, ad quã omnes virtutes neceſſariæ ſimpliciter, tamquam propriæ paſſiones conſequuntur, *ita D. Tho. loco ſupra citato, art. 1.* Excepta virginitate, quia virginitas, vt virtus infuſa conſequeretur neceſſariò, ſi non apponatur impedimentum extrinſecum, ſcilicet

cet naturalis integritatis. Neque per pęnitentiam restituitur innocentia amissa, quia non potest facere, quòd homo numquam peccauerit mortaliter, in quo innocentia essentialiter importat, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 3.* Benè tamen restituitur ad primariam dignitatem, scilicet gratiam, quia homo per gratiam computatur inter filios Dei. Nõ autem recuperat secundam dignitatem, scilicet innocentiam, quia ad præteritũ nulla est potentia restituendi, *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Nota, quòd in fideli aliquãdo reperiuntur aliqua opera mortua priuatiuè; aliqua mortua effectiuè; aliqua verò mortificata. Opera mortua priuatiuè sunt illa facta in peccato sine gratia, vt ieiunia, & similia. Opera mortua effectiuè, seu mortifera sunt, quæ mortem inferunt animę, vt peccata mortalia, quæ spiritualiter enecant animam, vel etiam venialia, quę ad mortalia quasi disponunt. Opera verò mortificata sunt opera bona facta ante peccatũ, & mortificantur per subsequẽs peccatũ, nec possũt cõducere ad vitã æternã, eo non dimisso. Nec opera mortua effectiuè, seu mortifera, & opera mortua priuatiuè per pœnitẽtiã reuiuiscũt, quia cùm opera mortua ex natura sua non possunt reuiuisci, cùm res mortua, & viua specie differant, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 6.*

4. Sed bene pęnitentia sacramentalis facta in peccato, recedente fictione viuificatur, & sortitur effectum suum, idest ex opere operato remissionem pęnæ debitę peccatis dimissis, quia illa pœnitentia imposita à confessore, vt est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ habet certam vitam insitam à Christo, vbi recedente fictione viuificatur. Ideò ex hoc opere post conuersionem accipit à Deo aliquod præmium accidentale, quia rationabiliter postea conuersus gaudet de illis, quod pertinet ad præmium accidentale. Tamen hoc non est reuiuisci cum proprietate, quia opus cũ proprietate viuificari est, quòd illi ex natura sua debeatur præmium, cùm tale præmium accidentale conferat Deus ex sua magnificentia.

5. Vnde opera bona mortua priuatiuè non deseruiunt, neq; quo ad meritum propriè, neq; quo ad satisfactionem, quia omne meritum etiam de congruo fundatur in amicitia, sicut etiam satisfactio. Remunerat Deus bona moralia peccatoris aliqua temporali remuneratione, non quia in illis propriè ratio meriti reperiatur, sed ex sua diuina liberalitate, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 14. art. 4.* Valent etiam ad impediẽda peccata, & maioris pœ-

nę

ne reatum, quia dum peccator se exercet in bonis operibus nõ inuoluitur nouis delictis, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 6. ad 3.* Deseruiunt etiam multoties ad implẽda præcepta, vt non peccet de nouo mortaliter, & aliquando respicit ad illa, vt conuertat peccatorem, non quia illa sint propriè dispositiones, sed sola misericordia Dei, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 14. art. 4.* Conducunt tandem ad assuetudinem bonorum operum, quia generant aliquem habitum virtutis moralis, qui per actus mortificatos pruducitur, *ita D. Tho. loco supra citato.*

ARTICVLVS VI.

An amissa virginitas, quæ est virtus, restituatur aliquando per pœnitentiam?

1. ℞. Non, quia qui semel fuit, fieri nequit, vt nunquam fuerit, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1. ad 3.*

2. Virginitas dupliciter sumitur. Primò corporaliter pro integritate carnis, vt in pueris ante vsũ rationis est integritas carnis absque omni proposito, & experimento venereæ delectationis, *ita D. Tho. loco supra citato.* Secundò formaliter pro proposito respuendi delectationes venereas, & hæc est virtus, quia est habitus bonus inclinans hominem ad continendum se ab omni delectatione carnali secũdùm rectam rationem, *ita D. Tho. in 4. dist. 33. q. 3. art. 1.*

3. Virginitas duplex. Prima naturalis, quæ consistit in naturali integritate membrorum, quia illæ appellantur virgines, quam à natura habent, seruant, vt mulieres virgines. Secunda moralis, quæ etiam est duplex, scilicet virginitas moralis pro quodam castitatis statu, quæ requirit duas conditiones, quarũ Prima est, quòd persona non sit voluntaria polluta. Secũda est, quod sit in proposito sic se seruandi, nisi matrimonio iungatur, & hoc modo puellæ nubiles castæ dicuntur virgines, quia de ratione virginitatis, vt est status castitatis, non est perpetuitatis propositum seruandi se immunem ab omni delectatione venerea. Et virginitas moralis prout est specialis virtus à castitate distincta, addit supra virginitatis statum perpetuitatem seruãdi integritatem, seu perpetuò se immunẽ seruari ab omni delectatione venerea.

4. Votum perpetuò seruandi integritatem non est de ratione virginitatis, sed tantùm pertinet ad perfectissimam rationem virginitatis, quæ sic definitur à D. Augustino *lib. de nuptijs, & concupiscentia*, scilicet, Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, idest

idest propositum rationis perpetuò se continẽdi, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1. ad 1.*

5. Corruptio triplex est per quam amitti potest virginitas. Prima corporalis tantùm, idest fractio sigilli virginalis, vel resolutio seminis quomodocunque modo. Secunda mentalis tantùm, idest consensus in rem veneream sine opere subsequuto. Tertia mentalis, & corporalis simul, *ita D. Tho. in 4. dist. 33. q. 3. art. 1.*

6. Vnde perit virginitas irrecuperabiliter per voluntariam pollutionem, etiam si fiat absq; copula, quia præcipua voluptas carnalis in resolutione seminis consistit, cùm talis actus sit cæterorum finis, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1. ad 4. & art. 3. ad 3.* Item resolutio seminis voluntaria sine exteriori procuratione, quia per eam deperditur incorruptionis perpetua meditatio.

7. Et ita irrecuperabiliter deperditur virginitas, quòd per absolutam Dei potentiam non potest cum omni proprietate recuperari, quia ly, *virginitas* negationem experientiæ voluntariæ libidinis per resolutionem seminis connotat. Verùm peccatum stupri committit, qui cognoscit fœminã voluntariè pollutam, habentem tamen corporis signaculum virginale, quia stuprum est contra virginitatem naturalem, idest integritatem naturalem fœminæ, & non requirit integritatem, & virginitatem moralem in fœmina carnaliter cognita, *ita D. Tho. loco supra citato art. 1. ad 1.*

8. Sed pollutio in somno, vel ebrietate, vel infirmitate, vel huiusmodi præter propositum nõ perdit virginitatem, etiam si post pollutionem sequatur complacentia, quia approbatio illa superueniens non facit actum illum præteritum voluntarium. Tamen talis approbatio tollit virginitatem mentalem, quæ per pęnitẽtiam recuperari potest, quia illa approbatio videtur æquiualere desiderio, seu voluntati pollutionis, quæ virginitatem mentalem solam recuperabilem tollit per pęnitentiam. Sed tollit virginitatem irrecuperabilem, si pollutio procedit ex mẽtis proposito, & procurata, vt si quis eo fine certo genere cibi, & potionis fit vsus, vel si quis dat causam huic pollutioni in vigilia, per consensum in turpem delectationem, & actum, quia talis pollutio accidit per procuratam impudicitiam, quam virginitas excludit, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1. ad 4.*

9. Impudicitia est vitium, quando quis vacat actibus, tactibus, osculis, amplexibus, & verbis libidinosè, etiam si fiant tantùm causa sensibilis delectationis, & non à coniungibus, mortale est, quia huiusmodi

actus

actus impudici ad generationẽ licitam sunt ordinati.

10. Verùm virginitas, vt est virtus nõ amittitur, si puellæ cognoscantur carnaliter à viris, dũ dormiunt, vel aliquando ebriæ, vel amentes sint, vel si corrumpuntur per vim nil consentientes, quia virtus nõ amittitur nobis inuitis, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1. ad 4. & in 4. dist. 33. q. 3. art. 1. ad 7.* Benè tamen virginitatem, scilicet integritatem naturalem carnis, sicut etiam exercentes ante vsum rationis coitum corporalem non spermatizantes, nã non seminare voluntariè est de ratione virginitatis moraliter, & vt est virtus. Imò puellæ doli capaces non spermatizantes, licèt consentiẽtes in coitum perfectum corporalem etiam cum fractione signaculi, non amittũt virginitatem moralem, quantũ ad materiale in ea, quia non est sequutum opus, quo materialiter virginitas amittitur, scilicet resolutio seminis, in quo completur delectatio venerea, *ita D. Tho. in 4. dist. 33. q. 3. art. 2. ad 5.* Et ideò tales puellæ amittunt virginitatem mentis, & integritatem signaculi, quia mente, & animo attentantes turpia sunt pollutæ. Tamen virginitatem moralem, & vt est virtus non amittunt irrecuperabiliter, quia hæc deperditur per decisionem seminis, in qua delectatio venerea completur mentẽ suffocãs.

11. Similiter virile viri ingrediente, & egrediente claustra pudoris, vir non amittit virginitatem, nisi adsit decisio seminis, quia integritas carnis ex parte viri adhùc intelligi potest, quo ad vsque semen emissum non fuerit, cùm non sit sequutum opus perfectum, *ita D. Tho. loco supra citato.* Et hæc est reparabilis per pœnitentiam. Et hoc quãdo puellæ, siue viri etiam doli capaces sunt impotentes ad seminandum. Sed si naturaliter sunt potentes sperma emittere, & per accidens non emittunt, scilicet ob naturæ debilitatem, vel morbum, tunc amittunt virginitatẽ irrecuperabiliter, quia id, quod est tunc per accidens, trahitur ad id, quod est per se. Et quoties tàm viri, quam mulieres emittunt semen etiam nõ sufficientis ætatis, semper amittunt irrecuperabiliter virginitatem, quia per resolutionem seminis voluntariam in quacunq; ætate fiat, deperditur virginitas per poenitentiam irrecuperabilis. Ita etiam per actus Sodomię, quia nefarius ille actus in natura sana est per se, & necessariò sufficiens pollutionem excitare, licèt per accidens non sequatur resolutio seminis.

12. Rursus vir naturaliter potest esse simul pater, & virgo mentaliter, quia opere Diaboli sumi potest viri virginis semen in somnis polluti, & transfundi

in mulieris matricem, ex quo semine mulier illa potest concipere, vt legitur, *ita D. Tho. quodlib. 6. art.* 18. Talis igitur vir esset simul pater, & virgo mentaliter, & moraliter, quia vt supponimus, habet assiduam voluntatem numquam experiendi delectationem veneream, non tamē habet omnimodam virginitatē, quia corporaliter in somno est pollutus. Sed non tollitur virginitas, vt est virtus, quia hanc tollit corruptio corporalis voluntaria per electionem propriæ voluntatis, *ita D. Tho. loco supra citato*. Ideò nō potest esse simul pater, & virgo, salua omnimoda virginitate etiam miraculosè, *ita D. Tho. loco supra citato*. Sed puella virgo potest concipere naturaliter salua omnimoda virginitate, quia legitur semen patris dormientis quòd ad matricem puellæ descendit, & concepit sine fractione signaculi, & sine venerea delectatione, ita refert D. Tho. *loco supra citato*. Sed talis salua omnimoda virginitate non potest esse mater naturaliter, ita ut concipiat, & pariat, nisi miraculosè, sicut accidit in beata Virgine Maria.

13. Tria requiruntur ad omnimodam virginitatem. Primū est principale, & formale, scilicet assidua voluntas numquam experiēdi delectationem veneream. Secundum est materiale in ipsa, scilicet passio appetitus sensitiui, nam passiones sensitiuæ sunt materia virtutum moralium, & sic incorruptio volūtaria, & priuatio à delectatione venerea est virtutis virginitatis materia. Tertium est quasi per accidens, & concomitanter se habens ad virginitatem, scilicet corporalis integritas, quia hæc non est de ratione virginitatis, vt est virtus, nisi vt via ad immunitatem seminariæ delectationis, & sic claustra pudoris aliter corrumpuntur, quàm per venereum actum, vt si medicus ferro ea incidat ad sanandum, nil virginitati, vt est virtus, deperit, *ita D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 1. & quodlib. 6. art.* 18.

14. Similiter per delectationem, quæ accidit in somnis ex seminis decisione, non amittitur virginitatis materia, nec virginitas, quia passiones partis sēsitiuæ in tantum sunt materia virtutis, in quantum sunt ordinabiles a ratione ponente in eis medium, prout concupiscibilis, & irascibilis obediunt rationi, & cum talis decisio seminis est inuoluntaria nihil præiudicans incorruptioni virtutis virginitatis.

15. Medium autem virtutis est facere opus, quando oportet, & sicut oportet sine excessu, & sine defectu, & hæc est mediocritas, & medium in virtute, *ita D. Tho. in 4. dist. 33. q. 3. art. 2.* Virtus igitur virginitatis consistit

stit in medio, abstinendo se ab omnibus venereis, quãdo oportet, & sicut oportet, licèt ex parte eius, quod est, sit in extremo, quia ab omni corrumpente delectatione abstinet, tamen est in medio in quantum debitas circumstantias mediocriter seruat secundùm regulam à prudentia præscriptam, ita vt non excedat, nec deficiat, cùm excessus sit, quando affirmatur materia, & negantur circumstantiæ, vt est operari opus, quando nõ oportet, & sicut non oportet. Defectus verò est, quando negatur materia, & affirmantur circumstantiæ, vt non operari, quando oportebat operari, *ita D. Tho. loco supra citato. & 1. 2. q. 64. art. 1. ad 3.* Et tale mediũ virtutis moralis non est medium rationis essentialiter, idest subiectiuè in actus rationis, sed dicitur medium rationis causaliter, & effectiuè, idest à recta ratione efficitur, *ita D. Tho. loco supra citato. art. 2.* Et tale medium rationis determinatur iudicio prudentis omnibus circumstantijs pensatis ad differentiã medij rei, quod determinatur à natura, vt qui debet centum, soluat centum.

16. Similiter pœnitentia est vera virtus, quæ licèt quo ad dolorem non sit in medio, nec excessus, cùm de peccato, vt offensa Dei nunquam satis quis dolere possit, tamen ex parte subiecti, quod afficit ipse dolor, potest dari excessus, nam crescere potest afflictio animæ, vt esset pœnitenti nociua moriendo in disperatione: & ideò aliquãdo debet cessare ab isto dolore ex parte subiecti, & non cõsiderare peccata, sed Dei misericordiam. Datur etiam defectus, scilicet quando est in periculo vitæ, & existens in peccato mortali non pœniteret. Ideò pœnitentia, quæ est quædam punitio, debet prudentia moderari, ne in illa detur excessus, & defectus. Et sic pœnitentia, vt est virtus moralis, debet consistere in medio.

17. Verùm non omnis virtus moralis semper formaliter, & essẽtialiter debet esse habitus medius inter duo vitia opposita, sed sufficit, quòd virtus moralis cõsistat in medio causaliter, & quantum ad effectum, quatenus producit operationem secundùm mediocritatem rationis, ita vt neq; per excessum, neq; per defectum talis actus deuiet à recta regula rationis. Sat est igitur vniuersaliter loquendo, quòd contra medium virtutis moralis contingat per excessum, & defectum peccare, siue simul, siue separatim, siue vno, siue pluribus vitijs.

18. Item integritas naturalis carnis, quæ naturalis virginitas deperdita per actum turpem absque seminis resolutione, licèt naturaliter non possit restitui,

tamen Deus sua potentia potest, quia sua potentia Deus potest, illam integritatem naturalem restituere. Sed non potest Deus sua potentia virginitatem, vt est virtus, restituere, quia hæc decisio seminis est voluptas venerea, & actus præteritos Deus non potest facere, quòd non fuerint, etiam miraculosè.

19. Item virginitas amissa solùm per consensum in rem veneream sine opere subsequuto, est recuperabilis per effectum contrarium, & per pœnitentiā, quia materiale virtus virginitatis non deperditur, cùm non sit decisio seminis, sed formale, scilicet propositum seruandi se immunem ab omni delectatione venerea, quod per pœnitentiā recuperatur.

20. Item virgo cognita violenter etiam delectationem veneream sentiens, sed non consentiens, & resistit, præmium aureolæ debitum virginibus nō amittit etiam si pateret, & integritatem naturalem virginalem corporis perderet, quia manet virgo moraliter, & habebit virginitatem, vt est virtus, *iuxta illud D. Luciæ si inuitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam, ita D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3.*

21. Item virgo se ipsam polluēs etiam aliquo adminiculo, vel cum altera muliere per Sodomiam, vel quomodocunque sine signaculi fractione, licèt virginitatem amittat, non tamē committit peccatū strupi, quia non frangitur signaculum integritatis corporis, sed benè committit maius, & grauius peccatum, scilicet mollitiei procuratæ, & contra naturam.

22. Et tales consimiles velari possunt velo consecrationis, quo ab Episcopo anno vigesimo quinto ætatis accipitur iuxta statuta Canonū, quia huiusmodi sunt verè virgines secundùm statum, licèt non secundùm virtutem. Possunt multò magis velari, si solùm mente per delectationes morosas, aut voluntarios affectus luxuriosos, etiam sciente Episcopo talia peccata, quia talis consecratio facta est pro virginibus, quæ sūt virgines integritate corporis, & non pro his, quæ sunt virgines secundùm virtutem virginitatis. Ideò puella corrupta per volūtariam claustri virginalis violationem etiam occultè, non potest licitè velari velo consecrationis, quia institutio Ecclesiastica est, vt detur solis virginibus habentibus integritatem virginalem. Nec licitè potest dari corruptę, etiam violenter, & occultè, quia cùm difficilè videatur Ecclesiæ ita voluntatem habere retinentem, vt aliquē consensum non eliciat, *ita D. Tho. in 4. dist. 38. q. 1. art. 5.*

23. Vnde talis puella petens, aut

aut procurans velum consecrationis, peccat mortaliter, quia facit iniuriam Ecclesiæ in re graui, cùm exigat sibi debitum, quod pro virginibus est constitutum, *ita D. Tho. loco supra citato*. Idem dicendum est de parẽtibus conscijs corruptionis filię, dum velum consecrationis illã accipere offerunt. Idem de Episcopo, si publicè corruptæ velum consecrationis donauerit.

24. Sed si secreto, & occultè est corrupta, potest tunc velum consecrationis concedere, cùm publicè velũ petitur, quia aliàs sequeretur magnum scandalum, & infamia puellæ. Verùm puella corrupta permissiuè consentit dari velum, & corruptio occulta, & parentes ignari vrgent, vt fiat monialis, & aliter excusari non potest, nisi prodat delictum, tunc non peccat id permittendo ad euitandum scãdalum, & infamiam propriam, quia instituta Ecclesiastica non obligant cum tanto incommodo.

25. Sed velum professionis nigrum potest dari tali virgini etiam corruptæ post completũ tempus probationis ante professionem absq; peccato, quia velum nigrum confertur & virginibus, & viduis. Tandem ducẽs in vxorem puellam violẽter ab alio defloratam, & dum non consentit, habet interiùs virtutem virginitatis, tamen esset iste irregularis ex defectu Sacramẽti, quia in significationibus Sacramentorum magis attenditur, quod exterius geritur, quàm quod interius fit, nam licèt interiùs sit virgo per virginitatis virtutem, exterius tamẽ corrupta ab Ecclesia reputatur, *ita D. Thom. in 4. dist. 33. art. 1. ad 7.*

ARTICVLVS VII.

Quomodo opera meritoria per peccatum mortificata, per pœnitentiam postea reuiuiscant?

1. R. Ablato impedimento peccati, quia per mortale impediebantur opera in charitate facta, ne perducant hominem ad vitam æternam.

2. Nota habitum gratiæ, & charitatis dupliciter considerari posse, scilicet in esse gratiæ charitatis, & in esse habitus, & qualitatis, & iuxta istas considerationes in eadem gratia potest esse vna maior alia. Vnde vna, & eadem gratia in esse habitus, & qualitatis in esse entis sit intensa vt quinque, & in esse gratiæ, & in esse acceptationis sit imẽsa vt decem. Sicut gratia Christi in esse qualitatis, & in esse entis est finita, & tamen in esse gratiæ secundùm propriam rationem gratiæ est infinita. Ita si quis resurgit per pœnitentiam cum contritione, vt decem, dabitur ei gratia, & charitas vt decem

cem in eſſe habitus, & qualitatis; in eſſe verò meriti, & acceptationis vt viginti, quia altera, ſcilicet contritio ipſa confertur vt phyſica diſpoſitio reſpectu gratiæ, quæ non reſurgit, ſed datur de nouo in eſſe qualitatis & habitus; reſpectu verò gratiæ, quæ reuiuiſcit, tantùm eſt diſpoſitio moralis in eſſe morali, & acceptationis ad gloriam.

3. Imò opera mortificata per pœnitentiam non ſolùm reuiuiſcunt quantùm ad præmiū, quod de condigno meruerunt ipſi operantes, ſed etiam quantum ad præmium, quod de cōgruo meruerūt alijs, quia in his moralibus quādo reuiuiſcit fundamētum, reuiuiſcunt etiā omnia, quæ fundantur in illo, & cū illud meritum de congruo fundetur in gratia, & bonis operibus hominis iuſti.

4. Similiter opera meritoria per peccatum mortificata, per pœnitentiam non ſolùm reuiuiſcunt ad præmium accidentale, ideſt ad idem præmium diuerſis titulis debitum, ſcilicet per gloriam, quæ correſpondet præſenti contritioni pœnitentis, ſed debetur noua gloria eſſentialis, & diſtinctum præmium eſſentiale ratione præcedentiū meritorum, quæ per pœnitentiam reuiuiſcunt, quia ſi verè omnia opera meritoria mortificata reuiuiſcunt, ita præter ius ad gloriam, quod correſpondet præſenti contritioni; habet etiā pœnitens ratione præcedentiū meritorum ius ad vlteriorem gradum gloriæ eſſentialem, nam per opera charitatis mortificata non meruit tantùm pœnitens illum gradum gloriæ, quæ correſpondet præſenti contritioni, ſed aliud diſtinctum, *ita D. Tho. in 3. diſt. 31. q. 1. quæſtiunc. 3. ad 3.*

5. Verùm talia opera non reuiuiſcunt quo ad totum præmium eſſentiale, ſed iuxta quātitatem contritionis, quæ eſt diſpoſitio ad illorum reuiuiſcentiam, reuiuiſcit præmium eſſentiale, quia quantitas formæ inſenſibilis, & remiſſibilis menſurari debet ſecundùm quantitatē diſpoſitionis, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 5. ad 3.*

6. Et ſic pœnitens reſurgens per pœnitentiam non ſemper reſurgit in maiori gratia in eſſe gratiæ, & acceptationis ad gloriam, quam habebat antequam mortaliter peccaret, ſed quandoque reſurgit in maiori gratia, quam prius habebat, quandoq; in æquali, quandoque etiam in minori, quia merita mortificata non ſemper reuiuiſcunt ſecundùm totum meritum, quod habebant, *ita D. Tho. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. & 3. p. q. 89. art. 2.* Sed ſecundùm quantitatem contritionis præſentis, ſiue diſpoſitionis. Itaque ſi quis ante peccatum habuit decē opera meri-

meritoria intenſa, vt decem, & cadit in peccatum mortale, & poſteà reſurgit contritione, vt vnum, quodlibet opus reſurgit, vt vnum, & manebit pœnitens cum merito, vt vndecim, quia contritio non ſolum eſt diſpoſitio ad gratiam, quam in præſenti recipit iuſtificatus, ſed etiam eſt diſpoſitio moralis, vt merita mortificata reuiuiſcant iuxta quantitatem illius.

7. Similiter per pœnitentiam recipit pœnitens reſpectu præcedentium meritorum charitatem, & gratiam, & ius ad præmium eſſentiale iuxta quantitatem contritionis præſentis. Tamen quia tale ius ad præmium eſſentiale, & talis gratia pòteſt eſſe minor, quàm illa, quæ fuit ante peccatum, ideò pro illo exceſſu recipiet præmium accidentale, quo ad vſque per ſubſequens actus contritionis, & charitatis fuerit ſufficienter diſpoſitus, vt totum ius, quod ante habebat ad præmium eſſentiale reſpectu præcedentium meritorum acquirat.

8. Imò probabile eſt opera mortificata reſurgere quo ad omnem gradum meriti, quod anteà habebat, ita quod ſi ante peccatum mortale habuit merita vt quinquaginta, & poſteà per pœnitentiam reſurgit cum contritione vt quinque, dabitur ei gratia, & charitas vt quinquaginta quinque, & in eodem gradu habebit ius ad gloriam, ita ut ſi ſtatim moreretur, conſequeretur gloriam intenſam vt quinquaginta quinque, quia bona opera meritoria per ſubſequens peccatum non abolentur, ſed manēt ſemper in Diuina acceptatione, qui ad gratiam, & gloriam pro his conferēdam, prout fuerāt facta, acceptat: & ſic ſublato impedimento peccati, integrè ſuum effectum habebit, cū nihil ſit aliud, quod impediat, *ita D. Tho. 3. p. q. 89. art. 5.*

9. Ex his ſequitur contingere poſſe, vt pœnitens reſurgat per pœnitentiam in maiori gratia, ne dum in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam eſſentialem quam habuerit ante peccatum, ſed etiam in eſſe habitus, & qualitatis, quia prorumpens in actum contritionis, vt triginta, conſequitur gratiam, & charitatem in eſſe qualitatis, & habitus, vt triginta, cùm talis contritio ſit diſpoſitio phyſica ad habendam talem gratiam, & ſi ante peccatum fuerunt decē merita, & reſurgit contritione magna intenſa vt triginta, non ſolùm recuperat illa decem merita, ſed etiam datur ei gratia, vt triginta correſpondens præſenti contritioni, & conſequenter habebit gratiam in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam eſſentialem, vt quadraginta.

DISQVISITIO XXXV.

De Effectu Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An per Confessionem Sacramentalem remittantur peccata nō solùm quo ad culpam, sed etiam quo ad omnem reatum pœnæ?

1. R. Sic, quia impossibile est remitti mortale in Sacramento Pœnitentiæ, & nō remouere reatū pœnæ æternæ, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 4. & Concil. Trid. sess. 6. cap. 14.*

2. Verū quando dicitur blasphemiam in Spiritum sanctum esse irremisibilem, idest non ita facile remittitur, quia tale peccatum non habet causam excusationis, & dicitur peccatum ad mortem, nam decidit cum illo ex hac vita, & in Inferno damnatur propter finalem impœnitentiam, *ita D. Tho. loco supra citato ad 1. & 3. & 2. 2. q. 14. art. 3.*

3. Vnde homo semper potest à peccatis resurgere, seque ad Deum conuertere, etiam si sæpius, & sæpissimè peccauerit, quia Deus ex parte sua numquam denegat auxilia sufficiẽtia ad resurgēdum cuilibet peccatori. Imò nō solùm vera pœnitentia est sufficiens ad omnia peccata tollenda, sed etiam in hac vita semper esse hominibus paratam sufficientem gratiam ad talem pœnitentiam agendā sine acceptatione, vel in culpis, vel in personis quāmuis peccauerint, quia repugnat statui peccatoris hominē priuari auxilijs necessarijs sufficientibus, sine quibus potestatem proximam non habet, licèt habeat obedientialem, & capacitatem, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 1.* Sed non oportet quouis tempore actum excitari, aut diuinitùs stimulari ad id faciendū, sed Deus opportunè excitat, vt omni tēpore homo, adiuuāte Deo, possit facere, quia nemo actu semper sine intermissione stimulatur, & excitatur ad bonum, *ita D. Thom. 3. contr. gent. cap. 159. & 160*

4. Rursus remissa culpa sæpissimè restat pœna temporalis persoluenda, quia Deus multoties culpas remissas pœnis tēporalibus puniuisse videtur. Imò pœna æterna peccato mortali debi-

debita, in iustificatione commutatur in temporalem, quia Deus ab æterno præfiniuit pœnas luendas pro diuersitate status peccati, scilicet pro non deleto pœnam æternam; pro deleto verò temporalem præfixit, aliàs in Purgatorio luendam, *ita D. Tho. in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2.* Et reatus pœnæ temporalis, qui dimisso peccato remanet, non semper est æqualis in omnibus per pœnitentiam iustificatis, quia qui maiorem habet contritionem, & dispositionem, maior etiam pœnæ remissio, & gratia infunditur, imò tanta erit contritio, vt totam pœnam auferat, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 4. ad 3. & 3. p. in addit. q. 18. art. 1. ad 3.*

5. Similiter Sacerdos vi clauium, & absolutionis non solū remittit peccatum quo ad culpam, & pœnam æternam, sed etiam aliquam pœnam temporalem debitam in Purgatorio, quia absoluit ab omni vinculo delictorum, *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 18. art. 2.* Et licèt sit quid minus remittere pœnam temporalem, quàm culpam, & pœnam æternam commutare in temporalem, culpa tamen, & pœna æterna semper remittitur, si Sacramentum sit validum, & formatum, pœna verò temporalis non semper tota, sed sæpissimè aliqua remanet post absolutionem sacramentalem, quia hoc Sacramentum est institutū ad remissionem peccati mortalis secundùm omnem rationem culpæ, & pœnæ æternæ, & talis remissio consistit in indiuisibili, pœna verò temporalis remittitur secundùm dispositionem, & contritionem pœnitentis ad bonum, quæ secundùm se est maior, vel minor, & est diuisibilis quantum ad remissionem. *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 4. ad 3. & 3. p. in addit. q. 18. art. 2. ad 3.*

6. Et licèt per Sacramentum Pœnitentiæ nō remittatur semper omnis pœna temporalis: tamen post Baptismum semper remittitur, quia per Baptismum regeneratur; per pœnitentiam verò sanatur à peccato, sed non regeneratur totus, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 4. ad 3.*

7. Item de potentia Dei ordinaria etiam & absoluta vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio, quia gratia æquè omnibus mortalibus opponitur, cùm priuent gratia, & priuatio tollitur per formam oppositam, *ita D. Tho. loco supra citato art. 3. & 1. 2. q. 113. art. 2. & q. 28. de verit. art. 2. ad 4. & art. 9. ad 13.* Et quamuis gratia, & peccatum in homine secundum se considerato, non sint opposita immediatè, nam inter vtrumq; est status hominis in puris naturalibus, tamen respectu hominis ordinati ad gloriam: peccatum, & gratia opponūtur immediatè.

Pp 8. Ve-

8. Verùm Deus per potentiã absolutam potest remittere culpam, non remittendo pœnam æternam, prout pœna æterna dicit solam priuationem gloriæ, & passionem pœnarum sensus, quia obligatio ad pœnam æternam est aliquid distinctũ à culpa, & eius effectu. Sed si pœna æterna cõsideretur prout includit inimicitiam cum Deo, & statum, in quo voluntas sit obstinata in malo, & perpetuò Deum odio habere, non potest Deus eam infligere sublata culpa, quia sublata culpa non est amplius inimicus, & iniurius Deo.

ARTICVLVS II.

An per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata venialia?

1. ℞. Non semper omnia, quia gratia, quam causat quodlibet Sacramẽtum, non opponitur omnibus venialibus in communi, sed illis, quæ speciali opponuntur effectui ab ipso producto in tali Sacramento. Excepto Baptismo qui totaliter remittit omnia peccata mortalia, & venialia quo ad culpam, & quo ad totam pœnam, quia Baptismus est quædam generatio spiritualis, & in generatione non solùm producitur substantia, sed etiam comproducuntur accidentia, & quę existebant ante generationem, omnia corrumpuntur. *ita D. Tho. 3. p. q. 69. art. 1. 2. & 7.*

2. Ideò præter Sacramentũ Baptismi nullum Sacramentum remittit infallibiliter omnia venialia ex opere operato, sed plura, vel pauciora secundum suã dispositionem, & perfectionem, qua quis accedit ad tale Sacramentum, quia nullum Sacramentum ordinatur in particulari ad remittenda venialia. *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 3.* Quamuis probabile sit dicere omnia Sacramenta per se infundẽdo gratiam remittere omnia venialia, secluso merito actus suscipientis, dum non ponatur obex, & etiam adest debita, & sufficiens dispositio.

3. Et quamuis mortalia oblita in confessione remittantur vi suscepti Sacramenti, non tamẽ omnia venialia oblita, sed aliqua, quia venialia sunt compatibilia cum gratia, ideò non infallibiliter, & semper. Et eo magis non remittuntur illa venialia relicta ex industria in cõfessione per susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quia qui ex intentione non vult confiteri venialia, non videtur suscipere Sacramentum Pœnitentiæ in remissionem venialium.

4. Neque in infusione gratiæ necessariò fit remissio omnium venialium, sed iuxta maiorem,

iorem, & minorem dispositionem subiecti, quia sufficit oppositio imperfecta, quæ est inter gratiam, & venialia, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 4. ad 3. & q. 87. art. 3. ad 3.* Et ideò ad remittenda venialia requiritur aliquis bonus affectus pœnitentis siue formalis, siue virtualis, vt in susceptione Sacramenti, vel omnia, vel aliqua venialia ex opere operato remittantur, quia talis affectus secundùm se aliquando non est sufficiens sine Sacramento ad remittenda venialia, aliquando verò ad tot venialia remittēda, & per Sacramētum vel omnia, vel aliqua ex opere operato remittuntur, *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 1. 2. & 7. ad 3.*

ARTICVLVS III.

An venialia remittantur per Sacramentalia?

1. ℞. Sic, quia vsurpantur a fidelibus cum aliqua pia affectione ad diuina, quæ eleuantur a Deo, vt verè, & realiter contactu virtutis tangant animam, & remittant venialia, etiam si tunc non sit motus Pœnitentię formalis, vel virtualis.

2. Et licèt talis pius affectus ad diuina requiratur, tamē propriè, & rigorosè Sacramentalia ex opere operato remittunt venialia, quia licèt sit necessarius, tamen vel non est sufficiens ad remittenda illa, vel saltem non ad omnia. Et Sacramentalia remittere venialia ex opere operato non habent virtute Ecclesiæ, sed Passionis Christi, qui potestatem dedit suæ Ecclesiæ, vt Sacramentalia institueret, & instituta ipse eleuat, & virtutem concedit, vt ex opere operato, idest merito suę passionis remittant venialia, quia omnia peccata remittuntur virtute Passionis Christi, & volitio illa sumendi Sacramentalia cum pia affettione ad diuina, licèt imperfectè oponatur veniali, & virtualiter illud detestetur, tamē talis affectus valet pro actu cōtrario.

3. Verùm Ecclesia habet potestatem instituendi Sacramentalia, non tamen Sacramenta, quia Sacramentorum effectus spiritualis consistit in sanctificatione hominis per gratiam gratum facientem, vel eius augmētum, quem Sacramentalia non habent, cum remissio venialium possit fieri sine infusione gratiæ, *ita D. Tho. 3 p. q. 65. art. 1. ad 6.*

4. Similiter Sacramentalia possunt remittere omnia venialia, dum non adest actualis, vel virtualis complacentia ad illa, & sit pius affectus ita perfectus, vt cum omnibus venialibus oppositionem habeat saltem virtualem, quia Sacramētalia sunt instituta ad tollenda venialia ex opere operato, dum non adsit

obex illorum, *ita D. Tho. 4. p. q. 87. art. 3. ad 2.*

5. Et per Sacramentalia ex opere operato tolluntur quidẽ venialia quantum ad culpam, non tamen semper tollitur totus reatus pœnæ, quæ debetur peccatis venialibus, quia aliàs immunis à mortali, aspersus aqua benedicta euolaret ad cęlum, cum reatus remittatur secundũ modum, & dispositionem feruoris in Deum, *ita D. Tho. loco supra citato ad 3.*

6. Sacramentale, prout in præsenti sumitur, est res sacra, vel actio sacra, cui effectus remittendi venialia tribui solet: instituta ab Ecclesia ex antiquissimo vsu, confirmata, & determinata à parte rei à Papis, vt non sit falsitas in communi totius Ecclesiæ consensu.

7. Sacramentalia verò sunt aqua benedicta, confessio generalis, oratio in Ecclesia consecrata, tonsio pectoris, eleemosyna, vnctio aliqua Sacramentalis; Et quamuis omnibus Sacramentis ex opere operato competat remittere mortalia, & venialia, peculialiter tamen Extremæ vnctioni conuenit remittere venialia, quia veniale, cùm sit quasi quædam vitæ spiritualis ægritudo, & tali Sacramento competit tribuere quandã spiritualem sanitatem, ideò inter Sacramentalia enumeratur, cùm de facto sit Sacramentum. At vnctio sacra, vt est propriè Sacramentalis, est illa, quæ fit ante Baptismum, vel dum consecrantur manus Sacerdotum, caput Episcopi, aut Regis vncti, vt videre est in sacris canonibus, *in cap. vnic. de Sacr. Vnct. & D. Tho. 3. p. q. 87. art. 3.*

ARTICVLVS IV.

An extra Sacramentum, & Sacramẽtalia per alios virtutum actus, peccata venialia deleantur?

1. ℞. Sic, quia actus oppositus, & propositus non committẽdi tale veniale sufficit ad remissionem illius, siue talis actus sit actualis, siue virtualis.

2. Imò per actum Contritionis generalem, quæ dicit displicentiam actualem, & dolorem de omnibus venialibus, vt sunt offensa Dei, delentur omnia venialia extra Sacramentum, & Sacramentalia, quia talis si sufficit ad delenda mortalia, multò magis venialia.

3. Peccatum mortale, & veniale conueniunt in inordinata conuersione ad bonum commutabile, sed differunt tripliciter. Primò, mortale vltra conuersionem ad bonum commutabile habet essentialiter auersionem à Deo, quod non habet veniale, sed tantum tardum, & non promptum affectum in Deum

Deum. Secundò mortale opponitur gratiæ, & omnibus virtutibus infusis, & eas à proprio subiecto expellit, veniale verò tãtũ opponitur fauori, & perfectioni charitatis. Tertiò mortali debetur pęna æterna ex auersione Dei infiniti, & æterni; Veniali verò pęna temporalis, cũ non habeat malitiam infinitam, *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art.* 1. Quamuis absque speciali priuilegio non possumus vitare omnia venialia, sicut Beata Virgo, *ita Concil. Trid. sess. 6. can.* 23.

4. Tamen possumus habere propositum ea vitandi per contritionem de omnibus venialibus, non tamen affirmare se nunquam peccasse, & vitam agere sine peccato, vna excepta Beatissima Virgo Maria, *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 1. ad* 1. & quãuis per contritionem possimus omnia venialia delere quo ad culpam, nõ tamen quo ad omnem pœnam, quia delere plus, vel minus remittitur iuxta maiorem, vel minorem feruorem intensum, & dispositionem subiecti, *ita D. Tho. 3. p. q. 86. art. 4. ad 3.*

5. Ita quod actus contritionis sufficiens est ad delẽda mortalia, non tamen ad omnia venialia, quia venialia non opponuntur immediatè gratiæ iustificanti, sed feruori Charitatis. Tùm quia potest detestari vnũ veniale, non detestando aliud, quod non accidit de mortalibus, quæ omnia necessariò debent detestari, cùm cõtritio habeat necessariam oppositionem cum mortalibus.

6. Imò per actum dilectionis Dei super omnia, licèt remittantur mortalia, sed non omnia venialia, quia ille actus est compossibilis cum venialibus, & tãtùm per actum dilectionis delẽtur illa venialia, quæ sunt ei cõtraria, quia vnumquodq; expellitur à suo contrario, *ita D. Tho. loco supra citato.* Et sic sufficit pęnitentia virtualis, scilicet actus charitatis cõtrarius veniali, quæ tollit illam maculam imperfectam retardantem feruorem, ne ita promptè feratur in ipsum Deum, quia veniale non relinquit propriè maculam in anima, sicut mortale, cùm non sit sufficiens ad expellendam gratiam, *ita D. Thom. 1. 2. q. 86. art. 1. ad 3.* Et sic transacto actu peccati, peccatum habituale remanens est quædam macula habitualis positiua inficiẽs animam habentem inclusam intrinsecè priuationem simpliciter gratiæ, *si est mortale*, vel priuationem talis, vel talis perfectionis gratię, *si est veniale*, quia per vtrumque peccatũ voluntas deordinatur per ordinatam conuersionem ad bonum commutabile, quæ cõuersio est quid positiuum, & non sola priuatio nitoris animæ.

7. Rur-

7. Rursus venialia non possunt remitti per aliquod opus bonum purè naturale, quia eorum remissio est opus supernaturale, cùm retardet salutem, & amicitiam Dei, & media debent esse proportionata fini, *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 2.* Verùm si homo esset in puris naturalibus, tunc posset ei remitti tàm mortalia, quàm venialia, nõ ex gratiæ dono supernaturali, cùm tunc nulla esset gratia, sed ex dono Dei auctoris naturæ, quia peccata non essent, neque esset peccatorum remissio.

8. Similiter obdormiẽs cum voluntate peccandi venialiter, si inter dormiendum occidatur pro Christo, non obtinet remissionem illius, quia ad remissionem illius saltem virtualis displicentia illius requiritur, quam talis non habet. Taliter quod si quis iuisset dormitum cum affectu ad peccãdum mortaliter, si inter dormitũ propter fidem occideretur, non consequeretur istius peccati lethalis remissionem, quia peccatum non remittitur, nec per Baptismum, nec per martyrium, nisi tollatur obex, qui est actualis, vel virtualis complacentia ad illud.

9. Vnde ad martyrium in adultis requiritur voluntas formalis suscipiendi illud, *ita D. Th. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1.* Et si inter dormiẽdum occidatur in odiũ Christi, si nihil cogitauerat de martyrio non diceretur martyr: & si habet aliquod mortale, vt dignè suscipiat martyrium, saltem requiritur attritio supernaturalis, quia cum illa reuocat virtualem affectionem ad creaturam, & peccandi voluntatem retractat, *ita D. Tho. 3. p. q. 87. art. 1. ad 2.* Verùm in martyrio non solùm est dispositio sufficiens attritio actualis, vt quis consequatur remissionem mortaliũ, & venialium, sed etiam ex accidenti attritio virtualis, dum tẽpore martyrij totus detinetur in expellendo metũ mortis, & per obliuionem non elicit actum contritionis, vel attritionis, quia in voluntate suscipiendi martyrium pro Christo, clauditur virtualis dolor, & detestatio peccatorum, nam volenti mori pro Christo si peccata occurrerẽt, libentiùs detestaretur, *ita D. Tho. loco supra citato.*

10. Sed hæc sola volitio in susceptione Baptismi in adultis habentibus præter originale, etiam peccatum mortale absq; actuali contritione, vel attritione mortalis, non consequitur remissionem mortalis, quia Baptismus nõ est opus insigne, sicut martyrium, ideò non est sufficiens in Baptismo. Et talem effectum remittendi omnem culpam, & pœnam habet martyrium ex opere operato, quia adultus cũ sola attritione absq; martyrio non recipit gratiam, & sa-

& salutem post mortale, benè tamen per martyrium, *ita D.Th. 3.p.q.86.art.2.ad 2. & q.87. art.1. ad 2.*

11. Nota, quòd dupliciter potest contingere facere ex attrito cõtritum, & causare gratiam ex opere operato. Primò, actiuè, vt sunt Sacramenta nouæ legis, quæ eleuantur à Deo actiuè, & efficienter; instrumẽtaliter tamen ad causandam gratiam. Secundò, sine propria actione, sed Deus ad præsentiã illius causat gratiam, vt causabat in infantibus suscipientibus in lege veteri Circumcisionem. Modò dicimus hominem fieri ex attrito contritum, & conferri illi gratiã in martyrio ex opere operato non primo modo, quia martyrium non est Sacramentum, cui competit actiuè instrumentaliter causare gratiã, sed secundo modo moraliter, quia Deus intuitu martyrij cõfert gratiam ob speciale priuilegium, & promissionẽ à Christo factam dicente, *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, Matth.10. & ita D. Thom. 3. p. q. 66.art.12, ad 1. & art. 13. ad 2.*

12. Similiter ad remissionẽ peccati venialis etiam sine Sacramento, & Sacramentalibus in iustis sufficit attritio supernaturalis, quia est formalis dolor, & sufficiens oppositio cum illo. Imò sufficit hęc attritio virtualis, scilicet quoduis opus bonum supernaturale ex intentione seriò factum ad remissionẽ alicuius venialis, quia talis intentio continet desiderium impetrandi à Deo veniam, & virtualem displicentiam peccatorum, quæ est sufficiens ad delendum veniale.

13. Verùm dolor sufficiens ad remissionem venialis debet necessariò includere saltẽ virtuale propositum ampliùs non committendi illud, sine quo nõ potest consistere vera pœnitẽtia, quia non possum seriò ea peccata detestari, à quibus in posterũ nolo abstinere. Et hoc propositum potest consistere cum probabili timore, quod in posterum in eadem peccata incidemus, quia propositum requisitum in pœnitentia sufficit, quòd excludat omnem actualem affectum. Item omnis actus meritorius, scilicet eleemosyna, ieiunium, & similia relata ab homine iusto adhũc effectum, scilicet obtinendi à Deo remissionem venialis, meretur, & obtinet illam, quia ille actus includit virtualem displicentiam venialis, & aliàs qui sic operatur, verè meretur apud Deum.

14. Tandem non est inconueniens dicere per aliquem actum meritorium seriò, & ex intentione factum ad delenda peccata tollantur omnia venialia, si in iudicio Dei æstimetur

sufi-

sufficiens ad remittẽda omnia, vel aliqua, vel quia ratione modi, quo commissa sunt, meretur faciliorem veniã, vel quia illa in perpetuum, & explicitè detestantur cum firmiori proposito.

ARTICVLVS V.

An tolli possit peccatum veniale absque infusione gratiæ, vel illius augmento?

1. ℞. Sic, quia veniale tantùm retardat actum gratiæ, & charitatis, *ita D. Tho.3.p.q.87.art.2.*

2. Imò remissio venialium fieri potest non solùm absque infusione gratiæ nouæ, sed etiã absq; vllo illius augmento in esse habitus, & qualitatis, quia per remissionem venialium nõ augetur habitus Charitatis, & gratiæ in esse habitus, & qualitatis, sed in esse gratiæ, & acceptationis ad gloriam, *ita D.Th. 2.2.q.24.art.6.*

3. Nota, quòd macula dupliciter contingere potest. Primò, per priuationẽ eius, quod requiritur ad decorem debiti coloris. Secundò per super inductionem alicuius impedientis decorẽ, scilicet luti, vel pulueris. Ita macula animæ inducitur animæ per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale, at per peccatum veniale tantùm est macula per inclinationem affectus inordinatum ad aliquid temporale. Ideò ad tollendam maculam mortalis requiritur infusio gratiæ, sed ad tollẽdam maculam venialis sufficit aliquis actus procedens ex gratia, per quam remoueatur inordinata adhæsio ad rem temporalem, *ita D.Thom.3.p.q.87. art.2.ad 3.*

ARTICVLVS VI.

An gratia, & Charitas in esse habitus, & qualitatis augeantur per actum intentiorem?

1. ℞. Sic, quia Deus infundit primam gratiam adulto solùm secundùm quantitatem dispositionis, ideò solũ augetur per actus intẽtiores ipso habitu.

2. Gratia dupliciter potest considerari. Primò in esse habitus, & qualitatis secundùm physicam entitatem, quam habet. Secundò in esse gratiæ, quatenus scilicet per illam iustus acceptatur ad gloriam. Ita etiam Charitas potest considerari in esse habitus, & qualitatis, vel secũdùm rationẽ propriam Charitatis, idest amicitiæ ad ipsum Deum.

3. Rursus præmium essentiale, quod datur Beatis ratione meriti, etiam dupliciter. Primò materialiter in esse rei, scilicet

lumen

lumen gloriæ, & visio beatifica secundùm suam propriam intrinsecam, & essentialem perfectionem, quod cõfertur æqualiter omnibus. Secundò formaliter ratione præmij, quod vni honorificentiùs datur, quàm alteri propter plura opera pluribus titulis, ideò excellentiùs præmium secundùm meritum, vt in Christo in esse rei est finitum, & limitatum, scilicet gloria proprij corporis, & bona omnium prædestinatorum, qui omnes reducuntur ad certum numerum, & limitatum, tamen ratione præmij, est aliquod infinitum ratione suppositi merentis tale præmium, quia datur ei ex rigore instiriæ habitæ apud Patrem Aeternum.

4. Vnde gratia, & Charitas in esse habitus, & qualitatis augentur secundùm excessum actus supra habitum præexistẽtem, & non secundum latitudinem actus: vt habens Charitatem *vt quinq;* & prorumpit in actum feruentem *vt octo*, augetur habitus vsq; *ad octo*, non autem vsq; *ad tredecim*, quia Deus auget effectiuè habitus supernaturales seruãdo proportionẽ, quæ inuenitur in naturalibus, sed in naturalibus qualitas non augetur secũdũ excesũ actus; nam sicut aquæ calidæ, *vt duo*, applicetur calefactiuũ, *vt quattuor*, solùm auget calorem aquæ iuxta excessum agentis supra passum, scilicet vsq; *ad quattuor gradus*, ita etiam habitus, qui augetur effectiuè per nostros actus solùm augetur secundùm excessum actus supra habitum.

5. Similiter gratia in ratione gratiæ, & Charitas in esse charitatis augentur per actus æquales, vel etiam remissos, ita vt illis correspondeat in patria nouus gradus gloriæ essentialis, quia cum melioris conditionis esset, qui operatur remissè, quã qui intensè, quod est absurdum; cum fideles retraherẽtur à multis bonis operibus, & laboribus, *ita D. Tho. 2. 2. q. 114. art. 8. ad 3.*

6. Item fieri potest aliquis gratus, & acceptus ad gloriam essentialem absq; eo, quod infundatur aliqua qualitas inhærens, de potentia Dei absoluta per solam extrinsecam acceptationem, quia sicut amicus Regis est ei gratus, & acceptus ad munera eius per solam Regis acceptationem, ita Deus sua omnipotentia potest efficere, quòd homo illum diligeret per verum actum Charitatis supernaturalis, non per aliquam qualitatem permanẽtem in esse habitus, & qualitatis, sed in ratione gratiæ, & charitatis, in ratione amicitiæ ad ipsum Deum, in ratione acceptationis ad gloriã. Vnde statim redditur homo gratus, & acceptus ad gloriam *vt quindecim*, & dabitur in alia vita habitus gloriæ *vt quindecim*,

& intentior lumen gloriæ, *vt quindecim*, & intentior visio beatifica *vt quindecim*, per actus remissiores, quia ratione actus etiam remissi debetur augmentum gratiç, & nouus gradus gloriæ essentialis; quamuis non detur in hac vita per actum remissum nouus gradus gratiæ in esse qualitatis, & habitus, *ita D. Tho. loco supra citato.* Et hoc non meretur de facto, neq; acceptatur per solam acceptationem extrinsecam ad illam maiorem gloriæ essentialem, sed meretur per actus remissos, scilicet per gratiam habitualem præexistentem secundùm quod de nouo est causa realis noui actus remissi, & acceptatur homo ad illam maiorem gloriam correspondentem actui remisso, ideò acceptatio non est verè extrinseca, sed secundùm quod dicit nouum respectum ad nouum actũ meritorium, *ita Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. & can. 11. de iustific.*

7. Itẽ Gratia in esse Gratię, & Charitas in esse Charitatis statim augetur in hac vita ẽt p act⁹ remissos, quia augmentũ morale non requirit physicam dispositionem æqualem, sed sufficit multiplicatio actus meritorij. Imò Gratia, & Charitas viatoris possunt augeri in genere morali absq; eo, quòd augeatur in genere physico, quia aliud est genus morale Gratiæ in esse Gratiæ, & genus morale Charitatis in esse Charitatis, & aliud genus in esse physico in ratione habitus, & qualitatis; sunt enim diuersa genera.

8. Item nullum est incõueniens, quòd in via non semper seruatur æqualitas in Gratiam, & Charitatem in esse qualitatis, & in esse habitus, benè tamen in patria, vbi seruabitur æqualitas inter quantitatem gratiæ, & Charitatis in esse qualitatis, & quantitatem gloriæ in ratione beatitudinis essentialis in esse rei, secundùm perfectionem intrinsecam, & essentialẽ, quia in altera vita est tẽpus recipiendi præmium adæquatum quod iustus meruit per actus præcedentes in via: præmium enim, quod non confertur in hoc sæculo, debet conferri in alio. *Ita D. Tho. q. 7. de malo art. 11.* Et non sequitur, quòd homo mereatur in alia vita, sed tantùm recipit præmium, quod sibi meruit in via, scilicet augmentum Gratiæ, & Charitatis in esse habitus, & qualitatis conferendum, cùm sufficienter fuerit dispositus, quod erit in patria, cùm feruẽtissimum dilectionis actum habuerit, quia sicut iustus disponetur in patria ad visionẽ beatificam, quam sibi meruit in via per lumen gloriæ, quod tunc confertur à Deo absq; eo, quod sit meritum in alia vita, ita talis in alia vita disponetur per actũ feruentissimum charitatis ad inten-

tentiorem actum gratiæ, & charitatis in esse habitus, & qualitatis, quā sibi meruit per actus remissos præcedentes in vita, absq; eo, quod in patria sit aliquod meritum, *ita D.Thom. 1.2. q.114.ar.8.ad 3.& 2.2.q.24.art.6. ad 3.* Ad differentiā Christi, qui per actus subsequentes nō meruit aliquid de nouo, nisi id, q̄ anteà meruerat per primum actum, idq; nouo titulo, quia per primum actum meritorium meruit infinitè, infinito enim vt infinitum nulla potest fieri additio: quod hoc non procedit de nostris meritis finitis, quibus fit additio per actus subsequentes remissos meritorios.

9. Et quamuis gratia, & charitas in esse gratiæ, & charitatis augeantur statim secundùm totam latitudinem, vt si vnus habet actum charitatis intensū, *vt viginti*, alius autem producit duos actus charitatis intensos, *vt decem*, magis meretur ille iustus vno actu intenso, *vt viginti*, quàm iste duobus actibus intensis, *vt decē*, quia ille magis meretur, cùm difficiliùs sit, & magis arduum habere vnum actum intēsum *vt viginti*, quàm diuersos actus intensos, *vt decē*.

10. Similiter sicut per act' remissos meritorios augetur gratia, & charitas statim in esse gratiæ, & charitatis in via, & in patria in primo instanti glorificationis in esse habitus, & qualitatis, ita etiam per maiorem continuationē actus meritorij augetur gratia, & charitas, atq; gloria essentialis, quia absurdum est, quòd continuans per horā vnam actū charitatis intensum, *vt vnum*, sit deterioris conditionis illius qui eumdem actum interrumpit, & successiuè producit tres actus distinctos charitatis *vt vnum*, in eadem hora.

11. Verùm per talem continuationem actus meritorij non potest quis mereri præmium infinitum, quia quamuis in quocunq; tempore sint infinita instantia cōtinuantia partes tēporis continui; non tamen sequitur, quòd talis motus sit infinitus, nam non correspondet adæquatè præmio.

12. Item augmētum gratiæ, & charitatis non producitur vi producentis habitus gratiæ, & charitatis, quia est principium effectiuū operis meritorij, aliàs idem respectu eiusdē esset simpliciter meriti principium, & terminus meriti, quod implicat, *ita D.Thom. 1.2.q.114.art.9.* Sed probabile est actum contritionis, & charitatis, qui est vltima dispositio in iustificatione ad gratiam habitualem procedere in genere causæ efficientis ab ipsa gratia habituali, & ab habitu infuso pœnitentiæ, & charitatis, sed quando per actum magis intensum augetur habitus præexistens, talis actus est meri-

ritorius augmēti ipſius habitus, ideò nō poteſt ab illo procedere effectiuè, quia in prima infuſione gratiæ vltima diſpoſitio non eſt meritoria ipſius gratiæ, ſed gloriæ, *ita D.Thom.* 1.2.*q.*112. *art.*2.*ad* 1. Et quando habēs habitum charitatis *vt quinque*, & diſponitur ad augmentum *vt octo*, illa diſpoſitio *vt octo*, non procedit effectiuè ab habitu *vt octo*, ſed ab habitu præexiſtente *vt quinque* ſimul cum auxilio diuino actuali ſupernaturali intenſo *vt octo*, per quem diſponitur ad augmentum habitus, quia effectus non poteſt excedere virtutem ſuæ cauſæ, ideò coniungitur Dei auxilium, vt habeat proportionatam virtutē *vt octo*.

13. Ceterùm quando homo habens habitum charitatis *vt quinque* & tunc eleuatur auxilio Dei ad producēdum actum charitatis *vt octo*, cùm non ſit agens naturale, ſed liberum, nō eſt determinatum ad talem, vel talem intētionem ſui actus, imò ad intentiorem actū producendum, ideò cōcurrit vt cauſa ſecūda principalis reſpectu actionis vitalis, & intentionis eiuſdē, quia liberum arbitrium per illud auxilium eleuatur conformiter ad ſuam naturam ad aliquid, ſcilicet, quod continetur intra latitudinē ſui proprij obiecti adæquati. Et quamuis intellectus, & voluntas creata ſecundùm ſe nullam habeant naturalem virtutem proximam actiuam cōparatione actuū ſupernaturalium, habent tamen non ſolùm potentiā obedientialem, ſed etiam radicalē actiuitatem reſpectu eorumdem actuum in quantum ſunt vitales, quia actus liberi ſupernaturales, licèt formaliter procedant, *vt quo*, à principio ſupernaturali, radicaliter tamen dependent à potentia, & vita naturali, quæ procedit ab anima, quæ eſt potentia vitalis, & libera, quam Deus ſua potentia non poteſt ſine illa eleuare.

14. Nota, quòd eſt differentia inter cauſam ſecūdam principalem, & cauſam inſtrumentalem, nam cauſa inſtrumentalis ſecundum ſuam propriam formam nihil confert etiam radicaliter ad productionem effectus, ſed vt ſubiectum paſſiuè deferēs virtutem illius principalis, & non producit effectum, niſi ſecundùm quod mouetur ab eodem principali agente. Cauſa verò ſecunda principalis ſemper confert aliquid per propriam formam ad productionē effectus, nam operatur per principium intrinſecum actiuum, habens ſaltem actiuitatem radicalem, & remotam comparatione effectus, quem producit: Talem autem actiuitatē radicalem, & remotā habet liberum arbitrium hominis:

nis, dum producit actus supernaturales; At proximam actiuitatem, *vt quo* habet ab auxilio diuino, quia de ratione actus vitalis est, quòd procedat à principio intrinseco vitali, & coniuncto, *ita D. Thom. p. p. q. 27. art. 2. in corpore; & 1. 2. q. 68. art. 3. ad 2.*

DISQVISITIO XXXVI.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An Sacerdos teneatur celare peccata, quæ sub sigillo Confessionis nouit?

1. ℞. Sic, quia iure diuino tenetur, cùm confessio sit de iure diuino præcepta, *ita D. Th. 3. p. in addit. q. 11. art. 1.*

2. Verùm sigillum secreti est de necessitate Confessionis, nō quidem de substantia, & necessitate, tamquam materia, & forma, vt si Sacerdos reuelaret, Sacramentum esset nullum, sed vt naturæ Sacramēti expedit hoc secretum, *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Ita vt nec Pōtifex, nec tota Ecclesia potest dispensare, & cogere, vt sigilum confessionis violetur, quia peccata audita in confessione confessor non scit *vt homo, sed vt Deus. Ita D. Thom. loco supra citato ad 2.* Imò potiùs tenetur subire mortem, & tormenta, quam reuelare, quia maioris momenti est seruare hoc sigillum, quàm temporalis vita, etiam in perniciem Reipublicæ. Et si fuerit in detrimentū fidei debet a ijs remedijs diligentiam apponere. Et hoc nō solùm est de iure diuino, & naturæ, sed etiam Ecclesiastico, quia in iure strictissimè præcipitur sub diuersis pœnis, *ita cap. vtriusq; sexus de pœnit. & remiss.* Non tamen Sacerdos infringēs confessionis sigillū incurrit irregularitatem, quia hæc non incurritur, nisi in iure expressū, quod non reperitur.

4. Sed infringens confessionis sigillum duo mortalia committit, vnum contra iustitiam, quia facit pœnitenti grauem iniusti-

iustitiam, alterum contra Religionem, & est sacrilegium cõtra rem sacram, quia infert iniuriam Sacremento Pœnitentiæ. Et non solùm violatur deliberatè detegendo aliquod mortale, sed etiam veniale, quia non datur paruitas materiæ excusans à culpa lethali, præter quam in casu pœnitentis dantis facultatem ad hoc, quia tũc nõ fit iniuria pœnitenti, neq; Sacramẽto.

5. Tunc autem est verum sigillum confessionis, quando confitens verè confitetur peccata sua, & non sufficit genibus flexis dicere, *hoc tibi dico in confessione*, quia hæc detectio non est sacramentalis, licèt peccet mortaliter. Sicut etiam secretũ naturale firmatum sub iuramẽto non possumus illud detegere, etiam Prælato, vel alteri maiori præcipienti, quia obedientia, & preceptum superioris nũquam intelligitur vim habere contra legem naturalem, & iuris naturæ est, seruare secretũ, *ita D. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.*

6. Sed secretũ naturale etiã cum iuramento, si est in graue damnum Reipublicæ, vel innocentis possumus, & tenemur detegere, quia fides data etiam sub iuramento non intelligitur esse contra charitatem debitam alteri, vel esse contra legem diuinam naturalem, vel humanã, vel contra bonos mores, *ita D. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.*

ARTICVLVS II.

An sigillum Confessionis se extendat ad ea, quæ manifestantur Sacerdoti per ordinem ad confessionem Sacramentalem?

1. ℞. Sic, quia ne Confessio reddatur odiosa. Secùs extra talem ordinem, quia in his sufficit seruare naturale secretum.

2. Neq; oritur obligatio sigilli, neq; violat laicus, vel clericus in minoribus, si reuelet secretum celandum sub sigillo, etiam si genibus flexis dicat cõfessionem generalem, *Hoc tibi dico in confessione*, quia nunquã talis manifestatio est confessio Sacramentalis.

3. Verùm dictum sub secreto naturali cedẽte in futurum, vel directè in damnum iuiustũ priuatæ personæ, vel communitatis potest, imò tenetur detegere, quia nunquam tale secretum obligat. *ita D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 1. ad 2.* Sed si crimen commendatum sub sigillo secreto non pendet in futurum, & solũ inquiritur à iudice, ne illud maneat impunitum, non obligat ad detegẽdum, siue iudex procedat per accusationem, denũtiationem, vel inquisitionem, quia maius est vinculum seruare secretum, quàm parere iudici legitimè interroganti. *ita D. Tho. loco supra citato.*

4. At

4. At fingens ſe eſſe Sacerdotem, ſi audit confeſſionem, tenetur ad ſigilium confeſſionis, quia pœnitens ſe accuſat in ordine ad Sacramentalem confeſſionem. Item Sacerdos non expoſitus, ſi furtiuè audit confeſſiones, quia licèt reuera confeſſio hæc nō ſit Sacramētalis, tamen quantùm ex parte pœnitentis eſt Sacramentalis. Similiter Sacerdos non expoſitus audiens confeſſionem pœnitentis animo petendi iuriſdictionem, ſi poſtea non petat, nec abſoluat, tenetur ad ſigillum confeſſionis, quia tunc eſt ſacramentalis confeſſio initiatiuè.

5. Rurſus Confeſſorem teneri ad ſigillum confeſſionis, quando dubitat, an aliquid ſibi reuelatum fuerit per ordinem ad confeſſionem, quia rationabiliter præſumendum eſt in fauorem confeſſionis, & pœnitētis. Etiam ſi pœnitens accedat ſine intentione obtinendi abſolutionem, & ſine diſpoſitione, dummodò ſubijcit in illo foro, prout poteſt, quia adhuc eſt quædam inchoata confeſſio. Item quando pœnitēs propoſitum committendi aliquod peccatum per modum accuſationis coram Deo manifeſtat, quia in ordine ad confeſſionē, & animo ſe accuſandi aperitur. Sed quando pœnitēs non animo ſe accuſādi, ſed potiùs peruertendi, & incitandi ad malū confeſſorem, non tenetur ad ſigillum, imò aliquando obligat ad manifeſtandum, quia non animo ſe accuſandi, ſed intentione ipſum trahendi ad eandē coniurationem.

6. Similiter Parochus audiens in confeſſione impedimētum dirimens matrimoniū, tenetur ſub ſigillo reticere, & non poteſt pœnitēti matrimonium denegare, vel alia Sacramenta, quia redderetur confeſſio odioſa, & retraherentur fideles ab illa. Sed ſi nouit inter volentes contrahere impedimentum, licèt ſub ſecreto, & non ſub ſigillo, tunc tenetur illud manifeſtare, quia hoc ſecretum tendit in præiudicium, & damnationem æternam ipſius, ſic cum impedimento cōtrahentis, *ita D. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.*

7. Item ſub ſigillo includuntur non ſolùm mortalia, & venialia, ac etiā id, ad quod peccatum non eſt, dum tale deteẋtum directè, vel indirectè in genere, vel in ſpecie detegit eum, qui confeſſus eſt aliquod mortale, vel veniale etiam leuiſſimum, quia licèt materia leuis, tamen eſt grauiſſima in ordine ad confeſſionem. Verùm ſi Confeſſor aliundè nouerat peccatum, quod audiuit in Confeſſione, poteſt extra Confeſſionem de eo loqui eo

modo

modo, quo antea, siue post cōfessionem illud nouerit, quia non tollitur cognitio, quæ habetur extra Confessionem ex eo, quod delictum cognoscatur etiam in Confessione. *ita D. Thom. 3. p in addit. q. 11. art. 5.*

8 Tandem sigillum Confessionis non obligat ad nō reuelandum virtutes pœnitentis, sed solùm tenetur ex vi secreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis, quia bona, & virtutes in Confessione nō manifestantur animo se accusandi, nec cōfessio redditur odiosa.

ARTICVLVS III.

An solùm Sacerdos teneatur ad sigillum Confessionis?

1. ℞. Sic, quia solum ipsis strictissimè præcipitur seruandum sub pęnis. *ita cap. omnis vtriusq; sexus de pænit. & remissione.*

2. Verùm indirectè, & reductiuè tenentur ad sigillum Cōfessionis omnes, qui siue casu, siue ex alia malitia, siue ex necessitate confitentis peccata audiunt, quia participant de actu clauis, ac & de actu sigilli Confessionis, quamuis propriè loquendo sigillum Confessionis non habeant. *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 11. art. 3.*

3. Vnde habentes sigillum Confessionis siue directè, & propriè, siue indirectè, & reductiuè reuelantes audita in Confessione, ne dum peccant contra virtutē Fidelitatis, sed etiam cōtra virtutem Religionis, quia tenentur celare iure naturæ, & faciunt iniuriam Sacramento Pœnitentiæ. Sed si pœnitēs sua sponte sine vlla necessitate coram alijs confiteatur, alij præter Confessorem non tenentur ad sigillum, benè tamen secreto naturali, quia q. spōtè & voluntariè ad alios dicit, nō est Sacramētalis. Cui aũt reuelatur auditum in Confessione etiam illegitimè, & indirectè manifestata, tenetur ad sigillum ejusdem, quia talis cognitio prouenit ex sola Sacramentali Cōfessione.

4. Similiter Superiores obligantur ad sigillum, quibus Cōfessor aliquid in Confessione auditum aperuit, vt facultatem absoluendi à reseruatis obtineret, siue id fiat per Pœnitentem, siue per Confessorem ex pœnitentis venia, quia superior in hac parte gerit vicem Confessoris, cùm ad ipsum causa deferatur. Item & illi, quibus Confessores consilij gratia aliquid auditum in Confessione manifestantes imprudenter manifestauerunt personam ipsius pœnitentis, quia res ad quemcũq; perueniat, cũ suo transit onere.

5. Sed cui ab amico extra Confessionem enarrantur propria peccata, vt sciat modum

quo-

quomodo debeat confiteri, nō tenetur ad ſigillum, ſed ad ſecretum naturale, quia peccata tantùm confeſſa in Cōfeſſione Sacramentali obligant ad ſacrū ſigillum. Verùm talis Doctor conſultus tenetur ſub ſecreto naturali, quia faceret maximā iniuriam reuelanti.

6. Item inueniens cedulam, in qua ſcripta ſunt peccata alterius, nō aſtringitur ad ſigillum, quia obligatio ſigilli dependet ex inchoata Confeſſione, & ex his, quæ pœnitens aperuit Cōfeſſori. Tenetur tamē ad ſecretum naturale, quia ius naturæ præcipit, quòd tibi non vis alteri non feceris. Et ſi quid in ſcripto quis legit, poſtquā nouerit in eo contineri peccata, peccat mortaliter, quia licèt fortè non inueniat notabiliter lædentia, dat tamen iuſtā cauſam lædendi, quod ſufficit ad grauem iniuriam inferendam. Et ſic iudex Eccleſiaſticus, ſiue ſæcularis reperiens talem paginam, non poteſt de huiuſmodi peccatis inquirere, ſed perpetuo ſilentio tegere, aliàs ſi in dānum publicum, vel tertiæ perſonæ immineat futurum, quia obligat ſecreto naturæ celare. *ita D. Tho. 2.2 q. 70 art. 1 ad 2.*

7. Itaq; cōſimiles iudices nequeunt punire delictum etiam grauiſſimum cognitum per iniquam reuelationem Cōfeſſionis, quia nimis conueniens eſt, quòd tunc tale delictum maneat impunitum, ne fideles à Confeſſione deterreantur. Et ſi incępit in cauſa procedere, ceſſare debet, & omnia pro infectis habere, quia notitia fuit iniqua, & ſacrilega.

8. Tandem ſi Sacerdos ex auditis in Confeſſione inſigne malum, vel incendium perpetrādū ſit tali nocte, ſi dixerit iudicibus, *Vigilate, quia accidere poſſunt aliqua detrimenta*, tunc iudex vigilando, nefarios comprehēderit, & iuxta qualitatem delicti punierit, non violatur ſigillum, quia ſine aliqua deordinatione ſigilli, factum fuit publicum delictum illud, nō tamen licet exprimere delictum, ne per id iudex in reorum notitiam venire poſſit.

ARTICVLVS IV.

An Confeſſor in aliquo caſu loqui poſſit de auditis in Confeſſione cum licentia pœnitentis ſine fractione ſigilli?

1. ℞. Sic, quia tunc neq; fit iniuria pœnitenti, dū conſentit; neq; Sacramēto, dum fidelibus non redditur exoſum. *ita D. Tho. 3. q. in addit. q. 11. art. 4.*

2. Neque frangitur ſigillum loquendo de auditis in Confeſſione abſq; manifeſtatione perſonę & ſine periculo cognitionis,

nis, & ſuſpicionis pœnitentis, quia tunc nulli fit iniuria, nec Confeſſio odioſa.

3. Violat ſigillum ſi dicat generatim Petrum cõfeſſum eſſe *mortale caſum reſeruatum, vel veniale in ſpecie*, quia Petrus cognoſcitur, tunc diſtinctè, & magis peccator, quàm antea. Sed non violat, ſi dicat Petrus confeſſus eſt ſua peccata, quia idẽ eſt dicere, *quàm Petrus confeſſus eſt mihi*, cùm peccata ſint materia Confeſſionis. Item non violat dicere, *Petrus confeſſus eſt mihi ſua venialia*, quia vt fiat Confeſſio Sacramentalis ſaltem debet pœnitens cõfiteri venialia. Sed violat dicendo, *Petrus confeſſus eſt mihi ſua mortalia*, quia poteſt homo ſine mortalibus confiteri. Similiter eſt frangere ſigillum dicendo, *Non dum abſolui Petrum*, quia communiter abſolutio denegarĩ ſolet graui de cauſa, & ſuſpicio grauis audiẽtibus ingeri poteſt.

4. Item violat, ſi audiẽs Cõfeſſiones multorum dicat *hunc nullum commiſiſſe mortale*, quia indirectè ſignificare videtur alios mortalia fuiſſe confeſſos. Idem facit Confeſſor, qui confeſſione pœnitentis audita, ſtatim cõſulit virum doctum præſentem, à quo quid agendum ſit in aliquo caſu Confeſſionis quærit, & accepto conſilio, iterum reddit, vt eum abſoluat.

5. Item ſi Cõfeſſor aliquem pœnitentem iuſta cauſa non abſoluit, & hic petit ab eo atteſtationem Cõfeſſionis, tenetur exhibere, & negans peccat, & violat ſigillum, quia dans alijs, & huic negat, eſt indirectè fractor ſigilli. Neq; Confeſſor mẽdacium committit, quia non dicit *abſoluiſſe*, ſed tantum *confeſſum ſibi fuiſſe*. Neq; cooperatur hominis peccato, ſi ad Euchariſtiam accedit, quia poteſt admonere, ne ſic indiſpoſitus accedat. Sin autem admonitioni non pateat, culpa ipſius tantùm eſt, quia Cõfeſſor functus eſt officio ſuo. Sed illi, qui ſimulato animo ad Confeſſionẽ acceſſit, dum nolit abiurare hæreſim, ſolùmq; pœnæ, & infamiæ cuiuſdam vitandæ cauſa ad Euchariſtiam accedit, non tenetur huic exhibere atteſtationem, quia talis non animo confitendi, ſed fraudulenter accedit, & ideò confeſſio non Sacramentalis.

6. Similiter Confeſſor audiẽs Confeſſiones multorum in aliqua communitate, ſeu loco, licèt non frangat ſigillum, tamen eſt valdè periculoſum, ſi dicat *in illo loco, vel communitate grauia ſcelera committi*, quia fieri poteſt, vt non leuis ſuſpicio de aliquo particuli concipiatur, & aliqui iacturæ famã patiantur. Verùm nõ violat, ſi dicat *eſſe Religioſum, qui graue peccatum confeſſus eſt*, quia Religio cũ ſit vniuerſalis, non

nõ detegitur perſona. Sed peccat lethaliter, ſi dicat, *Religioſum talis Religionis, vel cœnobij*, quia huius delicta redundãt in alios. Item peccat dicere, *in hoc Oppido omnes ſunt improbi*, quia infamat ipſum locum, oppidum. Secùs dicere *eſſe multos improbos*, quia non infamat totam communitatem, nec aliquem in particulari.

7. Similiter error, & defectus commiſſus in Confeſſione neceſſariò corrigẽdus, debet Cõfeſſor à pœnitẽte petere facultatem, vt cum ipſo loquatur de Confeſſione præcedenti, quod ſi pœnitens renuerit, tamen ex officio Confeſſor eo inuito poteſt aperire errorẽ commiſſum in eo neceſſariò corrigendum, quia tunc Confeſſor ſupplet & perficit Confeſſionem, quæ antè inchoata, & imperfecta manſerat. Maximè ſi error corrigendus vertit in commodum tertiæ perſonæ in honore, vel in pecunijs, quia hoc eſt conſulere indemnitati proximi, & non inferre iniuriam pœnitenti, neq; odioſum reddere pœnitentiæ Sacramentum.

8. Hinc eſt, quòd Confeſſor non violat ſigillum admonẽdo heredes pœnitentis mortui de aliqua re reſtituenda pro illius conſcientię exoneratione, quia vtitur de ſcientia Confeſſionis cũ licentia pœnitentis. *ita D. Th. 3. p. in addit. q. 11. art. 4.* Sed non poteſt ex ſcientia Confeſſionis habita admonere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterij, vel alium, vt peccata impediat, ſi periculum ſit, vt delinquens aliqua ratione cognoſcatur, quia aliàs ſubditus à Confeſſione retraheretur. Poteſt tamen generatim ſine periculo, & pudore pœnitentis monere, *vt inuigilet, cùm ſic, & ſic peccatur*, quia Confeſſor non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur impedire, ne peccatum ſibi confeſſum iterum committatur.

9. Magna differentia eſt inter ſigillum Confeſſionis, & naturale. Sigillum enim Confeſſionis numquam licitè violari poteſt nec præcepto Papæ, nec metu mortis, quia eſt intrinſecè mala, nec vlla de cauſa cohoneſtari poteſt, cùm ſit deſtructio Confeſſionis. Sigillum verò naturale licitè aliquando violari poteſt propter metum mortis etiam firmatum cum iuramento, quia nullum ſecretum, ſeu promiſſorium iuramentum cedens in damnum tertij, eſt obligatorium. Et eo magis in damnum communitatis, & Reipublicæ, quia ordine Charitatis bonum commune præferri debet vitæ temporali propriæ, & bono priuato. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 11. art. 1. ad 1.*

ARTICVLVS V.

An Sacerdos ex auditis in Confeſſione cognoſcat parari ſibi inſidias, & mortem, poſſit fugam capere ſine fractione ſigilli Confeſſionis?

1. ℞. Sic, quia fuga ex ſui natura eſt indifferẽs, & poteſt multis ex cauſis oriri, cùm peccatum aliundè manifeſtum, & cognitum habet.

2. Sed ſi ea ſequuta pœnitẽti periculum vitæ immineat? Sũt qui dicunt fugiendo non violare, quia ius naturæ ipſi permittit, vt vitam propriam alienę anteponat. Sed cõtrarium probabilius videtur, quia ex ſcientia Confeſſionis ſequeretur dãnum pœnitenti, & Confeſſio fieret odioſa.

3. Et ſi de facto pœnitẽs occidatur, Sacerdos fugiens non incurrit irregularitatem, quia neceſsitas ineuitabilis fugæ excuſat ab irregularitate ob deformitatem inde ortam. *ità in Clement. ſi furioſus de homicid.*

4. Itẽ Confeſſor ſolitus confiteri alteri, quem in Confeſsione nouit non eſſe Sacerdotem, abſtinendo à Confeſsione illi facienda, non frangit ſigillum, quia nullus pudor, & damnum ſequitur pœnitenti, ſed hoc potius laudi, & prudentiæ Confeſſori aſcriberetur. Ita etiam Sacerdos poteſt relinquere Miſsã occaſione aliundè accepta, ſi in Confeſsione nouerit vinum Sacrificij eſſe paratum veneno infectum, quia Confeſſor vtitur iure ſuo, nec incommodum pœnitenti, nec Confeſſio odioſa. Neque violat ſigillum Confeſſor dicẽs ob publica latrocinia damnatum, *benè confeſſum fuiſſe peccata ſua*, quia ſolùm colligitur, quòd latrocinia eius antè cognita, illa confeſſus eſt. Neq; etiam violat, dum admittit ad Confeſſionem, & Euchariſtiam concubinarium, ſi concubina deuenerit in cognitionem, illum cõfeſſum fuiſſe peccatum fornicationis cum illa habitum, quia aliunde peccatũ tale manifeſtum habet.

5. Item Confeſſor noſcens in Confeſſione parari ſibi malum, licebit ſub alio prætextu malum impedire abſque violatione ſigilli, quamuis malefactores comprehendantur in delicto, quia ille alius prætextus non eſt ſignum ad ſignificandum aliquod peccatum eſſe confeſſum.

6. Tandem Sacerdos ſciens ex Confeſſione famulum ſuum eſſe furem, non poteſt ex ſola ſcientia Confeſſionis ipſum dimittere, quia inde ſequeretur pudor, & damnum pœnitenti, ſed poteſt fieri cautior ad proprias res cuſtodiendas.

A R-

ARTICVLVS VI.

An Confessor capitularis, cùm suffragium in electione Prælati dat, illud idcircò pœnitenti denegare possit, quia eum ex sola confessione scit esse indignum?

1. ℞. Non, quia debet ita se habere, ac si nihil de eo numquam audisset.

2. Obligatio sigilli Sacramentalis propriè, & strictè accepti obligari Sacerdotē, magis principaliter, & primò ne confessionem peccati reuelet ijs, quibus est ignotum. Secundò ratione eiusdem sigilli amplè accepti obligat, licèt non tam grauiter, vt peccatum ex sola confessione cognitum etiam corā ipso pœnitente, alijsq; personis illius notitiam habentibus occultum seruet. Tertiò, vt quicquam agat ex notitia cōfessionis, quod graue sit, & damnū afferat pœnitenti.

3. Vnde Sacerdos Prælatus sciens in confessione pœnitentem subditum malè fungi officio suo, non potest de tali officio priuare, etiam si absit periculum suspicionis, cùm Prælatus soleat arbitratu suo aliquē amouere, quia pœnitens probabili suspicione fieri potest propter peccata quæ confessus fuerit, & confessio grauis, & odiosa. Et sic non potest vti ad externam gubernationem de peccatis comparatis generaliter ex cōfessione. Neque Prælatus potest remouere, denegare, & impedire à cōsequendis ordinibus, Sacramentis, Officijs, dignitatibus ex notitia, quam de eorum peccatis in confessione habuit, quia aliàs pœnitentes arcerentur à confessione facienda, & fieret onerosa. ita *Clemens VIII motu proprio.* Sed probabile est posse vti notitia comparatiua ex sola confessione, vtendo illa, si non operatur aliquid cum periculo reuelationis sigilli, nec vllo grauamine, & in præiudicium pœnitentium, quia pœnitenti honori, & commodis illius non præiudicat.

4. Tandem si pœnitens cōfiteatur Sacerdoti se cum pluribus conspirasse ad ipsum occidendum, vel aliquod maximum damnum Monasterio inferendum, potest eidem denegare ensem, aut alia instrumēta, si ab ipso petantur, si absit omne periculum reuelādi peccatum, quia confessio non redditur odiosa, nec ab illa peccatores detraherentur.

ARTICVLVS VII.

An Sacerdos reuelans peccatum non ipsius pœnitentis, sed complicis, peccet contra sigillum cōfessionis?

1. ℞. Sic

1. ℟. Sic, quia idem incōueniens eſt ex reuelatione complicis, & pœnitētis.

2. Vnde complex nō poteſt concedere facultatem confeſſori, vt de peccato ipſius cum ipſomet cōplice loquatur, quia conſequenter reuelaretur peccatum pœnitentis. Et cùm cōfitens reuelat perſonam complicis ad integrandam ſuā confeſſionem, totum hoc pertinet ad ſigillum confeſſionis; aliàs ſi facultas loquēdi cum complice non ſit de integritate confeſſionis pœnitentis.

3. Verùm confeſſor ſciens extra confeſſionem peccatum alicuius pœnitentis, ſi de eo nō ſe accuſat, poteſt, & debet examinare, tamen negantem abſoluere debet, quia in foro cōſcientiæ credendum eſt pœnitenti, ſicut contra ſe, ita & pro ſe. Sed confeſſor peccati commiſſi certus, & ſcit non eſſe per confeſſionem expiatum, conſequenter dum negat non eſſe diſpoſitum, tunc abſolutionem negare debet, quia tunc aliàs fieret apertè iniuria Sacramento Pœnitentiæ. Sed ſi non certò nouit pœnitentem eſſe diſpoſitum, debet abſoluere, quia fortaſſe rationabiliter pœnitentem tale crimen in confeſſione non aperire.

4. Sed ſi ſcientia confeſſionis procedit ex auditis vnius complicis peccatum, & alter non fatetur, debet generatim, & ſpeciatim ex induſtria interrogare, aliàs negantem debet abſoluere, quia reputare debet, vel primum complicem fuiſſe fortaſſe mentitum, vel iſtum ſecundum ex cauſa excuſante negare, quia timet ſibi vel alteri graue detrimentum.

ARTICVLVS VIII.

An Confeſſor poſſit obligare pœnitentem, vt ſibi reuelet perſonam complicis intuitu correctionis?

1. ℟. Non, quia homo tātùm tenetur confiteri propria peccata cum ſuis circumſtantijs, & correctio nō debet impleri ſcientia confeſſionis. *ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de pœnit.*

2. Vnde nullo modo eſt licitum in confeſſione detegere tertiam perſonam intuitu correctionis, vel denunciationis iudicialis, vel ad bonam gubernationem, quia licèt pœnitens poſſit dare facultatē, vt de proprio peccato audito in confeſſione loqui poſſit extra confeſſionem, non tamen de alieno, ſcilicet complicis. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 11. art. 4.*

3. Verùm non eſt abſoluendus pœnitens, qui tenetur ad correctionem, vel denunciationem, ſi id facere neget confeſſori

ſori, quia tenetur ad prædictas actiones. Sed ſi pœnitens non poteſt, vel neſcit procedere ad prædictas actiones, debet extra confeſſionem palam facere delinquentem vel confeſſori, vel alteri, qui poſſit, & ſciat corrigere, vel denunciare, vel bono communi prouidere, quia naturale ius obligat ſcientem talia delicta, vt quærat naturalia media, quibus ad prædictos fines perueniatur.

4. Sed ſi res ipſa in tales anguſtias redacta ſit, vt nulla alia perſona inueniatur idonea ad tales prædictas actiones, niſi ſolus Sacerdos, tunc non repugnat ſecreto confeſſionis, vt confeſſor obliget pœnitentem, vt ſibi reuelet extra confeſſionem tertiam perſonam corrigendam, quia qui tenetur ſub culpa mortali ad corrigẽdum, vt eruat aliquem à culpa mortali, vel ad denunciandum aliquem ad boni communis conſeruationem, vel ad defendendum aliquem innocentem, ſi per ipſum hoc immediatè facere non valet, nec poteſt, nec ſit tantæ authoritatis, debet homini bono, & prudenti manifeſtare, vt hoc idem exequatur. Et ſi talis non ſit, niſi cõfeſſor, pœnitens poteſt, & debet illi hoc munus committere, cum hoc tamen, quòd ex tali modo procedendi non ſequatur ſcandalum, in quo Sacramenti Pœnitẽtiæ ſecretum violari poteſt, & à confeſſione facienda fideles arceantur, quia hoc inconueniẽs adeò præponderat, vt quando aliter correctio facienda fieri non poteſt, relinquenda eſt.



DIS-

DISQVISITIO XXXVII.

De Ministro Confessionis Sacramentalis.

ARTICVLVS I.

An solus Sacerdos sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

1. R. Sic; quia soli Sacerdoti data est potestas à Christo absoluendi peccata virtute clauium, & est de fide. *ita Concil. Florent. in tract. de Sacram. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. & D. Tho. 3. p. in addit. q. 8. art. 1.*

2. Nota, quòd nomine clauis intelligitur potestas collata Sacerdoti, per quam constituitur minister Sacramenti Pœnitentiæ, qua tollitur impedimẽtum intrandi gloriam cęlorum. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 17. Art. 3.* Quæ clauis potestas est duplex, scilicet ordinis, & iurisdictionis. Clauis ordinis est character, idest quoddam signaculum collatum Sacerdoti, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel alijs tradendum ea, quæ sunt diuini cultus, & subiectatur in intellectu, quia diuinus cultus in quibusdam actibus consistit. *ita D. Tho. 3. p. q. 63. art. 2.* Clauis verò iurisdictionis est quædam potestas, quam habet Sacerdos in sibi subditos in foro pœnitentiæ, quia absolutio à peccatis est actus iudicialis.

3. Vnde non omnis Sacerdos per se loquẽdo est sufficiẽs minister Sacramenti Pœnitentiæ, quia non omnes habent iurisdictionem ordinariã, vel delegatam.

4. In tribus tamen casibus quilibet Sacerdos ex perpetua Ecclesiæ consuetudine iurisdictionem habent absoluendi à peccatis. Primò, super venialia tantùm. Secundò, super mortalia, à quibus pœnitens antè legitimè absolutus fuit. Tertiò, in mortis articulo, & periculo, super omninò peccata. Cum hoc tamen, quòd primam, & secundam aufert Ecclesia Sacerdoti excommunicato, denunciato, vel notorio clerici percussori; tertiam non aufert, licèt possit auferre, vt non impediat propter huius Sacramẽti necessitatem.

5. Hanc facultatem habent Sacerdotes à iure diuino deriuatam

uatam à Papa, sic dispositam à Christo, qui voluit regimen suæ Ecclesiæ esse Monarchicũ, & in vno, & ab vno Summo Pontifice ex eius saltem tacito cõsensu dependere. Et facultas absoluendi in articulo, & periculo mortis est absoluta, & extenditur etiam ad absoluendum de reseruatis habentibus annexam censuram, quo periculo elapso, tenetur se præsentare coram Superiore, non ad absoluendum de nouo, sed vt ostendat se obedientem paratum ad maiorem pœnitẽtiam, aliàs sub pœna reincidentiæ, quia elapso illo periculo ab illis fuit directè absolutus. *ita cap. eos, qui de sentent excomm. in 6.*

6. Rursus iurisdictio in Pœnitentiæ foro duplex. Alia ordinaria, quæ alicui competit ratione officij, quo fungitur, vt Papa, maior eius pœnitentiarius in omnes fideles. Episcopus, & eius Vicarius perpetuus in omnes subditos suæ diœcesis tàm clericos, quàm laicos. Item Prælati exempti comparatione suorum subditorum. Item Parochi in omnes suæ Parochiæ. Item ex præscripta consuetudine Cardinales ordinariam iurisdictionem exercent in suos familiares, vt cum licentia Cardinalis, cuiq; Confessario exposito confiteri possint. Neq; Reges, & Duces eximuntur à iurisdictione ordinaria, vbi illi sedẽ fixã habẽt, si aliàs scripto aliquo iure: quãuis quo ad Sacramentum Pœnitentię Pontificio diplomate, vel præscripta consuetudine licentiam obtineant quemuis approbatum Confessorem eligendi. Alia vero delegata, quæ alicui cõpetit ex cõmissione Ordinarij.

7. Verùm ante Concil. Trid. ex consuetudine omnium Ecclesiarum omnis simplex Sacerdos etiam non approbatus confitebatur, siue eiusdem, siue alienæ esset diœcesis, Prima scilicet consuetudo de non approbatis fuit sublata à Concil. Trid. Secunda scilicet non, imò est de iure. *ita cap. de translat. Prælat.* Vnde Sacerdos approbatus in aliqua diœcesi potest audire Cõfessiones omniũ illius diœcesis ad ipsum venientium etiã si ad ipsum accedant animo vitãdi proprium Parochum, quia talis Sacerdos iurisdictionem habet absoluendi omnes illius diœcesis ad se venientes. Non autem ad se venientium alienæ diœcesis, nisi fortè habeat facultatem à Sede Apostolica, vel à legitimo Superiore, quia aliàs non habet authoritatem absoluendi extraneos. Sed benè Episcopus, Parochus, aut alter Sacerdos aliàs habens iurisdictionem in aliquẽ, quo ad forum Pœnitentiæ potest eumdem audire extra diœcesim in qua fuit approbatus, quia iu-

iurisdictio, quæ absque strepitu iudicij exercetur, vt iudiciū Pœnitentiæ potest extra territoriū, & diœcesim exerceri. *ita cap. omnis vtriusq;* ita Regulares expositi in illa diœcesi tātū; nō tamen putāt se vbi semel præsētati sūt esse totius Orbis Confessores.

ARTICVLVS II.

An sit necessarium, quòd homo confiteatur proprio Sacerdoti?

1. ℞. Sic, quia est de fide. *ita Concil. Florent. in Tract. de Sacram. ita cap. nullus dicitur 9. q. 2. ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 8. art. 2. ad 3.*

2. Sacerdos proprius, seu ordinarius largè sumptus ille dicitur, qui in foro Pœnitentiæ habet iurisdictionem, siue ordinariam ex officio, siue delegatam ex commissione. Sacerdos verò ordinarius strictè sumptus ille dicitur, qui in eodem foro habet iurisdictionē ordinariā, siue particularem, vt Parochus in sua Parochia, siue generalē, vt Episcopus in sua Diœcesi, & Papa in vniuerso mundo. *ita cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* Vnde propriè non est idem ordinarius, & proprius Sacerdos, quia ordinarius addit supra proprium Sacerdotē non solùm iurisdictionem ad ad absoluendum à peccatis, sed etiam ad exercenda alia officia spiritualia in foro exteriori. Et sic Parochus non est propriè ordinarius, quia non habet iurisdictionem in foro exteriori, sed est proprius Sacerdos ratione officij, quia nō ex commissione cōuenit sibi cura animarum, & ministrare Sacramenta.

3. Verùm habentes domicilium non solùm possunt confiteri Parocho, qui est proprius Sacerdos loci illius, sed alijs in ea diœcesi approbatis, quia praxis est, vt huiusmodi Sacerdotes in hac parte vicem gerāt Parochi. Sed habentibus duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diuersa anni parte, possunt vtrique Parocho, & Sacerdotibus in illis approbatis confiteri, quia iurisdictio in foro Pœnitentiæ non sequitur actualem habitationem, sed domicilium. Atque adeò ei tenentur confiteri, & in illa Ecclesia debent communicare in Paschate, quia aliàs oriretur confusio, cui tenerētur obedire. Sed habentes domicilium in vno loco, & in alio quasi domiciliū, idest, non fixam habitationem, vt sunt scholastici, milites, litigantes, mercatores subijciuntur Parochis illorum locorum, in quibus habitant, quia consuetudo iurisdictionem conferre potest ratione taciti consensus, cùm censetur approbare, ne tales Sacramentis valdè necessarijs carerent.

4. Si-

4. Similiter vagi, qui nullum habēt domicilium, possunt cuicunq; Parocho, vel approbato Sacerdoti confiteri, quia isti vbique sortiuntur forum, & possunt pro delictis alibi commissis puniri, ita & forum conscientiæ. *ita gloss. L. hęres absens verb. debebit. ff. de iudicijs.* Ita etiā peregrini, & viatores, ad quem locum peruenerint, quia non debent diu abstinere à Sacramento tàm necessario. Imò isti possunt absolui à reseruatis in propria diœcesi, si in ea vbi cõfitentur, reseruata nō sunt, quia isti iudicantur secundùm leges, & consuetudines diœcesis, ad quam deuenerint. Sed non qui solùm ad hunc finem iter agũt, scilicet euitandi gratia propriũ Parochum, vt à reseruatis absoluantur, quia fraus, & dolus nemini debet suffragari. Et si peccata, quæ confitentur bona fide in aliena diœcesi, ibi reseruata sint, non tamen in sua, debent absolui à Sacerdote potestatem habēte à reseruatis, quia debent absolui secundum consuetudinem diœcesis, in qua se submittunt.

5. Tandem Regulares Mendicantium expositi possunt audire Confessiones vndequaq; veniētium, etiam si debita opera ad illos accesserint, quia habent hoc priuilegium à Sede Apostolica. Sed tali priuilegio non comprehenduntur Religiosi, quibus secũdùm propria statuta extra suum ordinē, vel alteri, quàm illi, quem Pręlatus ad hoc munus destinauit, confiteri permissum est, quia priuilegium generale non censetur derogare consuetudini, vel statuto particulari, nisi exprimatur. Verùm Regulares vltra approbationem ordinarij requiritur scientia, & licentia Prælati ordinis, aliàs licitè vti non possunt, quia in omnibus à Prælatorum suorum voluntate, & imperio dependent; tamen absolutiones sunt validæ, quia omnia requisita ad ministrum huius Sacramenti adsunt, scilicet Ordo Sacerdotalis, approbatio Episcopi, & iurisdictio delegata. Excipe, nisi in Religionibus recepta sit constitutio Iulij III. facta ad instantiam Generalis Ordinis Prædicatorum, vbi huiusmodi absolutiones irritæ declarantur.

ARTICVLVS III.

Quis Sacerdos possit audire Confessiones Religiosorum?

1. ℟. quòd Pręlatus illorũ, vel cui ipse dederit facultatem, quia dum habent iurisdictionem ordinariam supra suos subditos, possunt illam ad libitum intus, & extra delegare.

2. Verùm iure communi

Religiosi vnius Prouinciæ cõfiteri nõ possunt cum Religiosis alterius Prouinciæ, quia Sacerdos subditus vnius diœcesis non potest cõfiteri cum Sacerdote alterius diœcesis. Tamen ex priuilegio mendicantium habent per participationem, etiam si à suis Prælatis licentiã non petant, quia *ita concessum est Franciscanis, & Dominicanis.* Et si habent authoritatem passiuã, vt possint absolui à casibus reseruatis, siue sit concessa à Generali, siue à Prouinciali, siue à Superiore locali; poterunt confiteri, & absolui à quouis sui Ordinis Confessore, etiam à reseruatis. Si verò habent authoritatem actiuam à reseruatis, si à Generali, potest vti cum omnibus fratribus sui Ordinis; si à Prouinciali, cum fratribus illius Prouinciæ, & etiam hospitibus ad eam venientibus; Si à Prioribus, & Superioribus localibus, cũ fratribus, & hospitibus illius loci, *quia ita Gregorius XI. & Clemens IV.* Et talis potestas Superiorum est delegabilis alijs Sacerdotibus in ordine expositis, quia talis potestas ex priuilegio perpetuo concessa est, quasi iurisdictio ordinaria, & cõsequẽter delegabilis.

3. Et sic Religiosi hospites, si vbi declinauerint, sit casus reseruatus, qui tamen non est reseruatus in loco, à quo discesserunt, tenentur ad illum casum reseruatum, & non possunt absolui, nisi ab habente potestatem, quia hospes iudicatur secundùm consuetudinem eius, in quo iudicio in foro Pœnitẽtiæ se submittunt.

4. Sed Religiosi tales habẽtes casum reseruatum, siue iusta causa, siue data opera accedentes ad locum, vbi talis casus reseruatus non est, possunt absolui à quolibet Sacerdote eiusdem ordinis habente tantũ authoritatem cõmunem, quia ex priuilegio Sixti IV. confessores ordinum mendicantium possunt absoluere omnes fideles cuiuscunque diœcesis iuxta leges, & consuetudines diœcesis, in qua sunt expositi, etiã si ad ipsos data opera accedãt, eo magis, & proprios Religiosos hospites.

5. Rursus Religiosi itinerãtes, vel existentes extra conuẽtum cum licentia saltem præsumpta suorum Prælatorum, possunt absolui à Religiosis cuiuscunque ordinis expositis à suis Prælatis, etiam non approbatis ab Episcopis, quia in Cõcil. Trid. *sess. 23. cap. 15. de reform.* pro Religiosis nihil innouatur. Verùm nullus Religiosus siue localis siue hospes, siue extra conuentum suum degẽs, siue sui ordinis, siue alterius Religionis potest confiteri Religioso non exposito à suo Prelato, quia licèt ante Concil. Trid.

Trid. Sacerdotes sæculares poterint sibi eligere confessorem quemlibet simplicem Sacerdotem, nunquam tamen Sacerdotes Regulares, cùm hæc fuit consuetudo semper obseruata à Religionibus bene ordinatis, Sed in licentia data Religioso itinerandi, virtualiter clauditur licentia confitendi à quocunque Sacerdote exposito in aliquo ordine, vel Episcopo; non potest tamẽ etiam cum expressa licentia confitendi, cui velit, absolui à reseruatis, quia in cõcessione generali non veniunt ea, quæ specialiter si peterentur, non essent concedenda, *ita cap.final.de procuratoribus.* Imò Religiosus expositus à suo Prelato, licèt possit absoluere quẽcumq; Religiosum subditum sui ordinis vbiq; terrarum, non tamen à reseruatis, nisi specialiter tradetur, quia debet iudicare iuxta facultatem sibi traditã.

6. Tandem Regulares Sacerdotes nunquam admissi ad audiendas cõfessiones possunt absoluere alios Relugares sui Ordinis vbiq; habentes solùm peccata venialia, quia cùm iure diuino ea confiteri non teneantur, vnusquisq; Sacerdos potest ab eis absoluere, si à pœnitente eligatur. Sed semel admissi etiam modo non deputati, vbiq; confessiones fratrum sui Ordinis audire possũt, quia *ita ex priuilegio mendicantium.*

ARTICVLVS IV.

An Nouitij teneantur confiteri Confessori illis à Superiore assignato, ita quod mutando, non teneat absolutio?

1. ℞. Non, quia non sunt veri Religiosi, nec Prælatorum Religionis subditi, cùm non sint Religiosi quò ad onera, sed solùm quo ad honores.

2. Vnde secundùm ius cõmune possunt Nouitij nõ professi eligere confessorem etiam subreptitiè, & ab eo absolui à casibus reseruatis in Religione, aliàs in sæculo non reseruatis sine periculo peccati mortalis, quia cùm nõ sint veri Religiosi non tenentur lege coactiua sub pęna peccati mortalis, sed ad pœnam eiectionis à Religione. Et tales confessiones erunt validæ, quia talis Sacerdos tunc est proprius confessor eorum. Et sufficit, quòd confessor sit approbatus pro Religiosis à suo Prælato, quia confessor tantùm expositus a Prælato sui Ordinis ex priuilegio Summorum Pontificum non potest limitari à superioribus Religionum, cùm hoc priuilegium sit fauorabile, illo gaudẽt etiam Nouitij nõ professi, sicut & professi.

3. Verùm tales Nouitij in ali-

aliqua Religione approbata si incidũt in casus reseruatos Papæ, vel Episcopo loci, in quo degunt, possunt absolui à Prælatis Religionis, cuius habitum susceperunt, si talis Religio habeat priuilegia, quæ concedũt, vt Regulares possint absolui à suis Prælatis ab omnibus reseruatis à iure, & ab homine, quia Nouitij in materia fauorabili inter Religiosos computantur, & posse absolui à reseruatis, est quid fauorabile.

4. Imò tales Nouitij gaudẽt priuilegio fori, ideò conueniri non possunt coram Iudice sæculari, neq; Ecclesiastico, quia dum permanent in probatione, exemptus est Nouitius à quacunque alia iurisdictione. Gaudent etiam priuilegio canonis, quia ipsos quis percutiens innodatur sententia excommunicationis. *ita cap. si quis suadente*. Sed committens peccata in Religione reseruata superioribus, non possunt validè absolui à cõfessore tantùm à Prælato Religionis approbato, quia tales communiter non habent talem facultatem absoluendi à reseruatis.

5. Ideò Nouitij non professi minimè tenentur ad præcepta Superiorum, & statuta Religionis obligantia sub peccato mortali, quia non dum in Religiosorum sodalitium sunt perfectè admissi. Nec possunt excommunicari à Prælatis Religionum, quia non sunt admissi in corpus Religionis, tamquã membra illius. Nec à proprio Episcopo, quia ab eius iurisdictione sunt omninò exempti.

6. Itẽ quando Pontifex cõstitutione, vel præcepto aliquo interdiceret aliquid sub pœna excommunicationis, si Nouitius id præceptum violaret, posset superior Religionis eum punire, fulminando sentẽtiam illam à Pontifice comminatam transgressoribus, quia dũ Nouitij manere volunt in Religione, superior est legitimus Iudex ad imponẽdas pœnas eorum delictis condignas.

7. Sed Nouitij professi debent confiteri tãtùm confessori pro illis à Prælatis nominato, quia debent seruare statuta Ordinis, & Religionis, quam profitentur. Sed si confitentur alijs, adhuc absolutiones sunt validæ, quia statuta Religionis nõ possunt restringere priuilegia à Papis cõcessa, vt cuiu suis Ordinis Sacerdoti confiteantur, etiam quòd à suis Prælatis licẽtiam non petant.

ARTICVLVS V.

An Prælati Regularium Mendicantium possint sibi subditos absoluere à casibus Papalibus?

1. ℟. Sic

1. R. Sic, quia hoc conceditur Episcopis ex Conc. Trid. *sess.24.cap.6.de refor.* *Et Pius V.* Prælatis Regularium Mendicantium.

2. Vnde Episcopus, & omnes Superiores locales Ordinũ Mendicantium possunt dispensare in inhabilitatibus cõtractis ob delictum occultum cum suis subditis, quia habent facultatem absoluendi suos subditos ab omnibus censuris, & pœnis, etiam Sedi Apostolicę reseruatis, & consequenter inhabilitatibus. Quam etiam possunt alteri committere, quia Congregatio Cardinalium Concil. Trid. sic declarauit. Et sic Episcopus, Prælati Religionum, & idem Papa possunt secummet dispensare in omnib⁹, quibus possunt cum suis subditis, quia idem secũdùm diuersas rationes potest esse agens, & patiens respectu sui ipsius, cùm huiusmodi actus non requirat veram personarum distinctionem. *ita D. Thom. in 4. dist.20. q.1. art.1. quæstiunc.4. ad 3.* Non tamen possunt seipsos excommunicare, quia nemo potest iurisdictionem in se exercere cogendo seipsum. Neq; potest seipsum in Sacramento absoluere, quia est actus personalis distinctus vnius ad alterum. Sed potest valens cõferre Indulgentias, quia talis actus, cũ nõ sit coactiuus, non requirit distinctionem.

3. Similiter etiam habentes potestatem delegatam dispensandi cum aliqua communitate in vniuersum, cuius ipsi sunt pars, possunt in his omnibus secum dispensare, in quibus in illa possunt, quia aliàs essent peioris conditionis, quàm cęteri. Sed si habent limitatam dispensandi potestatem cũ certo numero personarum, quamuis hę non exprimantur, nequeunt secum dispensare, quia cùm sit ad certum numerũ præscripta, non videtur mens cõcedentis, vt in eo comprehendantur ipsi delegati.

4. Item prædicti Prælati Regularium vi suorum priuilegiorũ possunt absoluere suos subditos Religiosos, & Nouitios ad reincidentiam, si non profitentur, ab omnibus censuris extra Bullam cœnæ, etiam incursis ante ingressum Religionis, quia concessis casibus, & censuris Papæ reseruatis, cõsequẽter conceduntur censuræ aliorum inferiorum, ita Clemens IV. concessit fratribus Minorum, & per participationem omnibus Prælatis Mendicantium. Et ab illis non solùm quando sunt occultæ, sed etiam publicæ, & deductæ ad forum cõtentiosum, quia priuilegium sine restrictione concessum, à nobis limitandum non est. Quæ facultas numquam fuit derogata, sed semper à Papis cõfirmata.

mata. Et à Clemente VIII. fuit derogatum prouilegium non quo ad absolutiones Regularium, sed tantùm quo ad sæculares personas.

ARTICVLV VI.

An hæc absolutio à censuris concessa Superioribus Mendicantium valeat in vtroq; foro, scilicet interiori, & exteriori?

1. ℞. Sic, quia cùm nulla sit restrinctio, gratia est amplianda. *ita cap.2. de sentēt. excomm. in 6. & cap. ex parte 23.*

2. Solùm Pius V. restrinsit nō suffragari in foro exteriori, nisi satisfacta parte, si opus fuerit, quia aliàs parti fieret iniuria, quæ difficiliùs posteà obtineret satisfactionem.

3. Verùm quando excommunicatus est impotens ad satisfaciendum in toto, vel in parte, vt licitè absoluatur, debet præstare cautionem pignorataratoriam, aut fideiussoriam, vel si nil eorum possit, saltem iuret, quòd statim ac poterit, satisfaciet, quo facto, poterit in vtroq; foro absolui etiam inuita parte, quia dum non est contra mentem Ecclesiæ, & rationem censuræ, cùm reus, cessante omni contumacia, paratus est ad omnem satisfactionem. *ita cap. qua fronte 23. de appellat.* Maximè quando absolutio differri non potest per multùm temporis sine graui dāno pœnitentis, quia mēs ferentis excommunicationis sententiam est, ne diutiùs cum graui damno pœnitentis differatur censuræ absolutio.

ARTICVLVS VII.

An Prælati Regularium possint cum suis subditis dispensare in irregularitatibus, si quam, vel si quas contraxerunt?

1. ℞. Sic, quia Paulus V. in priuilegio *edito 1609.* confirmauit, & innouauit pro vtroq; foro Minoribus omnia priuilegia concessa. Et idem decreto *edito 1612.* voluit in suo robore manere omnia priuilegia quomodolibet à prędecessoribus etiam per viam cōmutationis Sacro Ordini Prædicatorum concessa. Et in istis præcipuè datur facultas posse absoluere etiam simoniacè malè promotos, vel promouentes. Quod Clemens VIII. voluit, quòd pœnę contentæ decreto Sixti V. cum ista reseruatione habeant locum, & robur, & reduxit ad terminos iuris Concil. Trid. & ad Constitutionem Pij II.

2. Vnde Prælati Regularium possunt in foro exteriori sibi subditos priuatos ab Officijs, & inha-

inhabiles p cõstitutiones Apostolicas ob grauia crimina, restituere, si aliàs Papa non reseruat sibi talium dispensationem, quia Episcopi possunt dispensare cum suis subditis, ita & Prelati mendicantium, cùm habeãt iurisdictionem quasi Episcopalem. Similiter Generales Ordinum possunt cum sibi subditis dispensare, aliàs ad ordines malè promotis, etiam dum erant in sæculo, vt ministrent in ordinibus malè susceptis, & vt vlterius ad ordines promoueantur, quia Honorius III. *Bulla* 5. ita concessit Genarali Prædicatorum.

3. Item Prælati Religionum possunt cum suis subditis dispẽsare in irregularitatibus contractis, vel ex delicto violandi censuras, vt scilicet innodatus censuris celebrat, vel suscipit ordines, fit irregularis ex delicto violandi censuras, dummodo istæ censuræ sint latæ à iure, vel ab homine generaliter, & non specialiter contra istum, quia *ita concessit Clemens IV.* Imò non solùm cum suis subditis & hospitibus, sed etiam Nouitijs siue prius, siue post ingressum Religionis, siue ex delicto occulto, aliàs non deducto ad forum contentiosum, cum hoc concedatur Episcopis in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* siue ex delicto notorio, quia concessio Sixti V. est sine limitatione, ideò non est restringenda.

4. Verùm Prælati Regularium non possunt dispensare cum suis subditis maximè Nouitijs, si ab aliquo Iudice per sẽtentiam particularem specialiter, & nominatim talibus censuris fuerint constricti, & celebrando incurrunt irregularitatem, quia priuilegium Clemẽtis IV. & Sixti IV. intelligitur de censuris vel à iure, vel à Iudice generaliter tantùm prolatis, & incursis. Secus particulariter, & nominatim, cùm in priuilegio Sixto IV. additur, *quòd si Nouitij huiusmodi sententijs propter debita sint adstricti, satisfaciant.*

5. Rursus Religiosi mendicantium etiam Nouitij, cum animo tamen profitẽdi, possunt dispensari semel in vita in omni irregularitate (exceptis ex homicidio, & mutilatione voluntaria prouenientibus) per quemcunque Confessorem in suo ordine approbatum, & ab eis electum, audita prius Confessione, quia *ita concessit Minoribus Sixtus IV.* Quamuis Papa non excipiat in suo priuilegio irregularitatem ex bigamia prouenientem, tamen pro excepta debet semper haberi, quia grauior est cæteris ad dispensandum.

6. Item Generales, & Prouinciales Ordinum Mendicantium

Tt

tium possunt dispensare cum suis subditis irregularitatib. ex homicidio casuali, & ex homicidio facto causa defensionis in utroque foro, quia *ita concessit Sixtus IV. absque restrictione Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum*, (excepta ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum.) Sed Prouinciales licet possint in hoc dispensare cum suis subditis, nõ tamen hospitibus alterius Prouinciæ, quia dispensatio loquitur cum suis subditis, & non cum fratribus ad eum declinantibus. Quamuis Prouinciales, Priores, & Superiores locorum istis hospitibus per obedientiã, & per sententiam excommunicationis possint præcipere, & quæ necessaria præcipienda viderint expedire.

7. Item Prælati Regularium possunt dispensare in foro conscientiæ in irregularitate contracta ratione homicidij voluntarij, vel truncationis membrorum, vel enormis effusionis sãguinis, dum tamen aliquid horum trium sit occultum, & non notorium, & hoc propter scandalum, quia *ita concessit Martinus V. Priori Monasterij Diui Benedicti Vallisoleti, simile etiam concessum à Iulio II. Societati Iesu.*

8. Nota tamen, quòd vi præcedentis priuilegij Martini V. per participationem non solum Generales, & Prouinciales, sed etiam Priores, & Superiores locales Ordinum Mendicantium dispẽsare possunt cum suis subditis in foro conscientiæ super omni irregularitate etiam contracta ex homicidio volũtario, occulto tamen, quia cùm sit cõcessum Priori Vallisoleti intelligitur omnib. Superioribus per participationem. Ideò mortuo, vel amoto Priore adhuc in superiore superestite manet, quia non dignitati, vel officio conceditur hoc priuilegium, sed in fauorem animarũ, cùm sit gratia. Nec obstat Concil. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* quia priuilegium sic cõcessum nullo modo abrogatur, nisi fiat de illo specialis mentio, & abrogatio.

9. Hinc est, quòd Prælati Regularium, dum possunt dispensare cum suis subditis in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentiosum deducto, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, maiorem habẽt authoritatẽ erga suos subditos, quàm Episcopi in suos diœcesanos, quia hoc Concil. Trid. Episcopis limitauit, & Sixtus IV. concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum ample in omni.

10. Sed Prælati Regularium non possunt dispensare cum

suis fratribus infamia iuris maculatis in iudicio cōdemnatis, quia sicut isti non possunt dispensare super irregularitate proueniente ex enormi corporis vitio propter scandalum, & indigent dispensatione Papæ; ita neq; cum infami iuridice damnato propter scandalum.

11. Verùm Generales, & Prouinciales possunt dispensare cum suis subditis, si aliquam infamiam ex delicto notorio ex notorietate facti contraxerint, quia cum istis potest Episcopus, ac & Generales, & Prouinciales Mendicantium.

12. Nota, quòd aliud est esse infamatum, & aliud esse infamem. Infamatus est, cùm quis est publicè accusatus de aliquo delicto, sed non dum est tūc conuictus illius criminis, nec confessus, nec crimen est notorium notorietate facti, & talis restituitur in integrum per canonicam criminis purgationem, scilicet per solum iuramētum ipsius infamati coram suo Iudice, vel per iuramentum testium compurgantium, *ita cap. si quis de purg. can.* & talis dum durat infamia, licèt non sit ordinandus, non tamen est omnino ab ordinibus expellendus. Infamis verò ille est, qui crimē est confessus in iudicio, vel de eo conuictus, vel à Iudice tamquam infamis iudicatus, vel crimen enorme ita notorium, vt nulla tergiuersione celari possit. Et quia irregularitas nō incurritur, nisi sit in iure expressum, cum in iure tantum homicidium voluntarium occultum incurratur, consequenter citra hoc delictum in nullo alio quantumuis enormissimo delicto occulto incurritur irregularitas.

13. Crimina in iure depositione digna sunt adulterium, & cætera peccata carnis eo maiora; homicidium, blasphemia, periurium, sacrilegium, maleficium, hæresis, simonia, concubinatus, seu fornicatio diù continuata, incestus etiam cum filia spirituali, quę licèt enormissima sint, tamen occulta, non incurritur irregularitas, quia in iure tantùm notorium sit expressum.

14. Rursus Bigamia est defectus ex secundis nuptijs proueniens, vel est irregularitas defectu Sacramenti proueniēs. Quæ triplex est, scilicet vera, interpretatiua, & similitudinaria. Bigamia vera est status eius, qui habuit, & cognouit duas vxores, vnam mortua altera. Interpretatiua est, quam incurrit, qui fingitur duas habuisse vxores, vt qui contraxit cum vna sola, sed vidua, vel contrahit corruptam per alium. Secus si contrahit cum ea, quam ipse solus cognouit, vel si contraxit cum Virgine, & eam cognouit post-

quam adulterium commisit. Similitudinaria verò, de qua est sermo, est illa, quam incurrit ordine sacro insignitus, vel voto sollemni astrictus cū aliqua contrahens, & consummans. Et hæc tertia Bigamia Prælati Regularium possunt dispensare ad ordines cum sibi subditis Bigamis similitudinarijs, quia cū possint dispensare Episcopi cū suis subditis ex vi Concil. Trid. *loco supra citato*, ita & Prælati Regularium ex Pio V.

15. Item tales possunt dispensare cum suis subditis carētibus aliquo membro non sua causa abscisso, vt non habere oculum dexterum, non autem sinistrum scilicet *oculum canonis*; sine quo non potest decenter legere canonem. Item non habente aliquod digitum, *dum non sit pollex*, quia est necessarius ad celebrandum. Item cum Religioso, vt celebret cum pede ligneo. Sed non cum Religioso habente pudenda sua culpa ab abscissa, cùm in hoc solus Papa dispensat, quia talis vt homicida reputatur. Verùm Episcopo tantùm, & nō superioribus Regularium conuenit iudicare, an Religiosus sit ordinandus, si est corpore vitiatus, quia Episcopus dat ordines, & non superior.

16. Item possunt dispensare cum suis subditis in irregularitate prouenientе ex delicto lenitatis perfectæ, vt Iudex condemnando, & ministri peragēdo ad mortem Rei, vel occidēs in bello iusto, quia prædictę nō sunt cōtra Quintum Præceptū Decalogi, nec dicuntur homicidæ. *ita D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 6. ad 3.* Imò hæ dispensationes valēt in vtroque foro, etiam quod factum sit publicum, quia Sixtus IV. concessit superioribus Regularium posse dispensare in omnibus irregularitatibus absolutè absq; limitatione.

17. Item illegitimi per professionem manent dispensati ad omnes Ordines, & Prælati Regulares dispēsant cum sibi subditis ad Officia, & prælaturas Religionis, quia *ita Sixtus IV. in cap. 1. de filijs præsbyter.* Nec obstat Bulla Sixti V. *contra illegitimos*, quia à Gregorio XIV. fuit moderata, vt in capitulo Generali, vel Prouinciali possit dispensari. Et Paulus V. confirmauit omnia priuilegia præterita per communicationem concessa.

18. Tandem Prælati Regularium possunt absoluere sibi subditos ab excommunicatione contracta per inualidam Ordinum susceptionem, & dispensare in irregularitate, si quā contraxerint, quia *ita concessit Clemens IV.*

AR-

ARTICVLVS VIII.

An Regulares inconsultis suis Prælatis tempore Iubilæi pleuissimi possunt extra suum Ordinem, & validè absolui?

1. ℞. Sic, quia semper in illo specificè tribuit Regularibus hoc priuilegium. *ita Paulus V. in Iubilæo edito* 1617. *ita Vrbanus VIII. edito* 1628. *Sic Gregorius XIII. edito* 1581. *sic tandem Cõgregatio Cardinalium decreuit anno* 1580.

2. Imò tempore Iubilæi Religiosus potest sibi eligere confessorem tantùm in suo Ordine approbatum pro Religiosis, etiã si in Bulla apponatur, quod possint pœnitentes eligere Cõfessorem approbatum ab Ordinario loci, quia superiores respectu Regulariũ dicuntur Ordinarij. Sic intelligitur decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de reform.* Et si voluerit extra suum Ordinem cõfiteri Sacerdoti alterius Ordinis potest eligere confessorem approbatum à suo Prælato, licèt non expositũ ab Episcopo; quia Ordinarius Religiosorum sunt eorum Prælati. Sed si voluerit vi Iubilei confiteri Sacerdoti sæculari, tunc est necesse, vt talis confessor sit expositus, & approbatus à suo Episcopo, quia Ordinarius Sacerdotis sæcularis est Episcopus loci.

3. Similiter Religiosus extra Iubilæum habens facultatẽ à suo Prælato confitendi cuicunque voluerit, potest eligere cõfessorem Regularem approbatum tantùm à suis Prælatis Ordinis, etiam ab Episcopo nõ approbatum, quia ante Concil. Trid. non erat prohibitum, & non est recedendum à iure antiquo, dum nil fuit innouatum. *ita l. præcipimus c. de appell. & cap. de translat. Episcop.*

4. Verùm secũdum aliquos extat opinio, Regulares vi Iubilæi, & Cruciatæ non posse eligere confessorem extra suũ Ordinem, quia in Generali cocessione non est intentio Papæ cõprehẽdere Religiosos vtriusque sexus. *ita Clemens VIII. in Bulla* 9. *edita* 1599. *& Vrbanus VIII. in sua Constit. edita* 1650.

5. Sed probabilis est etiam posse, quia Bulla Cruciatæ est Generalis pro omnibus fidelibus vtriusque sexus absque vlla limitatione, & restrictione, etiã pro Regularibus. Clemens autem VIII. intellexit pro Bullis, & indultis à se concessis, & cõcedendis, non tamen absoluta, & generalis declaratio pro cõcedendis etiam à suis successoribus, cùm Papa non potest restringere, & coercere concessiones per alios Põtifices postmodum faciendas, & ita dicẽdum est de Bulla Vrbani VIII.

Sed circa hoc lege subsequen-

quentem conſtitutionem, cui ſubmitto, cum hucuſq; non cō-ſtat eſſe derogatam, vel ſaltem modificatam, ſcilicet.

Notādum eſt inſuper, quod Vrbanus Octauus nouiſsimè de anno videl. 1630. per ſuam Conſtit. incip. *In ſpecula militātis Eccleſiæ*, innouando, quantū opus ſit, & ampliando conſimilē conſtitut. Clemētis VIII. conſulens felici, & pacifico ſtatui quorumcunque Ordinum Regularium, vbicumque conſtitutorum, declarauit, & voluit, facultatem eligendi confeſſarium in vim sāctæ Cruciatæ, aliorumue huiuſmodi indultorum, & abſoluendi à caſibus etiam in bulla Cœnæ contentis (excepta hæreſi) non habere locum cum Fratribus, & Monialibus quorumcunque Ordinum Congreg. Societatis, & Inſtituti, Mendicantium, & non Mendicantium, vbilibet exiſtētium, etiam ſi ſpeciali mentione, & nota digni eſſent. Sed ijdem Fratres, & Sorores quo ad Sacramentum pœnitentiæ ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quo ad ſibi reſeruata, ſubiecti remaneant.

Etiam ſi aliàs tempore præd. Clemen. VIII. ſecus forte per quinquennium ſeruatum fuiſſet, cuius diſpenſationi derogauit, ac nullius nunc roboris eſſe voluit, & declarauit, &c.

ARTICVLVS IX.

An tempore Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus, tàm ſæcularibus, quàm Regularibus, quilibet Confeſſor ſiuè Regularis, ſiuè ſæcularis expoſitus ab Ordinario, poſſit audire in Confeſſione, & validè abſoluere Moniales?

1. R. Sic, quia tunc à Papa habet iuriſdictionem, & ab Ordinario approbationem, & agitur in materia fauorabili, *ita in Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de reform.*

2. Vnde Moniales extra ſibi ordinariū alium eligere poſsūt confeſſorē, etiā ſi ab Ordinario non ſint deputati, & non ſolùm validè, ſed etiam licitè abſoluere poſſunt, ſi acceſſum ad eas habeant à ſuperioribus, quibus ſunt ſubiectæ, quia habent requiſita ad hoc munus. Sed ſi confeſſor non habet licitum acceſſum, validè abſoluit, ſed non licitè, quia peccant contra obedientiam ſuperioris.

3. Imò tempore Iubilæi cōfeſſores tantùm expoſiti in Ordine ex Prælatis Regularium, & non ab Epiſcopo loci, poſsūt audire confeſſiones Monialiū eidem Ordini ſubiectarū, quia ſi Religioſi tēpore Iubilæi hoc facere poſſunt, ac & moniales, tantùm ab expoſito à Prælato Re-

Regulari, cui ipsæ sunt subiectæ, tamquam earum ordinarius.

4. Approbatio facta ab Episcopo non confert iurisdictionem, sed tantùm persona iudicatur idonea ad confessiones audiendas, quia *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 55. de reform.* Verū Sacerdos semel approbatus ab Episcopo validè absoluit, si occultè suspensus sit, & vi Iubilæi, vel Cruciatæ eligatur, quia nullitas occulta nullum valori gestorum impedimētum præstat, *ita l. barbarius ff. de officio prætoris.* Secus absq; approbatione Ordinarij, quia dum non adest saltem titulus coloratus, non habet vllum valorem, & facultatem. Et sic approbatus tantū virorum defectu ætatis, & non scientiæ per Iubilæum non est eligibilis à fœminis, & multo minus à Monialibus; quia approbatio est commissa Episcopo per Concil. Trid. *sess. 24. cap. 15. de reform.* Non plus valet, quàm ab illo data est. Quamuis opposita sit probabilis, quia hic verè est approbatus ab Ordinario, & talis in Iubilæo est sufficiens ad audiēdas cōfessiones vtriusque sexus.

ARTICVLVS X.

An tempore Iubilæi liceat confiteri approbato alterius diœcesis?

1. R. Sic, quia eligere approbatos tantum in Episcopatu pœnitentis, potest quilibet pœnitens absque Iubileo; & potestas Papæ est vniuersalis, vbique valere, cùm ordinarius tantùm dat testimonium approbationis.

2. Verū pars negatiua probabilis, quia post Concil. Trid. est ius quæsitū Episcopis, ideò priuilegium eligendi confessorem non debet ita amplè interpretari, vt noceat in iure acquisito. *ita cap. quamuis de præb. in 6. & cap. suggestum de decimis, & cap. olim, de verb. signific.*

3. Sed Parochus vi Iubilæi potest eligi ad cōfessiones subditorum alterius Parochiæ in eadem diœcesi, quia talis per Concil. Trid. eo ipso, quo beneficium Parochiale obtinuit, sufficienter censetur approbatus. Secus approbatus à superiore Regularium pro Regularibus, non eligi à sæcularibus vi Iubilæi, quia pro his est necessaria approbatio ab Episcopo. *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 17. de reform.*

AR-

ARTICVLVS XI.

An Parochi post Concil. Trid. possint exponere confessores pro suis Parochianis, etiam sine facultate Episcopi?

1. ℟. Non, quia ita ordinat Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat.*

2. Ante Concil. Trid. poterant hoc facere, quia est respectu suorum subditorum proprius Sacerdos, & quasi Ordinarius. Tres enim sunt ordinarij cuiuscunq; fidelis sæcularis. Papa in toto mundo. Episcopus in sua diœcesi. Et Parochus in sua Parochia: & quamuis Episcopus huic, vel illi conferat beneficium Parochiale, tamen quicunq; Parochus iure diuino est proprius Sacerdos respectu suarum ouium, quia habet in foro pœnitentiali ordinariam iurisdictionem in illos.

3. Hinc est, quòd Parochus non Sacerdos potest dare facultatem absoluendi suos subditos Sacerdoti approbato ab Episcopo, quia licet nõ habeat potestatem Ordinis, habet tamẽ potestatem iurisdictionis adnexam. & Concil. Trid. non tollit Parochis, quod illi competit iure diuino, scilicet iurisdictionem ordinariam in suas oues, sed tantùm imponit non committere Sacerdotibus non expositis ab Ordinario.

4. Ideò Episcopus renuente Parocho, & Papa renuentibus Episcopis in toto orbe potest concedere facultatem audiendi Confessiones, quia Papa habet absolutam iurisdictionem in omnes fideles omninò indepẽdentem ab omni humana potestate; ita quod Episcopi in vsu potestatis suæ pendent à Pontifice, & Parochi ab Episcopis, nec hi inuitis Episcopis, nec Episcopi inuito Papa possunt alicui dare facultatem audiendi Confessiones.

5. Vnde Sacerdos ab Episcopo approbatus non indiget licentia Parochi ad audiendas Confessiones in Parochia, nec habens à Papa licentiam audiẽdi omnium fidelium confessiones indigeat licentia Episcopi, & Parochi, quia aliàs inutile redderetur priuilegium obtentum à Sede Apostolica.

6. Similiter Sacerdotes Regulares semel approbati ab aliquo ordinario iter agentes poterant non repugnantibus Parochis prædicare, & audire Cõfessiones, & si in illo loco existit ordinarius, tunc cum eorum licentia, quia *ita concessit Gregorius XIII. Societati Iesu, & per cõmunicationẽ omnibus Regularibus.* Sed modò ab Vrbano VIII. reuocatum est *anno 1628.*

7. Item Parochus pro suis ouibus potest eligere Sacerdotem

tem approbatum ab alieno, & nō proprio Episcopo, nisi aliàs sit specialis prohibitio in illa dioecesi, quia habent conditionem à Concil. Trid. requisitā, scilicet quòd sint ab Episcopis approbati: & Parochi aliàs habent iurisdictionem suam ordinariam alijs delegabilem. Imò sufficit, quòd approbatio sit ab Episcopo ipsius poenitentis, licèt non sit idem Episcopus pęnitentis, & Confessoris, quia sufficit, quòd quatenus reperitur talis Sacerdos in dioecesi Episcopi approbātis, ille fit quodamodo subditus illius.

8. Sed Episcopus non potest sibi eligere Sacerdotem sibi nō subditum, qui à proprio ordinario non fuerit approbatus, si pro se ipso eligit, & nō pro alijs subditis, quia quando sibi eligit, & nō pro alijs, facilè decipi potest ex passione approbādo indignum. *ita Sacra Congregatio Cardinalium*.

ARTICVLVS XII.

An Sacerdos fingens se esse approbatum ab Episcopo, cùm re vera nō sit, validè absolueret pœnitentem, qui bona fide illi confiteretur, tùm venialia, tùm mortalia?

1. ℞. De venialibus tātū, & mortalibus oblitis, siue aliàs cōfessis esse validam, quia est vera materia Sacramēti venialia, & mortalia oblita cum sufficienti attritione supernaturali exposita, & est legitimus minister habēs iurisdictionem ab Ecclesia super venialia, ac etiam intentionem absoluēdi, consequenter verum conficit Sacramentum. Ita etiam dicendum est, si peccatum non sit oblitum, sed bona fide in Confessione propositum, cùm eadem est ratio, & proportio in vtroq; casu.

2. Verùm certior factus poenitens de illegitimo Sacerdote, tenetur legitimo iterum lethalia confiteri, quia tunc nō directè esset à mortalibus absolutus, ideò debet mortalia de nouo confiteri, vt directè absoluatur.

3. Nota, quòd simplex Sacerdos habet facultatem absoluendi à venialibus, & mortalibus aliàs confessis, non immediatè à Christo, sed ab Ecclesia vi consuetudinis, quia iure diuino venialia, & mortalia aliàs ritè confessa non tenemur iterum cōfiteri. A mortalibus verò etiam inuincibiliter oblitis, requiritur iurisdictio simpliciter, quam non habent simplices Sacerdotes.

4. Ideò absolutè, & verius dicimus simplicē Sacerdotem non expositum ab Episcopo, nullo pacto, neq; directè, neq; indirectè, seu per accidens posse poenitentem confitentem peccata venialia, & mortalia,

etiam bona fide confessa, validè posse absoluere à mortalibus, quia simplex Sacerdos absoluit à venialibus per iurisdictionem secūdùm quid, quam nō sufficit in absolutione mortalium, cùm requiratur iurisdictio simpliciter, *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuū reseruatione.*

ARTICVLVS XIII.

An extra articulum mortis inferior Confessor possit absoluere pœnitentes à casibus reseruatis?

1. R. Non, quia non habet potestatem.

2. Sed si bona fide confiteretur, tunc certior factus pœnitens, tenetur iterum reseruata confiteri, quia aliàs non obtineret directam absolutionem de illis necessariam ad salutem. Imò si talis sine necessitate reseruata Sacerdoti inferiori sciēter confiteretur, grauiter peccaret, & consequenter inualidum Sacramentum, quia censetur tamquam indispositus pœnitēs, dum ab illo absoluitur à reseruatis absque necessitate.

3. Nota quòd dupliciter potest Sacerdos absoluere à peccatis reseruatis. Primò per se, & directè, quando habet iurisdictionem supra pœnitentem, etiam quantum ad illa peccata reseruata. Secundò per accidēs, & indirectè, quando non habet iurisdictionem super pœnitentem quantum ad reseruata, tamen absoluit illa per accidens, quia dum pœnitens absoluitur à peccatis non reseruatis directè, absoluitur etiam à reseruatis indirectè, nam impossibile est vnum mortale remitti sine alio, impium est enim à Deo dimidiam sperare salutem.

4. Et hoc quando est grauis necessitas implendi præceptum annuæ Confessionis, aut communicare, vel sacrum facere, ita vt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia, & tūc non est aditus ad superiorem, potest inferior Sacerdos absoluere eum, qui habet casus reseruatos habentes etiam excōmunicationem annexam, quia talis tunc videtur esse voluntas interpretatiua Superioris. Dummodo quòd pœnitens posteà compareat coram superiore, quādo commodè poterit, quia aliàs reincidit illas.

5. Vnde in casu grauis necessitatis non potest pœnitens absolui indirectè à reseruatis, nisi etiam confiteatur nō reseruata, quia tunc nulla materia ei suggeritur, in quam tamquā legitimus Iudex possit ferre sētentiam, aliàs omninò inualidè absolueretur. Et dum cōfitetur Sacerdoti inferiori, qui non potest absoluere à reseruatis, adhuc tenetur confiteri reseruata,

uata, quia licèt Confessor inferior non sit absolutè legitimus Iudex, nec habet iurisdictionē absoluēdi directè ab omnibus, tamen cognoscere debet, an pœnitens verè paratus sit, & dispositus ad recipiendam omnium absolutionem?

6. Rursus pœnitens inuincibiliter ignorans se habere aliquod mortale, & confitetur venialia simplici Sacerdoti: probabile est, quòd remaneat absolutus directè à venialibus, indirectè à mortalibus inuincibiliter oblitis, quia aliàs nūquam liceret facere confessionem de venialibus simplici Sacerdoti, quod Ecclesia concedit.

7. Similiter habens casus reseruatos, vel mortalia vrgente necessitate communicandi, vel annuæ Confessionis nō potest licitè, & validè confiteri simplici Sacerdoti, quia simplex Sacerdos nō habet facultatem ab Ecclesia extra articulum mortis absoluēdi à mortalibus. Sed tamen vrgente necessitate habens casus reseruatos potest licitè confiteri, etiam scienter ei, qui solùm habet potestatem in mortalia non reseruata, cum onere postea adeundi superiorem pro absolutione reseruatorum, quia *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de pœnitentia.*

8. Consequenter non excusatur aliquis ab obligatione adimplendi præceptum de annua Confessione, quando habet casus reseruatos, & non potest superiorē adire, quia potest confiteri inferiori reseruata, & nō reseruata, directè absolui à non reseruatis, & indirectè à reseruatis cū onere comparendi, cùm hoc onus bis comparendi sit parui momenti, & nō excuset ab obligatione præcepti diuini. Verùm tenetur iste nacta opportunitate adire superiorē, vt directè absoluatur à reseruatis, non tamen tenetur repetere superiori non reseruata, quia ab his iam directè est absolut⁹. Si verò pœnitens in articulo mortis est absolutus à reseruatis, etiam à simplici Sacerdote non tenetur adire superiorem, quia in articulo mortis quilibet Sacerdos est legitimus ordinarius, *ita Concil. Trid. loco supra cit.* Imò in articulo mortis omnes Sacerdotes habent facultatem absoluendi, etiam præsente approbato, quia tūc nullus casus est reseruatus. Nec non etiam si aderit proprius Sacerdos, quia Concil. Trid. *loco supra cit.* dicit omnes Sacerdotes ea potestate gaudere in articulo mortis.

9. Sed si in articulo mortis est excommunicatus aliqua reseruata excommunicatione, si posteà euaderet, tenetur adire superiorem, non vt absoluatur ab excōmunicatione, cùm iam sit absolutus, sed vt mandatum superioris humiliter susci-

scipiat, & nouam pœnitentiã, quia aliàs in eandem speciem excommunicationis reincidit.

ARTICVLVS XIV.

An superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per se, vel per alium, quà possit alteri Sacerdoti peccata reseruata confiteri?

1. ℟. Sic, quia reseruatio inducta est in vtilitatem pœnitentium, & non in detrimentum, & destructionẽ, scilicet persistendi in delictis.

2. Maximè quando pœnitens probabiliter timet reuelationem sigilli, & ne scientia ex illa abutatur in ordine ad regimen cũ damno inferioris, quia tunc superior faceret inferiori grauem iniuriam negando.

3. Est traditio Apostolica, & communis cõtextus totius Ecclesiæ, & de fide definita ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap. 7. de pœnis, & casuum reseruat.* quòd Papa, & alij Superiores possunt reseruare aliquos casus, & censuras, à quibus non possint inferiores absoluere. Et non tantùm mortalia externa, sed etiam interna, vt mentalem consensũ in hæresim, formale odium Dei, infidelitatem interiorem, & desperationem, quia Ecclesia interna reseruat, nõ vt exerceat iurisdictionẽ in actus mentis, sed illã non alteri conferre.

4. Reseruatio ergò in præsenti nil aliud est, quàm ablatio, seu non concessio iurisdictionis ad absoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur. Regulariter tamen loquendo nullum internum peccatũ reseruatur, quia esset error illa reseruare, & intolerabile, cũ huiusmodi scrupulis ad superiorem frequenter recurrere. Et secundùm quosdam Canonistas est opinio, hæresim mentalem non esse Papæ reseruatam, & excommunicationi subiectam.

5. Sed si timet superior, quòd talis facultas concessa nõ sit profutura tali pœnitenti, sed potius occasio peccandi, non debet subito illam petenti concedere, quia tunc non concedit in vtilitatem, sed in damnũ pœnitentis. *ita D. Tho. in opusc. contra impugn. Religionem.* Sed non habens istas causas in contrarium debet facilè concedere, quia communiter grauius malum oritur ex negatione, quàm ex concessione.

6. Sed confessor causæ debet petere hanc facultatem, vt superior nullo modo aut personam, aut casum, ob quem ea petitur conijceret, quia aliàs esset periculum frangendi sigillum, & secretum naturale.

7. Negãte verò Prælato reseruata si adest graue periculũ, vel scandalum, potest absolui

cum

cum obligatione comparendi coram legitimo superiore, iterum confitendi reseruata, maximè quando iniustè, & tyrannicè est denegata, quia debitè petita licentia habetur pro obtenta saltem à Generali absente, vel à Papa. Sed verius dicẽdum, quòd si non adest grauis necessitas, vel graue damnum infamiæ, inferior non potest etiam indirectè absoluere à reseruatis, quamuis tyrannicè, & iniustè superior præsens deneget facultatem, quia tãtùm permittitur à quolibet absolui à reseruatis in articulo mortis. *ita Cõc. Trid. sess. 14. c. 7. de casuũ reseru.*

8 Tandem Papa potest priuare sacerdotes inferiores potestate necessaria absoluẽdi ab aliquibus venialibus, quia cũ hæc facultas proueniat ex concessione Papæ, & Ecclesiæ, potest ab eisdem derogari. Quamuis nunquam hæc reseruatio fiat ab Ecclesia, quia ad bonam gubernationem ordinari minimè potest.

ARTICVLVS XV.

An absolutus vi Iubilæi à reseruatis, vel censuris, directè maneat absolutus, si posteà nõ præstat necessaria, quæ ad Iubilæi consequutionem præscribuntur?

1. R. Sic, quia effectus Sacramenti non potest esse in pendenti, & nefas est sacramẽtaliter absoluere dependenter de futuro.

2. Sed non remanet absolutus, qui in principio Iubilæi fraudulẽter, & sine animo exequẽdi opera iniuncta casus reseruatos confitetur, nisi omnia requisita ad consequendum Iubilæum non adimpleat, quia in Iubilæis absoluuntur reseruata in ordine ad cõsequendũ Iubilæum, & per modum præparationis ad illud, & vbi deest illius comparandi animus, nihil cõceditur. Imò tali fraude cùm non sit legitimè confessus, nec absolutus, ne dum à reseruatis, sed neq; etiam à non reseruatis, quia Confessio nõ est integra, cùm tacet istam fraudem, ideò inualida, & iteranda. Et etiam peccat mortaliter, quia decipit in re graui Sacerdotem fingendo se habere animum adimplẽdi onera Iubilæi, & verè non habet talem intentionem.

3. Sed intendens adimplere conditiones Iubilæi, sed post absolutionem reseruatorũ non adimplet, hic licèt non consequatur Indulgentiam Plenariã, remanet tamen absolutus à casibus, & cẽsuris reseruatis, quia absolutio illa non est data ad reincidentiam, cum Iubilæum id non explicat. Et vota commutata remanet commutata, quia censuræ absolutio tunc tẽporis non reuiuiscunt, ita nec vota.

vota. Neq; grauiter peccat iste, si postea ob negligentiam opera iniuncta ad lucrandum Iubilæum adimplere nolit, quia hic nil promisit; & satis est, quod pœnitens bona fide propositum habeat illud lucrandi, consequenter propositum mutans, obligationi non contrauenit. Sed venialiter deliquisse videtur, quia tantùm ob negligentiam à bono proposito, & recta intentione consequendi illud retrocedit.

4. Rursus qui tempore Iubilæi à reseruatis absolutus; & non adimplet conditiones eius, si postea recordatur alicuius reseruati, potest ab hoc absolui à quolibet Sacerdote habente facultatem communem, quia Confessor absoluens tempore Iubilæi directè à sibi reseruatis, & indirectè ab oblitis intendit; omninò, & de facto potest auferre reseruationem. Sed qui tempore Iubilæi non est confessus, cum non habeat mortalia, si postea recordatur alicuius casus, vel censuræ reseruatæ non remanet immunis à reseruatione, quia Iubilæum non aufert ipso facto reseruationem, sed cōfert ius auferēdi Cōfessori media absolutione.

5. Similiter probabile est, quod transacto tempore Iubilæi possint commutari vota oblita ante illud emissa, nec tunc commutata, quia comparando sibi Iubilæum potest absolui à reseruatis, ac etiam & vota commutare. Ideò adimplens conditiones Iubilæi, & nolens tunc commutationem votorum potest transacto Iubilæo illa trāsmutare, quia cùm hoc priuilegium sit absq; limitatione temporis concessum, videtur esse perpetuum.

6. Verum vota oblita non possunt transacto Iubilęo verè non comparato amplius commutari, quia non est eadem ratio de absolutione reseruatorū oblitorum expleto Iubilæo, & de commutatione votorum, nam in absolutione reseruatorum fuit intentio Confessoris tollere omnem excommunicationem, & reseruationē, quod vouens in Iubilæo nō obtinuit. Hinc est, quòd ad acquirēdum Iubilæum tenetur saltem confiteri venialia, qui nō habet mortalia, quia Confessio est vnum ex oneribus impositis ad lucrādum Iubilæum.

7. Rursus tempore Iubilæi semel absolutus à reseruatis, si denuò ante expleta opera Iubilæi præscripta in eadem reseruata labatur, potest iterum de illis absolui, quia toto illo tempore semper durat facultas absoluēdi à reseruatis. Sed si opera Iubilæi sunt expleta, non potest iterum ab eis absolui, quia hic ante expletam hebdomadā con-

consequutus est Iubilæum, cō- sequēter potest eo vti amplius. Imò reincidens in reseruata nō potest posteriori hebdomoda Iubilæum lucrari, etiam si iterū opera requisita perficiat, quia forma Iubilæi apertè indicat illud semel tantùm obtineri posse, & non copulatiuè, sed disiunctiuè, in prima scilicet, aut secunda hebdomada. Verùm ille, qui distulit communionem in secunda hebdomoda, Confessore concedente, potest absolui à reseruatis, si ante communionem peractam in illos inciderit, & vota commutari emissa intra id tempus, quia dum Iubilæum hic non est cōsequutus, adhùc priuilegium absolutionis durat. Item dicimus si Confessarius pœnitenti concessit rationabili de causa, vt communicet tertia hebdomada, etiam finito tempore Iubilæi, quia Confessor electus habet hanc facultatem absoluendi; non tamen potest absoluere de peccatis, & cōmutare vota cōmissa post definitū tēpus Iubilæi, vt diximus.

8. Similiter ad consequutionem Iubilæi sunt per se omnia opera præscripta in Iubilæo debere adimpleri in vna, & eadem hebdomada, quia per accidens ex rationabili causa potest Confessor ordinari pœnitenti, vt aliquod opus ex præscriptis in secunda hebdomada adimpleat. Vnde probabile est quòd si prima hebdomada ieiunat &c. & in secūda sequēti confitetur peccata sua, & communicat, consequitur Iubilæum, quia ita vsu receptum esse videtur.

9. Item fidelis, qui intra vnam hebdomadā expleuit requisita ad assequendum Iubilæum, ex negligentia tamen fecerit Confessionem informem, sed validam, si postea orauerit secundùm intentionem concedentis, lucratur Iubilæum, quia vltimam conditionem ad consequendum Iubilæum, scilicet Orationem impleuit in gratia. Ita vt si antequam expiraret terminus Iubilei per contritionem iustificaretur, etiam si tempore præcedenti fuerit inimicus Dei, & omnia opera requisita perfecerit in peccato, vtique consequeretur Indulgentiam Iubilæi, quia illa contritio esset vltimum opus, & efficiens, vt quis lucretur Iubilæum.

10. Hinc est, quòd qui tempore Iubilæi anni Sancti, in peccato mortali impleuit visitationes Ecclesiarum, si postea anno durante Iubilæi ipse benè confiteatur, licèt in patriam sit reuersus, consequitur Iubilæum anni Sancti, quia in Bulla Iubilæi tria requiruntur, scilicet vt sit verus pœnitens, & legitimè confessus, & quòd visitet Ecclesias, quia secies, vel

vel trigesies, & licèt omnes visitationes perfecerit in mortali, tamen legitimè confitendo fructum consequitur Iubilæi.

11. Item qui post Confessionem, & communionem incidit in mortale, vt consequatur Iubilæum, non tenetur iterum confiteri, sed sufficit, vt de illo peccato conteratur, & sic lucrabitur Iubilæum, quia adimpleuit præscripta Iubilæi, & est in gratia per contritionem antequam expiret terminus Iubilæi. Item recordatus alicuius mortalis obliti, non tenetur statim iterum confiteri, si aliàs primò confessus est, quia cùm peccatum oblitum per Confessionem antè actam fuerit indirectè remissum, solùm remansit confitendi illud tempore opportuno.

12. Tandem probabile est asserere, quòd qui in peccato mortali se communicauit, satisfecit Iubilæo, si postea conteratur, quia sufficit, vt in vltimo instanti, in quo vltimum opus perficitur, sit in gratia, vel antequam expiret terminus Iubilæi iustificetur per contritionem. Quamuis probabilius, & verius sit opposita opinio, scilicet quòd non satisfaciat Iubilæo, si in peccato Eucharistiã suscipit, quia ad mentem Papæ concedentis Iubilæum requiritur vera communio ad illius consequutionem.

DISQVISITIO XXXVIII.

De Confirmationis Sacramento.

ARTICVLVS I.

An Confirmatio sit Sacramentum?

1. R. Sic, & est de fide, quia *ita Concil. Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramento in genere, & can. 1. de confirmatione & can. 9. de Sacramento in genere, & Concil. Florent. in decreto de vnione Græcorum, & Armen, in tract. de Sacram.* Distinctum à Baptismo, & ab omnibus alijs Sacramentis, quia habet specialem effectum gratiæ, scilicet quoddam spirituale augmentum gratię distinctum ab alijs; & dat quasi quandam perfectam ętatem spiritualis vitæ, quia confirmamur, & roboramur ad pugnam per Sacramentum Confirmationis. *ita Melchiades Papa in Epist. ad Hispan. Epis-*

Episcop. tom. 1. Conciliorum & D. Thom. 3. p. q. 72. art. 1.

2. Nota, quòd *Confirmatio est nouæ legis Sacramentum, quo homo baptizatus ex Christi Domini institutione spiritualis gratiæ augmẽtum, ac robur accipit, per Chrismatis in fronte vnctionem, sub certa forma verborum ab Episcopo datam*. Vel aliter sic describi potest. *Confirmatio est Sacramentum nouæ legis; quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscripta forma verborum, ad fidei robur consequendum.* Hæc diffinitio, & descriptio est bona, quia traditur per genus, & differentiam, & in ea explicantur quatuor genera causarum, scilicet efficiens, materialis, formalis, & finalis. Nam dum dicimus, *quo homo viator baptizatus*; indicat subiectum Sacramenti Confirmationis esse hominem viuentem in hoc mortali corpore. Dicitur, *quo inungitur*: indicat causam materialem proximam esse vnctionem. Dicitur, *cum Chrismate*; indicat materiam remotã esse Chrisma. Dicitur, *ab Episcopo*; indicat causam efficientem ministerialem huius Sacramenti. Dicitur, *sub præscripta forma verborum*; indicat causam formalem in verbis ab Episcopo prolatis contineri. Dicitur, *ad fidei robur consequendum*; indicat effectum, & causam finalem huius Sacramentis.

3. Rursus Christus Dominus im mediatè per seipsum instituit hoc Confirmationis Sacramẽtum, quia Concil. Trid. *sess. 7. de Sacram. in gener. can. 1.* antathematizat asserentes Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta; propter singularem eius dignitatem, & excellens meritum. *ita D. Tho. 3. p. q. 64. art. 4. ad 1.*

4. Verùm causa principalis auctoritatiuè instituendi Sacramentum Cõfirmationis, & alia Sacramẽta, est solus Deus, quia ipse independenter plenam habet facultatem eleuãdi creaturas ad faciendum id, quod superat ipsarum naturam, & ad gratiam conferendã. Sed Christus in quantum Deus potuit Apostolis, & Ecclesiæ potestatem cõmittere, quam eius humanitas habuit, scilicet instituẽdi Sacramentum Confirmationis, & alia Sacramenta, quia vt sic potuit ipsis dare tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur Sacramẽtorum effectus. *ita D. Thom. loco supra citato*. Sed de facto non contulit eis, quia hoc non cõuenit, propter fidelium vtilitatem, ne in hominibus spem poneret, & ne diuersa essent Sacramenta, ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur. *ita D. Thom. loco supra ciato art. 4. ad 1.*

5. Benè tamen Ecclesia potest instituere Sacramentalia, & aliquod signum certum, quo

ex opere operato, virtute meritorum Christi, & Sanctorum, pœna pro venialibus, & mortalibus peccatis iam dimissis luẽda remittatur, quia qui potest aliquem effectum præstare, potest etiam certum signum illius constituere. Sacramentalia habent hos effectus ex opere operato, scilicet ex meritis Christi, quia Christus ait, *Quorum remiseritis peccata &c.*

6. Sed tempore Sancti Thomę non erat erroneum, & fortè neq; temerarium asserere hoc Sacramentum non esse immediatè institutum à Christo, neq; etiam ab Apostolis, sed in Cõcil. quodam Maldensi, quia tunc erat opinio insignium virorum; imò tunc apud aliquos sententia probabilis. At nunc est error, quia iam diffinitum est in Concil. Trid. *sess. 7. de Sacramen. in gener. can.* 1. Et secundùm aliquos non esse hæreticum, quia in Concil. non est expresse diffinitum. Sed fermè tenendum est, non solùm esse erroneum, sed etiam hęreticum nunc asserere hoc Sacramentũ esse institutum in Concil. Meldensi, vel in alio simili, quia fides est omnia Sacramenta nouæ legis fuisse immediatè instituta à Christo, ac etiam confirmationis immediatè, cùm Cõcil. Trid. æqualiter procedat in omnibus Sacramentis. Ita quod post Cõcil. Trid. asserere Sacramentum Confirmationis fuisse ab Apostolis institutum, est hęresis manifesta, quia Concilium anathematizat asserẽtes omnia Sacramenta nouæ legis nõ fuisse immediatè instituta à Christo, cùm D. Tho. *3. p. q. 72. art. 1.* exponat Catholicos Doctores, qui per ly *institutionem Apostolorum*, intelligebant promulgationem. Nec obstat dictum ipsius D. Tho. *loco supra citato* asserentis, quòd Christus instituit hoc Sacramentum Confirmationis promittendo, quia D. Thom. intelligendus est, quòd Christus immediatè per seipsum instituit illud, & promisit effectum illius dandum, scilicet plenitudinem Sancti Spiritus post suam glorificationem, *iuxta illud, Ioannis 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

7. Probabilissimum est hoc Sacramentum Christum instituisse in vltima cœna, quia *ita ex Sancto Fabiano Papa Epist. 2. cap. 1.* Sed perfecta, & absoluta huius Sacramẽti institutio fuit post eius Resurrectionem, quia administrari, & recipi potuit, scilicet quãdo instituit Episcopos Apostolos suos, atque ita dedit illis potestatem coficiendi hoc Sacramentum, supposita institutione eiusdem in nocte cœnæ. Obseruandum tamen est, quòd licèt omnia Sacramẽta aliqualiter sint necessaria ad salutem, sed non omnia eodem

dem modo, sed quædam, sine quibus non est salus, vt Baptismus &c. Quædam verò operantur ad perfectionem salutis, vt Sacramentum Confirmationis, cùm sine eo possit esse salus, dummodò non prætermittatur ex contemptu Sacramēti.

ARTICVLVS II.

An Chrisma sit conueniens materia remota huius Sacramenti?

1. R. Sic, quia datur ad cōsequendam plenitudinem Spiritus sancti, cuius est multiformis operatio, cùm eius materia sit composita ex oleo oliuarum, significante misericordiam Spiritus sancti, & ex balsamo, significante fragrantiā odoris, quæ redundat in alios. *ita D.Tho. 3.p.q.72.art.2.*

2. Nota, quòd Chrisma est vocabulum Græcum, quod latinè vnguentum significat, non simplex, sed ex multis compositum, & licèt prima impositione quodcunq; vnguentum significet, tamen his temporibus sumitur strictiùs pro vnguento, quod ex oleo, & balsamo conficitur. *ita Concil. Florent. in decreto super vnionem Græcor. & Armen. in tract. de Sacram. & D.Thom. loco supra citato.*

3. Rursus materia proxima huius Sacramenti Cōfirmationis est vnctio facta in forma Crucis, quia à Patribus, & Concilijs confirmatio alio nomine appellatur Chrisma, quod significat vnctionem. Debet autem ista vnctio fieri in forma Crucis, quæ non verificaretur. Si aliter fieret, quia forma dicit, *Signo te signo Crucis.*

2. Verùm sine balsamo non potest confici verum Sacramētum confirmationis, quia Concil. Florent, *in loco supra citato*; & Colonienſ. *in doctrina de hoc Sacramento.* & D. Tho. contra gent. *cap. 6. & in 4. dist. 7. q. 1. a. 2.* ponunt inter alia, quæ sūt de substantia huius Sacramenti confectionem olei, & balsami, quę Chrisma vocatur. Sed probabilis est sententia asserentiū Chrisma non esse necessarium ad confirmationem necessitate Sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti diuini, & consequenter neque esse erroneam, neque temerariam, quia Ioannes III. *in cap. prior. de Sacram. non iteran.* consultus. An Sacramentum Confirmationis esset iterandum in eo, qui per errorem fuit non in Chrismate, sed in oleo delinitus? Respondet in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendū. Vnde signū est fuisse verū Sacramentum, quod in Oleo tantùm fuerit ministratum. Tamē qui conficeret hoc Sacramentum sine balsamo non solùm peccaret mortaliter, quia face-

ret cõtra diuinum præceptum, sed etiam se exponeret periculo non conficiendi Sacramentum, quia sicut peccat, qui baptizat in nomine genitoris, geniti, & spirati, quia est periculum non conficere Sacramentum, ita qui sine balsamo.

5. Similiter ad Confirmationem necessaria est aliqua vnctio necessitate Sacramẽti, quia cõsistit in fieri, sicut Baptismus, cuius materia remota est aqua, proxima verò ablutio, ita in cõfirmatione, remota est Chrisma, proxima vnctio. Ita etiam oleum oliuarum est materia necessaria necessitate Sacramẽti, aliàs non conficeretur Sacramentum, quia oleum oliuarũ est de necessitate Confirmationis, aliàs non conficeretur sine his vtrumque Sacramentum. *ita Innocentius III. in cap. vnic. de Sacram. vnct. & Concil. Florent. loco supra citato. & D. Tho. 3. p. q. 72. art. 2. ad 4.*

ARTICVLVS III.

An sit necessarium necessitate Sacramenti ad conficiendum hoc Sacramentum, quod Chrisma sit cõsecratum?

1. ℟. Sic, quia ita diffinitũ est in Concil. Florẽt. *in Decreto Eugenij. super vnion. Græcor. & Armen. Nicæno. can. 6. Carthag. can. 3. & in 4. can. 36. Hispalensi. can. 7.* Imò est traditio Apostolica. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 3.* Et licèt consecratio Chrismatis sit de necessitate Sacramenti Cõfirmationis, modus tamen consecrationis non est de necessitate Sacramenti, quia Christus non determinauit modum consecrationis, sed reliquit Ecclesiæ ordinationi, cùm modus sit accidentalis.

2. Verũ probabile est, quòd non sit de necessitate Sacramẽti, vt per Episcopum solùm Chrisma benedicatur, & consecratur, sed tantùm de necessitate præcepti, & consequenter ex dispositione Papæ posse licitè Chrisma benedici, & consecrari à simplici Sacerdote, quia potest committi administratio à Papa simplici Sacerdoti, ita & consecratio, cùm idem sit administrare Sacramentum, & cõficere. Sed nullo modo Episcopus potest hoc ministerium conficiendi Chrisma concedere simplici Sacerdoti per modũ delegationis, seu dispẽsationis, quia cũ sit supernaturalis actus à Christo institutus, requirens specialem potestatem ab eo datam, quam ipse solis Episcopis concessit, vt ex antiqua traditione colligitur. At sententia negans simplicem Sacerdotem posse efficere istam consecrationem, neq; etiam ex commissione Papæ, est verior opinione affirmante; quia in Concil.

Flo-

Florent. *in tract. Sacram. & in Concil. Vormatiensi can.* 2. dicitur Chrisma conficere, nullus præter Episcopum præsumat, nam soli illi hæc dignitas est concessa. Et Gregorius XIII. concessit simplici Sacerdoti potestatē confirmandi in India, hac tamē lege, vt vteretur Chrismate ab Episcopo consecrato.

3. Ideò Papa minimè potest priuare Episcopos potestate conficiendi Chrisma, quia talis actus conuenit Episcopis iure diuino ex vi suæ ordinationis, & essentialiter ad potestatem Ordinis Episcopalis pertinet, & licèt ex iuxta causa prohiberi possint, non tamen potestate, quia si id faciunt, factum tenet.

4. Apostoli autem ex speciali dispensatione, aliquando non confecerunt Sacramentū Confirmationis cum Chrismate consecrato ab Episcopo, sed solùm vtebantur, manuum impositione loco materiæ ad cōfirmandum fideles absq; Chrismate, & vnctione, quia Apostoli Spiritum sanctum impetrabāt per manuum impositionem, & non fit mentio de aliqua vnctione. *ita Concil. Florent. in Decreto supradicto, & D. Thom. 3. p. q. 72. art. 4. ad* 1.

5. Sed Apostoli per solam manuum impositionem absq; Chrismate non administrabant proprium, & sensibile Sacramentum Confirmationis secūdùm eum ritum sensibilem, quem Christus instituit, vt perpetuò in Ecclesia duraret, sed habebant specialem dispensationem vtendi alio signo simplicis manuum impositionis: & ideò illa manuum impositio neque nunc sufficit, neque vnquam est necessaria ad conficiendum hoc Sacramentum, prout institutum fuit, vt lege ordinaria, & absque dispensatione administraretur, quia materia remota huius Sacramenti instituti à Christo perpetuò duraturi in Ecclesia sancta Dei est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, & etiam ab Episcopo consecratum. *ita Concil. Florent. Constant. Bracarense in locis sup. citatis. Et D. Tho. loco sup. cit.*

6. Verùm aliqua diuersitas reperitur inter Confirmationē modò collatam in Ecclesia, & illā, quæ conferebatur ab Apostolis; tamen est diuersitas secundùm quid, & materialis tātùm, scilicet numerica, & non specifica. Itaque confirmatio præsens, & illa, quæ fuit temporibus Apostolorum sunt eiusdem speciei athomæ, quia verba illa, quibus vtebantur Apostoli, simul cum tali manuum impositione ordinabantur ad significandum eumdem effectum, ad quem ordinantur materia, & forma, quæ modò sunt, & adhibentur in Sacramento Confirmationis.

7. Ali-

7. Aliquando etiam Apostoli vsi sunt Chrismatis vnctione, & eadem forma, qua modò vtitur Ecclesia, quia congruum fuit, vt Apostoli vterentur aliquando in Ministerio Sacramentorum, quæ perpetuò erāt futura eisdem materijs, & formis, in quibus à Christo fuerūt instituta, præsertim quando sēsibilia miracula non apparebāt in collatione huius Sacramenti, tunc enim Chrismatis vnctione vtebantur, fidelibus conferendo Sacramentum Confirmationis. *ita D. Tho. loco supra citato*.

ARTICVLVS IV.

An ista forma, Cōsigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, &c. sit conueniens, taliter quòd illa sufficiat?

1. ℟. Sic, quia ista forma dat speciem, & explicat tria, quæ sunt in hoc Sacramento conuenientia, scilicet Sācta Trinitas, quæ est causa, & robur animæ conferens, per verba, *In nomine Patris, &c.* Secundo explicat robur spirituale ad pugnam, per verba, *Confirmo te Chrismate salutis.* Tertiò, explicat signum, quod pugnaturo datur, per verba, *Consigno te signo Crucis. ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 4.*

2. Imo ista forma non solū conueniens est, sed etiam necessaria simpliciter, ita ut nulla alia sufficiat ad conficiendum hoc Sacramentum, quia quæ fuerunt institutæ à Christo, & Ecclesię vniuersali per Apostolos traditæ, sunt simpliciter necessariæ ad confectionem Sacramentorū. *ita in Conc. Florent. in Decr. Eugenij. & D. Th. 3. p. q. 72. art. 4.* Ita ut in omni loco, & tēpore fuit hæc forma necessaria ad conficiendum hoc Sacramentum, absque speciali Christi dispensatione, quia institutio Christi vnica tantùm fuit, & mutationem non recipit, & si aliquando aliqua varietas inueniatur, mutatio erit accidentalis, & non substantialis. *ita D. Tho. 3. p. q. 60. art. 6. & 7.*

3. Simiter expressa inuocatio Triadis est de essentia, & necessitate huius Sacramēti, quia hoc Sacramentum est quædam Baptismi perfectio, in quo etiā necessariò est talis inuocatio. Imò omnia verba hæc ponuntur in formis Sacramentorum, scilicet Baptismi, & Confirmationis, & inuocatio Triadis est de necessitate istorum, quia Baptismus est professio fidei, & Confirmatio ad perfectionem ipsius spectat, quasi si priorem roborans, & confirmans. *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij.* Reliqua verò Sacramenta, cū non sint fidei professiones, sed

illam

illam iam roboratam, & perfectam supponunt. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 4.*

4. Similiter Chrismatio necessariò debet fieri in forma Crucis, quia falsum exprimeretur, & forma Confirmationis esset falsa, si dùm confirmantur fideles, signum Crucis non fieret. *ita Stefanus Papa de consecrat. dist. 5. cap. non omnia.* Discrimen tamen est, quòd in Extrema Vnctione si nō exprimatur forma crucis, non est de essentia Sacramenti, licèt sit sub præcepto, & forsitan non obligante sub reatu mortali, quia non est tanti momenti, sicut forma Confirmationis, quam Christus instituit, quod fiat in forma Crucis. *ita Concil. Florent. in Decret. Eugenij.*

5. Verùm non est necessariū necessitate Sacramenti exprimere personam ministri confirmantis, neq; formaliter, neq; virtualiter, quia in Concil. Florent. *in Decreto de vnione Græcor. & Armen.* fuit decisum. *Et ita D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. ad 1.* Sed benè vtrumq; verbum exprimere scilicet, *Consigno, & confirmo*, esse essentiale in forma huius Sacramenti, quia per Sacramentum Confirmationis nō solùm homo ipse sanctificatur, sed etiā ad publica pro fide prælia instruitur, cùm sic materia, & forma exprimitur. *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 4. ad 3.* Qui verò sine expressione personæ confirmātis confirmaret, peccaret lethaliter, quia contra vsum vniuersalem totius Ecclesiæ, tàm Latinæ, quàm Græcæ ageret, cùm Græcis concessa fuerit facultas baptizandi sub hac forma, *Baptizetur seruus &c.* non tamen fuit concessa facultas in Sacramento Confirmationis. *ita Concil. Florent. loco supra cit. de Baptismo.*

6. Rursus de necessitate huius formæ esse, vt in ea explicetur, seu indicetur persona, quæ confirmatur, quia actus confirmādi determinatur à subiecto, cui applicatur. *ita D. Thom. 3. p. q. 66. art. 5.* Imò confirmans debet esse distincta persona à confirmandis, aliàs inualidum, quia Innocentius III. *cap. debitum.* ita definit.

7. Similiter in initio Apostolicæ prædicationis, quando dabatur Spiritus sāctus sub signo, vel effectu visibili, Apostoli in confirmādis fidelibus non vtebantur hac forma, scilicet, *Consigno &c.* quia aliàs esset falsa, cū loco materiæ vterētur Apostoli ad confirmandos fideles, non Chrismate, sed manuum impositione. *ita D. Tho. 3. p. q. 27. art. 4. ad 1.*

8. Sed benè vsi sunt hac forma, postquàm cessauit ille modus miraculosus mittendi Spiritum sanctum sub signo visibili, quia congruum fuit, vt cessante illo modo miraculoso,

vte-

vterentur Apostoli in ministerio Sacramentorum, quæ perpetuò erant futura, eisdem materijs, & formis, quibus à Christo fuerunt instituta.

9. Similiter iure optimo necessarium est vti in collatione Sacramenti Confirmationis signo Crucis, non item in Sacramento Baptismi, quia signaculum Crucis in fronte datur ad publicè profitendum fidem, tamquā dux illius. Conuenienter ergò signatur homo chrismate signo Crucis in fronte, quia suscipit signum ducis manifestè ad præliandum. In fronte, quia inter omnia humani corporis membra, maximè frōs est manifesta, & euidens, & numquam obtegitur. Imò ita necessarium est necessitate Sacramenti Confirmationis, vt vt vnctio fiat in fronte, quòd si fiat in alia parte corporis, nullum esse Sacramētum, quia sic determinauit Ecclesia vniuersalis in Concil. Florent. sub Eugenio IV.

10. Similiter necessarium est necessitate præcepti, quòd in collatione huius Sacramenti vnctio Chrismatis fiat manu ipsius cōficientis Sacramentum: & si quis conficeret medio aliquo instrumēto, peccaret mortaliter, quia ita vniuersalis Ecclesia, *vt patet in Pontificali Romano*. Ideò immediatè debet fieri manu ipsius conficientis Sacramentum, quia talis est institutio Christi, cùm vnctio magis regulariter, & multo melius fiat immediatè manu propria. Et probabile est esse de necessitate Sacramēti, quòd ista vnctio fiat immediatè manu propria ministri, quia manuū impositio est de ratione huius Sacramenti. Aliàs oppositum faciens, non solùm peccaret mortaliter, cùm faceret contra præceptum, sed etiā exponeret se periculo non conficiendi Sacramentum, vt dictum est. Et etiam pollice manus dexteræ intinto Chrismate, quia *ita habetur in Pontificali Romano*. Atq; adeò peccaret lethaliter, si de industria absque necessitate indice, vel pollice sinistræ manus inungeret confirmandum, quia res grauis est recedere à communi vsu, & consuetudine vniuersalis Ecclesiæ. Tamē si est ex industria, & absque necessitate fieret alio digito vtriusque manus, adhuc validū conficeretur Sacramentum, quia dum est materia, forma, & intētio ministri, *validum* est Sacramentum.

ARTICVLVS V.

An Sacramentum Cōfirmationis imprimat Characterem?

1. ℟. Sic, & est de fide, quia ab Apostolica traditione, per quam Ecclesia Romana

mana in fide docta non definit res notas per nouas reuelationes, sed quæ in scripturis, vel in Apostolicis traditionibus continentur. *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV. in tract. de Sacramentis, & Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. in gener. can. 9. & D. Thom. 3. p. q. 63. art. 4.*

2. Nota, quòd *Character est qualitas spiritualis animæ diuinitùs infusa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda, vel administranda, & ad alia diuini cultus opera*. Vel clariùs, & meliùs à D. Thom. *3. p. q. 63. art. 2. est quædam potestas, seu potentia spiritualis, ordinata ad ea, quæ sunt diuini cultus.* Probatur, quia secundùm Philosophum *2. Ethic cap. 5.* tria sunt in anima, scilicet, potentia, habitus, & passio. Sed Character non est passio, cùm passio citò transeat, & Character est indelebilis *ita D. Tho. 3. p. q. 63. art. 1.* Non est habitus, cùm nullus habitus se possit ad benè, & malè habere; & Character ad vtrumq; se habet; cùm vtantur eo, quidam benè, alij verò malè, quod in habitu non contingit, quia habitu virtutis nullus vtitur malè, & habitu malitiæ nullus benè; consequēter Character est potentia spiritualis animæ diuinitùs infusa. *ita D. Tho. loco supra citato.*

3. Ideò Character est ens reale, quia est principiū actionis, quod est qualitas realis. *ita Concil. Florenti. in Decreto Eugenij in tract. de Sacram. & Concil. Trid. sess. 7. can. 9.* Maximè cùm Character diuinitùs imprimat qualitatem, & entitatem realem ministris, vt illos idoneos faciat ad ministerium, quod nullus præter Deum tradit. Et sic Character Sacramentalis est in prædicamento reali, quia ita in Concil. Trid. *sess. 7. de Sacram. in gener.* dicitur Characterem Sacramētalem imprimi in anima, sed impressio est actio realis, quæ necessariò debet poni in aliquo prædicamento reali, nō vt entia supernaturalia, & participationes diuini esse, cùm vt sic indirectè, & reductiuè, non sint in prædicamento reali, sed vt entia creata, quæ secūdùm suas proprias entitates habent suas species, & genera, in quibus directè, & formaliter collocantur. *ita D. Tho. 3. p. q. 63. art. 2.*

4. Item Character Sacramētalis est in secunda specie prædicamenti qualitatis, quia cùm sit potentia actiua, & passiua recipiendi, & administrandi Sacramenta, collocantur in secūda specie prædicamenti qualitatis, quæ est naturalis potentia, & impotentia. *ita D. Thom. 3. p. q. 63. art. 2.* Non directè tamquā genus, & species sed reductiuè ad secundam speciem qualitatis, quia competit ministris Dei, & minister se habet per modū instrumenti operantis, vel reci-

 pien-

pientis ea, quæ sunt diuini cultus, & vt instrumentum non est propriè in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis: *ita D. Thom. 3. p. q. 63. art. 4.* Et ad hoc firmiùs agendum, non sufficit tantùm Character Ordinis: quia Character Confirmationis non ponitur ad firmiùs agendum, idest, ad meliùs; sed simpliciter ad patiendum, & recipiendum aliquid, quod sine illo non reciperetur: talis autem est, & proprius modus gratiæ Sacramentalis, quæ confertur tantùm per Sacramentum Confirmationis. Nam Character Confirmationis datur simpliciter, & quasi ex officio ad profitendum fidem Christianam contra infideles, & non tantùm ad meliùs illam profitendam; quia licèt fidelis non confirmatus possit illum exercere, non potest simpliciter ex officio, cùm solùm confirmatus ex officio possit illum exercere.

5. Vnde Character non est sicut in subiecto in essentia animæ, sed in eius potentia; quia Character est signũ, quo Christo, qui est secunda persona Triadis, configuramur; sed hęc configuratio non fit secundùm essentiam animæ, sed secũdùm eius potentias: *ita D. Thom. loco supra citato.* Et licèt actus exteriores virtutum exerceantur à membris exterioribus, tamen non ponuntur virtutes in ipsis membris exterioribus, sed in voluntate, vel intellectu, à quibus mouentur membra exteriora, & ordinantur ad finem virtutis, ita licèt Sacramenta conficiantur à membris exterioribus, tamen quia mouentur ab intellectu ad finẽ Characteris, ideò Character est in intellectu. Neq; Character subiectiuatur in tota essentia animę, & in partibus illius simul, scilicet in intellectu, & in voluntate, quia Character cùm sit vnicum accidens, vnicum debet habere subiectum, ideò immediatè debet subiectari, vel in anima, vel in intellectu, vel in voluntate: *ita D. Tho. loco supra citato.* Non recipitur immediatè in voluntate, quia Character Sacramentalis, cùm sit fundamentum operationum supernaturaliũ, poni debet, & existere in ea potentia, in qua est fundamentum totius ędificij spiritualis, quod est fides, & fides est in intellectu, & non in voluntate: *ita D. Thom. 3. p. q. 63. art. 4. ad 3.* Et licèt actus, qui ordinantur ad ea, quæ sunt diuini cultus sub ratione boni, eliciuntur à volũtate per virtutem Religionis, tamen per eandem virtutẽ Religionis, sub ratione veri eliciuntur ab intellectu, in quo est fides, quia Character ordinatur ad hoc, quod fides sit publicè manifestata, & protestata.

Sed

Sed character subiectatur in intellectu, quia character per D. Dionysium cap. 2. de Ecclesiastica Hier. est lumen, & lumen spirituale subiectatur in intellectu. ita D. Thom. 3. p. q. 63. art. 4. Ad 3. Et quando Concil. Florent. in instruct. Armin. & Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. in gener. dicunt characterem imprimi in anima, idest secundùm partem intellectiuam, in qua est fides; ideò Sacra Concilia hoc nō expresserunt, quia supponitur tamquam certum apud viros sapientes.

6. Hinc est, quòd character semel susceptus semper durat, permanet, & numquam amittitur per peccatum, aut per degradationem, vel mortem, & inest animæ secundùm intellectiuā partem indelebiliter, quia character est in anima secundum partem intellectiuam, tamquam in subiecto immediato, & nullum habet contrarium, à quo valeat corrumpi, cùm perpetuò duret, & sit immortalis. ita D. Thom. loco citato art. 5. Ideò Apostatæ, qui per Apostasiam à Diuino cultu trāseunt ad cōtrarium cultum, non amittunt characterem Sacramentalem, quia in canon. Consultationi, tua de Tempor. ordinan. dicitur Apostatas redeuntes ad pœnitentiam non rebaptizari, cùm character sit virtus instrumentalis Christi, qui est causa principalis æternitatis, & immutabilitatis. ita D. Thom. loco citato ad 1. Verùm gratia, quæ est quidam character Dei, per peccatum amittitur, non autem character Sacramentalis, quia inest animæ immediatè, non tamquam instrumentum, sed tamquam habitus sequens naturam subiecti, scilicèt animæ, quæ est mutabilis per liberum arbitrium. ita D. Th. 3. p. q. 63. art. 5. ad 1. Ideò gratia gratum faciens est quidam character non Christi, sed Dei nominatur, quia homines per gratiam gratumfacientem deputantur ad Dei fruitionem. At character Sacramentalis dicitur character Christi, quia per characterem ordinis, qui est potestas absoluēdi à peccatis; Christo, qui est summus Sacerdos, assimilatur, & participamur Christi Sacerdotij. ita D. Tho. loco supra citato in corp.

7. Ita vt mortuū, anteà baptizatum, vel confirmatum, vel ordinatum, si diuina potentia excitetur à mortuis, & ad vitam iterum reuocetur, non esse rebaptizandum, nec iterum confirmandum, nec iterum ordinandum, quia in Cōcil. Trid. sess. 7. de Sacram. in gener. dicitur, quod cùm character semper perseuerēs permaneat, & sit inreintem bilis, ita D. Thom. 3. p. q. 63. art. 5. ad 3. Et in generali resurrectione fideles baptizati, confirmati, & ordinati, res habebūt chara-

 cteres,

ctetes, quia character est signaculum inhærens animæ secundùm partem intellectiuam, impressum à Deo, quo fideles ab alijs distinguntur, & remanet in Patria, in bonis ad gloriam, in prauis verò ad ignominiam; sicut milites, qui eodem insigni insigniuntur, dum publicè ad supplicium rapiuntur. *ita D.Th. loco supra citato.*

8. Verùm nō omnia Sacramenta nouæ legis imprimunt characterem, quia character est indelebilis, & nō reiteratur ex Concil. Trid. *sess. 7. can. 9. de Sacram. in gener.* consequenter non omnia Sacramenta imprimunt characterē, sed ea, per quæ recipitur noua potestas ordinata ad ea, quæ sunt diuini cultus. *ita D.Thom. loco supra citato art. 6.* Et sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, in alijs verò recipitur tantùm gratia virtute Passionis Christi; quia *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij, & Concil. Trid. sess. 7 de Sacram. in gener.* Neque in sacramentis legis naturæ fuit aliquis spiritualis character animæ impressus, quia character est ordinatus ad ea, quæ sunt diuini cultus, qui in lege naturæ nō erat determinatus, etiam quoad cæremonias externas, sed arbitrio hominum per fidē, & characteres satis determinabuntur. Neque per sacramenta veteris legis, nullus in anima fuit impressus character spiritualis, quia ea non conferebant gratiam, ac neq; character imprimebatur, sed sufficiebat corporalis circumcisio, quā Apostolus signaculum nominat.

9. Ratio, cur Baptismus imprimat characterem, à priori est institutio, & voluntas Christi, qui voluit hanc potestatē characteris imprimere per Baptismum. Congruentia, seu ratio, & necessitas moralis est, quia per Baptismum deputatur homo, & consecratur ad cultum Dei, vt fiat membrum Ecclesię Christi distinctum ab alijs infidelibus. *ita D.Thom. 3.p.q.63.art.5.* Sed sola fides non potest habere perfectam rationē huius signi, quo quis membrum Ecclesiæ fiat, quia interdum baptizatus non accipit fidem viuam, & tamen manet signatus signo Christi.

10. Similiter ratio à priori, vt Sacramētum Ordinis imprimat characterem, est institutio Christi, qui voluit potestatem, & vim characteris ponere, & tribuere huic Sacramento. Ratio verò cōgrua, & moralis est, quia per illum singulari modo deputatur homo ad cultū Dei, & distinguitur à cæteris Ecclesiæ membris, tamquā proprius minister Christi, accipiēs ex officio potestatem ad Sacramenta Diuina ministranda. *ita D.Th. loco citato in corp.* Et in Sacramēto Ordinis character imprimitur, quantum ad omnes Ordines,

nes,

nes, quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem. *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 35. art. 2.*

11. Similiter ratio congrua, & moralis necessitas, cur Sacramentum Confirmationis imprimat characterem, est, quia per illud statuitur homo miles Christi ex officio destinatus ad profitendum publicè Christi fidem, & pugnandum pro ea. *ita D. Tho. 3. p. q. 63. art. 3 in corp.* Verùm sola diuina institutio posset esse sufficiẽs sine charactere, vt hæc tria Sacramenta iterari nõ possent, quia sicuti cõsecratio Ecclesiæ, & calicis non potest iterari, quamuis nullam qualitatẽ intrinsecam exprimat, ita etiam hoc per solã Christi institutionem. Tamen non est dubium, quin perfectiori modo fiant effectus horum Sacramentorum per internum spirituale signũ, quod ad ornamentum animæ, & ad perfectam consecrationẽ conferre potest.

12. Certum est, quòd gratia simpliciter est principalior effectus, quàm character in Sacramentis imprimẽtibus illum, quia gratia specialissimo modo est quædam participatio ipsius diuini esse, quod omnibus alijs est excellentius, & principalius debet intendi. Et hoc causare gratiam conuenit Sacramentis imprimentibus characterẽ, non tantùm ratione generica, sed etiam specifica, quia omnia Sacramenta tàm imprimẽtia characterem, quàm non imprimẽtia secundum propriam suam rationem causant gratiam, cùm gratia sit excellentior, & principalior effectus charactere; ideò semper habẽt causare gratiam, licèt de facto aliquando non causent, quia per accidẽs, & ab extrinseco ratione obicis, & impedimenti non conferunt gratiam.

13. Similiter character Confirmationis dicitur, & est potentia quodammodò actiua, & quodammodò passiua diuinitùs infusa, ordinata ad ea, quæ sunt diuini cultus, quia est potentia, quæ producit effectũ, & simul recipit illum. *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 5.* Character verò Baptismi dicitur, & est potentia purè passiua, quia ponitur ad recipienda alia Sacramenta, & non ad illa conficienda, cùm sit ianua Sacramentorũ. Character verò Ordinis est potentia purè actiua, quia ponitur ad conficienda Sacramenta in extera materia, idest, producit suum effectum, & non recipit illum.

14. Tandem character Sacramentalis Baptismi, Ordinis, & Confirmationis non possunt augeri, aut remitti in eodem, vel diuersis subiectis, neque in vno intentiores fieri, quàm in alio,

alio quia non possunt iterari, & sunt qualitates indiuisibiles, & omnibus æqualiter datur, & recipitur. *ita D. Tho. loco citato art. 7.*

ARTICVLVS VI.

An Character Confirmationis præsupponat Characterem Baptismi?

1. R. Sic, quia ita est diffinitũ expressè in Cõcil. Florent. *in Decreto Eugenij, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 2.* & est cõmunis assensus totius vniuersalis Ecclesiæ, *ita cap. omnes fideles. dist. 5. de consecrat. & cap. nouissimè, ead. dist. 5. & cap. 1. de Presbyt. & D. Tho. 3. p. q. 72. art. 2.*

2. Imò nec aliud quodcunque Sacramẽtum recipere potest, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum. Et si tempore Apostolorum contingebat Spiritum sanctum visibiliter descendere in eos, qui nondum erant baptizati, tamen nihil vetabat, vt illi denuò post susceptum Baptismum Confirmationis, Sacramento cõfirmarentur. *ita D. Tho. loco citato art. 6. ad 3.*

3. Et probabile est eos non fuisse amplius confirmandos, quia extraordinario modo receperunt etiã huius Sacramenti Cõfirmationis characterem, vt ostendat Spiritus sanctus, se esse Deum, & gratiæ Dominũ, qui in quos, & quando, & quãtum vult, spirat. Modo autem ordinario character Cõfirmationis non confertur nisi post susceptum Baptismum, quia Deus ita ordinauit. Ideò non baptizatus potest Eucharistiã, idest, species consecratas percipere, non tamen spiritualiter, scilicèt, fructum eius. Ità etiã aliqui ante Baptismum profitebantur fidem, non ex officio, sed ex gratia speciali Dei, quia virtus Diuina non est alligata Sacramentis. *ita D. Tho. 3. p. q. 81. art. 2. & 3.*

4. Sed probabilius, & verius dicendum, quòd secundum ordinem gratiæ, & attenta natura Sacramenti Baptismi, Confirmationis, & aliorum Sacramentorum debeat præcedere character Baptismalis, necessitate Sacramenti characterem Cõfirmationis, quia gratia Baptismalis in quantum Baptismalis, est gratia generans: gratia autem confirmationis ex natura sua, est augens gratiam præcedentem, sicut etiam gratia Euchatistiæ est nutriens, & cõseruans etiam præcedentẽ gratiam. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 6. ad 1.*

5. Imò nec character Confirmationis, nec character Baptismi potest obtineri sine reali susceptione Sacramenti per solum votum eius, quia ex communi sententia, nullus Sacramen-

mentalis character imprimitur sine reali susceptione talis Sacramenti.

6. Verùm existens in gratia, si efficaciter, & verè desiderat confirmari, recipit gratiam, & quēdam modum firmitatis, qui reddit hominem motum rectè à Deo, vt sit aptior ad recipiendum Diuinū auxilium, vt possit firmiùs profiteri fidem, qui effectus est proprius Sacramēti Confirmationis, quia virtus Diuina non est alligata Sacramentis, ideò sine Sacramento Cōfirmationis potest conferre hoc spirituale robur, licèt quodammodo modo imperfecto. *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 6. ad 1.* Sed tale prædictum robur non recipit ex opere operato, quia Sacramenta nouæ legis realiter suscepta habent virtutem hanc conferendi gratiam Sacramentalem ex opere operato. Qui quidem effectus Sacramēti, per solum votum, & desiderium Sacramenti in quinq; tantùm, scilicèt, Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Confirmatione, & Extrema Vnctione contingit cōferri, quia olim Passio Christi antequam adhiberetur, per fidem suam applicata effectū gratiæ præstabat, cum necessitas illius tēporis hoc exigebat. *ita D. Tho. 3. p. q. 69. art. 4. ad 2. & q. 80. art. 1. ad 3.*

7. At Sacramenta ordinata ad bonum totius communitatis, scilicèt, Ordo, & Matrimonium non conferunt Sacramētalem effectum per solum sui votum, seu desiderium, quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad iuuandos homines in tali statu, vel dignitate constitutos, non per votum, sed per realem susceptionem illorum.

8. Neque ex Sacramentis, quæ ad vtilitatem singulorum fidelium sunt instituta, habent suum effectum Sacramentalem causare per solum sui votum, seu desiderium ex opere operato, quia effectus Sacramentorum promittuntur reali vsui Sacramentorum, cùm causare gratias Sacramentales ex operè operato, & perfecto modo sit effectus proprius Sacramentorum.


9. Imò Sacramenta in voto neque conferunt effectum gratiæ, si actus operantis non sit sufficiens dispositio ad illum consequendum, quæ dispositio est contritio, seu dilectio Dei super omnia: ideò per solam attritionē, vel in peccato mortali existens, non potest consequi, quia solius Sacramēti nouæ legis realiter suscepti est causare gratiam ex opere operato, & facere ex attrito contritum.

10. At si operans habet talē dispositionem sufficientem, scilicèt, cōtritionem per votum, & desiderium Sacramētorum, & si

& si consequitur effectum gratiæ, non tamen effectum Sacramenti, ac si in re ipsa susciperetur, sed secundum naturæ similitudinem, non eiusdem rationis cum illo, qui per Sacramentum daretur, cùm non sit ab illo productus, sed reducitur ad illum, sicut imperfectũ ad perfectum, quia sicut calefactio similitudinariè est eiusdẽ rationis cum eo, qui fieri solet ab igne; ita in hoc casu non est effectus Sacramenti, licèt sit effectus gratiæ. Et sic intelligendum est Concil. Trid. *sess.* 13. *c.* 8. dicens effectum Sacramenti posse ab aliquo percipi, & fructum, & vtilitatem eius sentire, si Sacramentum habet in voto, quamuis non habeat in re, cũ fructus Sacramenti tunc non sit ab illo Sacramento, vt à propria causa, sed vt ab obiecto.

11. Verùm consequens effectum Sacramenti per solum votum Sacramenti includens contritionem, seu dilectionem Dei super omnia, postmodùm maiorem copiam gratiæ, & virtutem consequitur, cùm in re ipsa Sacramẽtum suscipit, quia Sacramentum susceptum in re ipsa causat gratiam, & virtutẽ, non solùm secundùm dispositionem suscipiẽtis illud, verùm etiam ex opere operato maiorem gratiam consequitur. *ita D. Tho.* 3. *p. q.* 69. *art.* 4. *ad* 4.

12. Similiter character Cõfirmationis est alius à charactere Baptismi, quia *ita Concil. Trid. sess.* 7. *de Sacram. in gener.* & est consensus apud omnes Doctores ex consensu totius vniuersalis Ecclesiæ, & esset erroneũ oppositum asserere. Et non distinguitur ratione, sed ex natura rei, quia character Cõfirmationis addit supra characterem Baptismi quandam perfectionẽ realem specie ab illo distinctã, ordinatam ad distinctam operationem realem, scilicèt potẽtiam ad firmiùs publicè profitẽdam fidem Christi. *ita D. Thom.* 3. *p. q.* 72. *art.* 5. *ad* 2. Imò distinguuntur realiter, quia character Cõfirmationis nõ perficit characterem Baptismalem, neque intensiuè, neque extensiuè, cũ ambo sint insensibiles, & indiuisibiles. Nõn realiter formaliter, sed realiter materialiter distingũitur, quia verè sunt duæ res, ita ut vnum non sit modus alterius, sed habet suas existentias, & existentias distinctas. ita vt characteres Confirmationis, Baptismi, & Ordinis specificè inter se distinguuntur, quia sunt diuersæ potentiæ Diuinitùs infusæ, ad diuersos effectus ordinatæ.



AR-

ARTICVLVS VII.

An per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

1. R. Sic, quia per Confirmationē datur Spiritus sanctus, qui non est, nisi cum gratia gratum faciente. *ita D.Tho.p.p.q.43. art. 3. & 3.p.q. 72. art. 7.* Ipsa verò *est quædam qualitas supernaturalis, qua homo formaliter iustificatur, & dignus efficitur vocari Deo gratus.* Dicitur *qualitas*, quia est nitor animæ, qua nos dignos facit in partem Sāctorū sortis in lumine, & hoc per gratiam gratum facientem. *ita D.Tho.1.2.q. 110. art. 2. & q. 111.art.1.* Et distinguitur à gratia gratis data cū sit donum, quod non datur alicui ad vtilitatem propriam, vt homo ipse iustificetur per eam, sed aliorū. Gratum faciens verò est qualitas supernaturalis, quæ datur ad vtilitatem propriam, & iustificatur. *ita D. Tho. 1.2.q.111. art. 1.& 2.2 q.172.*

2. Vnde auxiliū diuinæ gratiæ, quo homo disponitur ad ipsam iustificationem, non est gratia gratis data, sed gratum faciens, quia non confertur ad vtilitatem aliorum sed propriā, & diuina auxilia dātur tanquā dispositiones, quibus homo ipse iustificatur in commodum, & vtilitatem recipientis, & sic opponuntur tamquā duæ partes diuisionis, sicut gratum faciens, & non gratum faciens, *ita D. Tho.p.p.q.43.art.3. & 3.p.q. 72.art.7.*

3. Fides ergò est, ita vt oppositum sit hæresis manifesta, Sacramentum confirmationis causare gratiam, ex operè operato, quia *ita Concii. Trid. sess. 7. can.8. de Sacram.in gener.* Et causat gratiam habitualem omnibus illud suscipientibus, non ponentibus obicem, secundùm suam propriam rationem specificam, quia omnia Sacramēta nouæ legis secundùm rationem specificam continent, & conferunt habitualem gratiam specificantem. *ita Concil. Trid. sess. 7. de Confirm can.2.*

4. Ideò non habet causare gratiam primam iustificantem, quia præsupponunt eā in Baptismo, sicut potentia nutritiua, & augmentatiua essentialiter præsupponunt vitam naturalē. Neque tollere peccatum Originale, quia ità fides docet, & Gregorius XI. hos articulos damnauit. Sed benè præsupponitur, quòd suscipiens Confirmationis Sacramentum habeat primam gratiam, quia augmētum spirituale supponit spiritualem generationem, & vitā, quæ per primam gratiam confertur.

5. Consequenter cùm quis

post Baptismũ mortaliter peccauit, per se loquendo indiget contritione, vel Attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, vt dignè illud, & effectum gratiæ eius recipiat, quia talis gratia per peccatum deperdita recuperatur media contritione, vel Attritione cũ Sacrãmento Pœnitentiæ.

6. Similiter in adulto, vt validè suscipiatur hoc Sacramentum, requiritur cõsensus actualis, vel saltim virtualis, non tàm per modum dispositionis ad effectum huius Sacramenti consequendum, quàm per modum intentionis, & voluntatis necessariæ ad valorem Sacramenti, quia adultus non cõsetiens saltem virtualiter recipere illud, censetur virtualiter saltem contradicere, & contradicenter nõ recipere illud. Ex decentia etiã, & congruitate oportet, vt hoc Sacramentum cum debita attẽtione, & deuotione ab adulto suscipiatur: ex necessitate tamẽ nulla actualis dispositio absolutè requiritur, vt effectus eius, qui est augmentum gratiæ, cõferatur, quia satis est habere habitualem dispositionem, & non ponere obicem. In paruulis autem baptizatis, vt validè suscipiatur illud, nulla actualis dispositio requiritur, quia ætatem non habent, & sufficit consensus Ecclesiæ.

7. Neque est necessarium adulto Confessionẽ Sacramentalem præmittere, antequam hoc Sacramentũ suscipiat, quãdo habet, scilicèt, conscientiam peccati mortalis post Baptismũ commissi, si verè conetur ad Contritionem habendam, quia nullum extat præceptum speciale, quod ad hoc obliget. Et aliquando sufficit Attritio supernaturalis prudẽter existimata Contritio, cùm quis illa Attritione confiteatur de lethalibus, & malitia Sacerdotis non absoluatur, prudenter tunc existimat se esse absolutum, & cõtritum, cùm per Sacramentum Pœnitentiæ fiat pœnitens ex attrito contritus. Iste si posteà accederet ad confirmationem, nedum consequitur effectum gratiæ confirmationis, sed etiam primam gratiã, quia Sacramenta nouæ legis cõferunt gratiam non ponentibus obicem, & iste de se non ponit obicem.

8. Imò accedens bona fide, solùm quia ex ignorantia non habet cõscientiã peccati mortalis, recipit effectum confirmationis, etiam si re ipsa, habeat tale peccatum, dummodò habeat aliquam sufficientem supernaturalem contritionẽ, quia ignorantia inuincibilis excusat quidem à culpa, licèt non sit dispositio sufficiẽs ad effectum gratiæ consequendum. *ita D. Th. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2.*

9. Ideò attritio existimata con-

contritio sufficit ad hoc Sacramẽtum, & ad alia, excepta Eucharistia, quia *ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11.* talis adhuc per Confessionem Sacramentalem se probare debet, vt de pane illo edat, & de calice bibat. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2.* Attritio tamen cognita nõ sufficit, vt dignè accedat ad hoc Sacramentum Confirmationis, quia Confirmatio in hoc est instituta, vt gratiam Baptismalem confirmet: modò hæc gratia per peccatum est deperdita, & per talem attritionem non recuperatur, nisi media cõfessione, vt fiat ex attrito contritus, quãuis hæc attritio sit sufficiẽs dispositio in adulto ad Baptismum, quia Baptismus non supponit gratiam, & secundùm suam propriam rationem specificam facit ex attrito cõtritum; at Cõfirmatio supponit gratiam Baptismalem.

10. Verùm accedens ad Cõfirmationẽ attritione supernaturali existimata Contritione non est necessarium, quòd mẽs illius moueatur in Deum per actualem operationem charitatis, vel pœnitentiæ perfectæ, quia per D. Thom. *loco citato* ad hoc sufficit attritio supernaturalis existimata Contritio. Neque quòd mens hominis suscipientis illud moueatur actu erga Deum in ipsius Sacramẽnti vsu, quando iustificatur, quia satis est, vt huiusmodi motus, vel tunc sit, vel anteà fuerit, etiam si ipso vsu, & susceptione Sacramenti ob humanam infirmitatem distrahatur.

11. Ex his deducitur posse dari hominem medium, accedentem ad hoc Sacramentum, qui neque iustificetur in illo, neque de nouo peccet, vt qui non habet Contritionem, neq; sufficientem attritionem supernaturalẽ, & ex alia parte, quòd probabiliter existimat se esse contritum, modò iste non peccat, quia facit, quod in se est. Non iustificatur, quia nullam habet in se sufficientem dispositionem, vt iustificetur. Idem est etiam, si quis peccauit mortaliter, & naturaliter obliuiscitur peccati commissi, accedens bona fide ad hoc Sacramẽtum, medius remanet, quia non tenetur habere contritionem, & tamen non iustificatur, cùm non habeat dispositionem. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2.* Imò sic accedens ad Confirmationẽ cum conscientia peccati mortalis suscipit characterem eius, quandocunque verè administratur, quia character dum non habet contrarium, semper imprimit, licèt obex in adulto tollat effectum eius, scilicèt gratiam.

12. Verùm Confirmatio excellentiorem gratiam confert, quàm Baptismus, quia per D.

Thom. *3.p.q.65.art.11.ad 3. & q. 72.art. 11. ad 3.* & Melchiadem Papã *in Epist. ad Hisp. Episcop. to. 1. Concil.* via perfectionis Sacramentum confirmationis superare Baptismum, quamuis via necessitatis sit potissimum Sacramentorum. Non quia Confirmatio supponit effectum gratiæ Baptismalis, & addat aliquid aliud, quia alias quodlibet Sacramẽtum daret maiorem gratiam, quàm Baptismus, cùm supponat gratiam Baptismalẽ. *ita D. Thom. loco supra citato.* Sed cùm istæ duæ gratiæ Confirmationis, & Baptismi si considerẽtur secundùm se, prout vna ab altera distinguitur: gratia Confirmationis secundùm se, & per se maior, & perfectior est, quã gratia Baptismalis, quia sicut vir excedit puerum, non solùm magnitudine, cùm eius quantitatem, & aliquid addat, sed etiã si inter se comparentur, maior est quantitas, quæ additur per augmentum, quàm data per generationem; ità in generatione spirituali maius augmentum gratiæ datur in Confirmatione, quàm in regeneratione Baptismi. *ita D. Th. 3. p. q. 72. art. 11. ad 3.*

13. Certum est Sacramentũ eiusdem speciei semper habere æqualem effectum in subiecto æqualiter disposito, quia Sacramentum secundùm se æqualis est perfectionis in omnibus subiectis æqualiter dispositis, eodem modo applicatis. *ita D. Tho. 3. p. q. 69. art. 8.* Et Sacramentum eiusdem speciei confert maiorem gratiam homini magis disposito; quia causæ naturales meliùs operantur circa passum meliùs dispositum. *ita Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. & D. Thom. 3. p. q. 69. art. 8 in corp.*

14. Sed Sacramẽtum distinctæ speciei, quale est Baptism⁹, & Cõfirmatio, nõ habet æqualem effectum in subiecto æqualiter disposito, sed quo vnum est altero perfectius, maiorem gratiæ effectum habebit in subiecto æqualiter disposito, quia congruum est, vt Sacramentũ Confirmationis perfectius Sacramento Baptismi per se maiorem gratiæ effectum causet in subiecto æqualiter disposito, quã alterum minus perfectum.

15. Certissimum est etiam per Sacramentum Baptismi remitti omnia peccata, etiã quantum ad totam pœnam, ita vt si statim moriatur baptizatus, immediatè adduceretur in Cœlũ, quia ità est diffinitum in Concil. Florent. *in Decret. Eugenij IV.* & Concil. Trid. *sess. 5. can. 4. de Peccat. Orig. & sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 2.* Et optimè fieri potest quòd gratia Baptismalis sit remissiua totius pœnæ, & tamen sit minor gratia, quæ confertur per Sacramẽtum Confirmationis, quamuis hæc non sit remissiua totius pœnæ, quia per priuile-

uilegium competit gratiæ Baptismali, vt etiam cum minima dispositione remittat totam pœnam. *ita D. Thom. 3. p. q. 69. art. 2.*

16. Quamuis nostra dispositio ad gratiā Samacramētorum recipiēdam se habeat, vt remouēs prohibēs respectu effectus, tamen respectu maioris, vel minoris gratiæ se habet, vt mouēs, & applicans ad operandum; & ideò quantò melior est dispositio, tantò meliùs operatur Sacramentum, & sic producitur maior, & excellentior effectus, quia gratia est producibilis in infinitum, itá similiter ipsum Sacramētum est melius, & melius applicabile ad operandum etiam in infinitum; consequenter nostra dispositio se habet, vt mouens, & operans, sicut lapidi vt descendat, non solùm tollitur prohibēs, sed etiam ipsum lapidem impellit.

17. Proprius ergò effectus Confirmationis, à quo specificatur, & per quem distinguitur ab alijs Sacramentis est gratia, secundum quod continet robur spirituale ad firmiter profitendam fidem publicè contra hostes ipsius fidei, itá quod cōfirmatus non solùm fit miles, sed quasi dux in Ecclesia, quia *ita diffinitum in Concil. Florent. in Decret. Eugenij IV.* Vnde singula Sacramenta proprias Sacramētales gratias conferunt suscipiētibus illa, quia aliàs non possit reddi ratio, cur quædam Sacramenta possent iterari, & non alia, & frustra multiplicarentur Sacramenta, si omnia ad eumdem effectum essent ordinata. *itá D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 5.*

18. Verùm gratia Sacramētalis, quæ confertur per Sacramentum Cōfirmationis, & per alia Sacramenta suscipientibus illa, non est alius habitus realiter distinctus à gratia gratum faciente, seu à gratia communiter dicta, quia excogitari nō potest aliquis actus huiusmodi, qui ad aliquam virtutem infusam, vel donum Spiritus sancti non pertinet. Sed gratia Sacramētalis tantùm addit super gratiam gratum facientem, quæ dicitur gratia cōmuniter dicta, quādam perfectionem, & entitatem realem, quia illud, quod addit gratia Baptismalis supra illam, est effectiuum proprij effectus Sacramēti, per quod cōfertur; sed tale effectiuum est aliqua perfectio, & entitas realis, cū in operibus Dei nihil fit frustra. *ita D. Th. 3. p. q. 72. art. 3. ad 3.* Seu addit quoddam donum supernaturale gratuitum, quod non habet ille, qui non suscipit Sacramentum, quia homo suscipiens Sacramentum, verè dicitur operari, & producere illū effectum, ad quem ordinatur Sacramentum. *itá D. Thom. loco citato art. 7. ad 3.* Et donum hoc gra-

gratuitum per Sacramentum superadditum super gratiam gratum facientem est aliqua perfectio realis, quæ in illa est permanenter, & non per modũ transeuntis, quia habẽs gratiam Sacramentalem vtitur illa, quotiescunque vult.

19. Similiter gratia Sacramẽtalis, quæ confertur suscipienti Confirmationem, vel alia Sacramenta, non distinguitur realiter materialiter à gratia virtutum, & donorum, idest à gratia, ad quam sequuntur virtutes, & dona; sed tãtùm realiter formaliter, quia ista gratia non est habitus distinctus, sed modus superadditus, & modus realiter formaliter distinguitur à re, cuius est modus. *ita D. Th. 3. p. q. 72. art. 7. ad 3.* Si verò gratiæ Sacramentales considerentur quantùm ad id, quod est commune in illis, vt gratia gratum faciens, non differunt specie inter se, quia qualitates, quarum vna auget alteram, nõ distinguntur specie inter se, sed sunt eiusdem speciei. *ita D. Thom. loco citato.* Quoties gratia Baptismalis gratum faciens per gratiam Confirmationis, siue per merita, siue per alia Sacramenta crescit; non multiplicãtur diuersæ qualitates, sed prima gratia diuinitùs infusa per secundam gratiam per intentionem augetur, quia gratiæ gratum facientes, siue sint primæ, siue secundæ eiusdẽ sunt speciei.

20. Nota, quòd gratia gratum faciens dicitur prima, eo quod homo ex iniusto redditur iustus, ex inimico amicus, & ex ingrato gratus Deo: & hanc primam gratiam causant Sacramenta dicta Mortuorum, scilicet Baptismus, & Sacramẽtum Pœnitentiæ per se, & secũdùm rationem specificam, quia dant primum esse diuinũ essentiale: gratia vero secunda gratũ faciens causatur per Confirmationẽ, & cætera alia Sacramẽta, quę supponunt hominem Deo gratum: & ea magis amicũ, & magis Deo gratum per gratiã, per quam conferunt, illam efficiunt: & ob id dicuntur per se Sacramenta viuorũ, & causare secundã gratiã gratũ facientẽ. *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2.*

21. Rursus gratia prima gratum faciens duplex, scilicèt gratia simpliciter prima, vt est gratia Baptismalis, quæ datur per modum regenerationis, quia dat in toto vitæ tempore primũ esse diuinum, & est sufficiens, vt distinguatur Baptismus a cęteris Sacramentis. At gratia nõ simpliciter prima, vt est gratia Sacramenti Pœnitentiæ, quæ confertur post lapsum, & spiritualem mortem per modũ resurrectionis, curationis, & sanitatis animæ, & est maior, vel minor iuxta dispositionem pœnitentis, & est sufficiens, vt Sacramen-

men-

mentum Pœnitentię distinguatur à cæteris, sicut Confirmatio distinguitur ab alijs, quia per illud confertur augmentum gratiæ ad fidem firmiter, & publicè profitendum.

2. Vnde gratiæ Sacramentorũ consideratæ solùm secundùm rationem communem gratiæ gratum facientis sunt eiusdem speciei Athomæ; cõsideratæ verò secundùm illud, quod addunt supra gratiam gratum facientem communiter sumptam differunt specie, quia ordinantur ad quosdam speciales effectus. Sicut omnes colores, in quantùm sunt passibiles qualitates, sunt vnus color secundùm speciem Athomam, quia omnes secundum hanc consideratione͂ sunt eiusdem speciei. In quantùm verò ordinãtur ad diuersos effectus, specie differunt, quia specificãtur à termino ad quem ordinãtur: ita gratiæ Sacramentales sunt vna vt gratia gratum faciens; differunt specie quia respiciunt, & causant diuersos affectus in vita spirituali. *ita D. Thom. loco citato ad 3.*

23. Tandem proprius effectus huius Sacramenti Confirmationis, scilicèt firmitas profitendi fidem est in ipso charactere Confirmationis, quia ad hoc infunditur diuinitùs character Confirmationis. Item hæc firmitas etiam reperitur in habitu fidei, tamquam in principio proximo, quia datur ad publicè, & ex officio profitendam fidem. Item etiam hæc firmitas reperitur in gratia gratum faciente, tanquam in principio radicali, & remoto, quia ipsa est principium radicale omniũ virtutum, & donorum. Et licèt modus firmitatis, qui est effectus proprius Confirmationis, & à gratia Sacramentali gratũ faciente, solùm realiter formaliter distinguatur ab ea, cùm nõ sit nouus habitus, sed quidam modus gratuitus superadditus ipsi gratiæ gratum facienti, tamen modus firmitaris profitendi fidem, & qui est in habitu fidei, distinguntur inter se realiter materialiter, quia illarum habitus sic distinguntur, similiter, & modi, qui differenter reperiuntur in ipsis. *ita D. Tho. 3. p. q. 72 art. 7. ad 3.*

ARTICVLVS VIII.

An Sacramentum Confirmationis sit omnibus exhibendum?

1. ℟. Sic, quia homo in pueriliætate potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, cũ multi in puerili ætate propter robur Spiritus sãcti perceptum, vsq; ad sanguine͂ fortiter certauerũt pro Christo. *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 8. ad 2.*

2. Vnde omnis homo baptizatus est subiectũ capax Confirma-

firmationis, non autē qui baptismo caret, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorū, & character eius est veluti potentia passiua ad omnia Sacramenta. *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij, & D. Thom. 3. p. q. 72. art. 6.*

3. Ideò certum est, quòd si cōferatur Confirmatio paruulis ante vsum rationis, est validum Sacramentum, & confert illis proprium illius effectum, quia ante vsum rationis sunt capaces Baptismi, & gratię Baptismalis. *ita D. Tho. 3. p. q. 72. art. 8. in corp.* Et licet pro illo statu pueritiæ per accidens non sunt apti ad spiritualem pugnam, & ad publicè profitendam fidem, tamen sunt capaces, vt armentur ad pugnam, vt tempore opportuno actu profiteantur publicè, & firmiter ex officio fidē. Verùm nō est conueniens ante vsum rationis confirmare pueros, quia in omnibus Sacramentis præter Baptismum necessariò requiritur intentio suscipientis, cùm ità exigat ipsa dignitas Sacramentorum. *ità in cap. vt ieiuni de Consecrat. dist. 5.*

4. Olim in principio nascentis Ecclesiæ mos erat, vt infantibus statim post Baptismum cōfirmatio daretur, quia erant persequutiones in Ecclesia, necesse erat, quòd infantes essēt fortiores, & firmiores ad profitendam fidem, quando veniebant ad vsum rationis, maximè tunc erant pauci Episcopi, & non erat facilè expectare in paruulis vsum rationis. Modò est mos, vt infantes ante vsum rationis non confirmentur, quia cùm sit Sacramentum non iterabile, conuenienter recipi debet in illa ætate, in qua suscipiens memor sit, ne iterum suscipiat; propter hoc à ministro Alapa percutitur: nisi adsit extrema necessitas illa recipiendi, vt dixi de Baptismo.

5. Similiter sufficit ętatis septennium ad confirmationem conuenienter suscipiendam, sicut etiam ad primam tonsuram, quia tunc tēporis paruuli vsu rationis communiter sunt præditi. Interdum etiam ante dictam ætatem, si vsu rationis præditi esse videntur: ne etiam fortè omissa occasione diù priuarentur absq; causa, vel ne in periculo mortis discedāt ex hac vita, maiorem gloriam, duplicemq; characterem in anima consequi non possit. At vbi viget consuetudo ante dictam ætatem confirmari, nō est peccatum mortale, quia non videtur res grauis, quòd conferatur ante ætatē, cùm multi Doctores hoc affirmant, & est probabilis sententia. Ideò morituri infantes, seù pueri rectissimè confirmari possunt, quia licèt non sint præliaturi, etiam sine actuali pugna ad præmium, & glo-

gloriam cœlestem meliorem perueniunt, cùm confertur secunda gratia, & auget primam Baptismalem. *ità Innocentius I. in Epist. ad decentium & D. Tho. 3. p. q. 72. art. 8. ad 4.*

6. Similiter qui vsum rationis semel assequutus, si posteà in amentiam incidat, cõfirmari debet, quia adest interpretatiua hominis voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramẽta ad animarum salutem instituta: nisi constet aliquem mortali peccato obnoxium, in amẽtiam incidisse, quia indignis nõ sunt administranda Sacramẽta. Sed si sit spes recuperãdi vsum rationis, expectandum est, quia par est, vt cum actuali deuotione, & reuerentia Sacramentorum, recipiatur. Si verò non cõstat publicè de peccato, tũc est confirmandus, quia semper præsumitur bonus, qui nõ probatur malus. Item perpetuò & natis in amentia est ministrandũ, quia per accidens est, quòd non sit spiritualiter militaturus, non par est priuari tanta gloria. *ità D. Tho. 3. p. q. 72. art. 8. ad 2. & 4.*


7. Similiter etiam surdis, & mutis, dummodò non sit publicũ, quòd sint in peccato mortali, quia augetur gratia, si non constet, illos esse indignos propter obicem peccati. Ideò amẽtes, qui lucidis interuallis gaudent, & nõ est publicum, quòd sint in peccato, non solùm possunt confirmari, dum lumine rationis vtuntur, sed etiam in amentia, nisi anteà contradixerint, quia difficile est, & incertum expectare tempus, quando lumine rationis vtuntur.

8. Verùm fideles non habẽt diuinum præceptum suscipiẽdi confirmationem, quia omnes vno ore fatentur non esse de necessitate salutis, sicut Baptismus, iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit &c.* Pœnitentia post lapsũ, iuxta illud, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Eucharistia, quia est finis Sacramentorum, iuxta illud, *Nisi manducaueritis &c. non habebitis vitam in vobis.* Ista sunt de præcepto; secùs confirmatio, quia solùm datur ad meliùs esse, scilicèt ad fortiùs profitendam fidem. *ità D. Tho. 3. p. p. 72. art. 8. ad 4.* Nullum ergò est præceptum positiuum ab Ecclesia, quia in iure Canonico non præcipitur imperando, sed dicitur esse valdè vtilè, vt confirmentur. *ita D. Th. loco citato.* Imò certum est, per se loquendo, mortaliter non peccare, qui non vult illud suscipere, nam non est sub præcepto diuino, quia in sacra scriptura solùm legitur de Baptismo. Neq; Ecclesiastico, quia Ecclesia tãtũ præceptũ Eucharistiæ, & Pęnitẽtiæ posuit. Neq; est veniale, nõ velle suscipere, quia pręcepta sub cõcilio omittere, nullum est peccatum.

9. Satis grauiter peccat, qui primam tonsuram, vel Ordines recipit ante Confirmationem, quia facit contra consuetudinē Ecclesiæ, & admonitionem Concil. Trid. *sess. 23. cap. 4. de ref. form.* Sed per se loquendo, non videtur peccatum lethale, quia sub Concil. non videtur introducta sub obligatione mortali. Ideò omissa opportunitate cōsequendi illud ex negligentia, nō mortaliter, sed venialiter, & nimis grauiter peccat, quia sola negligentia tantùm venialis est, cùm nō videatur vlli præcepto contraria. Peccat tamen mortaliter, qui per contemptum prætermittit, quia qui Sacramētum contemnit, & Christum spernit, idq; est sacrilegium: *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 8. ad 4.* Notabilis verò negligentia non cēsetur contemptus, quia ille verè, & propriè contemnit, qui ideò principaliter omittit, quod paruifacit, vel omittit, quia non vult subici legi, seù regulæ, vel Prælato: *ita D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3.* Sed potest peccare mortaliter ratione scādali, dum ità se publicè gerit, vt speciem contemptus alijs præbeat, quia scandalum oritur ex eo, quod apparet suspicio cōtemptus in re graui. Adhuc etiam per accidens ratione cōscientiæ, & charitatis propriæ omissio confirmationis potest esse peccatum mortale, vt si quis practicè sibi persuadeat sine hoc medio, nō posse tentationes contra fidem vincere, aut esse in morali periculo, vt in tormentis superetur, & vincatur, quia tunc se exponeret periculo amittendi fidē. Itē si quis habēs conscientiam peccati mortalis, vel existens in periculo mortalis, sub culpa lethali tenetur suscipere hoc Sacramentum, quia si fortè esset tantùm attritus, virtute illius fieret cōtritus, & vi Sacramenti iustificaretur, vt scilicèt existens in periculo mortis, & non adest alius sufficiens minister Cōfessionis, nisi solus Episcopus, nolens ex aliquo timore vano, vel prauo errore Confessionem audire, paratus tamen, & potens ad confirmandum fideles, tunc talis tenetur sub mortali ad confirmationis Sacramentum suscipiendum.

10. Tandem Episcopi iure diuino tenentur ad confirmandos suos subditos, quia tenentur adhibere media secundùm se ordinata, vt subditi promoueantur in bonum spirituale. Ideò minister huius Sacramenti in sua diœcesi tenetur sub mortali aliquoties opportunis temporibus ministrare suis subditis Confirmationem ratione sui muneris, & officij, quia cum sit pastor, tenetur pascere oues suas, non solùm in his, quæ simpliciter necessaria sunt ad salutem, sed quæ ad vtilitatē illa-

illarum sunt instituta. Vnde Episcopus nō confirmatus etiā validè potest suos subditos cōfirmare, quia in charactere Episcopali fundatur essentialis potestas alios confirmandi. Et licet possit confirmare, non tamen suscipere in Confirmatione, nec suscipiendo contrahit affinitatem, *quia ita in Canon.* Nō tamen Episcopus electus, & non consecratus, quia dum nō est consecratus, non habet characterem Episcopalem. Peccare namque mortaliter talem Episcopum non confirmatum alios confirmando certum est, quia maxima indecentia, dum non est vrgēs in hoc Sacramēto necessitas, sicut in Baptismo, *ita D.Tho. 3. p. q. 67. art. 3.* Et sic peccat mortaliter suscipiēs ordinem Episcopalem ante Confirmationem, quia tenetur ratione officij subditos cōfirmare. Et quamuis suscipiens primam tonsuram. & ordines minores sine confirmatione non peccet lethaliter, benè tamen Ordines Sacros, & Sacerdotiū, quia Sacerdotes in Ecclesia Dei sunt duces principales in militia spirituali, quibus indecens est non habere signum ducis Ecclesiastici.



ARTICVLVS IX.

An ille, qui confirmatur, debeat teneri ab alio?

1. R. Sic, quia Tyrones in bello indigēt instructore, à quo erudiantur, & debent ab alio substentari, quasi adhuc spiritualiter imbecilles, & pueri. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 2. 4. & 5.*

2. Verùm susceptor, & Patrinus neque in Baptismo, neq; in Confirmatione, est de essentia Sacramenti, quia solùm materia, forma, & intentio ministri sunt de essentia. *ità Concil. Florent. in tract. de Sacram.* Sed est peccatum mortale hanc cæremoniam iure Ecclesiastico requisitam amittere, quia videtur esse præceptum Ecclesiæ; *ità in cap. catech. de consecrat. dist. 4.* Patrinus ergò iste, si non sunt alij, vel parentes eius negligentes, tenetur illum docere de pertinentibus ad fidem, quia Patrinus est pater, cuius officium est docere filium in vita spirituali, & tamquam Pædagogus adhibere curam de illis. *ita cap. catechis. de consecrat. dist. 4. & D. Tho. 3. p. q. 67. art. 8. in corp.* Hæc autē obligatio in Patrino Baptismi, seù Confirmationis durat, donec baptizatus, vel confirmatus in rebus fidei ad ipsum pertinentibus, sit sufficiēter instructus,

ctus, quia tunc censetur esse extra statum infantiæ vitæ spiritualis, in quo Pædagogo indigebat.

3. Rursus legitimus Patrinus in Baptismo, vel in Confirmatione potest esse puer cuiuscũque ætatis, dummodo habeat vsum rationis necessarium ad culpam lethalem contrahendã, quia in tali puero experiri potest legitima intentio faciendi, quod alij Patrini efficiunt. Et licèt regulariter requiratur, q̃ sit doctus, & aptus ad erudiendum, aliàs etiam senio confectus, & iam iam moriturus non potest fieri Patrinus, quod nemo audet dicere, neq; id negare debet de infante doli capace, cum huiusmodi maior sit spes instruendi, quam in senio. Ideò non exigitur, vt quis fiat verè Patrinus, vt excedat ætate Baptizatum, seù confirmatum, q̃a ea nõ distinguit inter sexũ, & sexũ, ætatẽ, & ætatem. *ita cap. solitæ. de maior. & obed. & D. Tho. in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. ad 5.*

4. Nota, quòd est differentia inter paternitatem spiritualem, & paternitatem adoptionis legalis; Quòd illa est regeneratio in Christo, in quo non est distinctio personarum, & ideò indifferenter potest quilibet effici pater, & patrinus spiritualis alterius. Adoptio verò legalis tendit ad hereditatis successionem, & ad quandam subiectionem adoptati adoptãti: ideò leges petunt adoptantem seniorem esse adoptato, *ita D. Thom. loco citato.*

5. Puer tamen, qui non gaudet vsu rationis, si suscipit confirmandum, non efficitur verè Patrinus, neque contrahit cognationem spiritualem, quia non fruens vsu rationis nequit exercere illam cum legitima intentione, sed materialiter instar bruti. Neque quis contrahit per solam externam susceptionem voluntariam Baptizati, vel confirmati; quia *ita cap. Tua nos, de Sponsalibus*. Maximè cũ Ecclesia statuit à veris suscipiẽtibus contrahi cognationẽ; non autem qui fictè, & gratia maioris cõmoditatis, scilicèt ad matrem inuitandam pueri Baptizati, vel puellæ confirmatæ, vel vt morem parentum gerat. Et quamuis nõ desiderari, vt quis fiat Patrinus, intendat cognationem aliquam paternitatis, aut compaternitatis contrahere, quia cognatio spiritualis nõ à propria voluntate descendit, sed est accessoria ex statuto Ecclesiæ, necessariò contrahit cognationẽ spiritualem, velit nolit. Tamen necessariò exigitur, quòd intendat efficere, quod Patrini efficiunt, scilicèt exercere actum illum suscipiendi institutũ ab Ecclesia Dei, quia sicut baptizans absq; vero animo faciendi, quod intendat Ecclesia;

clesia; nec verè baptizat, nec verè contrahit; ita in Confirmatione. Secùs est in affinitate ex copula carnali habita, cũ fœmina prorsus inuita, ignorãte, dormiente, ebria, insana, & absque vlla intentione adhùc contrahit affinitatem, quia affinitas contrahitur per eam copulam, quæ satis est ad generationem. Sed in patrinis necessariò exigitur intentio exercendi actum illum suscipiendi ab Ecclesia institutum, quia Ecclesia sic instituit, vt dependenter à volũtate ipsius susceptoris hæc affinitas contrahatur.

6. Verùm in foro exteriori non est credendum iuramento Patrini testantis se non habuisse animum tenendi instar Patrini, quia *l. labeo. 7. versus idem ff. de Supellect. legat. & D. Tho. quodlib. 1. art. 12.* ait, quod in foro externo, & iudiciali creditur homini contra se, non autem pro se. Sed si nullo alio pacto constaret, fides est adhibenda, & quod susceperit, & quod nõ habuerit animum obeũdi munus Patrinis ab Ecclesia institutum, si id iuramento testatur, quia *ita cap. ex dictis de præscript. num. 30. & 31.*

7. Similiter probabile est asserere, quòd qui per errorem leuat filium Petri, existimans se Filium Pauli leuare, contrahit affinitatem cum filio Petri, & cum eius parentibus, & non cum filio Pauli, nec cum parẽtibus eius, quia non est, vnde hæc cognatio spiritualis inter illos oriatur. Sed veriùs dicendum est, quòd neque cum filio Petri, neque Pauli, neque cum eorum parentibus contrahere cognationem spiritualem, quia errantem in persona, non contrahere cognationem spiritualem maximè deficiẽte consensu. *ita cap. vnic. 29. q. 1. §. his ita respondetur.*

8. Similiter nõ confirmatus tenens aliquem in Confirmatione verè non fit Patrinus, nec cõtrahit cum illo, nec cum parentibus eius cognationem spiritualem, quia *ità in cap. in Baptismate de consecrat. dist. 4.* E contra fidelis non confirmatus, etiam hæreticus suscipiens in Baptismo baptizãdum, vere fit patrinus, contrahens cum baptizato, & cum eius parentibus cognationem spiritualem, quia character Baptismalis per se loquẽdo est sufficiens, vt susceptor in Baptismo sit capax huius cognationis spiritualis. Ideò Infidelis, licèt Cathecumenus, non est capax huius cognationis spiritualis, quia sicut qui nondùm carnaliter est natus, nulli potest esse aut pater, aut cognatus; ità, qui non dùm est regeneratus pater, aut cognatus esse nequit. *ita in cap. Baptismate de Consecrat. dist. 4.*

9. Similiter omnibus claustra-

stralibus interdicitur suscipere in Baptismo, vel Cōfirmatione; quia *ità in cap. Placuit communi. 16. q. 1. & in cap. Non licet de Consecrat. dist. 4.* At si teneant, fiunt veri compatres, quamuis peccent, quia illis interdictum est per Sacros Canones. Sed Religiosis etiam Claustralibus licere baptizare, quia *ita etiam ex cap. dictos 16. q. 1.* Sed Religiosus promotus ad Episcopatū licitè esse potest Patrin' Baptismi, vel Confirmationis, quia *ità in cap. supradicto, & etiam praxi.*

10. Sed nimis probabile est non confirmatum tenentem alium in confirmatione peccare mortaliter, quia reddit cæremoniam tàm grauem nullam, cùm non efficiatur verè Patrinus, nec contrahit cognationē. *ità ex cap. in Baptismate de Consecrat. dist. 4. & D. Tho. 3. p. q. 72. art. 10. ad 2.* Verùm susceptores in Baptismo, vel Confirmatione tunc verè efficiuntur Patrini, & contrahunt cognationem, dum aqua effunditur puero in Baptismo, vel in confirmatione dùm ab Episcopo Chrismate puer vngitur, in quibus substantia horum Sacramentorum consistit, imò sufficit tenere illum vestitum sacris vestibus, quia *ità in cap. si quis filiorum 30. q. 1.* Cęteri verò inuoluentes, comitantes puerum baptizandum, vel confirmandum, similiter tenentes ad Cathechismos, & exorcismos, & ad omnes alias cæremonias, nec efficiūtur Patrini, nec contrahūnt, quia *ità statutum est in cap. si filiorū 30. q. 1.* Excepto eo, qui primus, ac statim leuat puerū de Sacro fonte; quia ità Sacra Congregatio cēsuit. Ideò non quicunq; tactus momentaneus digito, vel manu dum puer baptizatur, aut confirmatur, satis est, vt efficiatur verè Patrinus. Neque sola assistentia sine tactu, quia *in cap. si quis ex vno coniugio 30. q. 4. & cap si quis Filiastrum 30. q. 3. & in cap. Quamuis non plures de cognat. spirit. in 6. & in Concil. Trid. sess. 24. de matrim. cap. 2. & D. Thom. 3. p. q. 72. art. 10. in corp.*

11. Mutus verò in susceptione Baptismi, vel confirmatione est verè Patrinus, quia sola susceptio ponderatur, sed benè in Cathechismo desideratur pro puero Patrini responsio, per quem non contrahitur. *ita in Can. Ne dum de cognat. Spirit. in 6.*

12. Similiter infidelis etiam Cathecumenus baptizans, vel suscipiens in Baptismo, vel Cōfirmatione filium fidelis non cōtrahit cognationem spiritualem, quia non obstringitur legibus Ecclesiasticis, cùm nō sit subditus Ecclesiæ. *ità D. Tho. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3.* Imò si talis posteà baptizatur, etiam cum matre filij, quem de fonte leuauit, vel in confirmatione suscepit, validum contrahere matri-

mo-

monium, si nullum aliud obsit impedimentum, quia nulla fuit orta cognatio spiritualis, cùm nō sit renatus in Christo. *ità cap. in Baptis. de Consecrat. dist. 4.* Quãuis Cathecumenus tenens puerum, dum fit Cathecumenus ante fores Ecclesiæ, contrahitur cognatio spiritualis imperfecta, & secundùm quid; ideò impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit, si de facto contrahatur, quia cognatió spiritualis perfecta, nedum impedit contrahendum, sed cōtractum est nullum, *ità ex cap. Cathechismum de cognat. spirit. in 6.*

13. Sed si Christianus vnà cū infideli suscipit puerum in Baptismo, vel in Confirmatione, contrahit Christianus cognationem spiritualem, quia licèt infidelis sit incapax, est capax tamen fidelis cognationis. At fidelis baptizans filium infidelis non contrahit cum parentibus infidelibus, quia cùm cognatio spiritualis sit quædam relatio, non potest ab altero contrahi, quin ab vtroque contrahatur, cùm relatio duo extrema habilia necessariò petat. Ideò potest fidelis baptizans, vel suscipiens filios infidelium iungi matrimonio cum talibus parentibus infidelibus, si postea baptizentur, quia inter illos nulla suborta est cognatio spiritualis.

14. Nequit tamen fidelis baptizans filium alicuius infidelis validum inire matrimonium cum tali persona à se baptizata, vel suscepta de sacro fōte, quia medio Baptismate redditur capax cognationis spiritualis, quod non verificatur in infideli baptizante, cùm sit incapax cognitionis spiritualis, quia ex regula iuris est; quod à principio irritū fuit, conualescere nequit. *ità de reg. iuris. in 6. & reg. quod arbitrio. ff. de reg. iuris.* Et quod infidelis occidēs virum mulieris Christianæ, machinãte hac in viri morte, non potest conuersum ad fidem cum ipsa validè inire matrimoniū, quia hoc impedimētū oritur ex parte mulieris Christianæ consentientis in mortem mariti, in pœnam, & odium delicti.

ARTICVLVS X.

An solus Episcopus sit minister Sacramenti Confirmationis?

1. R. Sic, quia ità diffinitū est in Concil. Florēt. *in Decret. Eugenij.* & Concil. Trid. *sess. 7. can. 3. de Confirm. & D. Tho. 3. p. q. 72. art. 11. & ab Vrbano I. in Epist. ad omnes Christianos & in cap. omnes fideles de consecrat. dist. 5.*

2. Ideò quilibet Episcopus est sufficiens minister huius Sacramenti, ita vt si alienas oues confirmet, factum tenebit, licèt peccet, vsurpando alterius iurisdictionem, quia talis potestas

est

est Ordinis Episcopalis, non autem iurisdictionis.

3. Certum est Episcopum esse necessarium ministrũ huius Sacramenti necessitate præcepti, quia ad indicandum perfectum finem huius Sacramenti conueniens fuit, quod esset in Ecclesia Dei præceptum traditum à Principibus illius, scilicèt Episcopis. *ita Concil. Trid. sess. 7. can. 3. de confirm.* Etiam est necessarium necessitate Sacramenti, ita vt si illud tentet conficere simplex Sacerdos, nihil efficiet, quia Apostoli fuerunt missi Samariam ad confirmandos fideles, & Episcopi sunt successores Apostolorum. *ita Cõcil. Trid. loco citato.*

4. Hinc est, quòd nullus Presbyter ex vi suæ Ordinationis est sufficiens minister Confirmationis, quia *ità cap. tua nos quoq; dist. 5. de Consecrat. & cap. quantò de consuetudine. Et D. Thom. 3. p. q. 72. art. 11. & Concil. Trid. loco citato.* Benè tamen ex commissione, & dispositione Papæ, potest simplex Sacedos validè, & licitè illud ministrare, quia *ità Concil. Florent. de Decreto vnionis Concil. Trid. loco citato Senonense. Ità D. Gregorius Magnus lib. 3. Epist. 26. in cap. peruenit. dist. 95. Gregorius XIII, Adrianus VI.* cùm licèt non sit necessarium ad salutem, est tamen maximæ vtilitatis.

5. Vtrumque ergò est ex institutione diuina, scilicèt vt & Episcopus sit minister ordinarius Confirmationis, & simplex Sacerdos per Characterem, & Ordinem suum Sacerdotalem sit extraordinarius ex dispensatione Papæ, quia sicuti ex institutione diuina laici sunt instituti ministri extraordinarij Baptismi, ità etiã simplices Sacerdotes sunt extraordinarij in Cõfirmatione. *ità Concil. Florent. & Sãctus Gregor. Papa lib. 3. Epist. 26.*

6. Vnde solus character Ordinis Sacerdotalis est sufficiens principium, vt simplex Sacerdos ex vi suæ Ordinationis, in potentia tamen remota constituatur minister extraordinarius Confirmationis ex dispensatione Papæ, quia cùm Confirmatio sit magnæ vtilitatis, congruũ fuit, vt in absentia ministri Ordinarij, scilicèt Episcopi, constitueretur minister extraordinarius, ne carerent in vrgente necessitate ministro illius. Vnde character simplicis Sacerdotis est potestas capax, sed imperfecta, & adiuncta dispensatione Papæ, validè, & ritè Sacramentum Confirmationis ministrat per potestatem Sacerdotalem, quia ex institutione Christi character Sacerdotalis potest sufficere, non tamen per se, & veluti præcisè vi sua, cùm essentialiter, absolutè, & simpliciter dependeat tantùm ab ordine Episcopali, sed quasi extensus, vel ap-

applicatus per concessionem Papæ. *ità cap. peruenit. dist. 95. & D. Gregorius lib. 3. Epist. 26. & D. Thom. 3. p. q. 72. art. 11. ad 1.*

7. Verùm talis Sacerdos ministrans hoc Sacramentum ex commissione Papæ, necessariò debet vti chrismate ab Episcopo consecrato, & in hoc nulla est dispensatio, quia primum habetur ab vsu, & traditione Ecclesiæ, super secundum nullibi in iure legitur fuisse dispensatum; *ità Concil. Vormaticensi. Can. 3.* Quamuis videatur illud maius, & hoc minus, quia in his, quæ pendent ex voluntate, & institutione Christi, non valet argumentari à maiori ad minus.

8. Similiter solus Papa vrgẽte necessitate hoc committere potest. Secùs quiuis Episcopus etiam in sua diœcesi cuilibet suo Presbytero, quia plenissimã iurisdictionem, & eminentem potestatem vniuersalis Ecclesiæ non habet, sicut Papa, cùm hoc, & alia multa pertineant solùm ad præeminẽtem auctoritatem, & plenissimam iurisdictionem ipsius. Etiam Papa electus, nondum consecratus habet hãc potestatẽ, quia hoc nõ est actus ordinis, sed potestatis plenissimæ iurisdictionis. Imò si Papa electus sit simplex Sacerdos, potest, si velit, & rationabilis causa occurrat hoc Sacramentum fidelibus ministrare secum ipse dispensando, & sibi ipsi hoc ministerium committendo, quia vt talis potest committere simplicibus Sacerdotibus, poterit & sibi ipsi committere; aliàs peioris conditionis, quàm illi.

9. Item si potestas hęc absolutè concedatur tali Sacerdoti simplici, potest mortuo Papa illud ministrare, quia gratia facta alicui testandi, vel audiendi, vel prædicandi non expirat morte concedendis, *ita cap. si cui. de præben. in 6.* Sed extinguitur, si concedatur cum addito, *vsque ad nostrum beneplacitũ*, quia beneplacitum personæ dependet ab eadem persona, *ita cap. si gratiosè. de rescriptis. in 6.* Si verò additus dicit *vsque ad beneplacitũ Sedis Apostolicæ* non expirat post mortem cõcedentis, quia aliud est, cũ scribit persona, & aliud cùm scribit dignitas, cùm volũtas personæ morte extinguitur, sedes verò perpetua, donec à successore, vel ab eodem reuocetur. *ita cap. supradicto.*

10. At expirat morte concedentis, si additur, *Donec voluero, vel donec aliud ordinauero, vel ad meam voluntatem*, quia mortuo concedente gratiam, nequit durare eadem voluntas concedentis. Sed si dicat, *Donec reuocauero*, durat donec ab ipso, vel successore reuocetur, quia talis hæc additio importat actum positiuum nouæ vo-

luntatis aliter disponentis, vel gratiā reuocantis: at talis actus non fuit in vita habitus. Neq; perire gratiam, si fiat cum addito, *ad annum, & ad nostrum beneplacitum*; quia non expirat, nisi post lapsum tempus. Neq; cessat cum addito, *donec aliquid decreuero, vel aliquid fecero*, quia post obitum, non valet Papa illud efficere, neque aliud decernere; sed manet perpetuā, donec reuocetur.

11. Rursus si Papa confert hāc potestatem simplici Sacerdoti sine rationabili causa, peccaret quidem mortaliter, quia concessio est res grauissima, & rarissimè legitur, *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV*. Tamē si fiat, valida erit, etiam absque rationabili causa concessa, quia habetur in Concil. Senoensi, quòd hæc facultas potest concedi simplici Sacerdoti per modum priuilegij: ad priuilegium enim nihil aliud exigitur, quā quod constat esse concessum.

12. Similiter qui non est Sacerdos, etiam ex dispensatione Papæ, minimè potest administrare hoc Sacramentum, & si intendat illud conficere, Sacramentum nullum, quia talis nō habet potestatem supra corpus Christi verum, neq; supra corpus eiusdem misticum. Sed benè Episcopus quamuis excommunicatus, vel hæreticus, vel degradatus potest Confirmationis Sacramentum validè administrare, quia Episcopus sēper Episcopus est, etiā existens in peccato mortali. *ita in Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV. & Concil. Trid. sess. 7. can. 3. de confirm.* Quamuis sit controuersia inter Doctores Theologos, & Canonistas. An consecratio Episcopi exprimat nouū characterem, vel augeat Sacerdotalem? Tamen cōsecratio Episcopi est indelebilis, quia *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 4.* Et quādo Episcopus, vel Sacerdos degradatur, non amittit characterem, sed priuatur vsu consecrationis Episcopalis, & priuilegijs Sacerdotij, quia degradatio est pœna Ecclesiastica qua vir Ecclesiasticus priuatur omninò exequutione Ordinis, & beneficij administratione, & omni priuilegio clericali absque spe restitutionis. Imò actualiter degradatus Sacerdos celebrans verè confert Ordines, licèt peccet mortaliter, quia characteres sunt indelebiles, sicut & quarumcunque rerum consecrationes perpetuæ sunt; nec amitti, nec reiterari possunt. *ita D. Thom. 3. p. q. 63. art. 5.*

13. Olim in Ecclesia erat consuetudo, vt tēpore Paschali, & Pentecostes Sacramentū Cōfirmationis administraretur, quia ita erat statutum in Concil. Parisiensi *sub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. 33.* Vlus tamen, & con-

& consuetudo iàm obtinuit, vt omni tempore administraretur, quia consuetudo etiam indulsit, vt Baptismus quolibet tempore conferretur. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 12. ad 1.*

14. Locus est Ecclesia, in qua hoc Sacramentum debet conferri, quia *ita in Clement. de Baptismo. & in cap. Responso: extra de sentent. excomm.* Verùm licèt confectio chrismatis tantū fieri debeat in Ecclesia, tamen Confirmationis Sacramentum potest dari in quolibet decenti loco, quia *ita in Pontificali Romano.* Tamen absq; iuxta causa non est recedendum à consuetudine Ecclesiæ. Ideò peccaret Episcopus conferens extrà Ecclesiā, quia iàm consuetudo obtinuit, vt detur in Ecclesia. Non tamen esset culpa lethalis, quia non est recepta cum tanto onere.

15. Similiter conferens hoc Sacramentum vestibus sacris indùi debet, quia sic præscribitur in Pōtificali Romano. Quā cæremoniā omittere esset peccatum mortale, quia est consuetudo perpetua in Ecclesia.

16. Item tàm confirmans, quàm confirmandus accedere ieiuni, non est ex necessitate præcepti, sed solùm est ex decētia, quia ex Decretis citatis nō sunt verba indicātia obligationem præcepti, sed potius eorū lex est obrogata. *ita D. Thom. 3. p. q. 72. art. 12. ad 3.*

17. Item post factā vnctionem substantialem chrismatis in fronte, congruè vitta lineà caput confirmati ligatur, & alij vno, alij tribus, alij semptem diebus gestare consueuerunt, sed in hoc nulla est obligatio, quia vbique propria consuetudo seruanda est. Item dicendū est, quòd per septem dies non est abluendum caput, seù frons confirmati, propter septem dona Spiritus sancti, sed nulla de hac re est obligatio, quia seruāda est consuetudo locorum. *ita D. Tho. in 4. dist. 7. q. 3. quæstiunc. 2. ad 3.*

18. Item illa vitta deposita comburi solet, vel diligenter lota, in Sacrario, vel alio honesto loco asseruari debet, & ad similem sacrum vsum adhiberi, *ita D. Tho. loco citato.* Item Episcopus Confirmato leuem alapam infligat, dicens: *Pax tecum,* quia non solùm ob memoriam Sacramenti suscepti, sed vt cōfirmatus intelligat se armari virtute huius Sacramenti ad iniurias pro Christo ferendas, quia Confirmatio datur ad publicè profitendam fidem. Et si cæremonia alapæ omittatur, non erit lethale peccatum, sed veniale, quia est cæremonia Religiosa, & antiqua in Ecclesia, sed non tanti momenti, secluso contemptu.

19. Tandem omittere ritū, scili-

scilicèt, vt confirmandus teneatur ab alio, est peccatum mortale absque graui causa, & necessitate, quia cæremonia hæc est antiquissima, vt patet ex iuribus citatis.

DISQVISITIO XXXIX.

De Eucharistiæ Sacramento.

ARTICVLVS I.

An Eucharistia sit Sacramentum?

1. ℞. Sic, quia est signum rei sacræ, & in quantum talis res sacra est sanctificans hominem. *ita D. Tho. 3. p. q. 60. art. 2. & q. 7. art. 1.* Et inter omnia Sacramenta est potissimum, quia fides est, vt oppositum sit hæresis; quòd Sacramenta non sunt æqualia secũdùm perfectionem, sed datur vnum perfectius altero. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. de Sacram. Eucharist. & D. Tho. 3. p. q. 63. art. 3.*

2. Ideò Eucharistia excellẽtiorem confert gratiam, quam Confirmatio, quia conseruat, & continuat in vita spirituali gratiam cum gloria, quòd confirmatio est pro aliquo tempore. Similiter excellentiorem, quàm Baptismus, quia est primarius fons continens efficaciam eminenter, & virtute omnium Sacramentorum, cùm sit eorum consumatio, & perfectio, vt videre est discurrendo. *ita D. Thom. loco citato. & Concil. Trid. sess. 23. cap. 3. de Eucharistia.* Itaque species consecratæ, prout continent corpus, & sanguinem Christi, sunt Sacramentũ Eucharistiæ, & sunt Sacramẽtum, tamquam sensibile signũ refectionis spiritualis, quia Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibilis forma. *ita Conc. Trid. sess. 13. cap. de doctrina Eucharistiæ.* Et sub illis continetur corpus, & sanguis Christi, tanquam spirituale animatum nutrimẽtum, quia caro Christi verè est cibus, & sanguis eius verè est potus. Non præcisè sicut ex signo, & signato, sed quodam ineffabili modo, quia ex Concil. Lauriense vocatus est tamquam ex continente, & contẽto. *ita D. Tho. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2.*

3. Vnde Christus non directè, & in recto ingreditur essentiam

tiam huius Sacramenti, sed in obliquo, scilicet vt terminus illius habitudinis, seu vnionis, quam species dicũt ad rem cõtentam; quia continentia passiua, & ordo ad Christum contẽtum sub speciebus est quid realiter distinctum à Christo; & licèt continentia illa passiua directè, & in recto sit de essentia huius Sacramẽti, tamen species Sacramentales in obliquo, indirectè, & vt terminus illius ordinis dicunt habitudinẽ ad rem cõtentã, scilicèt Christũ. *ita Cõc. Trid. sess. 13. cap. 3. de Eucharistia.*

4. Ideò species Sacramentales continentes Christum adorari possunt adoratione latriæ, quia quãdo dicitur species Sacramentales adorari adoratione latriæ, accipitur contentum pro continente, idest Christus, qui continetur in illis. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 5. de Eucharistia.*

5. Nota, quòd tria reperiuntur in quolibet Sacramẽto. Primũ id, quod est Sacramẽtũ tãtũ; Secũdũ id, quod est res, & Sacramentum simul. Tertium est id, quod est res solùm. Modò in Eucharistia id, quod est Sacramentum tantùm, est species panis, & pariter species vini, quia visibilis forma, inuisibilis gratiæ est diffinitio Sacramenti, quæ competit speciebus panis, & speciebus vini. Corpus verò, & sanguis Christi sunt res, & Sacramentũ, & virtus Sacramenti: sunt res, quia significantur per species Sacramentales cõsecratas: sunt autem Sacramentum, & virtus eius, quia corpus Christi, quatenus sub eisdem speciebus velatur, corpus mysticum repræsentat. Gratia tandem, quę in hoc Sacramento confertur, est res tantùm, quia est res significata, & non significans. Et sic quod est Sacramentum tantùm est simpliciter Sacramentum, quia simpliciter, & essentialiter est visibilis forma, inuisibilis gratiæ. Res verò, & Sacramentum simul, non est simpliciter Sacramentum, quia non est visibilis forma, inuisibilis gratiæ.

6. Similiter sumptio specierum Sacramentalium non est Sacramentum, neque pars Sacramenti Eucharistiæ, quia sumptio se habet transeunter, Sacramentum verò Eucharistię habet esse permanenter, cùm conseruetur, & adoretur in altari adoratione latriæ. Verùm est differentia inter hoc Sacramentum, & alia, quod species Sacramentales causant gratiam media sumptione, vt conditio requisita, ablutio verò, seu vnctio in alijs Sacramentis causat gratiam, non tantùm, vt cõditio requisita, sed vt Sacramentum est, & ideo istæ species Sacramẽtales appellantur Sacramentum Eucharistiæ.

7. Similiter neque consecratio,

tio, seù verba consecrationis sunt Sacramētum Eucharistiæ, neque intrinsecè illud constituunt, quia transacta consecratione, manet integrum hoc Sacramentum. Ità consecratio est necessaria, vt forma intrinsecè efficiens, nō tamē vt intrinsecè constituens Sacramētum, ideò nō est ipsū Eucharistiæ Sacramentum, vel illius pars. Sed benè esse quoddam Sacramentale altioris ordinis, vt sunt ea, quę Sacramentalia dicuntur, quia ex institutione Diuina est instrumentum efficax ad efficiēdum Eucharistiæ Sacramētum. Vnde consecratio, vel ordo ad consecrationem est de intrinseca ratione, & essētia in obliquo huius Sacramenti, quia sicut nulla creatura datur, nisi producatur ab ipso Creatore: nequ ordo ad Creatorē est de essentia cuiusq; creaturæ, ità consecratio, & etiam sumptio saltem in obliquo pertinet essentialiter ad hoc Sacramentum, quia hoc Sacramentum non potest causare gratiam sine sumptione.

8. Tandem Sacramentum Eucharistię sic diffinitur, scilicèt *est Sacramentum nouæ legis significans Christum Dominum, vt realiter contentum sub ipsis speciebus, & gratiam cibantem animam*; hæc est bona diffinitio, quia constat ex genere, & differentia, vt videre est.

ARTICVLVS II.

An Eucharistia Sacramentum sit vnum, vel plura?

1. ℞. Materialiter plura, formaliter vnū, quia est pluralitas, & diuersitas materiæ, & formæ cū alia materia, & forma sit corporis, alia sanguinis. *ità D. Thom. 3. p. q. 72. art. 2.* Est vnum formaliter, quia eamdem habet rationem formalem, & specificam, scilicèt refectionem, cùm vtraq; species reficiat corpus. *ità D. Thom. loco citato.*

2. Imò diuinissimum Eucharistiæ Sacramētum est vnicum Sacramentum specie Athoma, quia species panis, & vini consecratæ, vt continent Christum, sunt formaliter vnicum signum significans, & causans gratiam sanctificantem animam ad modum spiritualis refectionis cibi, & potus spiritualis. *ità Concil. Florent. in Decret. super vnion. Græc. & Armen. in tract. de Sacram. & Concil. Trid. sess. 13. can. 1. 2. & sequentibus de Sacram. & in cap. firmiter.* Et quāuis species panis, & species vini in genere entis distinguantur specificè, non tamen in ratione formali specifica Sacramenti, quia vtraq; species in ratione Sacramenti significat refectionem animæ, & causat sanctificātem animam, per modum cibi, & potus spiritualis.

ità D. Thom. 3. p. q. 73. art. 2. in corp.

3. Verùm species panis consecratæ veram essentiam Sacramenti Eucharistiæ continent, & verum sunt Eucharistiæ Sacramentum, quia laicus communicans sub vna specie panis, verum, & reale suscipit sacramẽtum. Idem dicimus de speciebus vini consecratis, has scilicèt esse verum Eucharistiæ Sacramentum, & eiusdem essentiam continere, quia si aliquis Sacerdos tantùm consecraret in specie vini, verum conficeret Sacramentum.

4. Ideò laicus communicãs tantùm sub speciebus panis, totum, quantùm ad essentiam sumit Eucharistiæ Sacramentum, quia sumit corpus Christi, & sanguinem simul, illic per concomitantiam contentum. Et eodem modo sumptio sanguinis est sumptio totius Sacramẽti quantùm ad essentiam, quia in sumptione sanguinis paritèr per cõcomitantiã sumitur corpus Christi. Sed seorsùm sumpta, nulla illarum specierum est totale, & completum Sacramentum, quia totalis, & integra perfectio Eucharistiæ Sacramenti conficitur ex vtraq; specie. At ex pluribus materijs, formis, speciebus, & consecrationibus in hoc Sacramento ex institutione Christi fit vnum, integrum, & perfectum Sacramentum, quamuis ex eadem institutione Christi quælibet pars huius Sacramenti determinatur, vt sit verè Sacramentum, quia ad refectionem duo requiruntur, scilicèt alimẽtum siccum, scilicèt cibus, & alimentum humidum, scilicèt potus, vt dicatur vera refectio, & conuiuiũ, ità in hoc diuino conuiuio. At licèt hæc explicita significatio conuiuij, & refectionis spiritualis cõpletè non pertineat simpliciter ad essentiam Eucharistiæ, quia sub speciebus panis consecrati, & sub speciebus vini consecrati, quantùm ad essentiam, Sacramentum Eucharistiæ reperitur, tamen hæc explicita significatio pertinet ad complemẽtum, & integritatem huius diuini Sacramenti *ità D. Thom. 3. p. q. 73. art. 2 in corp.*

5. Vnde omnia Sacramenta Eucharistiæ non sunt vnum Sacramentum numero, quia sunt diuersa conuiuia spiritualia diuersorum, scilicèt hominum sumentium hoc Sacramentum. *ità D. Thom. 3. p. q. 78. art. 7. ad 3.*

6. Quare plures hostiæ consecratæ, si considerentur secundùm se, dici possunt plura Sacramenta materialiter, seù plura indiuidua Sacramenti, quia in pluribus hostijs consecratis sunt distinctæ numero materiæ. Imò essent etiam distinctæ numero formæ, si diuerso tempore, vel à diuersis Sacerdotibus essent consecratæ, quia essent di-

distinctæ numero consecrationes extrinsecæ, efficientes Eucharistiæ Sacramentum.

7. Et sic quando plures hostiæ consecrantur in ordine ad vnam refectionem, simpliciter loquendo est ibi vnum tantùm numero Sacramentum, quia plures illæ hostiæ consecratæ, habēt tunc rationem vnius refectionis spiritualis. Plura tamen Sacramēta secundū quid, saltem materialiter, quia cùm sint ibi plures diuersæ, erunt plura Sacramenta. E contra, si plures hostiæ cōsecratæ ab vno Sacerdote ad plures fideliū refectiones spirituales simpliciter sunt plura numero Sacramenta, quia illæ hostiæ ordinantur ad diuersas refectiones, & ad causandas diuersas gratias numero distinctas. Vnum tamen Sacramentum secundum quid, quia ibi vnica consecratio, & omnes hostiæ cōsecrantur per modum vnius.

8. Clarum est multa entia realia habere vnitatem, vel diuersitatem, cum aliqua tamen dependentia ab intellectu, quia tempus est vnum secundum se, tamen per hoc, quod intellectus diuidit dies, & annos, appellantur, & sunt plura tempora, ità in consecratione plurium hostiarum ordinata ad vnam refectionem, est vnum Sacramentum, & ex eo, quòd ordinantur ad plures refectiones fidelium, dici possunt plura Sacramenta.

9. Similiter recipiens in cōmunione plures hostias consecratas, aut grandiorem hostiā, non maiorem consequitur gratiam, quia licèt plures hostiæ secundùm se consideratæ sint plura indiuidua, tamen quatenùs sumuntur simul, habent rationem vnius refectionis, cuius refectionis significatio, cùm sit spiritualis, tàm saluatur in sumptione vnius hostiæ, quàm plurium. *ità D. Thom. 3. p. q. 79. art. 7. ad 3.* Et potest dari casus, vt qui plures hostias, aut vnam grandiorem recipit, suscipiat etiam maiorem gratiā ex opere operato, quàm is, qui paruulam vnam hostiam in cōmunione accipit, nā qui retinens in ore plures hostias, aut grādiorē diutiùs, potest elicere plures actus amoris, deuotionis, contritionis disponētis ad maiorem gratiam, cùm ipsa Sacramenta ex opere operato, magis disposito, maiorem gratiam conferant. Postea vltra gratiam Sacramentalem recipit augmentum gratiæ maius, vel minus iuxta maiorem, vel minorem intentionem illorum actuum, non tātū ex opere operato, & virtute Sacramenti, sed virtute meriti, & operis operantis, & disponentis. Tamen si eas recipit per modū plurium refectionum spiritualium, vt accidit in die Natalis

Domini, in quo Sacerdos ter celebrat, & se communicat; tūc triplici sumptioni triplicem fructum respondentem ex opere operato; & virtute Sacramenti recipiet maiorem, vel minorem gratiam iuxta maiorem, vel minorem dispositionem ipsius celebrantis, quia ter non per modum vnius conuiuij, sed triplicis conuiuij, & refectionis spiritualis recipit species cōsecratas. *ità D.Tho. 3.p.q 79. art.7. ad 3.*

ARTICVLVS III.

An susceptio realis Eucharistiæ necessitate medij, sit necessaria adultis ad salutem?

1. R. Non, quia eo prætermisso salus obtineri potest, cùm multi moriuntur sine eo, & tamen saluantur. *ita Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. & D.Tho. 3.p.q.73. art.3.*

2. Nota, quòd tripliciter aliquid dicitur necessarium ad salutem. Primò, necessitate medij tantùm, & est illud, sine quo salus haberi non potest, quamuis excusetur ignorātia, vt gratia Dei. Secundò, necessitate præcepti tantū, & est illud, quod est nobis positum in præcepto, potest tamen saluari sine obseruantia illius, vt impotentia, vel ignorantia inuincibilis, seù probabilis excusat ab obseruatione præcepti. Tertiò, vtroq; modo, & est aliquid necessarium, quia non potest homo saluari sine illo, vt est positum in præcepto, vt præcepto fidei, & Baptismi.

3. Vnde Adultis realis susceptio Eucharistiæ aliquando est necessaria necessitate præcepti, quia sunt præcepta de medijs, vt Baptismus, & Pœnitētia, ac & etiā est præceptum de fine, vt Eucharistia, cùm sit Sacramentorum consummatio, maximè quando finis est operatio existens in nostra potestate. *ità in cap. omnis vtriusq; sexus de Pœnit. & remiss. & D.Thom. 3. p. q. 80. art. 11.* Et hoc præceptum nō solùm obligat semel in vita, quia dum Ecclesia obligat sumi semel in Paschate, cōsequēter multoties in vita. *ita cap. supradicto.* Imò obligat sub mortali in articulo mortis, quia præcepta affirmatiua obligant tempore necessitatis.

4. Sed non est necessaria necessitate medij ad salutem in voto, quia pueri Baptizati, si moriantur ante vsum rationis absque tali voto, salutem æternam cōsequuntur. Benè tamen dici potest Eucharistiam esse necessariam in voto, necessitate medij ad salutem, quatenùs in susceptione Baptismi cōtinetur propositum implicitū, seù virtuale suscipiendi Eucharistiam tempore suo, quia quando homo iustificatur per votū Baptismi, vel Pœnitentiæ, includitur

etiam ibi votum Eucharistiæ. *ita D.Thom. 3.p.q.79.art.1. in corp.* Ideò Baptismus, & Pœnitentia specialiter ordinātur ad Eucharistiam, quàm cætera Sacramēta, quia cùm sint Sacramenta mortuorum, dant esse simpliciter in esse vitæ spiritualis, scilicèt in adeptione gloriæ. *ità D. 3.p.q.72.art.2. & Concil.Trid. sess. 13.cap.2.de Eucharistia.*

5. Verùm votum Eucharistiæ est simpliciter necessarium ad habēdam primam salutem, vel primam gratiam causatam à Baptismo, quia finis operatur in appositione mediorum, & Eucharistia est finis, idest consummatio, & perfectio Sacramentorum omnium. *ita D.Tho. 3.p.q. 73. art. 3. in corp.* Et alitèr operatur Sacramentum hoc intentum in voto, & alitèr in susceptione in re, quia Eucharistia, tamquam causa finalis cū Baptismo in re, vel in voto suscepto; instituta ad remittendū peccatū mortale, operatur primam gratiam, vel primam salutem. In re verò suscepta, tamquā causa efficiens instrumentalis secundùm suam specificā rationem non confert primam gratiam, nec dimittit peccata mortalia, causando efficienter primam salutem, quia eius vltimus finis est refectio, & cibus spiritualis animæ, & præsupponit primam gratiam. Et quamuis Eucharistia secundùm se, & secūdùm rationem specificam primariò, & ex sua institutione conferat secundam gratiam, tamen secundùm suam rationē genericam, vt est Sacramentū nouæ legis, susceptum bona fide, & probabiliter credit se esse in gratia, cùm re vera non sit; & talis elicit actum attritionis supernaturalis; tunc fit ex attrito contritus vi suscepti Sacramenti, & recipit primā gratiam iustificantem, quia in genere causæ efficientis tunc habet cāusare primam salutem, & confert primam gratiam. *ita D. Tho. 3.p.q.79.art.3.*

6. Nota, quòd votum suscipiēdi Eucharistiam duplex, scilicèt explicitum, & implicitum. Explicitum est quando quis expresse, & formaliter cognita Eucharistia, habet istum propositum, *volo eam sumere*, quia votum, desiderium, & intentio expressa alicuius rei, terminatur formaliter ad rem cognitā. Implicitum est, quando non cognoscendo Eucharistiam in particulari, cōuertitur ad Deū, & desiderat illi placere, quia ad votum implicitum sufficit terminari ad illam in commūni, etiam si intendens rem illam non cognoscat in particulari, *An illa sit, & quid sit.* Ita Adulti, dum baptizantur, habent hanc duplicem intentionem, quia cùm sit principium vitæ spiritualis, intrinsecè ordinatur ad Eucha-

Eucharistiã, tamquàm ad propriam perfectionem, & consũmationẽ. Etiam pueri, qui per susceptionem Baptismi iustificantur, & primam gratiam assequuntur, & habent votũ implicitum suscipiendi tempore suo Eucharistiam, & si nõ propria, & personali intentione, intentione tamen Ecclesiæ, quia sicut ex fide Ecclesiæ credunt, & primam salutem per Baptismũ assequuntur, sic ex intentione Ecclesiæ habent propositum, & votum tẽpore suo suscipiendi hoc diuinũ Eucharistiæ Sacramentum. Et tale propositũ suscipiendi Eucharistiam, clauditur in susceptione Baptismi, non solùm generali quadam ratione, sicut includitur propositum seruandi omnia præcepta, sed speciali quadam ratione; quia Sacramentorum finis, qui solet esse primum in intentione, est vnire, & incorporare nos Christo, quod peculialiter præstat Eucharistia.

7. Imò in iustificatione hominis idem gradus gratiæ iustificans hominem formaliter per Baptismum, vel Pœnitentiam in genere causæ efficientis, attribuitur Eucharistiæ in genere causæ finalis, quia gratia, quæ confertur in Eucharistia, est finis gratiæ, quæ confertur in alijs Sacramentis. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 2. de Doctrin. Eucharistia.* Sed realis susceptio Eucharistiæ non est necessaria necessitate medij ad perseuerandum in gratia Dei, sed potest homo saluari sine tali reali susceptione, quia Concil. Trid. *sess. 21. can. 2.* expressè definit paruulos posse per Baptismum sine Eucharistia saluari. *ita D. Tho. 3. p. q. 73. art. 3. in corp.* Verùm non est possibile, moraliter loquendo, quòd adultus sit per multũ temporis sine reali susceptione huius Sacramenti, & quòd perseueret in gratia Dei, vel saltẽ non habeat votum explicitum illius, quia est cibus animæ, & cibus ordinatur ad conseruationem rei, vel saltem quando nõ adest opportunitas illud suscipiendi, sine ardenti desiderio illius per multum temporis perseuerare potest. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. de Doctrin. Eucharist.* At supposita diuina ordinatione votum implicitum Eucharistiæ est simpliciter necessarium necessitate medij ad perseuerãdum in gratia, & ad consequẽdam gloriam, quia effectus proprius Eucharistiæ est perseuerantia in gratia, & adeptio gloriæ, saltem in voto implicito, ideo est necessariũ necessitate medij. *ita Conc. Trid. loco citato.* Et dignè suscipientibus Sacramẽta infallibiliter dantur eorum effectus, qui in ipsa actuali susceptione conferuntur, quia quando dantur in futurum nõ semper sunt infallibiles, cùm

possit homo illo posito, & suscepto, adhùc perseuerare, & non perseuerare. *ita D. Tho. 3. p. q. 79. art. 2. ad 2. & est de fide*.

8. Similiter moriens post iustificationem collatam in susceptione Baptismi consequitur vitam æternam, & habuit donum perseuerantiæ, quia ipsa ordinatio diuina, qua ordinat, vt moriatur post iustificationem, importat continuationem gratiæ cum gloria, quod est maximum donum perseuerantiæ, quia in illis est continuare gratiam cum gloria. Et mors saluandorum, in aliquo sensu dici dotest effectus huius Sacramenti, quia mors saluandorum, non vt priuatio vitæ naturalis est, sed quatenus ordinatur à Deo ad continuationem gratiæ cum gloria, vt Eucharistiç Sacramentum habeat suã perfectionem, siue sit susceptũ in re, siue in voto in genere causæ finalis, effectus huius Sacramenti dici potest. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 2.* Et sic pueri baptizati ante vsum rationis, & adulti iustificati per Baptismũ, statim secundùm quandam accomodationem, seù proportionem dicuntur in se habere votum implicitum Eucharistiæ, quia tales, quasi ipso pondere gratiæ dicuntur ferri, & appetere suam Perfectionem, & consummationem in statu gratiæ Christi, cuius sumus membra, & hæc vnio fit specialiter per Eucharistiam.

9. Ideò conuenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus nominatur, quia comprehendit multa mysteria, & habet plures effectus. Nam dicitur *Sacrificium*, quia Christus offertur Deo pro peccatorum expiatione. Dicitur *Synaxis, seu communio*, quia participantes carne, sanguine, & ipsa Diuinitate Christi, vnimur in ipso, & inter nos diuina Charitate. *ita D. Tho. 3. p. q. 73. art. 4.* Dicitur *Viaticum*, quia Christus in mundo fuit simul Viator, & comprehensor. *ita D. Tho. loco citato.* Dicitur *Eucharistia, idest bona gratia*, quia est signum animi gratissimi, & benefici, quem Christus habuit erga homines, cùm essemus morte digni, tradidit se ipsum in cibum. Dicitur *Hostia*, quia realiter continet Christũ, qui est salutaris hostia Deo in odorem suauitatis.

10. Tandem meritò fuit institutum in vltima cœna, quia ea, quæ vltimò fiunt, & dicuntur, maximè ab amicis recedẽtibus magis memoriæ commẽdantur. *ita D. Tho. 3. p. q. 73. art. 5.*

ARTICVLVS IV.

An si Adam non peccasset, Eucharistiæ Sacramentum institutum fuisset?

1. R. Non, quia hoc Sacramentum essentialiter dicit ordinem ad Christũ Deum hominem; & si Adam non peccasset, filius Dei non esset homo Deus. *ita D. Tho. 3. p. q. 1. art. 3.* Et secũdùm aliquos, si Adam non peccasset, filius Dei venisset in carne impassibili, & immortali, adhuc hoc Sacramentum non fuisset institutum, quia licèt secundùm suam vltimam differẽtiam ordinetur ad augendam, & conseruãdam gratiam, tamen secũdùm rationem genericam, vt Sacramentum est medicina contra peccatum, ideo nè natura rei frustrà institueretur *ita D. Thom. p. p. quæst. 95. art. 4. ad 1. & 3. p. q. 61. art. 2.* Sed si tantùm esset peccatum Originale, scilicèt si solus Adam peccasset, filius Dei fuisset incarnatus, quia potissima causa aduẽtus Domini fuit peccatum Originale. *ità D. Tho. 3. p. q. 1. art. 4.* Et si tantum essent plura peccata actualia, existimo, quòd adhuc fuisset incarnatus, quia licèt aduentus Domini non fuit potissima causa tollere actualia peccata, tamẽ veniret, vt remedium his peccatis afferret, *ità D. Tho. 3. p. q. 1. art. 4.* Consequẽter potuit institui hoc Sacramentum, & cetera, quia Sacramenta ordinata sunt ad causandam gratiam, dandam virtute Passionis Christi.


2. Verùm si iusti permanerent in iustitia Originali, non vterentur Sacramentis, quæ secundùm suam rationem specificam ordinarentur ad delendũ peccatum, vel reliquias peccatorum, vt est Pœnitentia, & Extrema vnctio, quia ista non haberent proprium effectum, neq; formam veram, cùm formæ eorum supponant aliqua actualia peccata esse commissa. Vterentur tamen iusti, qui permansissent in iustitia Originali, Sacramentis, quæ ordinarentur ad augendam gratiam, vt est Sacramentum Eucharistiæ, & Confirmatio, quia Beata Virgo nullum commisit peccatum, & tamen suscepit Sacramentũ Confirmationis in die Pentecostes, & Sacramentum Eucharistiæ quotidie suscipiebat.

3. Similiter si Deus ante Incarnationem signasset ministrũ, qui protulisset super panẽ: *Hoc est corpus meum*; & super vinum: *Hic est calix sanguinis mei*, vtique consecrasset, & consequenter posset à Deo institui Sacramẽtum Eucharistiæ, quia Deus sua diuina Omnipotentia potuit in eodem instanti, quo minister talis proferret illa verba, producere

cere hanc humanitatem, & illã vnire Verbo Diuino, & sic simul in eodem instanti temporis produceretur à Deo hęc humanitas, vniretur Verbo diuino, & simul conficeretur hoc Sacramentum, & sic produceretur Corpus Christi tantùm sub speciebus Sacramentalibus secũdùm modum essendi, quẽ modò habet, absque eo, quòd esset alibi in propria specie: & & sic esset Sacramẽtum Eucharistiæ ante Incarnationẽ, quamquam nõ fuisset ex Virgine natus, neque alicubi naturali modo existeret.

4. Item eadem potentia absoluta potest esse Corpus Christi in hoc Sacramento, licèt nõ sit alibi in propria specie, quia Corpus Christi in hoc Sacramento habet verum suum esse secundùm suam totam substantiam, & ex natura rei non est necessarium, quòd res aliqua secundùm suam totam substãtiam sit in duabus partibus Vniuersi, vel in diuersis locis. Et si Christus esset in hoc Sacramẽto, & non in propria specie, vt contingeret, si fieret cõsecratio ante Incarnationem diceretur esse sub speciebus Sacramentalibus simpliciter, quia ibi esset secundùm suam totam substãtiam Et tale Sacramentum Eucharistię institutum à Deo ante Incarnationem, esset idem specie cum Sacramento Eucharistiæ instituto à Christo post suã Incarnationem, quia Corpus Christi in vtroq; continet eadẽ prædicata essentialia, & substantialia. Cum hoc tamen, quòd illud institutum ante Incarnationem fuisset signum, & memoriale futuræ Passionis, & institutum post Incarnationem sit signum, & memoriale Corporis Christi iam passi.

5. Tandẽ diuinum hoc Sacramentũ fuit institutũ à Christo post vltimam Cœnam legalem, in quo Agnus Paschalis celebrabatur, & comedebatur, & post lotionem pedum Discipulorum, quia lotio pedum significat mundationem animæ, scilicèt Sacramentum Pœnitẽtiæ, quæ fieri debet ante susceptionem huius Sacramenti. Et totum hoc præsente Iuda, quia *ità in Euangelijs, & ità D. Tho. 3. p. q. 81. art. 2.*



DIS-

DISQVISITIO XL.

De Materia huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

An materia remota huius Sacramẽti sit panis, & vinum?

1. R/. Sic, quia est cib⁹ viatorum, quibus non vacat parare mensam splendidã, sed sufficit panis, & vinum, *ità D.Tho. 3.p.q.74.art.1.*

2. Et licèt salus corporis, & animæ fuerit operata per Christi Corpus, & sanguinem ipsius simul, tamen per quandam accommodationẽ, & appropriationem salus corporis tribuitur Corpori Christi, & salus animæ nostræ, sanguini, quia ex Arist. *lib. 2. de Generat.* Vita animalis specialiter consistere in sanguine, cùm conseruatur per eius humiditatem, & caliditatem in gradu tẽperato; ità sãguis Christi est salus animarum nostrarũ. *ità D.Thom. 3.p.q.74.art.1.*

3. Verũ materia propinqua huius Sacramenti sunt species Sacramentales panis, & vini, quia in earum actuali sumptione confertur recipiẽtibus illud gratia per modum cibi, & cuiusdam refectionis spiritualis. Ideò non est consecrandus panis, vbi non est vinum; neque vinum, vbi non est panis, quia aliàs Sacramentũ hoc esset imperfectum, quod est immane sacrilegium. *ità D.Tho. loco citato.* Sed si attentaretur consecrari solus panis sine vino, valeret consecratio, quia vna cõsecratio, scilicèt panis non dependet ab alia, scilicèt vini; cùm sit absoluta actio, & solùm est de præcepto, vt dicemus.

4. Rursus quælibet parua quantitas sensibilis panis; & vini potest esse materia huius Sacramenti, quia si hostia consecrata diuidatur in minutissimas partes, quælibet pars remanet consecrata, *ità D. Tho. 3.p.q.74.art.2.* Sed si fortè detur tàm parua quantitas panis, & vini, quæ nõ sit sensibilis, nec videri, aut designari possit, non est apta materia cõsecrationis, quia materia cuiuscunq; Sacramenti debet esse sẽsibilis, vt possit esse signũ rei sacræ. Et si per Dei potentiã eleuaretur ocul⁹ Sacerdotis ad vidẽdam paruam, vel minimam particulam panis, vel vini, quæ naturaliter videri nõ potest, potest validè cõsecrari, quia licèt per se sit insensibilis, tamen iàm sen-

sentitur per eleuationem diuinam.

5. Similiter valida est consecratio partis minoris minimæ panis, & vini, quādo illa coniūcta est alijs partibus, quia ibi benè conseruatur substantia panis, & vini, cùm quęlibet pars eorum sit legitima materia Cōsecrationis. At si pars minor minima sit separata ab alijs partibus, non potest fieri in ea Consecratio, quia in ea saluari non potest forma, & substantia in parte minori minima panis, & vini ex Philosophia, cùm vtraq; forma naturalis requirat debitā quantitatem, in qua conseruari potest. Tamen si minima quantitas sit verè præsens, & verè visibilis, & non apta ad vsum humanum, & sumptionem, adhùc potest fieri in ea consecratio, quia sufficit, quòd per se loquendo, & secūdùm quod potest coniugi cum alijs partibus eiusdem rationis sit apta ad vsū humanum, licèt non ità commodè, adhùc semper manet Christus consecratus. *ità ex Cōcil. Trid. sess. 13. can. 3. de Eucharist. & D. Thom. 3 p. q. 74. art. 2.*

ARTICVLVS II.

An materia remota Eucharistiæ sit panis triticeus?

1. ℞. Sic, quia Christus realiter in hoc Sacramēto continetur, qui se grano frumenti comparauit. *Iuxta illud Ioannis 14. Nisi granum frumenti cadens &c. ità D. Thom. 3. p. q. 74. art. 1.* Ita vt in alia materia facta præter triticeam irrita sit, cùm sit necessaria necessitate præcepti, & etiam Sacramēti, quia materia propria instituta à Christo pro Sacramentis est necessaria necessitate Sacramenti, quando Sacramenta conficiuntur. *ità Concil. Florent. in Decret. Eugenij IV. & cap. Firmiter. de Sūma Trinit. & cap. pan. & edix. & cap. nos autem in specie panis, & vini dist. 2. de Consecr.*

2. Vnde *ex spelta, & farre* cōfici non potest panis Eucharisticus, quia spelta, & far ex semine grani numquàm generātur. Et probabile est panem cōfectum ex spelta, & farre sufficiētem esse materiam huius Sacramenti, quia omnes affirmant speltam, quæ Græcè dicitur *Zea*, esse speciem tritici, & ex ea fieri delicatum panem. Tamen dicimus Sacrilegium esse talem panem ex spelta confectum consecrare, quia cū sit in opinione panem ex spelta esse legitimam materiam huius Sacramēti, nefas est se exponere periculo cōmittendi Sacrilegium. *ità D. Th. 3. p. q. 74. art. 3. in corp.*

3. Verùm panis effectus ex *Siligine*, scilicèt *Blatta*, propter colorem purpureum, vel *Centeneo*, cùm in eius spica centum ferè

ferè grana sint, & sufficiens materia huius Sacramenti, quia Siligo eo fine seminatur, & crescit, vt ex inde panis pro hominis victu vsitato cõficiatur. Peccaret tamen Sacerdos, si panem confectum ex Siligine cõsecraret, dum facilè in propria terra natum, seù aliundè allatum nobiliorem, & digniorem adhibere possit; quia non est ità euidens, quòd ex granis tritici in terris saxosis nasci Siliginem, cùm aliquando accidit, vt effectus vnius speciei producatur à causa alterius speciei. *ita D. Tho. 3.p.q.74.art.3.ad 2.*

4. Similiter *Oriza*, *Auena*, *Milium*, *Hordeum* non est materia sufficiens huius Sacramenti, quia talia nõ merentur simpliciter nomen panis, cùm non sit vsualis, nisi ob defectum tritici, *ità Concil. Florent. in Decret. Eugenij IV*. Et si in aliqua regione, communiter esset in vsu panis confectus ex illis, & vsitatus, irrita consecratio, nec esset materia sufficiẽs, quia in nostro emisphaerio panis vsualis, quo communiter vtuntur homines, est panis triticeus, & isto vsus est in institutione Christus. Neque *Amydum* est materia apta, & sufficiens pro hoc Sacramẽto, quia Amydum fit ex tritico corrupto, quod producit aliam speciem, quæ non ordinatur ad conficiendum panem vsualem. *ità D. Tho. 3.p.q.74.art.3.ad 4.*

5. At si farinæ triticeæ modica fiat mixtio granorum supradictorum alterius speciei, esset apta materia Sacramenti, quia modica mixtio istorum non dissoluit speciem farinę triticeę, Secùs sit, si mixtio hæc fiat, vel ad æqualem, vel illi proximam quantitatem, quia mixtio magna ex æquo, vel quasi ex ęquo mutat speciem. *ità D. Thom. loco citato ad 3.* Sed si in pane triticeo apponeretur materia grani non triticei, non per mixtionem perfectam, sed per extrà positionẽ, ista pars sic extra posita non est materia debita Eucharistiæ, quia ex ista non conficeretur panis vsualis triticeus. Benè tamen est materia apta Sacramẽti, substantia triticea ibi manens impermixta, quia ibi manente impermixta, confici potest panis vsitatus pro communi hominum vsu.

6. Similiter *panem dulciarium* confectum, scilicèt ex melle, vel lacte, vel alio simili liquore in tanta quantitate, vt non amplius dicatur panis vsitatus, sed dulciarius, mutato odore, & sapore, non esse materiam sufficientem dicimus, quia non ampliùs dici potest propriè panis vsualis, quo communiter homines ad quotidianum victũ vtuntur. *ità D. Thom. loco citato.* Dummodò hæc permixta cum tali pane sint magnæ quantitatis, ita vt æquent, vel superent

aquã naturalem, quia ex huiusmodi admixtione resultat tertium quoddam compositum, distinctum à pane vsuali. Sed si hæc permixta sint paruę, & modicæ quantitatis, censetur talis panis materia apta, quia modica quantitas trahitur ad naturã aliorum, quæ concurrunt ad aliquid faciendum, & non destruit naturam rei. *ità D. Thom. 3.p.q.74.art.7.ad 3.* Tamen si hęc materia triticea non fieret ex aqua naturali, sed ex aqua rosacea, vel alia simili, non esset materia sufficiens, quia panis confectus ex vera aqua, & alia aqua differunt specie. *ità D. Th. in 4. dist.11. q.2.art.4.quæstiunc.3.*

7. Similiter *non coctus, massa, seù pasta* nõ est materia sufficiẽs, quia simpliciter loquendo, non est panis, nec est apta materia, vt comedatur, nec sufficiens ad alendum hominem. Maximè cùm veriùs, & probabiliùs sit, quòd panis coctus, & massa, seù pasta differunt specie substantiali, quia habent diuersas qualitates, & valdè diuersos effectus, cùm panis nutriat, massa verò, seù pasta, vt sic, non nutrit hominẽ, imò saluti eius nocet. *ità Concil. Florent. in Decreto Vnionis Eugenij, & Concil. Trid. sess.13. can.2. de Eucharist. & in cap firmitèr de Summa Trinit.* Et licèt ars per se solam non sufficiat immutare species, quia ars, est agens in esse moris, & in esse artificioso, sed in esse artificioso numquam producit formam substantialem; neque vt sic immutat speciem rerum in esse substantiali. Tamen ars, scilicèt pistoria, applicando actiua passiuis, potest immutare rerum species, producẽdo formas substantiales, quia ars pistoria applicando ignem, facit ex pasta panem vsualem, & coctum, nõ vt causa principalis illius decoctionis, sed vt causa Physica, cùm principalis illius effectus sit ignis, qui assumitur ad decoctionem, & vt pasta fiat panis vsitatus *ità D.Th.in 4.dist.7.art.2.* Et non est eadem ratio de carne, & pasta, quia in pasta ità causat siccitatem, & tollit in tali gradu humiditatem, vt non remaneat in ea ampliùs forma pastæ, sed formam panis introducit. At in carne ignis non causat siccitatẽ, nec expellit humiditatẽ in tali gradu à carne, & eius formã corrumpat; ideò caro cocta, & cruda sunt eiusdem speciei.

8. Similiter panis *elixus, seù frixus* non est materia sufficiens huius Sacramenti, quia non sũt panes vsuales, qui nõ commassantur, aut coquuntur in furno, aut sub cineribus. Et sic *laganæ, pultes, frixuræ* non sunt materia sufficiens, quia elixantur, aut friguntur, & non coquuntur per modum assationis.

9. Similiter nõ est de substantia,

tia, & veritate Sacramēti, quòd panis sit *Azimus, vel fermentatus*, quia vterq; est verè, & propriè panis. Tamen necessitate præcepti Ecclesiastici obligātis sub peccato, debet esse Azimus in Ecclesia Latina, & fermentatus in Greca, quia *ita Concil. Florent. in literis vnionis & D. Thom. 3. p. q. 74. art. 4. in corp* & Sed consuetudo Ecclesiæ Latinæ consecrandi in pane Azimo est rationabilior, quia Agnus Paschalis, præcipua huius sacramenti figura, comedebatur cum Azimis, quibus significatur incorrupta veritas fidei, ac morum sinceritas, quæ maximè in Euāgelio locum habet. *ità D. Thom. 3. p. q. 175. art. 6.*

10. Vnde Sacerdos Latinus consecrans in fermamēto, peccat mortaliter, quia faceret cōtra consuetudinem, & præceptum Romanæ Ecclesiæ in re graui. Similiter Græci in sua Ecclesia tenentur consecrare in fermēto, quia Ecclesia Græca offert in fermentato propter quandam congruentiam, scilicèt pro eo, quòd Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij. & D. Tho 3. p. q. 74. art. 4. in corp.* Ideò Græci in sua Ecclesia cōsecrando in Azimo, grauiter peccant, quia peruertunt Ecclesiæ suæ ritum. Credo, quòd non peccarent, secluso scandalo, quia consuetudo Romana est melior, & rationabilior. Et si inter Latinos inueniantur Græcorum Ecclesiæ, in quibus eorum ritus seruantur; & inter Græcos Latinorum Ecclesiæ, in his tēplis tenetur vnusquisque seruare ritum suę Ecclesię. Et similiter Latinus transeundo per Græciam, in Ecclesijs Græcorum poterit in Azimo consecrare, quia transeuntes non tenentur ad leges loci trāsitus. Imò Græcus transeundo per Ecclesiam Latinam, in Ecclesijs Latinorum potest consecrare in Azimo, & Latinus transiens per Græciam, in Ecclesijs Græcorum potest in fermentato consecrare, quia absunt à patria, & non tenentur illis legibus. Verùm Sacerdos Latinus in Ecclesia Latina sub quolibet prætextu, & necessitate non potest consecrare in fermentato, quia vniuersalis Ecclesiæ Latinæ consuetudo nō facilè violatur, nè aperiatur via ad tractandum indignè hoc Sacramentum, & contemnendi ritus Ecclesiasticos.

ARTICVLVS III.

Quanàm sit materia remota Sacramenti sanguinis?

1. ℞. Vinum ex vite, quia Christus in vino vitis consecrauit, & vinum vbiq;

deferri potest. *ita D. Tho. 3. p. q. 74. art. 4.*

2. Omnia vina, *rubea, & alba*, & si inter se differant specie, sunt materia apta Sacramenti sanguinis, quia *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij 9. Tertium est*. Sed non *in aceto*, quia non est vinum, sed potiùs corruptela vini, cùm non detur regressus ex aceto in vinum; *ex Arist. 8. Met. tom. 14. & D. Tho. 3. p. q. 74. art. 5. ad 2.* Potest tamen hoc Sacramentum confici, *ex vino acido, vel acescente*, quia nōdum est corruptum, licèt sit in via ad corruptionem. Neque *in Agresta*, quia nōdùm in vini naturam consequuta est, & est in via generationis in vinum. *ita D. Thom. 3. p. q. 74. art. 4. ad 3.* Neq; potest confici in *vuis ipsis* Sacramentum, quia vua potiùs est cibus, quàm res suaptè natura potabilis. Et quamuis sit ritus quarumdam Ecclesiarū, vbi Sacerdotes vuas simul offerebant in Altari, & cum Sacramento Corporis simul dispensabant populo, & hoc fiebant in gratiarum actionē pro perceptis fructibus, non autem de benedictione consecratoria.

3. Verùm *Mustum, seu vinum expressum* validè quidem consecrari potest, sed non decenter, & licitè, quia est verum vinum solùm accidentaliter differens à vino magis decocto. *ità Iulius I. & cap. cum omne. de Consecratione. dist. 5. & D. Tho. 3. p. q. 74. art. 5. ad 3.* Sed mustum nondū decoctum non differt specie à vino, benè tamen pasta à decocto pane, quia mustum non est tàm ineptum ad potionem, sicut pasta ad commestionem, neque ita notabiliter nocet, ac pasta si comedetur.

4. Et quamuis Consecratio in musto valida sit, nulla tamen existente necessitate peccatum est, quia esset contra decentiā, & reuerentiam, quæ ei maximè debetur. Ideò consuetudo in aliquibus Ecclesijs celebrādi aliquo die anni in musto ex vuis in calice expressis, corriggenda est, & tollenda, quia sapit indecentiam in hoc diuinissimo Sacramento. In necessitate tamen licitè confici potest, quia concessit Iulius Papa *in cap. cum omne. de consecrat. dist. 2.* Non verò *in acinacio vino*, quod exprimitur primò ex vuis, sed postquàm vuæ sunt expressæ, illis miscetur aliqua quantitas aquæ, ex qua mixtione fit huiusmodi vinum, quia non est verè vinum. Sed si paruam cōtinet mixtionē aquæ, ita quòd maneat vinum, quo ad substātiam, valet consecratio, quia parua quantitas non destruit naturam rei, imò trahitur ad naturam, & speciem vini. Secùs si admisceatur magna aquæ quantitas, quia id non verè vinum appellari potest, sed potiùs

tiùs aliquod tertium mixtum ex vino, & aqua resultans.

5. Tandem *vinum congelatum* est sufficiens materia, quia in vino congelato remanet substantia vini. Si verò vinum adeò congelaretur, vt durescere, desineret esse vinum, & trāsiret etiam in formam lapidis, tunc nō esset apta materia huius Sacramenti, quia tunc esset alterius speciei à vino, cuius signum est, quòd si postea liquefieret, non habet calorem, nec vigorem, nec virtutem. Ideò esset Sacrilegium in vino congelato consecrare, quia sic cōsecrare, se exponeret periculo non conficiendi Sacramentum.

ARTICVLVS IV.

An quælibet magna quantitas moraliter præsens possit validè consecrari?

1. ℞. Sic, quia non obsūt requisita, scilicèt forma, materia, & intentio ministri. Licitè tamen non potest, quia cùm non possit opportuno tempore sumi, grauiter peccaret, cùm finis secundarius sit vsus, & sumptio Eucharistiæ.

2. Materiæ ergò consecrandæ præsentia moralis requisita ad validitatem Sacramenti illa est, quæ more, & vsu humano, præsentia rei censetur, itaut verè possit fieri demonstratio per pronomen *hoc*, quæ demonstratio sit ad sensum, & non solùm ad intellectum, quia hæc demonstratio ordinatur non ad cognitionem speculatiuam tantùm, sed etiam ad consecrationem, & conuersionem practicam; *ita D.Thom.in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3.* Vt quando sunt multæ particulæ consecrādæ, quæ non videntur, sed latent sub alijs, vel quæ continētur in aliquo vase, moraliter dici possunt præsentes, & validè cōsecrari, quia quę facilè possunt ostendi, dicuntur moraliter ostendi.

3. Vnde si materia huius Sacramenti sit nimis distans, etiam si oculis videri possit, in ea non potest fieri valida consecratio, quia res valdè distans, propriùs designatur per nomē, *illud*, quàm, *hoc*, & materia legitima huius Sacramēti est designanda per *Hoc*. *ita D.Thom. loco citato.* Sed non est necesse, vt sit valida, quod materia manibus teneatur, quia ex vsu Ecclesiæ consecramus formulas, & particulas super Altare existentes, quamuis in manibus non habeamus. Neque est necesse, vt sonus verborum formæ perueniat, aut peruenire possit ad materiam consecrandam, quia ex vsu Ecclesiæ cōstat contrarium, cùm calix coopertus, vbi est materia sanguinis, & particulæ

culæ sub alijs existentes, vel si Sacerdos submissè loquatur consecrando, fiat valida consecratio. Neque est necesse, quòd tota distantia inter materiam consecrandam, & ministrum consecrantem, sit oculis peruia, ità vt nullum corpus opacum interiectum sit, quia non videtur dubium, quin panis, & vinũ velo lineo coopertum, aut doleo inclusum, aut hostiæ in pixide consecratæ, aut latentes sub alijs, vel sub mappa, vel etiã in Missali, modò existãt coram Sacerdote, consecrari possint, si ipse omnem materiam consecrabilem, sibi moraliter præsentem consecrare intendit, nam possunt per particulam, *hoc.*

4. Verùm panis post parietem existens, etiam si non per multum distet à consecrante, validè non consecraretur, quia sic est absens, cùm propriè demonstrari, & designari non possit per particulam, *hoc.* Neque hostia existẽs à tergo Sacerdotis celebrãtis, quia requirit materiam consecrandam moraliter præsentem, designabilem per verba consecrationis, *hoc.* Sed Sacerdos cœcus, validè cõsecrare potest materiam præsẽtem, quia Antistes cæcus dispensatione Papæ sacrum quotidiè faciebat tempore, quo celebrabatur Sacrum Cõcil. Trid. At non potest consecrari materia absens, quæ mente concipitur tamquàm præsens, quia in absolutione Sacramentali non sufficit, vt Sacerdos præsentem habeat pœnitentem mente, & in intellectu, absentem tamen corpore, ità similiter. *Ità D. Tho. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3.*

5. Vnde ex parte ministri cõsecrantis requiritur certa, peculiaris, & determinata intentio consecrandi hanc, vel illam materiam, hunc panem, vel hoc vinum, quia actiones circa particularia, & definita versantur, cùm actiones sint circa singularia. Sed si Sacerdos consecraturus apponat hostiam cum intentione consecrandi illam, si posteà illo nesciẽte, apponatur alia distincta, prima subtracta, si fiat ab eo consecratio, erit vera, & valida, quia quando Sacerdos accedit ad consecrandum debet habere intentionem consecrandi illam, quam habet præsentem. Etiam si Sacerdos in actuali cõsecratione vagat mẽte, taliter quòd proferat verba consecrationis sine actuali intentione, & attentione, adhùc in isto casu vera, & valida fiet consecratio, quia sufficit, quòd Sacerdos habeat intentionem Religiosam, saltem virtualem consecrandi hostiam sibi præsentem. Secùs autem esset, si Sacerdos habuit intentionem formalem à principio non consecrandi, nisi istam, quam ipse apposuit, nullũ erit Sacramẽtũ,

quia

quia ad ualiditatem Sacramenti requiritur, saltem uirtualis intẽtio ministri, quam modò non uidetur adesse.

6. Ideò Sacerdos ualidè cõsecrare potest unam partẽ hostiæ sine alia, stante cõsecratione, scilicèt medietatem, quam ipse designat, & determinat, vt illa, quæ à dextris, vel à sinistris, quia tunc esset materia determinata, & certa, nec obstat coniunctio eius partis cum altera, quia in illa parte subesset Corpus Christi, cùm sit intentio determinata ad illam. Nulla tamẽ esset consecratio, si quis intẽdat consecrare medietatem hostiæ, non determinando qualẽ, quia reales operationes non sunt circa singularia vaga.

7. Similiter si quis deferens ad altare duas hostias, quas credidit esse vnam, vtramq; validè consecrat, quia error speculatiuus, seù priuata deceptio non obstat debitæ intentioni Sacerdotis consecrandi totam materiam, quam habet præsentem, & in mente determinatam. Sed si Sacerdos credendo vnam tantùm esse hostiam, velit, & intẽdat vnam tantùm consecrare, tunc erit nulla cõsecratio, quia tunc Sacerdos non habet intẽtionem, & materiam determinatam. Ita etiam nulla consecratio, si Sacerdos presentes habens decem hostias, & intendat tantùm quatuor, vel octo consecrare, nõ determinando, quas velit, quia materia consecranda non esset tunc determinata in mente consecrantis. Valida tamen est, quò ad omnes hostias, quãdo Sacerdos plures hostias consecrandas detulit ad Altare, etiam si in actu consecrationis recordetur solius hostiæ, quam præ manibus habet, quia tunc est virtualis intentio determinata ad omnes, quatenus intentio præcedens perseuerat. Nec non Sacerdos habens intentionem consecrandi totam materiam, quam ante se habet, & si opinetur decem esse hostias, si vndecim fuerint repertæ, omnes erũt consecratæ, quia effectus consecrationis non sequitur consecrantis opinionem, sed intentionem.

8. Rursus Sacerdos intendẽs consecrare duas materias, quarũ altera est præsens moraliter; altera verò non est pręsens, nullas erit consecratio, neq; manet consecrata illa, quæ est præsens, quia tunc temporis forma Sacramẽti redditur propositio falsa, cùm pronomen, *hoc*, significet omne illud, quod Sacerdos intendit consecrare, sed non potest significare materiam absentem, cùm virtualiter sit vna copulatiua, cuius altera pars est falsa.

9. Similiter si quis inscio, vel non aduertente Sacerdote formulas, seù particulas cõsecrandas

das super Altari, vel Corporali ponat, eę non consecrabuntur, quia non fit consecratio sine intentione actuali, aut virtuali; nã quod est omninò incognitum, nulla eius intentio est, vel voluntas. Sed si Sacerdos admoneatur de consecrandis hostijs in Altari positis, easdem cõsecrare proponat, posteà verò, etiam si omninò obliuiscatur, censetur consecrare, quia moralis hostiarũ præsentia reperitur, & Sacerdotis virtualis intentio: quæ sufficiunt ad validitatem consecrationis. Etiam post offertorium, ante tamen consecrationem, si illas consecrare intendat, vtiq; validè, sed non licitè, quia est præter communem vsum Ecclesiæ; nisi vrgeret aliqua grauis necessitas, scilicèt quando debet dari infirmo communio in Viaticum.

10. Similiter si Sacerdos habeat intentionem vniuersalem, scilicèt consecrandi omnes hostias sibi præsentes in Altari, in quo celebrat, tunc omnes remanent consecratæ, siue sint in Corporali positæ, siue extrà, siue sub mappa, vel Missali, vel in alia parte Altaris, in qua consecrat, quia ad validam Cõsecrationem sufficit idonea materia, præsentia eiusdem moralis, & intentio ministri consecrantis. Sed si non habet intentionem vniuersalem, sed Religiosam consecrandi iuxta morem Ecclesiæ, scilicèt formulas appositas in Corporali, vel in prixide in medio Altaris coram Sacerdote, censeo formulas repertas post Consecrationẽ extra Corporale, & sub alia parte Altaris, consecratas nõ remanere, quia particulæ consecrandæ iuxta morem Ecclesię solent apponi in corporali, vel in prixide coram Sacerdote.

11. Rursus vini guttas, quæ sunt extra calicem, non manere consecratas, quia Sacerdos non habet, communiter loquendo, determinatam intentionem circa illas, quamùis illas habeat præsentes moraliter, nisi Sacerdos expressè nõ sine Sacrilegio eas consecrare velit. Verosimiliùs quoque est, neq; eas consecrari, quæ intra Calicem, siue in interiore Calicis superficie, à reliquo vino separatæ hærent, quia communis, & optima Ecclesiæ intentio non censetur esse, cõsecrare guttulas separatas à vino in interiore superficie Calicis. Neque esse validam cõsecrationem, si inchoata forma consecrationis, materia nõdum erat præsens, quia huiusmodi materia consecrabilis non fuit demõstrata per pronomen, *hoc*.

12. Certum est, quòd per se, & ex vi formę, ac potestatis, quę in ministro consecrante reperitur, posse consecrari quamcũq; materiam consecrabilem absq; vllo termino magnitudinis, & con-

consequenter fluuiũ vnius leucæ diuina omnipotentia conuersum in vinũ consecrari posse, quia talis fluuius conuersus in vinum in tanta quantitate, esse verum vinum, vt supponitur. *ità D.Thom. 3. p. q. 74. art. 2.* Sed si magnitudo materiæ consecrabilis tanta esse fingatur, vt nõ sit tota simul moraliter præsens, de facto non remanet cõsecrata per vnicam consecrationem, quia præsentia moralis materiæ consecrabilis est conditio necessariò requisita, vt forma consecrationis suum effectum sortiatur. *ità D. Tho. opusc. 59. cap. 5.* Benè tamen per multas consecrationes, quia tunc multiplicatis consecrationibus, adessent omnia necessariò requisita. Qui posteà simul sumptus, & vnitas manere consecratus; etiam si non possit totus simul præsens fieri sensibus, quia licèt totus simul non possit vnica consecratione consecrari, cùm totus simul non possit demonstrari per pronomen formæ, *hic*; tamen iteratis consecrationibus, singulæ partes fluminis conuersi in vinum, possunt fieri præsentes Sacerdoti illas consecranti. Tamen si Sacerdos cõsecrans intendat partem sibi moraliter præsentem consecrare, valida esset consecratio in illa parte moraliter p̃sente, licèt altera sub dubio esset, an esset consecrata, cùm eius præsentia dubitetur, quia vt diximus, valida est consecratio medietatis hostiæ Sacerdoti præsentis, quam ipse designat consecrare, scilicèt quò ad dexteram, & nihil officit continuatio cum altera sinistra, quam Sacerdos non intendit consecrare.

13. Verùm si materia consecrabilis continua, vel discreta esset in tanta quantitate, vt dubium sit de vltima parte, an sit moraliter præsens, si re uera non sit præsens, si Sacerdos proferat formam cõsecrationis absolutè super totam illam materiam, simpliciter intendendo illam consecrare, non esset ualida consecratio, quia pronomen positum in forma, *hoc*, nullo pacto potest significare, nec demonstrare partem absentem materiæ consecrabilis, de qua dubitatur, si sit præsens. Sed si re uera sit sufficiẽter præsens, etiã si tantùm speculatiuè dubitaret de ultima parte, an sit præsens, tunc existimo ualidam esse cõsecrationem, quia forma consecrationis de tota materia uerificaretur, cùm pronomen, *hoc*, uerè significaret, & demonstraret materiam uerè præsẽtẽ moraliter. Et quando materia consecrabilis est in tanta quantitate, ut dubium sit de ultima parte, si sit præsens, quæ re uera est absens, si Sacerdos consecrans habeat istam intentionem, nolo

consecrare totam hanc materiam, si autem hoc sit impossibile, volo consecrare consecrabile possibile, consecratio tunc est valida, saltem in illa parte, quæ moraliter præsens est, quia ratione illius conditionis, quam ipse apponit, saltem interiùs determinantur verba cõsecrationis ad materiam præsentem.

14. Tandem non valet consecratio, si Sacerdos ex multis formulis, quas habet præsentes, intendat cõsecrare, quas Deus elegerit, quia Dei voluntas est ignota. Et non eadem est ratio, si in Sacramento Pœnitentiæ intenderet absoluere non ab omnibus peccatis præsertim venialibus, sed à duobus tantũ sibi confessis à pœnitente, quãuis ille non determinet in particulari, tunc validum esset Sacramentum, quia intentio ministri non potest impedire effectum Sacramẽti, si aliàs habeat intentionem efficiendi Sacramentum, & adsit vera materia, & vera forma, cùm non sit in potestate absoluentis impedire effectum Sacramenti. Secùs est in Sacramento Eucharistiæ, nã si Sacerdos habeat coram se plures formulas, si duas ex illis tantùm intendat consecrare, eas non signando, nulla ex illis remaneret consecrata, quia pronomen, *hoc*, in forma consecrationis requirit necessariò materiam consecrandam esse certam, peculiarem, & determinatam in mente consecrantis, vt sit validum Sacramentũ.

ARTICVLVS V.

An aqua sit miscenda in consecratione Calicis?

1. R. Sic, quia hoc conuenit repræsentationi Dominicæ Passionis, vbi vtrumque scilicèt sanguinem, & aquam ex latere Christi profluisse. *ità in Concil. Florent. in Decreto Eugenij §. Tertium. & Concil. Trid. sess. 22. can. 9. de Sacrific. Missæ.*

2. Sed aqua non est de necessitate Sacramenti, quia antequã vinum cõsecretur, aqua conuertitur in vinum, signum est, quòd vinum est materia. *ità Concil. Florent. loco citato.* Neque aqua pertinet ad integritatem ipsius, quia validum, & perfectum manet hoc Sacramentum sine illa. *ità D. Thom. 3. p. q. 74. art. 2.*

3. Est tamen aqua necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici, quia solùm Christus determinauit ea, quæ sunt de necessitate Sacramenti; quæ verò pertinent ad conuenientiam accidentalem, reliquit determinandum per Ecclesiam. *ità Cõc. Trid. sess. 22. cap. 7. & D. Thom. loco citato.* Hoc autem præceptum obligat sub mortali, quia *ità in Concil.*

Concil. Trid. loco citato, & in cap. Scriptura de consecrat. dist. 2. Modica tamen quantitas aquae adhibenda est in consecratione Calicis, quia sub modicissima, & sub qualibet gutta eius saluatur significatio, propter quã aqua adhibetur, scilicet significat vnionem Christi cum populo significante per aquam *ità D. Thom. 3. p. q. 74. art. 8. & Concil. Florent. loco citato.*

4. Verùm aqua, quae admiscetur in cõsecratione Calicis, non conuertitur immediatè in sanguinem Christi, quia ideò apponitur modicissima aqua, ut conuerti possit in vinum. *ità Concil. Florent. loco citato. & D. Th. 3. p. q. 74. art. 8. in corp.* Ideò aqua in debita proportione, & debito tempore admisceatur vino, frequentiùs accidere, vt conuertatur in vinum ante consecrationem, quia vinum propter caliditatem suam uidetur esse maximè actiuum.

5. Vnde nõ est uerũ aquam mixtam uino in consecratione conuerti in quendam humorẽ aqueum, seu phlegma, nam uera aqua naturalis (secũdùm aliquorum opinionem) de latere Christi exiuit, quia uerba consecrationis Calicis non significant talem conuersionem, sed id totum, quod designatur pronomine: *Hic est*; dicitur esse sanguinis Christi, & aqua. Et aqua, quę exiuit de latere Christi fuit uera aqua, quia *ità Innocentius III. in quadam de Celebrat. Missarum §. Per hoc & D. Tho. 3. p. q. 74. art. 8. in corp.* Neque esse uerum, quòd aqua adiuncta uino in consecratione calicis maneat semper in propria specie, & natura post consecrationem, mixta speciebus uini, quia uerba cõsecrationis significant totum id, quod continetur in Calice, & quod conuertitur in sãguinem Christi. *ità Innocentius III. in cap. Cum Martha de Celebrat. Missarum §. Verum & D. Tho. 3. p. q. 74. art. 8.* Maximè quòd aqua benè admixta uino non potest aliquo artificio separari à uino, quia id, quod separatur à uino aliquo artificio, non est aqua, sed quidam aqueus humor, cuius signum est, quòd etiam ex puro uino potest extrahi: *ità D. Tho. in 4. dist.*

6. Similiter aqua, quae ante consecrationem non fuit conuersa in uinum, ut consecrationis unà cum uino, non conuertitur in sanguinem Christi, sed manet in calice secundùm suam substãtiam in propria specie, quia huiusmodi aqua non est materia remota consecrationis sanguinis cùm uinum de vite sit materia in consecratione calicis. Nec in hoc populus decipitur, cùm per ignorantiam ab Idolatria excusetur, quia animus est venerari quidquid in calice esse in sanguinẽ Chri-

Christi conuersum. Quamùis secundùm aliquos probabile, & verum sit, quòd aqua mixta vino, immediatè in consecratione calicis cõuertitur in sanguinem Christi, quia Sancti, & Sacra Concilia solùm requiritur vinum aqua mixtũ pro materia in consecratione calicis. Tamen veriùs, & probabiliùs est aquam mixto vino non cõuerti immediatè in sanguinem Christi in consecratione calicis, quia aliàs materia consecrationis non esset solum vinũ, sed vinum, & aqua, quod est contra Concil. Florent. Ideò non quemlibet potum, sed vini tãtùm esse materiam huius Sacramenti, & illa modicissima aqua, saltem mediatè conuertitur in sanguinem Christi. Sicut si contingeret particulam panis hordacei manere interpositam pani triticeo, substantialiter tamen ab illo distinctã, re vera nõ consecraretur, ita etiã aqua, maneret non substãtialiter consecrata, sed in sua specie, & natura. Item verisimiliùs est Christum in institutione miscuisse aquam vino in maiori quantitate, quàm modò communiter fit à Sacerdotibus, quia ipse cognoscebat quantitatem aquæ, quæ poterat conuerti in vinum, quòd modò Sacerdotes non cognoscunt, ideò apponitur modicissima aqua. *ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij.*

7. Si verò in consecratione Calicis contingeret vinum, & aquam ita misceri, vt vtriusque substantia periret, & fieret vnũ aliquid distinctum, habens solùm accidentia vini, tunc non fieret valida consecratio, quia solùm panis, & vinum dicuntur conuerti in corpus, & sanguinem Christi, cùm in hoc nõ saluetur substantia vini. *ita Cõcil. Florent. in Decreto Eugenij, §. Tertium est. & Concil. Trid. sess. 13. can. 9. & D. Thom. 3. p. q. 77. art. 8. in corp.* Neque aqua, quæ ante consecrationẽ non fuerat conuersa in vinum, non conuertitur in sanguinem post consecrationem, quia conuersio in sanguinem Christi fit per verba consecrationis, quæ iam sunt transacta post consecrationem. *ita D. Thom. loco citato.* At aqua, quæ ante consecrationem non fuerat conuersa in vinum, conuertitur aliquando in vinum post consecrationem, quia sicut diuina virtute datur speciebus Sacramentalibus, vt possint esse sine substãtia; ita datur eis, vt possint agere sine forma substãtiali virtute Dei, à quo sicut à primo agẽte depẽdet omnis actio formæ, & substantialis, & accidẽtalis. *ita D. Th. 3. p. q. 77. ar. 5. 3. ad 2.* Et talis aqua conuertitur in sanguinem Christi, quamùis conuertatur in vinum eo tempore, quo forma consecratio-

 nis

nis fuit inchoata, sed nondum absoluta, quia intentio ministri consecrantis, cùm supponetur religiosa, refertur ad instans, in quo fit consecratio. Tamen si aqua conuertatur in vinum in vltimo instanti prolationis formæ, non esset consecrata, quia aliàs in eodem instanti aqua esset simul vinum, & sanguis Christi, quod est absurdum.

8. Similiter si inchoata consecratione, & non absoluta, superaddatur aliqua pars modicę aquæ in calice, licèt antequam absoluatur forma, conuertatur in vinum, illa pars aquæ superaddita non remanet consecrata, quia illa aqua non demonstratur pronomine, *Hic*, cùm non sit materia præsens consecrabilis, nèq; in fieri, neq; in facto esse, neq; est vinum, neque habet dispositionem per viam ad vinum. Imò si vino consecrato addatur aliqua minima particula aquæ, hæc per species consecratas vini conuenitur in vinum, quia species Sacramentales vini post consecrationem habent virtutem corrumpendi aquam, & generandi ex illa vinum. *ita D. Thom. 3 p. q. 77. art. 3. ad 2.* Non tamen illa aqua cõuersa in vinum, conuertitur posteà in sanguinem Christi, quia species consecratæ virtutem continent ad generandum vinum; non tamen ad conuertendum in sanguinem sine noua consecratione. *ita D. Thom. loco citato.* Et si aqua, quæ admiscetur vino consecrato, sit tanta, vt per totum vinum cõsecratum omninò penetret, in illis speciebus nõ maneret posteà sanguis Christi, quia corruptis speciebus vini consecrati, non remanet in illis corpus Christi, cùm vtrumque ex illis transeat in quoddam tertium ex his compositum. *ita D. Tho. 3. p. q. 77. art. 8. in corp.*

9. Similiter qui scienter prętermittit aquæ admixtionem in consecratione calicis grauiter peccat, vt diximus, quia *ita cap. litteras. de celebrat. Missarum.* Sed qui admittit aquam artificiosã, scilicèt *rosaceam*, non solùm peccat contra præceptum negatiuum non apponendi aliquid in calice præter vinum, *vt in cap. cùm omne crimen de consecrat. dist. 2.* Sed etiam contra præceptum affirmatiuum apponendi aquam naturalem, quia Christus miscuit vino cõsecrando veram aquam naturalem. *ita Innocentius III. cap. in quadam de celebrat. Missarum. §. Per hoc autẽ. & Cõc. Trid. sess. 22. cap. 3.*

10. Item si aqua admisceatur vino consecrato, sanguis Christi tunc nõ dici potest misceri cum aqua admixto vino consecrato, miscetur tamẽ speciebus Sacramentalibus, quia extrema aquæ appositæ vino consecrato, & extrema specie-

rum Sacramentalium coniungerentur, sed non cum sanguine Christi, cùm sanguis Christi non reperiatur sub speciebus Sacramentalibus modo quantitatiuo. *ita D.Thom.3.p.q 77.art. 8.ad 2.* Et si gutta specierum vini cõsecrati misceatur, vel mittatur in dolium vini non consecrati diuersæ qualitatis etiam si sit vinum eiusdem speciei, nõ manet ibi sanguis Christi, postquàm perfectè adinuicem misceantur, quia corruptis speciebus vini cõsecrati per qualitates diuersas alterius vini, desinit ibi esse Sacramentum sanguinis. Sed si mittatur in dolium vini eiusdem speciei, & qualitatis, cùm tunc nulla fit corruptio, neque resultare aliquid tertium, maneret in illa gutta specierum vini consecratarum Sacramẽtum sanguinis, quia tunc conseruatur potiùs, quàm alteratur, & corrũpatur, consequenter permanet in illis Sacramentum sanguinis. Ideò quando duo liquores, scilicèt duo uina habent qualitates indiuiduales ualdè similes, & sunt eiusdem speciei, uigoris, & uirtutis, si misceantur, & iniungãtur, tunc nõ fit uera, & perfecta mixtio, neq; corruptio, neque resultat aliquod tertium, quia mixtio est miscibilium alteratorum unio, quod fit per qualitates contrarias. *ità Arist. lib.1. de generat. tex. vlt.* Sed si dicti duo liquores habẽt indiuiduales valdè dissimiles diuersæ virtutis, & vigoris, scilicèt quorum vnum vinum sit valdè vigorosum, & nimis fortè, alterum verò valdè debile, & misceantur, tunc fit perfecta, & vera mixtio, & corruptio, & verè resultabit vnum tertium, quia tunc est iàm aliqua contrarietas, sufficiens ad veram alterationem, perfectam mixtionem, corruptionem, & generationem illius tertij resultantis.

11. Similiter si vino consecrato admisceatur aliud vinum consecratum, si vina sunt eiusdem speciei, qualitatis, virtutis, & vigoris, remanet sub illis Sacramentum sanguinis, quia tũc consecratio nõ officit, sed iuuat ad conseruationem specierum Sacramentalium. Sed si sit alterius speciei, vel diuersæ qualitatis, vigoris, & virtutis post perfectam mixtionem, tunc desinit esse Sacramentum, quia etiam eiusdem speciei sola differentia qualitatum, virtutis, & vigoris, per multum facit ad corruptionem vtriusque & resultat aliud tertium. Ita quòd si vinũ albũ, & rubrum sint eiusdem speciei, & non differentis qualitatis, vigoris, & virtutis, si species eorũ consecratæ admisceantur adinuicem, remanet sub illis Sacramentum sanguinis, quia ex eorum mixtione non fit vera, & perfecta mixtio, neq; corruptio, neq;

neque aliud tertium resultaret; cùm remaneat Sacramentum sub speciebus Sacramẽtalibus, quandiù species cõsecratæ cõseruantur in esse. Secùs si vinũ album, & rubrum essent distinctæ speciei, differentium qualitatum vigoris, & virtutis. Nec obstat immutatio coloris, quia secundùm apparentiam immutatur color, cùm tunc uerè non corrumpantur colores, sed per iuxta positionem apparet color medius.

12. Imò si species uini consecratæ per mixtionem alterius uini non consecrati diuidantur in partes minores minimas, & admisceantur per totum, manet adhuc sub illis Sacramentum, quia quamuis non manerent separatæ, sed copularentur & unitæ manerent vino, cum quo miscentur: quo ad quandiù manent integræ, & non corruptæ species vini consecrati. *ita D. Th. quodlib. 10. art. 3. in corp.* Et ita ad mentem intelligendus est D. Tho. *3. p. q. 77. art. 8. in corp.* dum alibi *in quodlibeto 10. art. 3. in corp.* explicans se, dicit, quòd si fieret tanta permixtio extranei liquoris, quæ sufficeret ad tantam substantiam uini corrumpendã, sic ibi desineret esse sanguis Christi. Et nõ est necesse, quòd causa particularis debeat esse eiusdem speciei cum qua producit; quia forma cadaueris non est eiusdem speciei cum homicida, à quo producitur, ità dum fit admixtio uini differẽtis qualitatis, & generatio tertij liquoris, & ibi desinit esse Christi, nõ est necesse assignare causam particularem eiusdem speciei producentem illud tertium alterius speciei. Et quando desinit ibi esse sanguinis Christi per admixtionem, non est necesse, quòd desinat etiam ibi esse speciem uini, quia per eam admixtionem fieri potest, ut generetur aliud tertium uinũ alterius speciei, & sic remanent species uini, quamuis secundùm esse indiuiduale desinant, & ità desinit esse Christi, cùm corrumpantur species Sacramẽtales secundum esse indiuiduale. Et nõ est eadem ratio de aqua nõ benedicta, si misceatur cum benedicta, & de mixtione uini non consecrati cum consecrato; nã illa manet tota benedicta, quia illa benedictio est extrinseca denominatio ab Ecclesia instituta. At in consecratione uini fit realis transmutatio, & supernaturalis actio, ad quam efficiẽdam solis uerbis consecrationis uirtus, & efficacia data est. Ideò cum consecrato si admisceatur uinum non consecratum, species consecratę nõ possunt aliàs consecrari, quia non data est eis hæc uirtus, sed solum hoc fieri potest per uerba cõsecrationis.

13. Tandem dolium uini, seu magna quantitas uini, in qua

gutta

gutta specierum cōsecratarum immissa est, manens consecrata, non impediret, quin uinum illius dolij possit à laicis bibi, & consummari, si cogeret necessitas, uel incommoditas, quia illa gutta cōsecrata habetur pro amissa, cùm ignoretur quænam sit illa. *ità D. Thom. quod lib. 10. art. 3. in corp.* Sed si nulla adest necessitas, nec incommoditas seruandi illud, esset inter Missarum sollemnia totum per partes cōsecrandum, & consummēdum ad pios usus, quia hoc est fauorabile reuerentiæ debitæ huic diuinissimo Sacramento.

DISQVISITIO XLI.

De Forma Consecrationis.

ARTICVLVS I.

An, Hoc est Corpus meum, sit conueniens forma consecrationis panis?

1. R. Sic, quia Christus pro forma Cōsecrationis panis instituit hæc verba. *ità Côc. Florent. in instruct. Armen. & D. Tho. 3. p. q. 78. art. 2.*

2. Omittens tamen particulam, *enim*, in consecratione panis, validè consecraret, quia nō variat sensum formæ, & fuit apposita à D. Petro ad cōtinuationem cum præcedētibus verbis. *ità D. Thom. loco citato.* Et hæc vocula, *enim*, quodammodò ad integritatē formæ pertinet, quia verba formæ proferuntur à ministro, quasi recitatiuè, & hoc significari non posset, si omittatur vocula, *enim*, nam continuatio præcedentium verborū, fit per coniunctionem, *enim*. Sed secundùm consuetudinem Ecclesiæ Romanæ à D. Pietro deriuatam, illa particula, *enim*, significatur ab Ecclesia tamquam pars formæ, & vt sic, habet significationem, vt omnia verba formæ cum certitudine proferantur. *ità D. Thom. in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2.* Sed omittere voculam, *enim*, ex negligentia, & inaduertentia, licèt sit culpabilis, non tamen lethalis, quia licèt sit malum, & culpa in genere Sacrilegij, quod est Religioni contrarium. Qui verò sciens, & prudens, & aduertens voculam, *enim*, in forma consecrationis pro libito omit-

omitteret, peccat mortaliter, quia omissio volūtaria videtur quidam contemptus Ecclesiæ, & eius instituto iniuriosus.

3. Verùm non est valida cōsecratio, si fiat his verbis, *Hæc est caro mea*, quia ly *caro*, non explicat adæquatum terminum huius conuersionis, qui ex vi verborum in Sacramento per formam consecrationis panis ponitur. Et quando Christus vocauit hoc Sacramentum, *carnem suam*, tunc non tradebat verba formæ, sed tractabat de usu huius Sacramenti, & in ordine ad usum, rectè explicatur nomine carnis, quia homines carne uesci solent.

4. Similiter neq; ualida consecratio, si loco, *Hoc*, constituatur, *Hic*, quia ly *Hic*, est aduerbium locale; ideò non solùm est iniqua, quia est contra institutionem Christi; & consuetudinem Ecclesiæ, sed etiam est contra substantiam Sacramenti, quia facit, ut forma nō significet conuersionem substantialem panis in corpus Christi, cū ly *Hic*, constituitur, ut pronomen; & est peccatum mutationem hanc facere, quia in re graui est contra consuetudinem uniuersalis Ecclesiæ. Tamen non esse mutationem substantialem, quia licèt sit contra leges Grammaticæ, tamen reddit eum sensum, & non esset cōtra substantiam Sacramenti. Item neq; conficit Sacramentum, si dicatur. *Hoc est Corp' Christi*, quia uariatur sensus formæ substantialiter, cùm uerba debeāt proferri in persona Christi. *ità D. Tho. in 4. dist. dist. 8 q. 2. art. 2. quæstiunc. 4 ad 4.* Neq; si dicatur. *Hic panis est Corpus meum*, quia notabiliter mutaretur sensus formæ, cùm pronomen, *Hoc*, supponat, & significet pro substantia communi ad substātiam panis, & Corporis Christi: *Hic*, uerò, *panis*, pro substantia panis determinata sumitur. *ità D. Tho. loc. citato art. 3.* Multo minus ualebit consecratio, si dicatur, *Hic panis est Corpus Christi*, quia non profert uerba consecrationis ex persona Christi. *ità D. Tho. loco citato quæstiunc. 4. ad 4.* Sed benè ualebit si dicatur. *Hic cibus est corpus meum*, uel *hac res est corpus meum*, quia mutatio in his uerbis non est substantialis, cùm hæc uerba, *Hic cibus*, *Hæc res*, supponant pro substantia in communi ad substātiam panis, & Corporis Christi, sicut significat pronomen, *Hoc*.

5. Rursus non conficit ualidum Sacramentum, qui dicit. *Hoc, vel fiet, vel sit Corpus meum*, quia uariat sēsum, & impropriè loquitur, dum dicit *accipite, & comedite, Hoc fit, vel fiet, vel sit corpus meum*, *ità D. Thom. 3. p. q. 78. art. 2. in corp. & ad 2.* Neq; conficit Sacramentum, si dicatur. *Ecce corpus meum*, quia ly *ecce*, non signi-

significat conuersionem panis in Corpus Christi, sicut debet in forma consecrationis. Et facere talē mutationē esset peccatum graue; quia saltèm, ut minimum, esset dubia consecratio. Neq; est ualida, qui dicit. *Illud est corpus meum*, quia ly pronomen, *Illud*, ex ui suæ significationis, non demonstrat materiam præsentem, sicut, *Hoc*; & *Illud* non æquiualet, *Hoc*. Sed benè ualidè consecrat, qui diceret. *Istud est corpus meum*, quia ly pronomen, *Istud*, usurpatur aliquando ad demonstrandam rem præsentem, & æquiualet in significatione pronominis, *Hoc*.

6. Similiter neq; conficit Sacramentum, qui dicit. *Hoc Corpus Christi est Corpus Christi*, quia non significat conuersionem panis in Corpus Christi practicè, & in actu exercito, sicut significat. *Hoc est enim corpus meū*. Neq; dicendo. *Accipite, & comedite hoc corpus meum*, quia *Accipite*, *& comedite* non pertinent ad formam cōsecrationis, neq; exprimunt uerbum, *Est*, necessarium in forma cōsecrationis, cùm non æquipolleat ei. Valet vtiq; si dicatur, *Hoc corpus meum est*, quia ly *Hoc*, stat pro subiecto, & *Corpus meum*, vt prædicatum. Non tamen conficit, si dicatur, *Meum est hoc corpus*, quia variatur versus, & legitimus sēsus formæ consecrationis; cùm modo ly *Hoc*, demonstret determinatè corpus, & non significet aliquid fieri corpus, sed quòd corpus esset Corp⁹ Christi; nàm in forma cònsecrationis ly *Hoc*, vagè, & in confuso debet demōstrare, scilicèt quod priùs erat panis, post verò est corpus Christi. Neq; enim conficit, si dicatur, *Hæc est mea substantia*, quia èst mutatio substantialis in forma, cùm ly *Substantia mea*, est terminus valdè communis, ità vt ratione totius, scilicèt ratione sanguinis, aut animæ, vel alteri⁹ partis dici possit.

7. Similiter illa verba, *Accipite, & manducate*, non sunt de necessitate Sacramenti, quia non significat aliquid intrinsecum, & essentiale huic Sacramento, sed extrinsecum vsum, & distributionem. *ita D. Tho. 3. p.q.78.art. 2.* Neque sunt de necessitate Sacramenti illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, quia per sola verba, *Hoc est corpus meum*, sufficienter significat realem præsentiam corporis Christi, & conuersionem panis in ipsum. Neque etiam illa esse de necessitate præcepti, quia nō est præceptum Ecclesiæ, nam ex vsu illius licitè, & validè de illis verbis: scilicèt *Hoc est corpus meum*, consecrant Sacerdotes. Neq; diuinum, cùm nec ex scriptura habeatur, neque ex traditione Apostolica constet. Verùm Græci, vel alij Sacerdotes addentes ly *Quod pro vobis tradetur*, vt

vt necessariam necessitate Sacramenti, verè conficiunt Sacramentum, quia non agunt contra veritatem Sacramenti, & habent intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

8. Vnde conficit Sacramẽtum, qui addit aliquid, quod putat esse de essentia Sacramẽti, cùm re vera non sit, si intendat facere, quod potest, & quod intẽdit Ecclesia, vel quod Christus instituit, quia tunc non est mutatio substãtialis, nam adest debita materia, & forma cum intentione ministri faciendi, quod potest. Ita etiam conficit Sacramentum, qui aufert aliquid, quod putat esse de essentia Sacramenti, & verè non est, quia ad validitatem Sacramenti sufficit vera forma, & materia, & intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia. Imò etiam conficit, qui intendit nouum ritum in Ecclesia, etiam ab ea non toleratum, addendo, vel auferendo aliquid, quod putat esse de essentia Sacramẽti, & verè non est, quia per hãc intentionem inducendi nouũ ritum, & errorem in Ecclesia, non tollitur intentio faciendi, quod potest, cùm hæc simul cum vera materia, & forma sit sufficiens ad conficienda Sacramenta. Sed tamen talis dubitatur, an conficiat Sacramentum? quia qui ita irreligiosè procedit, suspectus est de vera intentione faciendi, quod facit Ecclesia. *ita D. Tho. 3. p. q. 60. art. 8. in corp.* Ideò Hæreticus variãs verum, & legitimum sensum formæ institutum à Christo, vt Arrianus dum baptizat *in nomine Patris maioris, & Filij minoris*; hic annullat Sacramentũ, quia est mutatio substantialis, cùm destruatur verus sensus formæ, nam expresè significatur inæqualitas essentialis inter Patrẽ, & Filium. Nec hæc assertio est contraria præcedenti, quia Sacerdos existimans sententiam Græcorum esse veram addere, *Quod pro vobis tradetur*, & in actu exercito errorem suum prodat in forma, non tamen mutatur per illam substantialiter sensus legitimę formę institutę à Christo. At in illo mutatur verus sensus formæ institutæ à Christo, cùm expresè significetur inæqualitas essentialis in Trinitate, quod est hæreticum.

9. Hinc est, quòd Græci addendo in forma, *Quod pro vobis tradetur*, per se non malè agunt, quia non est contra præceptũ, neq; aliundè malum, *ita Alexander Papa. Epist. 1. cap. 4.* Sed malum est addere, *Quod pro vobis tradetur*, vt necessariam particulam necessitate Sacramenti in forma Consecrationis & dãnare eos, qui illam non addant, quia hæc existimatio, seu intẽtio continet errorem in fide, cũ solùm quatuor voces, *Hoc est*

corpus meum, sint de essentia, & necessitate Sacramenti huius. *ita D. Matthæus cap. 26. & D. Marcus cap. 14. ita Ecclesia in Missalibus Romanis*. Neq; refert, quòd ly *enim*, eodem modo scribatur, quia id fit, non quia sit de essentia, sed quia alijs est interposita: *ita D. Tho. 3. p. q. 78. art. 2.* Iure ergò optimo Ecclesia latina in forma cõsecrationis omittit, *Quod pro vobis tradetur*, quia tenet ad validitatem Sacramenti, tantùm sufficere, *Hoc est corpus meum*. Et Ecclesia Romana nõ apponendo, *Quod pro vobis tradetur*, non se exponit periculo non conficiendi Sacramentũ, quia à Domino dictum est, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Et si Lyturgia D. Basilij apponuntur, tùm ad magis exprimendum Christi corporis veritatem, tùm etiam ad passionis commemorationem, tamẽ Ecclesia Latina omittit, quia quòd indubitata fide tenet, vsu comprobat.

10. Similiter temerarium est asserere Christũ in nocte Cœnæ non consecrasse in illis verbis, *Hoc est corpus meum*, quia est communis sententia omniũ Scholiasticorum. *ita Innocentius III. cap. cum Marthæ de celebrat. Missarum. & Concil. Florent. in tract. de Eucharistia*. Verùm de fide est ea verba, *Hoc est corpus meum*, esse de necessitate Sacramenti, quia habetur expressè in sacris litteris. Non autem est de fide, quòd Christus consecrauit his verbis, *Hoc est corpus meum*, quia D. Thom. *3. p. q. 78. art. 1. ad 1.* tantùm condemnat tamquàm temerariam, & non hæreticam hanc opinionem, signum est non esse de fide.

11. Similiter totus Canon, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie, quàm pateretur*, non est necessarius necessitate Sacramenti ad consecrationem, quia totus Canon non fuit recitatus à Christo, nam illa verba, *Fregit, deditque Discipulis suis*, non fuerunt à Christo prolata, sed Euãgelistæ per illa verba expresserunt, quod Christus fecit. Est tamen necessarius necessitate præcepti, quia pertinent ad sollemnem Sacramentorum ritũ ab Ecclesia præscriptum. *ita Concil. Trid. sess. 7. can. 13. de Sacramento in genere*.

ARTICVLVS II.

An tantùm verba, Hic est calix sanguinis mei, sint de necessitate Sacramenti?

1. R. Sic, quia sufficienter exprimunt totũ effectum consecrationis vini, contentum in hoc Sacramẽto. *ita D. Tho. 3. p. q. 78. art. 3.* Et quãuis non omnia verba Christi in consecratione non sint de essentia, & necessitate Sacramenti;

ti; tamen cum non sit damnata opinio illorum, qui volunt omnia verba Christi esse de essentia formæ, ideò tutum est, omnia eodem modo ad calicē adhibere, & intentionem habere eo modo, per ea verba consecrandi, quibus Christus instituit, & Ecclesia intendit.

2. Verùm omnia verba, quę proferuntur in consecratione calicis sunt appellanda de substantia, & integritate huius Sacramenti, quia ponūtur ab Ecclesia tamquàm forma calicis, non vt partes essentiales, vt dictum est, sed vt sunt de substantia, & partes integrales. Et ly *Substantia* est æquiuoca; aliquādo enim significant essentiam rei; aliquando verò id, quod pertinet ad integritatem, etiam si non sit necessaria, modò hic sumitur pro integritate Sacramenti; sicut pes, & manus hominis sunt de substantia hominis, non tamē de essentia illius, ita ista verba consecrationis sunt de substantia huius Sacramenti, non tamē omnia de eius essentia. *ita D. Tho. p. p. q. 3. art. 3. & q. 79. art. 2.*

3. Vnde per priora verba consecrationis calicis, *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem Christi, quia sicut per formam consecrationis panis, scilicèt, *Hoc est, &c.* significatur conuersio panis in corpus Christi; ita per verba, *Hic est, &c.* significatur conuersio vini in sanguinē Christi. Et ly *calix*, est loquutio figuratiua secundùm Metonymiam, qua ponitur continens pro contento, & est sensus, *Hic est calix, hic est sanguis meus, contentus in calice, vt sit potus fidelibus, per vas huic vsui accomodatum. Ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 3. ad 1.*

4. Similiter dicitur, *Noui*, quia non in figura, vt in veteri Testamento, scilicèt in occisione animalium figurantiū mortem Christi, sed in re, & veritate exhibetur. Dicitur, *æterni testamenti*, quia tàm ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hæreditatis, quæ per testamentum disponitur ipsa etiā persona Christi, cuius sanguine testamentū disponitur, est æterna. *ita D. Tho. loco citato ad 4.* Dicitur, *Mysteriū fidei*, quia quòd sanguis Christi secundùm veritatem sit in hoc Sacramento, sola fide tenetur, quasi fidei obiectum, cùm ratione naturali hoc comprehendi non possit. Vel quia est secretum fide tenendū. Vel quia hoc Sacramētum sanguinis est vnum ex mysterijs fidei maximè abditis, & reconditis; nam in eo aliud videtur, & aliud sub speciebus latet. Vel quia in cōsecratione sanguinis expressiùs repræsentatur Passio Christi, quæ maximum mysterium à Sa-

à Sæculis abſconditum, cùm in hoc ſacrificio quò ad rem oblatam verè, & realiter contentum, quò ad ipſam verò effuſionem ſanguinis mirabiliter repræſentatum. Vel quia maximam habet difficultatem ad credendum, quòd ſub ſpeciebus vini verus ſanguis Chriſti continetur. *ita D. Tho. 3. p. q. 78. art. 3. ad 6.* Et licèt in Baptiſmo dicitur *myſterium fidei*, quia eſt quædam proteſtatio fidei; tamẽ Sacramentum Euchariſtiæ etiã dicitur *myſterium fidei*, quia Antonomaticè eſt maximũ obiectum fidei. Vel quia in hoc Sacrificio verè, & realiter Chriſtus exiſtens immolatur, non cruenter, & viſibiliter, ſed occultè, & Sacramentaliter, & incruenter. *ità D. Thom. in 4. diſt. 8. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 5.* Dicitur, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, quia habet efficaciam nõ ſolùm in Iudæis electis, quales erant illi, præter Iudam, qui ſedebant ad mænſam, ſed etiam in Gentilibus. Vel quia non ſolùm Sacerdotibus electis, qui conficiunt hoc Sacramentum, ſed etiam in illis prædeſtinatis, pro quibus offertur, vel in alijs, qui illud ſumunt. Et meritò dicitur. *Pro vobis, & pro multis*, & non, *Pro omnibus*, quia fructus Paſſionis non fuit, niſi in prædeſtinatis fructuoſa, & non *Pro omnibus*, ſed. *Pro vobis, & pro alijs multis vobis ſimilibus. ità D. Thom. 3. parte quæſt. 78. art. 3. ad 8.*

5. Item hæc forma, *Hic eſt ſanguis meus*, eſt ſufficiens ad validitatem Sacramenti, quia ſufficienter ſignificatur cõuerſio vini in ſanguinem Chriſti; & in ſenſu æquiualet, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Tamen conueniẽter eſt dicere, *Hic eſt calix &c.* quia illa vox, *Hic eſt calix*, propriè ſignificat ſanguinem, vt potabilem. Sed Sacerdos vtens in conſecratione Calicis, *Hic eſt ſanguis meus*, grauiter peccat, quia in formis Sacramẽtorum, & præcipuè huius, quæcunque variatio videtur grauis.

6. Similiter valida eſt conſecratio, ſi dicatur, *Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine*, quia re vera ſenſus illorum verborum eſt idem in ſubſtantia cum alijs, quibus vtitur Eccleſia latina; tamẽ grauiter peccaret, quia in ritu ſacrificandi non licèt mutare ordinem, & contextum verborum eſſentialium, quæ Eccleſia vniuerſalis obſeruat. Neq; videtur affirmare, ꝙ de contento in calice ſit ſãguis Chriſti, ſed ꝙ ſit *teſtamẽtũ*, quod videtur eſſe quid extrinſecum, & metaphoricum. Maximè cùm aliquibus Doctoribus videatur hæc mutatio ſubſtantialis, & illa verba non ſufficere, ad validitatem conſecrationis. Item etiam grauiter peccat, ſi in conſecratione Calicis vteretur his ſolùm verbis, *Hic eſt*

est Calix Sãguinis mei, omissis alijs, quæ in canone cõtinẽtur, quia facit contra præceptũ, & ritum in re graui. Ideò Sacerdos debet proferre omnia verba Canonis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quia quæ pertinẽt ad essentiam, & necessitatem Sacramentorum, non est licitum sequi sentẽtiam probabilem, quando possumus sequi sententiam tutã, & certam.

7. Tandẽ adorandus est calix, si celebrans moriatur, finitis tantùm verbis, *Hic est calix Sanguinis mei*, quia sicut finitis in consecratione panis, *Hoc est Corpus meum*, statim corpus Domini proponitur adorandum, ità finitis, *Hic est &c.* est adorandus calix (saltem sub conditione) adoratione, & cultu latriæ, quia hoc non est omninò certum, & diffinitum ab Ecclesia. *& ità est mens D.Th. 3.p.q. 78. art. 5.*

ARTICVLVS III.

An verba vtriusque consecrationis proferantur à Sacerdote nedùm recitatiuè, verùm etiam significatiuè?

1. R. Sic, quòd recitatiuè patet, nam quando Sacerdos narrat, & recitat ea, quæ Christus fecit, & dixit, aliter dici non possunt, quia sanguis Christi iam est effusus, & non effundendus. Quòd formaliter, & significatiuè ẽt patet, quia forma in Sacramentis efficit, quod significat, & significat, quod efficit. *ità Concil. Florent. in Decreto Eugenij §. Tertium est & D. Thom. 3.p.q.78. art. 5.* Et in hoc ineruditus Sacerdos sufficit, quòd intẽdat facere, quod facit Ecclesia, quia virtute accipit illa formaliter, & enunciatiuè, & verè consecrat.

2. Nota, quòd dupliciter proferri possunt verba cõsecrationis à Sacerdote. Primò Historicè, materialiter, narratiuè, & recitatiuè, & est quãdo profert animo referendi tantùm verba, quæ Christus in vltima Cœna dixit; & vt sic non significat minister id, quod in Sacramento nunc fit, sed quod factum est. Secundò, formaliter, enunciatiuè, & significatiuè, & est quando profert verba consecrationis personaliter, seù formaliter, enunciatiuè, idest, intentio ministri est non tantùm proferre illa verba, tamquàm olim à Christo dicta, sed etiam exercere in præsenti eorum significationem, asserendo, & volẽdo ità esse, prout verba significant, & hoc est proferre verba consecrationis formaliter, & enunciatiuè. *ità D.Tho. 3.p.q.78. art. 5. in corp.* Ideò verba consecrationis proferuntur à Sacerdote consecrante in persona Christi, quia in persona Christi proferũtur, de quo verificãtur, cùm

cùm re vera verba consecrationis efficiant ibi esse sub speciebus Sacramentalibus realiter Corpus Christi. *ità D. Thom. loco citato.*

3. Vnde non videtur probabile asserere verba consecrationis proferri à Sacerdote tantùm recitatiuè, seù narratiuè, quia vt Sacerdos consecret, est necessè, vt intentionem habeat loquendi eo modo, quo Christus protulit illa verba *ità Concil. Florent. in Decreto Eugenij 4. Tertiū est & D. Thom. loco citato.* Neque probabile est, quòd illa verba accipiantur tantùm significatiuè, & assertiuè, non tamen recitatiuè, quia falsificaretur verbum præcedens, scilicèt, *Accipite, & manducate. Accipite, & bibite*; nàm Ecclesia apposuit, ly *enim*, ad coniungendum verba consecrationis cum præcedentibus.

ARTICVLVS IV.

An istę propositiones, Hoc est Corpus meum, & Hic est Calix Sanguinis mei, quæ sunt formæ huius Sacramenti, sint veræ?

1. R. Sic, quia propositio etiam de præsenti ex natura sua exigit sui veritatem in momento, quo finitur eius prolatio, cùm tunc verè, & realiter Corpus Christi subsistat sub speciebus Sacramētalibus. *ità D. Thom. 3. p. q. 78. art. 5.*

2. Vnde illa propositio, *Hoc est corpus meum*, seù, *Hic est calix sanguinis mei*, nequit habere hūc sensum, vt sit vera, *Hoc est, vel proximè futurum est corpus meum*; *Hic est, vel proximè futurus est sanguis meus*, quia ly *est*, in rigore loquendo, non significat illam distinctionem, sed tantùm significat de præsenti, nam iuxta istam interpretationem nō potest ex veritate verborum colligi, Christum esse præsentem in hoc Sacramento in fine prolationis verborum, quod est contra Concil. Trid. *sess 13. cap. 3. de Eucharistia*; nam ly *vel proximè futurum est*, latiùs potest ampliari, & vt sic non potest ex veritate verborum colligi, Christum esse præsentē in hoc Sacramēto in fine pralationis verborū. Neq; ly Pronomen, *Hoc*, in forma cōsecrationis significat panem transitiuè, ita vt sit sensus, *Hoc, idest, panis est corpus meum*, idest *fit corpus meum*, quia hæc explicatio nimis fauet hæreticis; nàm sicut exponeretur à Catholicis, *Hoc, idest, panis transit in corpus meum*, ità hæreticus poterit explicare, *Hoc idest, panis repræsentat Corpus Christi*; quæ explicatio est falsa, cùm Christus non sit in Sacramento Eucharistiæ repræsentatiuè, & figuratiuè, sed verè, & realiter.

3. Similiter Pronomen, *Hoc*, in

in forma consecrationis designare non potest accidentia, seù species panis, quia non potest dici, quòd accidentia, seù species panis sint Corpus Christi. Ideò absolutè non est legitimus sensus, scilicèt, *Hoc est corpus meum, idest, Hoc, quod significatur his speciebus, est corpus meum*, quia continet sensum hæreticũ; nàm potest Corpus Christi significari per accidentia panis, etiam si non esset præsens Corpus Christi. *ità D. Thom. in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1.* Sed benè legitimus sensus est, *Hoc est corpus meum, idest, Hoc, in quod panis conuertitur, est corpus meum*, quia in propositionibus practicis, & effectiuis, si subiectum est aliquod Pronomen demonstratiuum, demonstrare solet ipsum prædicatum.

4. Similiter ly Pronomen, *Hoc*, in forma consecrationis panis nõ potest designare Corpus Christi, prout est in se, & in propria specie in Cœlo, quia vt sic, est absẽs. Ideò simpliciter loquendo, hæc propositio, *Hoc est &c.* est singularis propositio non determinata, sed vaga. ità quòd subiectum illius, scilicèt, *Hoc*, est singulare vagum, quod potest esse commune ad alia singularia determinata, scilicèt, ad substantiam panis, & ad substantiam Corporis Christi, quia ly *Hoc*, sumitur substantiuè, cũ locum habeat integri subiecti in propositione illa, & significat singulare vagũ cõmune ad aliquã singularia determinata. Et demonstrat indiuiduum substãtiæ vagum absq; determinatione naturæ, tàm panis, quàm Corporis Christi, quia ly *Hoc*, in forma consecrationis non demonstrat panem, neq; Corpus Christi, sed indiuiduum vagum ad vtrumq; nàm si demõstraret panem, esset sensus, *Hoc, idest, iste panis est Corpus Christi*, quòd est falsum, cùm panis non sit Corpus Christi. *ità D. Th. 3. p. q. 78. art. 5. in corp. & ad 1.* Neq; demõstrat Corpus Christi, aliàs esset sensus, *Hoc, idest, Corpus meum est corpus meum*, cùm repugnet veritati efficientię huius propositionis, nàm Corpus Christi nõ fit corpus Christi. Et hæc propositio, *Hoc est*, simpliciter loquendo, potest dici singularis, quia licèt ex vi suæ significationis videatur indefinita, tamen virtute verbi, scilicèt, *est*, restringitur ad supponendum in vltimo instanti prolationis verborum pro corpore Christi. Et est singulare indiuiduum vagum substantiæ, & non entis, quia aliàs non magis denotaretur fieri conuersionem specierum accidentium panis, quàm ipsius substantiæ, cùm accidentia magis pateant ad sensum, & ipsis ratio entis communis sit. Taliter quòd in vltimo instanti prolationis verborum verifica-

tur de ipso corpore Christi, quia sicut dicere, *Homo est albus*, ly *homo*, supponit pro quocunque homine indeterminatè; in vltimo tamen instanti prolationis verborum non potest verificari, nisi de homine albo, ità similiter. *ità D.Tho. 3.p.q.78.art.5.*

5. Item si corpus Christi per miraculum in vltimo instanti formæ consecrationis non subsisteret sub speciebus Sacramẽtalibus, non esset vera hæc propositio, *Hoc est &c.* quia tunc tolleretur veritas eius in exercitio, ad quam ex institutione Christi dicit intrinsecum; & essentialem ordinem. Benè tamẽ in genere causæ efficiẽtis in vltimo instanti prolationis verborum formæ consecrationis est priùs natura vera propositio illa, *Hoc est &c.* quam existentia rei, quæ per illam significatur, scilicèt existẽtia corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus, quia illa propositio, *Hoc est corpus meum* est causa instrumẽtalis efficiens conuersionem panis in corpus Christi, cùm virtute suæ significationis causet illam; nam Sacramenta efficiunt, quod significant, sed causa efficiens semper est prior suo effectu, saltem prioritate naturæ. *ità D.Tho. 3.p.q. 68.art.5. ad 3.* At in genere causæ obiectiuæ, seù finalis prius prioritate naturæ est, illic existere in Sacramẽto corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus, quam veritas illius propositionis, *Hoc est &c.* quia per Aristotelem in diuersis generibus causarum, vnum est priùs altero, & vice versa; modò in genere causæ finalis adæquatio fit inter rem, & intellectum, in quo consistit veritas.

6. Ità etiam veritas practica huius propositionis, *Hoc est &c.* qua fit consecratio prioritate naturæ est prior suo effectu seù significato, quod est Christum verè, & realiter subsistere sub speciebus Sacramẽtalibus, quia consistit in eo, quod sit causa efficiens, & sufficiens talis effectus conuersionis, scilicèt, panis in corpus Christi. *ità D. Tho. 3.p.q.78.art.5.ad 3.* Et veritas speculatiua huius propositionis nõ est prior natura suo significato, sed è cõuerso, quia veritas speculatiua in propositionibus attenditur ab eo, quod res est, vel non est, & ex hoc dicitur vera. Ideò duplex veritas reperiri potest in aliquibus propositionibus. Altera speculatiua, quæ dicitur ab eo, quod res significata per propositionem re vera est in re, vel non est. Altera practica, quæ desumitur ex ordine ad efficientiam, quam habet propositio ad suum significatum; nam hæc veritas consistit in eo, quod propositio sit sit causa talis effectus. Et sic hæc propositio, *Hoc est &c.* dicitur vera, veritate practiua, quia efficit,

ficit, & significat efficientiam sui significati, scilicet, corpus Christi verè, & realiter subsistere sub speciebus Sacramentalibus, & est vera veritate speculatiua, quia suum significatum re vera est, dum ipsa profertur in vltimo instanti prolationis verborum. Absolutè tamen loquendo, hæc propositio, *Hoc est, &c.* priùs natura intelligitur significatiua, quàm intelligatur vera, vel falsa, quia propositionem esse significatiuam est aliquid commune ad hoc, quod est esse veram, vel falsam, vel tamquam subiectū ad accidentia, vel tamquam genus ad differentias; nam prædicatum communius, seu genericum priùs natura est, & intelligitur, quàm prædicatum magis restrictum, seu specificum.

7. Verùm hæc propositio, *Hoc est, &c.* potest concipi in aliquo signo rationis, nec vt significans, nec vt vera, nec vt falsa, quia voces huius propositionis, *Hoc est, &c.* possunt cōcipi, vt voces quædam sunt materiales, abstrahentes à significatione, à veritate, & à falsitate, & vt sic non sunt significatiuæ, nec veræ, nec falsæ. Et quando hæc propositio, *Hoc est, &c.* ex eo, quod assumitur à Deo, vt instrumentum ad transubstantiādum panē in corpus Christi, nequit assumi à Deo, vt neutra; neq; vt significans, sed vt practicè vera veritate practica, quia dum assumitur, vt instrumentum, veritatis huius propositionis solùm consistit in eo, quod talis propositio sit causa instrumentalis efficiēs talem effectum, scilicèt cōuersionē panis in corpus Christi.

ARTICVLVS V.

An sit de fide Christum esse secundùm veritatem sub speciebus Sacramentalibus?

1. R. Sic, quia Christus ad litteram dixit, *Hoc est corpus meum; ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. & can. 1. & D. Thom. 3. p. q. 75. art. 1.*

2. Non tamen est Articulus fidei, quia non ponitur expressè in Symbolo Apostolorum, nec annumeratur inter duodecim articulos fidei, nec proponitur ab Ecclesia, tamquàm principium vniuersalissimum, ad quod multæ aliæ veritatis fidei reducuntur. quod dicitur Dignitas; *ita D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 8. ad 6.* Nomine autem Articuli, & nomine Symboli fidei significari, cooperationem aliquarum partium distinctarum, pertinentium ad fidem; sicut particulæ quædam corporis sibi inuicē coaptatæ dicuntur articuli corporis, & sic articuli fidei propriè, directè, & formaliter no-

minantur, & sunt quædam sẽtentiæ principales, quæ potissimum spectant ad negotium nostræ salutis, & habent specialem, ac distinctam difficultatẽ propter sui ineuidentiam, & sũt quasi Dignitates quædam inter alia principia reuelata, quia hæ veritates reuelatæ dicuntur articuli fidei, ad quas tamquàm ad principia uniuersalissima in fide reducuntur multæ aliæ fidei ueritates. Modò licèt Sacramentũ Eucharistiæ habeat specialem difficultatẽ suæ credulitatis, & propter hoc dicitur mysterium fidei, tamen non non debet dici, articulus fidei, cùm etiam sit necesse, quod sit quoddam uniuersalissimum principiũ, ad quod multæ aliæ ueritates fidei reducũtur, quod nõ uerificatur in mysterio Eucharistiæ, cùm ipsum potiùs ordinetur ad alios fidei articulos, scilicèt, ad articulum Omnipotentiæ Dei, uel etiam ad sextum articulum, qui pertinet ad diuinitatẽ. ita *ita D.Tho. 2. 2. quæst. 1. art. 8. ad 6.*

4. Vnde Christus uerus De⁹, & homo est totus sub qualibet specie, & totus etiam sub qualibet parte specierum, quia corpus Christi existit sub qualibet parte speciei, sub qua anteà erat panis, uel uinum, cùm succedat in locum substantiæ panis, & uini. *ita Concil. Trid. sess. 13. can. 3.* Et dum sub tota hostia erat panis, & sub toto uino erat uinũ, cõsequenter est sub qualibet parte eorum. *ita D.Tho. 3. p. q. 76. art. 2. & 3.* Ideò de fide est per se primò, ut oppositum sit hæresis manifesta, quòd separatione facta specierum, totus Christus sit sub qualibet parte, quia *ita definitum in Concil. Florent. in tract. de Eucharistia, & Concil. Trid. sess. 13. can. 3.* Ita etiam est de fide per se secundo, ut oppositum sit erroneũ, quòd ante factam diuisionem, totus Christus sit sub qualibet parte specierum, quia hoc solũ habetur in Concil. Trid *sess. 13. cap. 3. de doctrina Eucharistiæ*, sed nõ in *canon. 3*, quod nõ sufficit, quod propositio pertineat ad fidem per se primò. Et quòd Christus totus sit sub qualibet parte specierum patet *ex Concil. Trid. cap. 3. & Innocentio III. lib. 4. de Myster. Missæ, cap. 8.* Et exemplum de fractione speculi, in qua apparent singulę imagines in singulis particulis, sicut in speculo integro; & licèt sit plebeis auribus plausibile, tamen est deceptorium, quia multiplicatio imaginũ ex singulis partibus fracti speculi oritur ex fractione eiusdem: at fracta hostia in singulis eiusdẽ partibus totus Christus sit, & hoc non ex fractione fit, sed quia per cõsecrationem ante separationẽ factã in singulis particulis hostiæ inuisibiliter, uerè, realiter

ac

ac substãtialiter totus Christus existebat. *ita Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. & D. Tho. 3. p. q. 76. art. 3. in corp.*

4. Imò in partibus minoribus minimis, scilicet, in illis, in quibus non conseruaretur substantia panis, & consequenter neq; corpus Christi, ante diuisionem est in omnibus partibus hostiæ sine limitatione, quia cùm totus panis per consecrationem conuertatur in corpus Christi, nulla potest esse particula, ubi non sit corpus Christi; aliàs in hostia consecrata darentur aliquæ particulę uacuæ ex corpore Christi, & substantia panis; quod est absurdum. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 3.* Consequenter totũ corpus Christi est in omnibus superficiebus, lineis, & in omnibus punctis hostiæ consecratæ, quia si Angelus esset in hostia consecrata, totus esset in tota, & totus in qualibet parte eius, quia ibi indiuisibiliter esset, ita Christus, &c.

5. Tandẽ si Deus sua omnipotẽtia separaret ab hostia cõsecrata lineas, & puncta, posset corpus Christi in lineis, & in punctis conseruare, & nõ conseruare, quia hoc esset supernaturale, dependens à sua uoluntate, cui nihil est impossibile, quia cõsecratio, & cõseruatio corporis Christi sub speciebus requirit materiam per se sensibilem. Punctum autem non est per se sensibile, sed ratione lineæ, & linea ratione superficiei. Consequenter non existet panis, neq; corpus Christi, nã ex institutione corpus Christi succedit in locũ panis. Ideò Sacerdos nõ potest consecrare superficiem, & solum punctum in aliqua hostia, quia punctum non est per se sensibile, sed ratione lineæ, & linea ratione superficiei, & superficies ratione corporis; consequenter non potest fieri consecratio, nisi simul in corpore. Et sic substantia panis secundùm se indiuisibilis est, capax tamen diuisionis per quantitatem; unde in quantitate, & per quantitatem est diuisibilis; in puncto autẽ est indiuisibiliter; & sic in puncto ante separationem ab hostia consecrata corpus Christi esse potest.

DIS-

DISQVISITIO XLII.

De Quantitate Corporis Christi in hoc Sacramento.

ARTICVLVS I.

An quantitas dimensiua Corporis Christi sit in hoc Sacramento?

1. ℟. Esse per modũ substãtiæ quia Christus existens realiter, & substantialiter sub speciebus Sacramentalibus habet caput distinctum, & à partibus, cùm partes corporis in eo non sint confusæ, sed distinctæ, & ordinatæ. *ita D. Thom. 3.p.q.76.art.4.*

2. Nota, quòd duplex est munus, & officium quantitatis. Primum est distinguere partes à partibus, & inter se ordinare, & sic Christus est sub speciebus Sacramentalibus secundùm suam substantiam, & quantitatem. Secundum est extendere substantiam, & corporis partes per ordinem ad locum, ita ut una pars non sit in eo loco, in quo est alia, sed unaquæque sit in diuersis locis partibus, & sic non existit Christus in speciebus Sacramẽtalibus, quia corpus Christi in hostia consecrata est in ipsa tota, & totum in qualibet parte eius, & nulla quantitas modo quantitatiuo est sic, consequẽter non est secundùm hoc munus, & officium secundarium. *ita D. Thom. loco cit.*

3. Vnde tota quantitas corporis Christi secundùm primarium suum munus, & effectum est in hoc Sacramento sub speciebus Sacramentalibus, quia aliàs corpus Christi esset in illis sine pulchritudine, & ut quoddam monstruosum, quod est absurdum, cùm idem corpus, quod est in cœlo cum pulchritudine, & dispositione partium sit in hoc Sacramento, & talis pulchritudo corporis Christi habetur per primarium effectũ quantitatis. *ita D. Thom. in 4. dist. 10. quæst. vnic. art. 3. quæstiũc. 4.*

4. Verùm corpus Christi nõ est in hoc Sacramento, *sicut in loco*, quia corpus Christi est sub illis speciebus, sicut erat substantia panis ante consecrationem sub eisdem speciebus, & tunc substantia nõ erat modo quantitatiuo, tamquàm in loco,

loco, sed modo indiuisibili, idest, tota in toto, & tota in qualibet parte: ità D. Thom. 3. p. quæst. 76. art. 9. Neque corpus Christi est in hoc Sacramento *circumscriptiuè*, quia non est secundùm commēsurationem propriæ quantitatis, cùm non sit modo quantitatiuo; nam non habet dimensiones suas proprias sibi inhærentes, sed alienas. Neque est *diffinitiuè*, quia Christus in hoc Sacramēto non ità arctatur, quod non possit esse in cœlo, & non ità in hoc Altari, quod non in alio. *ità D. Thom. loco citato.*

5. Tamen modus essendi, quem habet Christus in hoc Sacramento, & aliquid reale, quia Christus in hoc Sacramēto habet aliquas relationes reales propinquitatis, & distantiæ, quas non habet in cœlo; consequenter habet etiam fundamētum harum relationum. *ità Côc. Trid. sess. 13. can. 1. ità communis modus dicendi Sanctorum, & omnes Scholastici.* Et ista entitas modi essendi sub speciebus Sacramentalibus est intrinseca corpori Christi in ipso realiter, & intrinsecè existens; quia corpus Christi per realem præsentiam, quam habet in hoc Sacramento variari potest, & recipere nouam perfectionem. *ità Concil. Trid. loco citato.* Et ista entitas distinguitur ab ipso corpore Christi, sicut proprius modus Christi in hoc Sacramento à præsentia eiusdem in alio Sacramento: quæ diuersitates nō possunt esse sine aliqua distinctione reali. Et etiam distinguitur ab ipsa re realiter formaliter, non tamen realiter materialiter, quia uniuersim in omnibus rebus, præsentia solùm distinguitur realiter formaliter ab ipsa re, quæ est præsens uel à ratione, uel entitate illa, per quam est præsens.

6. Similiter realis præsentia, & modus essendi, quem habet corpus Christi in hoc Sacramento, reducitur ad prædicamentum substantiæ, quia substantia corporea corporis Christi est in hoc Sacramento, ex vi verborum consecrationis; quātitas autem est per concomitantiam, & consequenter est modo substantiali. *ità Concil. Trid. sess. 13. can. 1. & D. Thom. 3. p. q. 76 art 3. 4 5.*

7. Ideò Christus non est sic intimè in speciebus Sacramentalibus, sicut locatum est intimè in loco, quia corpus Christi in Sacramento non commēsuratur à loco, cum illo modo quantitatiuo. *ità Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. & D. Thom. 3. p. quæst. 76 art. 5. ad 1.* Et consequenter corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus non potest dici, quòd sit ibi stans, vel pronum, vel supinum, quia huiusmodi situs differentiæ

non

non conueniunt corpori, nisi existenti alicui tamquam in loco. Sed quia ibi est indiuisibiliter modo quodam singulari, quem Sacramentalem dicunt Theologi. *ità D. Thom. loco citato*.

8. Similiter impossibile est se verè, & propriè Christum moueri localiter in Eucharistia, quia motus localis est corporalis, & diuisibilis requirens necessariò extentionem, & modum se habendi quantitatiuè in subiecto, quod mouetur. *ità D. Thom. loco citato art. 6.* Benè tamen mouetur per accidēs ad motum hostiæ verè, & propriè, quia hæc correspondentia loci de nouo haberi nō potest sine motu locali proprio, vel motu alterius. Et quando sic mouetur localiter non recipit in se ipso motionem illam localem, quia aliàs reciperet etiam in se ipso vbicationem passiuam, & esset a Deo verè, & propriè in loco, & modus ille poneretur in prædicamento, vbi. *ità D. Thom. 3 p quæst. 76. art. 6. ad* 1. Et licèt Christus in Eucharistia moueatur per accidens ad motum hostiæ, non tamen est in prædicamēto, vbi, etiam per accidens, quia etiam per accidens significat, quòd describatur, & definiatur à loco; nàm corpus Christi nec describitur, nec definitur loco, neq; p se, neque per accidens. Etiam ea mota localiter, mouetur etiam per accidens ad motum illius; nàm corpus Christi non quomodocunque est præsens in hostia, sed eo nexu Sacramentali continetur in illa, ratione cuius ad motum specierum necessariò, per accidens tamen sequitur motus eius. Et sic corpus Christi potest simul moueri, & quiescere, vel moueri motibus contrarijs, vt sursum, & deorsum, quia continetur in illis Altaribus sub diuersis speciebus.


9. Similiter prædicata propria specierum, scilicèt, albæ, rotundæ, molles, calidæ, &c. non possunt dici de corpore Christi, quia sicut vinum contentum in calice aureo, vel argenteo, non dicitur aureum, vel argenteum, ità corpus Christi contentum sub speciebus non potest dici album, vel rotundum. Benè tamen omnia prædicata concernentia purum motum localē specierū Sacramentaliū, verificantur de eo verè, & realiter subsistente sub illis, vt esse sursum, deorsum, dextrorsus, aut sinistrorsum &c. quia secundùm Arist. 2. *Topic.* motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis, sic corpus Christi nexu quodā Sacramentali cōtinetur sub speciebus per propriam voluntatem omnia prædicata cōcernentia per motū localē specierū, verificantur

verè,

verè, & realiter de corpore Christi. *ità D.Tho.3.p.q.76.art.6.* Sed si hostia tantùm motu circulari mutaret positionē, & situm in eodem loco, nullo modo Christus localiter tunc moueretur, quia Christus in hostia consecrata non habet certum aliquem situm, quem motum illum circularem hostiæ mutaret, cùm nō sit in speciebus Sacramentalibus modo quantitatiuo.

10. Similiter corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, non habet recipere aliquid ab extrinseco, nec habet agere in extrinsecum, quia adhoc requiritur Physicus contactus, qui nō est in hoc Sacramento, cùm sit media quantitate, quæ agit media sua extentione. Et consequenter neque per accidens potest affici calore, vel frigore, quia illæ species Sacramentales ei non inhęrent; neque per quantitatem specierum extenditur. Et licèt in anima ex alteratione corporis sequatur alteratio spiritualis, scilicèt, lætitia, vel tristitia; tamen ista non sequitur in corpore Christi, quia non est actus specierum.

11. Tandem simpliciter nō est concedendum, quòd corpus Christi frangatur in hoc Sacramento, quia hoc ex æquo opponitur indiuisioni debitæ corpori Christi in hostia consecrata. *ità Concil.Trid.sess.13.can.3. & D.Thom.in 4.dist.12.q.1.art.2. quæstiunc.1.ad 1.* Verè tamen, & propriè dici potest corpus Christi, vel sanguinem eius comedi, manducari, & bibi, quia commistio non dicit aliquam imperfectionem oppositam perfectioni debitæ Deo, sicut dicit, quod frangatur, cùm sit quid impefectionis. *ità D.Tho. loco citato.*



DISQVISITIO XLIII.

De existentibus in Eucharistia.

ARTICVLVS I.

An aliquid ponatur in hoc Sacramento, ex vi Sacramenti; aliquid verò ratione concomitantiæ?

1. R. Sic, quia oppositum tamquàm temerarium decretat Cōc. Trid. *seß. 13. cap. 3. & D. Thom. 3. p. q. 76. art. 1. in corp.*

2. Nota, quòd illud dicitur esse in hoc Sacramento ex vi Sacramēti, quod est primarius terminus conuersionis panis, vel vini; atque adeò quod expressè, & formaliter significatur per verba formæ; nā illud esse ex vi Sacramenti est, quo posito, ponitur veritas formæ, & quo sublato, aufertur veritas formæ: Esse vero in hoc Sacramento ratione concomitantiæ, seù cōnexionis est omne illud, quod realiter coniūgitur ei, quod est ex vi Sacramēti. *ità D. Th. loco cit.*

3. Vnde sub speciebus panis ex vi verborum in hoc Sacramento ponitur corpus Christi, quia per verba consecrationis corporis, primariò significatur corpus Christi, in quod substātia panis præexistens conuertitur. *ità Concil. Trid. loco citato, & D. Thom. loco citato.* Per ly *corpus*, intelligitur illud, quod communiter appellatur corpus, scilicèt, *caro, os, &c.* Et abstrahit ab eo, quod sit viuum, vel mortuum: quia si quis Apostolorum in triduo mortis Christi cōsecrasset super debita materia, verè confecisset Sacramentum. Ideò ex vi Sacramēti in Eucharistia continentur caro, ossa, nerui, & vniuersa, quæ pertinent ad substantiam, & integritatem corporis Christi; quia quando Christus promisit nobis hoc Sacramentum, promisit ex vi Sacramenti se daturum nobis suam carnem, & sanguinem. *ità D. Thom. 3. p. q. 76. art. 1. ad 1.* Et nomine *corporis*, quod ex vi consecrationis sub speciebus panis esse dicitur, non est accipiendum logicè, aut Methaphysicè, vt est quoddam genus in prædicamēto substantiæ; Neq; etiam Methamaticè, scilicèt, vt est trina quantitatis dimentio. Sed Physicè, scilicèt, vt est altera pars compositi substantialis. *ità D. Thom. 3. p. q. 75. art. 6. ad 2.* Quo ipso differt à corpore logicè, vel Methaphysicè accepto, patet, quia vt corpus est genus in prędicamento substantię, vtrūq;

est in recto, scilicèt, & materia, & forma etiam; vt dat materiæ esse corporeum in prædicamẽto substantiæ. vid. D. Thom. loco citato. Neque ly *corpus*, accipitur solùm pro materia prima, quia significat naturam corpoream, idest, compositam ex materia, & forma, quæ non est sola materia prima; ità dicimus de sanguine, qui non est sola materia, cùm non possit intelligi sine propria forma substantiali, quia sola materia non sufficit ad propriam significationem, & veritatẽ verborũ cõsecrationis, cũ sola materia non sit corpus, nisi includat formam, saltem sub aliquo gradu. *ità D. Tho. 3. p. q. 76. art. 6. ad 2.* Neq; ly *corpus* potest accipi pro aggregato ex materia, & forma corporeitatis coœua materiæ, quia nulla datur forma corporietatis coœua materiæ, cũ in omni generatione, præcedẽte corruptionẽ, fiat resolutio vsq; ad materiã primã, vt sic adueniat forma substantialis nudæ materiæ; tamquàm actus suæ puræ potentiæ, & forma panis conuertitur in animã Christi, quatenùs dat esse corporeum. *ità D. Tho. loco cit.*

4. Similiter ex vi verborum in Eucharistia est forma substãtialis, quatenus sufficiẽs est ad cõstituendum corpus humanum, quæ licèt secundùm hanc rationem præscindat à propria ratione animæ, vel formæ cadaueris; tamen in re sẽper est anima, vel forma cadaueris, quia vtraq; requirit aliquam organizationem propriam, & accommodatam corpori humano. Ità quòd organizatio substantialis, vt abstrahit ab organizatione hominis, & ab organizatione cadaueris, continetur ex vi Sacramenti in hoc Sacramento, quia in hoc Sacramento, & potest esse corpus viuum, vt modò de facto est, & potest esse corpus mortuum, vt si fieret in triduo mortis consecratio. Neq; officit, quòd in exercitio, & de facto semper est corpus viuum, quia hæc ratio singularis est, quæ nõ mutat naturam consecrationis, & accidit huic actioni, in quantùm Sacramentalis est.

5. Nota, quòd corpus organicum sumitur dupliciter. Primò, vt dicit organizationem propriè, & strictè, qualis est in corpore viuente. Secundò, vt abstrahit ab ista organizatione, & ab organizatione apparente, vt est in cadaueris corpore, quod aliàs fuit viuum. Rursus hæc organizatio, tam in corpore viuo, quàm mortuo, dupliciter fit. Primò, substãtialiter fundamẽtaliter, & radicaliter, & sic pertinet ad ipsam essentiam talis corporis substantialis. Secundò, formaliter, & accidẽtaliter, secũdũ quod nobis manifestatur per accidentia, quo pacto est accidẽtalis corpori. Hinc est, quòd or-

organizatio ſubſtantialis eſt radix, & fundamentum iſtius organizationis accidentalis, quæ à nobis videtur, quia hæc organizatio ſubſtantialis non fit per quantitatem, quæ eſt paſſio accidentalis ſubſtantiæ corporeæ, ſed immediatè per ipſam ſubſtantiam, ſecundùm quod diſtinguitur à ſubſtantia ſpirituali. Et ſi fortè daretur talis ſubſtãtia organizata ſubſtãtialiter, & nõ accidẽtaliter, diſtingueretur ſubſtãtialiter à ſpirituali, qa ſubſtãtia organizata ſubſtãtialiter, ſeparata à quantitate, eſt immediatè capax quantitatis, & organizationis accidentalis, idq; minimè cõpetit ſubſtantiæ ſpirituali; & licèt illa capacitas ſit potentia reſpectu actus accidẽtalis, ſcilicèt, organizationis accidentalis, per quam cognoſcitur à nobis, ipſa tamen in ſe ipſa eſt verus actus ſubſtantialis.

6. Similiter anima, vt anima eſt, dans eſſe viuentis, ex vi verborum nõ eſt in hoc Sacramẽto, quia in forma cõſecrationis nulla fit mentio viui, vel mortui, ſed corporis, quod vt ſic ab vtroq; reſcinditur. *ità Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap 3.* Benè tamen eſt in hoc Sacramento, in quãtùm eſt forma, dans eſſe corporeum ex vi Sacramẽti. & eadem anima in quantum dat eſſe viuentis eſt in Euchariſtia per cõcomitantiam, quia in forma cõſecrationis nulla fit mẽtio viui, aut mortui, ſed corporis. Ita etiã ſub ſpeciebus panis adeſſe ſanguinem Chriſti, non ex vi verborum, ſed concomitanter, quia ex vi verborum ponitur, quod præcisè, & primariò ſignificatur, ſcilicèt, conuerſio in corpus Chriſti. *ità D. Thom. 3. p. q. 76. art. 1. & Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3.* Ac etiam ſub ſpeciebus vini ex vi uerborum eſſet tãtùm sãguinem Chriſti, quia per formam ſanguinis primariò ſanguis Chriſti ſignificatur, & in ipſum conuertitur vinum. Cætera verò, quæ ſunt coniuncta Chriſto, ponuntur ſub ſpeciebus per concomitantiam, eò quòd habent connexionem, & vnionem cum sãguine Chriſti: ea verò, quę nullam habent cõnexionem realem cum corpore Chriſti, non ſunt in hoc Sacramento, vt ſaliua oris, & alia excrementa. *ità D. Thom. loco citato, & Concil. Trid. loco citato.*

7. Tandem reliqua accidentia, quæ quantitatẽ conſequuntur, vel diſponunt materiam ad hanc formam, eſſe in hoc Sacramento per cócomitantiam, & non ex vi Sacramenti, quia tranſubſtantiatio, quæ fit uirtute verborum non terminatur ad quantitatem & ad alia accidentia, ſed ad ſolam ſubſtantiam; conſequenter dum non ſunt ex vi verborum, erunt per concomitantiam. *ità Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4.* Ideò non oportet, quòd quan-

quantitas, & alia accidentia sint in hoc Sacramēto ex vi verborum in organizatione accidentali, sed sufficit concipere substantiam illam corpoream esse radicem, & fundamentum organizationis accidentalis, quæ à nobis videtur,& quasi concomitanter possunt dici, significare quantitatem, & accidentia, vt necessaria tali corpori,vt possit esse in rerū natura. *ità D.Tho. 3.p.q.76.art.4.*

ARTICVLVS II.

An Verbum diuinum sit in hoc Sacramento?

1. R. Sic, quia caro Christi est realiter, & inseparabiliter vnita verbo; *ita D. Thom.3.p.q.76.art.1.ad 1. & Concil. Trid. sess. 13. can. 1. & Concil. Ephes in Epist.ad Nestarium cap.necessariè. dist.2.de consecrat.*

2. Verùm Verbum diuinū non est ex vi verborum, sed solùm per concomitantiam,quia Concil.Trid. *sess.* 13. inter ea, quæ sunt per concomitantiam, ponit diuinitatem, quæ comprehendit Verbum diuinum. Et sic diuinitas prout significat naturam diuinā ratione distinctam à Verbo diuino, speciali modo est in hoc Sacramento, quia ex Concil.Trid.*sess.*13.*cap.* 30.Christus dicit quid subsistēs in dublici natura, diuina,& humana. *ita D.Tho. 3.p.q.76.art.1. in corp.& ad 1.*

3. Similiter Pater, & Spiritus sanctus sunt in hoc Sacramento per concomitantiam, Alitèr tamen, quàm Verbum diuinū, & diuinitas,quia Verbum diuinum est per concomitantiam immediatè, tamquàm propriū suppositum humanitatis. Diuinitas verò secundum rationem mediatè quidē; secūdū rē autē immediatè, quia est idem cum Verbo, & in illo verè est vnita humanitati. Pater autem, & Spiritus sanctus omninò mediatè etiam secūdùm rem, realiter enim distinguntur à Verbo; sunt tamen,& dicuntur esse in hoc Sacramento per concomitantiam, quia necessariò ibi adsunt, vbi est diuinitas, cui secundùm rem identificantur. Maximè, quòd ly *Corpus meum,* in forma consecrationis ex vi verborum non significat corpus Christi, prout vnitum diuinitati, sed solùm significat corpus Christi, pro ut vnitum diuinitati, sed solùm significat corpus Christi in quantùm corpus humanum est, & diuinitas solùm significatur secundario, & consequenter, quia subsistētia, & vnio hypostatica non sunt de illius essentia, neque etiam partes integrales illius, & corpus Christi fuit mortuū, & traditum, in quantùm humanum.

4. Vnde si fieret consecratio

tio in triduo mortis. Christi corpus esset sub speciebus panis sine sanguine, & sine anima, quia sanguis, cum esset effusus, esset separatus à corpore posito in sepulchro, & etiam anima separata à corpore, descendit ad Inferos. *ita Thom.* 3. *p.q.*76.*art.* 1. *ad* 1. Benè tamen si fieret consecratio talis, esset per concomitantiam secunda persona Sanctissimæ Triadis, quæ illud suppositabat, & ex consequenti tota Trinitas, quia licèt Christus in triduo non habebat proprium esse existentiæ, tamen habebat formam corporeitatis, quæ in Resurrectione desijt esse, suppositabatur à Verbo diuino, cùm etiam in triduo non desijt esse Christus. Et si in triduo solum vinum fuisset consecratum, solus sanguis sub specie vini fuisset, quia sicut si in triduo sola hostia fuisset cõsecrata, solùm ibi corpus sine sanguine, ita solus sanguis, &c. cùm sicut reipsa, & in se alterum ab altero tunc inueniretur separatum. *ita D. Thom.* 3.*p.q.*76.*art.* 2. Et si in triduo fieret consecratio, totus sanguis Christi contineretur sub speciebus vini, quia probabile est, quòd Christus ex nimia charitate, qua dilexit nos, effudit pro nobis totum suum sanguinem, atq; totus ille sanguis fuit de facto separatus à corpore.

5 Similiter esse corporis Christi in hoc Sacramẽto, ita depẽdet ab esse corporis Christi in propria specie, ita quòd nullũ esset Sacramentum, neque contineret corpus Christi, nisi corpus Christi haberet suũ esse in propria specie, quia verba prius natura proferuntur, quàm efficiant; consequenter præsupponitur corpus Christi, antequam sit in hoc Sacramento. *ita D. Thõ.* 3. *p.q.*76.*art.* 2. Verùm contingere potest de potentia Dei absoluta, quòd corpus Christi sit in hoc Sacramento, licèt non sit in propria specie, quia Deus potest corrumpere humanitatem in propria specie, & conseruare illam in hoc Sacramẽto. Et si Christus esset in Sacramento, & non in propria specie, diceretur esse simpliciter, & non secundũ quid, quia Christus in hoc Sacramẽto habet idem, & totum esse, quod habet in seipso.

6. Similiter in hostia consecrata à Christo, & reseruata in triduo mortis, reperiretur Christus mortuus, & nõ viuus, quia ipso facto, quòd Christus moritur in propria specie, etiã moritur sub speciebus Sacramentalibus: cum dissoluta per mortẽ Christi, ac & concomitantia, & remanet corpus mortuum. *ita D. Thom.* 3.*p.q.*81.*art.* 4. *ad* 1. Ideò Christus dedit discipulis suis corpus suum sub speciebus panis, passibile, quia cor-

corpus Christi in propria specie in nocte cœnæ passibile erat; licèt nunc in Sacramento impassibile sit, nàm passio non versatur immediatè erga esse, quod habet sub speciebus Sacramentalibus. *ita D. Thom. 3. p. q. 81. art. 3. ad 1.* Ità vt omnia, quæ conueniunt corpori Christi secundùm se, & in propria specie, conueniunt illi existenti in hoc Sacramento, quia Christus idem in substantia est in hoc Sacramento, & in propria specie. *ita D. Thom. 3. p. q. 81. art. 1.* Et si hoc Sacramentum tempore Passionis fuisset seruatum, ibi Christus moreretur, quia corpus Christi, cùm sit in substantia idem numero in hoc Sacramento, & in propria specie, si mortuum in cruce, moreretur in hoc Sacramento. *ita D. Thom. loco citato. art. 4. in corp.* Non tamen corpus Christi seruatum in hoc Sacramento, flagellaretur, conspueretur, irrideretur, crucifigeretur, quia licèt sit idem in substantia, tamen non eodem modo, cùm in propria specie habeat proprias dimensiones, quibus potest pati per contactum, quod non est in Sacramento, cùm ibi sit sine proprijs dimensionibus modo impassibili. *ita D. Thom. 3. p. q. 76. art. 1. in corp.*

ARTICVLVS III.

An simpliciter corpus Christi fuerit idem numero viuum, & mortuum?

1. ℞. Sic, quia est idem suppositum, cùm corpus Christi viuum, & mortuum habuit tantùm hypostasim Verbi Dei. *ita D. Tho. 3. p. q. 50. art. 5.* Si verò simpliciter idẽ sit, quod omninò, vel totaliter: sic corpus Christi mortuum, & viuum non fuit idem numero simpliciter, quia quod desinit esse viuum, non totaliter idem remanet. Sed hæc corruptio non fuit resolutio corporis in elementa, cùm sicut scriptura, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, sed fuit corruptio ex separatione animæ à corpore, nàm omnis mors est corruptio substantialis. *ita D. Thom. loco citato.*

2. Vnde corpus Christi viuum, & mortuum fuit idem numero identitate suppositi, quia viuum, & mortuum eidẽ supposito diuini Verbi semper fuit vnitum. Non tamen fuit idem numero identitate naturæ, quia ad identitatem naturæ requiritur identitas formarum, quæ fuerunt diuersæ in corpore Christi; nàm mortuum fuit sub forma cadaueris, viuum sub forma rationali. *ita D. Tho.*

3. p.

3.p.q.50.art.5. in corp. & ad 2. Et sic corpus Christi in triduo mortis verè fuit sub forma cadaueris, quia vt Christus ostẽderet veritatem sui corporis viuentis cum nostris corporibus, opus fuit, vt in triduo mortis assumpserit formam substantialẽ cadaueris, sicut & nos eiusdem speciei nobiscum.

3. Verùm non fuit facta noua vnio in triduo mortis cum anima separata, & cum corpore Christi, subsistente sub forma cadaueris in persona Verbi diuini, sed antiqua, vel ex antiqua virtute, quia quod semel assumpsit, numquam dimisit. Et si in triduo mortis facta fuisset consecratio, homo Christus non fuisset sub speciebus Sacramentalibus, quia homo, nec anima sola, nec solum corpus est, sed anima simul, & corpus. *ita D.Thom.p.p.q.76.art. 4.* Tamẽ si fieret consecratio in triduo mortis, Christus fuisset sub speciebus Sacramẽtalibus per Synedochem, idest tribuendo parti appellationem totius, quia Synedochẽ nunc dicitur, quòd sanctus Petrus est in Coelo, ita similiter. Ideò falsum est essere, solam materiam primam Christi cum quantitate, & accidentibus in triduo fuisse in sepulchro, quia dum erat in sepulcro iacuit vulneratũ, oportebat, quòd habuisset aliquam formam substantialem. Et nõ est necesse ponere eãdẽ formã corporeitatis, coœ iam materiæ, vt corpus Christi dicatur, & sit idem numero viuum, & mortuum, quia corpus Christi non fuit idem numero viuum, & mortuum, quia corpus Christi nõ fuit idem numero viuũ, & mortuũ ratione formæ corporeitatis, sed ratione suppositi diuini Verbi vnum, & idẽ subsistens, & suppositans corpus viuum, & mortuum Christi. *ita D.Tho.3.p.q.50.art.5.*

4. Tandem si fuisset facta consecratio in triduo sub speciebus panis, sanguis non fuisset, quia eo modo, quo erat in rei veritate, & in se ipso in triduo, fuisset sub speciebus panis in Sacramento, sed tunc fuit sine sanguine. Neque corpus Christi sub speciebus panis esset tũc cum alijs tribus humoribus, scilicèt, Pituita, idest, *Phlegma*; neq; cum felle Flauo, idest *Cholera*; neq; cum felle nigro idest, *Malancholia*, quia hi tres humores sunt proprij corporis viui. Modò tamen de facto in Sacramento sub speciebus panis ex concomitantia sunt quatuor illi humores, quia modò de facto reperitur Christus sub speciebus Sacramentalibus, vt est in Coelo in rei veritate, & ad veritatem, & integritatẽ corporis humani viui pertinent illi quatuor humores. Et licèt isti humores secundùm sen-

tendant ad corruptionem, tamen ita prædominati, & temperati ab Anima gloriosa in cœlo, vt non causent istum effectum corruptionis. *ita D. Thom. 3.p.q.3.art.2. ad 1. & q. 76. art.2. in corp. & in 4. dist. 44. q. 1. art.2. quæstiunc. 3.*

DISQVISITIO XLIV.

De Cognitione Christi in Eucharistia.

ARTICVLVS I.

An Corpus Christi videri possit naturaliter, vt est in Sacramento, ab oculo corporali alicuius viatoris?

1. ℞. Non, quia corpus Christi in hoc Sacramento nullam immittere potest speciem intentionalem, cùm sit per modum substantiæ, & vt sic, non est visibilis, nec subiacet alicui sensui, etiam interno, sed soli intellectui. *ita D.Tho.3.p. q.76.art.7.in corp.*

2. Tamen potest per absolutam Dei potentiã videri ab oculo corporeo, quia verè cõtinetur sub obiecto adęquato intellectus, licèt habeat modum super excedentem omnem intellectum creatum. *ita D. Thom. in 4. dist. 10.q.vnic. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1. quæst.2.in corp.* Et hoc producendo propriam speciem illius in potẽtia visiua; quia cùm species intentionalis visibilis efficiẽter producatur ab obiecto, potest ipse Deus producere, ponendo illam in potentia visiua, absq; eo, quòd pertranseat per medium extensum. Et si videretur Christus in Eucharistia, videretur corpus extensum in se ipso, non tamen videretur extẽsio in ordine ad locum, neque videretur, quod non est extensum in ordine ad locum; quia cùm ista nõ contineantur intra obiectum formale potentiæ visiuæ, nõ est necessarium, quòd alterum cõtrariorum videatur.

3. Neque Christus in hoc Sacramento existens, naturaliter potest videre adstantes, & audire canentem chorum, & percipere incensi odorem, quia hæ species immittitur ab obiecto quãto, in ordine ad locum,

& in oculo, modum habente extensum recipiuntur. Verùm oculus corporalis Christi in hoc Sacramento videt seipsum, non per se primò per visionem elicitam à se ipso, prout est in hoc Sacramento, sed per concomitantiam, quia Christus subsistens sub speciebus Sacramentalibus, cùm sit idem prorsus cum seipso existente in cœlo, videt per seipsum, per cōcomitantiam, prout in propria specie existit. *ità D.Tho.in 4. dist.* 10. *q.* 1. *art.* 2 *quæstiunc.* 2. *ad* 3.

4. Tandem modus, quo Sacramentaliter existit Christus in hoc Sacramento, est omninò inuisibilis oculo corporeo, non solùm ex natura rei; sed etiam de potentia Dei absoluta; quia est aliquid inuisibile, & supernaturale. *ità D. Tho.* 3. *p. quæst.* 76. *art.* 7.

ARTICVLVS II.

An Angelus possit cognoscere naturaliter modum existendi corporis Christi in hoc Sacramento?

1. ℞. Non, quia excedit proportionem, & capacitatē intellectus creati. Modus iste, quo corpus Christi est sub speciebus Sacramentalibus, cōtinetur quidem sub obiecto extensiuo intellectus Angelici; non tamen continetur sub obiecto proportionato, & connaturali illius; quia indiget virtute supernaturali ad illum modum, & ad alia supernaturalia cognoscenda.

2. Nota, quòd dupliciter aliquid potest esse supernaturale. Primò Intrinsecè, & per se; & hæc sunt vniuersa accidētia supernaturalia, vt gloria, & gratia, & virtutes per se infusæ; quia quò ad suam entitatē, & essentiam sunt simpliciter entia supernaturalia. Secundò, Extrinsecè, & per accidēs, per ordinem, scilicèt, solum ad causam; & sūt entia, secundùm se naturalia, quæ aliquādo causantur à Deo supernaturalitèr, vt homo resuscitatus, visus cœco restitutus; quia secundùm suam entitatem sunt entia naturalia, & naturaliter possunt causari; causantur tamen aliquando à Deo supernaturaliter.

3. Verùm entia intrinsecè supernaturalia sunt diuersę speciei ab entibus intrinsecè naturalibus; quia entia intrinsecè supernaturalia sunt alterius ordinis, & speciei ab entibus intrinsecè naturalibus. Ideò intellectus creatus, siue humanus, siue Angelicus naturalitèr cognoscere non potest ipsam substantiam corporis Christi, prout est in hoc Sacramento; quia corpus Christi vt sic, non pertinet ad ordinem naturalem vniuersi, nec habet aliquam col-

colligationem, aut proportionem cũ causis naturalibus.

4. Et si fingamus corpus Christi non existere alibi in rerum natura, nisi in Sacramento, tunc Angelus per naturalem speciẽ, quam habet corporis Christi, posset naturalitèr cognoscere illud corpus existere in rerum natura: non tamen cognoscere vbi, aut quomodo existat; quia Dęmon naturalitèr videt Christi humanitatem existentem, præscindendo à modo subsistẽtiæ, vel vnionis hypostaticæ. Et sic Angelus potest cognoscere naturaliter animam Christi, existentẽ sub speciebus Sacramentalibus; non tamen modum, quo existat; quia de facto, naturalitèr cognoscit humanitatem Christi existentem, & subsistentem, non visa eius vnione ad Verbum diuinum, illam terminans, & suppositans.

5. Tandem modus existendi corporis Christi in Sacramẽto, secũdùm se à supernaturali intellectu potest intelligi à Deo, ab intellectu beati, vel Angeli, vel hominis per visionem diuinę essentiæ; quia beati in patria, supernaturali lumine illustrati beatitudinis, meritò putantur modum istum distinctè, & clarè cognoscere; cum talis modus ad articulum fidei spectat; ideo in patria mens illorum satiatur eorum, quæ in via crediderunt.

ARTICVLVS III.

An in apparitionibus miraculosis carnis, vel sanguinis in Eucharistia, verum corpus, & verus sanguis Christi appareat?

1. ℞. Nõ, quia nulla fit mutatio ex parte obiecti, sed benè in potentia videntis illam. Verùm huiusmodi miraculosas mutationes, & apparitiones in Eucharistia non pertinere ad aliquam deceptionẽ; quia *secũdùm D. Augustinum lib. 2. de quæst. Euangelist. cap. vlt.* Fictio nostra, cùm refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. *ità D. Thom. 3. p. q. 76. art. 8. in corp.*

2. Vndè in huiusmodi apparitionibus id, quod videtur, nõ solũ non esse carnẽ, & sanguinẽ Christi in propria specie, verùm etiam non esse veram carnem, aut verum sanguinem, sed colore tantum, & figura eum referre; quia hoc satis est, ad ea omnia saluanda, quæ apparent, & ad omne id, quod per hæc intenditur, & non multiplicantur miracula sine causa.

3. Implicat etiam contradictionem idem corpus simul esse in diuersis locis; quia si vnũ corpus posset esse simul in pluribus locis, deberet ẽt posse esse

in infinitis locis syncathegorematicè, quod est absurdum. *ità D. Tho. 3. p. q. 75. art. 2. in corp. & in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 4. & quodlib 5. q. 1. art. 2.* Sed benè certissimū est corpus Christi posse esse Sacramentaliter in pluribus locis, seù altaribus simul; quia esse in Sacramentis, & Sacramentalitèr in diuersis altaribus, non est esse ibi definitiuè. Cœterùm corpus Christi localitèr, non potest esse simul in diuersis locis; quia hoc dicit impossibilitatem. Sed benè corpus Christi est simul in Cœlo localitèr, & in pluribus hostijs, seù altaribus Sacramentalitèr; quia isti duo modi nō sunt cōtrarij, sed solùm diuersi. Nullum tamen est inconueniens asserere, quòd Christus descēderit de Cœlis in terram; & sic, dum videtur in terris localitèr, non est in Cœlis; quia non est incōueniens, quòd propter rem grauissimam, & bonum totius Ecclesiæ, vt conuersio D. Pauli, apparitio D. Petro dicenti, *Domine quò vadis? &c.* descenderit de Cœlis.

4. Et quando fit tantùm miraculosa apparitio, per mutationem in sensibus factā, Christus Sacramētalitèr est in Sacramēto; quia tunc accidentia panis non corrumpuntur, sed conseruātur. Et illa mutatio tātū circa colorem est, nō circa quantitatem, & alia panis accidētia; quia remanent illa accidentia, quæ satis essent, ad conseruandam panis substantiam, si adesset, & quæ ad illam conseruandam essent satis.

5. Nota, quòd huiusmodi visio, & apparitio interdùm fit per immutationem obiecti, seù specierum Sacramentalium, & insignum erit, quādo omnibus videntibus apparet, & diù, & eo modo permanet, tunc Christus non esset ibi Sacramentaliter; quia parua substantia panis, & vini non potest magna quantitate informari, & conseruari. Interdùm etiam fit per mutationē solius potentiæ, aut organi, seù medij; & erit in signum, quando vni, aut alteri, & non omnibus apparet; & dum mutatio non est facta in obiecto, nec speciebus Sacramentalibus, tunc ibi ipse Christus, & corpus Christi remanet sacramentalitèr. *ità D. Tho. 3. p. q. 76. art. 8. in corp.*

6. Similiter quando in calice apparet, aliqualis maior quantitas sanguinis, quā fuerat quantitas vini, ibi est sanguis, & corpus Christi, quia hoc fieri potest per solam rarefactionem. *ità D. Thom. loco citato.* Si verò modico vino, appareat tot⁹ ille calix magnus, plenus specie sāguinis; tūc nō permanet verus Christi sanguis, sub illis speciebus; quia sub illis magnis dimensionibus non maneret in isto casu substantia parua vini, si adesset.

7. Rur-

7. Rursus nota, quòd talis immutatio potest fieri in oculo sine mutatione obiecti Tripliciter. Primò ex lesione sensus, quod naturalitèr euenit in lethargo, & phrenesi, & sub mortis articulū; nàm leso sensu cōmuni, commouentur illic phātasmata, sicut in somniantibus, & ideò repræsentantur res in aere, quæ non sunt. Secundò, ex aeris mutatione, quem prestigatores immutare solent, applicatis rebus quibusdam naturalibus; & hi modi non sunt ad propositum in materia, de qua est sermo. Tertiò, diuina virtute producēte species, vel in oculo externo, vel in potentia imaginatiua; sicut etiam hoc in visionibus Prophetarum vsu venit, ità apparēt huiusmodi visiones in Eucharistia ad aliquam veritatem figurandam, & adhoc, quod manifestetur, verè corp' Christi esse in hoc Sacramēto. *ità D. Thom. 3. p. q. 76. art. 8. in corpor.*

8. Regula sit, quòd quando corpus Christi apparet in alia specie, vt in forma pueri, vel carnis cruentæ, vel huiusmodi, sumi non debet ab eo, cui apparet, sed ab alio, cui sub specie panis apparet; quia nō apparet sub specie conuenienti humanæ refectioni. Quòd si apparet omnibus illo modo, debet in sacrario cum reliquijs poni. *ità D. Thom. in 4. dist. 10 q. 10. art. 4. quæstiunc. 3.* Si verò hostia sanguinea, vel puer apparet, tunc Sacerdos aliam hostiam consecrare, & sumere debet; quia adhùc non liberatur ab obligatione recipiendi Eucharistiam sub vtraq; specie. *ita in canon.* Sed probabiliùs est, non esse præceptum, sed consilium Sacerdotem aliam hostiam cōsecrare, & sumere debere; quia S. Th. *in 4. dist. 10. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2. & 3 p. q. 82. art. 4. ad 3.* ait, cōsulendum tamen esset in isto casu Sacerdoti, quòd iterato, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret. Verùm adoranda est caro, & sanguis, qui aliquaudo apparet miraculosè in Eucharistia cultu latriæ; quia saltem carnem, & sanguinem Christi repræsentat. *ità D. Tho. loco citato.*



DIS.

DISQVISITIO XLV.

De Transubstantiatione.

ARTICVLVS I.

An substantia panis, & vini verè conuertatur in corpus, & sanguinem Christi?

1. R. Sic, quia est de fide. *ità in Concil. Lateran. cap. Firmitèr de summ. Trinit. Concil. Florent. in tract. Eucharist. & Concil. Trid sess. 13. cap. 4. & Can. 2. & D. Thom. 3. p. q. 75. art. 4.* Et licèt hoc nomen transubstãtiationis inceperit in Concil. Lateran. *loco citato*, tamen temerarium est asserere hanc cõuersionem non fuisse cognitam ab Ecclesia vsq; ad tempus Concil. Lateran. quia *ità dicitur in Concil. Trid. loco citato*.

2. Nota, quòd conuersio est transitus vnius rei in aliam rem. Diuiditur conuersio in accidẽtalem, quæ terminatur ad aliquod accidens: vt quando ex albo fit nigrum; & in conuersionem substantialem, quæ terminatur ad substantiã, vt quando ex ligno fit ignis. Et hæc adhùc est duplex. Altera formalis, quando, scilicèt, id, quod fit, tantùm incipit esse secundùm formam, vel ratione formę, quę introducitur in materia præexistente. Altera totalis, quia scilicèt, substantia, quæ desinit esse, totaliter desinit esse. Vnde terminatur ad esse alterius substantiæ ratione totius, idest, tàm ratione materiæ, quàm ratione formæ; & hæc semper est supernaturalis; quia *S.* Thom. *3. p. q. 75. art. 4.* dicit, quòd agentia naturalia non habent virtutem, vel actionem supra totam substantiam, sed supra talem, & talem substantiam, quæ constituitur per talem formã. Et hæc appellatur trãsubstantiatio, quæ est cõuersio substantialis vnius totius substantiæ in alteram totam substantiam, diuina virtute effecta. Quæ diffinitio est bona; quia ly *Conuersio substantialis* est genus, reliqua verò sunt tamquàm differentia. *ità Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. & Can. 2.*

3. Rursus nota, quòd dupliciter fieri potest à Deo transubstãtiatio. Primò, talitèr, quod terminatur ad substantiam quę anteà non erat, vt si Deus modò velit producere Angelũ de nouo; & hæc esset vera, & simplicitèr productio; quia per illam incipit esse substantia, quæ anteà

anteà non erat. Secundò, quādo vna substantia cōuertitur in alteram substantiam, quæ iàm præexistebat, & hæc est illa, quę fit per consecrationem, cum substantia panis conuertitur in substantiam Corporis Christi præexistentis in cœlo; & hæc totalis conuersio est vera productio.

4. Vnde hæresis est dicere, materiam panis post consecrationem informari Anima Christi; quia Concil. Trid. *loco citato* dicit, quòd tota substantia panis conuertitur in corpus Christi, & quòd tota desinit esse. Similiter erroneum est dicere, quòd conuersio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem eiusdem, non terminatur ad esse substantiale corporis Christi, & sanguinis eiusdem, sed ad esse hic, scilicèt sub speciebus Sacramētalibus; quia ex hoc sequitur quòd ista conuersio non sit substantialis, & consequenter neq; transubstantiatio, quod est erroneum. Etiam dicere, quòd conuersio ista sit conseruatiua, & nō productiua corporis Christi, est improbabile; quia impossibile est intelligere, quòd corpus Christi conseruetur sub speciebus Sacramentalibus, nisi priùs intelligatur, quòd est sub speciebus. Neque placet dicere, quòd hæc conuersio sit per se productiua corporis Christi, etsi tamen illud de facto non producat; quia per hoc non explicatur, quomodo corpus Christi de facto sit, vbi antè nō erat. Neque potest dici, quòd hæc conuersio sit tantùm conuersiua substantiæ panis in corpus Christi, non tamē sit illius productiua; quia non est intelligibilis vera conuersio vnius substantiæ in alteram substantiam, & multò minùs est intelligibile, quòd illa altera substantia habeat esse, vbi anteà non habebat sine eo, quod aliquo modo producatur ibi, vel abducatur ab alio loco.

6. Hæc autem cōuersio Sacramentalis, quæ transsubstantiatio dicitur, per se primò terminatur ad ipsam substantiam corporis Christi, illam verè, & realiter attingendo; quia corpus Christi per transubstantiationem incipit esse hic sub speciebus Sacramētalibus, vbi ante non erat, & non abducitur ex alia parte; cùm corpus Christi per consecrationem non desinat localitèr esse in Cœlo.

7. Et hæc etiam conuersio non est accidentalis, sed substātialis; quia actio, & conuersio dicitur, & est accidentalis, vel substantialis penes terminum, ad quem ordinatur, & quem producit, sed terminus est substantia corporis Christi, vt Sacramentaliter est nouo modo sub speciebus Sacramētalibus.

Ideò

Ideò substantia corporis Christi terminat diuinam istam cõuersionem, & transubstantiationem; quia non est intelligibile, quòd hæc conuersio excellentissimo modo substantialis; quin per se primò terminetur ad substantiam, & illam attingit, ita vt ipsa, secundùm aliquid substantiale sit primarius terminus. Et sic supponit rem quantùm ad substantiam, non autem quantùm ad modum essendi.

8. Similiter esse Sacramentale, & continentia passiua, qua corpus Christi continetur sub speciebus Sacramentalibus, cõsequitur ad transubstantiationem, quæ de facto modo fit, sine alia actione distincta; quia panis conuertitur in corpus Christi, idest, corpus Christi cõtinetur sub eodem situ, in quo erat ipsa substantia panis sine nouo miraculo. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. & can. 7.*

9. Similiter transubstantiatio secundùm suam naturam non habet, quòd ad illam sequatur esse Sacramentale, quia hæc conuersio panis in corpus Christi secundùm se potuit terminari ad corpus Christi, prout est in cœlo, vel quòd esset in alio loco, vel situ, vel alio modo sine speciebus Sacramentalibus. Tamen iste modus, scilicèt esse Sacramentale sequitur ad conuersionem in quantùm est Sacramentalis transubstantiatio; quia totum hoc est de ratione Sacramẽti Eucharistiæ, & totum hoc ordinauit Deus, vt fieret in hac transubstantiatione.

10. Et quamuis omnis entitas realis possit absoluta Dei potentia conuerti quamcunq; entitatem realem; quia Deus potest conuertere vnam entitatẽ in alteram, nàm ratio est communis vtriq; supra quam Deus habet actionem, & potestatem; *ita D. Thom. 3. p. q. 75. art. 4. in corp. & ad 3.* Tamen implicat creaturam conuerti in creatorem; quia Deus non habet potestatem supra se ipsum, consequẽtèr nihil potest cõuertere Physicè, & realiter in se ipsum. Neque possibile est Deum cõuerti in creaturam, quia quod mutatur est in potentia; at Deus est purus actus absq; permistione potentiæ. *ita D. Thom. 3. p. q. 9. art. 1.*

ARTICVLVS II.

An sit vera hæc propositio, Ex pane fit corpus Christi?

1. ℟. Sic, quia in omni mutatione possumus vti illa loquutione, in qua denotatur, quòd vnus terminus fit ex alio, idest, panis est terminus, à quo fit transitus in corpus Christi, tamquam ad terminum

minum ad quem. *ita D. Thom. 3.p.q.75. art. 8.*

2. Et quamuis quantùm ad modum productionis nobilior, & dignior sit creatio conuersione, qua ex pane fit corpus Christi; quia creatio, vt sic, arguit excellentiorem potētiam, & virtutem in agente; cum nulla supponatur potētia subiecti, & creatio fiat ex nihilo. *ità D. Thom. loco citato*. Tamen hæc conuersio, & transubstantiatio est simpliciter, & absolutè excellentior, & dignior creatione; quia Deus producit ex pane corpus Christi, habens modum quendam supernaturalē sub speciebus Sacramētalibus. Imò si Deus produceret gratiā sine subiectò, tunc ista creatio non esset simplicitèr, & absolutè dignior, & excellentior conuersione, seu transubstantiatione, qua ex pane fit corp⁹ Christi; quia productio dicitur simplicitèr, & absolutè dignior, & excellētior ratione termini, qui per eam producitur, cū terminus sit corpus Christi cum modo quodam supernaturali. Similiter si detur aliqua creatio, quæ terminetur ad substantiam, habentem modum essendi supernaturalem; tunc talis creatio non esset simplicitèr, & absolutè dignior, & excellētior hac conuersione, qua corpus Christi fit ex pane; quia illa non esset vera conuersio, & transubstantiatio, sicut hæc admirabilis conuersio panis in corpus Christi.

3. Hæc autem conuersio, qua ex pane fit corpus Christi, est instantanea; quia vltimum instans prolationis verborum conuersionis cōsecrationis, est primum instans, in quo sub Sacramento est corpus Christi, & in toto tempore præcedēti: est ibi tota substantia panis. *ita D. Thom.3.p.q.75. art. 2.* Ideò verè, & propriè dici nō potest, quòd hæc conuersio fiat toto tempore, quò proferuntur verba consecrationis; quia tempore, quo proferuntur verba consecrationis, nulla fit verè, & Phisicè alteratio, & mutatio in pane, qui conuertitur in corpus Christi. Tamen si largè accipiatur conuersio, aliquo modo dici potest, quòd fiat toto tempore, quo proferuntur verba consecrationis; quia hæc conuersio potest accipi pro applicatione causæ, ad quam faciendam esse conuersionem; & sic dici potest, quòd toto tempore consecrationis, quæ est causa conuersionis panis in corpus Christi, fiat. Sicùt in Baptismo infusio gratiæ fit in instanti absque successione, tamen toto tempore, quo durat prolatio verborū formæ Baptismi, dici potest, quòd fiat sanctificatio hominis.

4. Nota, quòd triplici de-

causa aliqua mutatio dicitur, & est instantanea. Primò, quia forma, quæ per mutationem acquiritur, non suscipit magis, & minus, vt forma substantialis. Secundò, quia est in vltima dispositione ad formā, vt Diaphanum ad lucem; ideò in instanti illuminatur; cum non sit subiectum, quod successiuè præparetur. Tertiò, quia agens est infinitæ virtutis; per quam statim potest materiam ad formā disponere. Quæ omnia sunt in hac conuersione panis in corpus Christi, ut videre est. *ita D.Thom. 3.p.q.75.art.3.*

5. Facta consecratione, qua ex pane fit corpus Christi, nulla remanet in Sacramento forma substantialis panis; quia forma substantialis panis est de substantia panis: cùm tota substantia panis sit de fide, quòd conuertatur in corpus Christi. *ita Concil. Trid. sess. 13. can. 1. & D. Thom. 3.p.q.75. art. 2. & 4.* Neque remanet ipsa forma etiā si consideretur, (vt aliquorū est opinio) quod propria forma panis, per quam à massa distinguitur, sit accidentalis; quia cùm per Concil. Trid. *sess. 13. cap. 4. & can. 2.* dicitur, quòd tota substantia panis conuertitur in corpus Christi, & non est panis, nisi per propriam formam, qua ab omnibus alijs rebus distinguitur. Nec inde sequitur, quòd si accidentia panis, quæ remanent post consecrationem in hoc Sacramento miraculosè nutriant; cū tales operationes miraculosè conferantur ipsis accidentibus panis. *ita D.Thom. 3.p.q.77.art.1.*

6. Non tamen in hac conuersione substantia panis annichilatur; quia terminus annichilationis est nihil, & terminus uersionis est corpus Christi. *ità D.Thom. 3.p.q.75.art.3.ad 5.* Neq; dici potest substantiam panis nō anichilari in hac admirabili conuersione; quia post consecrationem remanent eius accidentia; quia quando totum subsistens desinit esse, licèt maneāt accidētia illius, esset vera annichilatio; nàm si Deus destrueret aliquam animam rationalem, conseruando accidentia, adhùc est vera annichilatio. Ratio igitur sufficiens, quòd substantia panis non annichilatur in conuersione, est, quia licèt hæc propositio post consecrationem sit falsa, substantia panis est aliquid; vera tamen est hæc propositio, id, in quod substantia panis est conuersa, est aliquid; cùm terminus ad quem annichilationis, sit nihil. *ità D. loco citato.*

7. Vnde desitio panis per se loquendo, tamquàm terminus secundarius, subsequitur ad esse corporis Christi, sub speciebus Sacramentalibus; quia transitus substantiæ panis ad esse

corporis Christi respicit, tamquam terminum primariũ, substantiam corporis Christi, quæ nequit fieri, nisi ad desitionem substantię panis; consequentèr tamquàm terminus secũdarius, desitio panis ex vi pręsentis decreti sequitur ad esse corporis Christi sub speciebus Sacramẽtalibus. Absolutè tamen loquẽdo, extra præsens decretum, desitio panis non sequitur, tamquam terminus secundarius ad esse corporis Christi sub speciebus sacramẽtalibus; quia Deus sua Omnipotentia potest annichilare substantiã panis, & conseruare eius accidentia, absque eo, quòd succedat corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus. Et hæc conuersio panis in corpus Christi, quæ est vera actio positiua; subiectatur in substantia corporis Christi, quæ nouo modo acquirit esse sub speciebus Sacramẽtalibus; quia mutatio est in re, quæ acquirit esse, tamquàm in proprio subiecto, atque adeò inhęsiuè. Tamẽ loquendo de subiecto circa, quod transubstãtiationem versari, & subiectari in vtraq; substantia, scilicèt, panis, & corporis Christi, quæ modo quodam nouo supernaturali acquirit esse sub speciebus Sacramentalibus. Et desitio panis neq; propriè subiectiuatur in substantia panis; quia in illo instanti desitionis, substantia panis non est aliquid reale. Dicitur tamen solùm subiectari in illo; quia denominat illum denominatione quadam extrinseca rationis in ordine ad id, quod fuit, & in ordine ad acquisitionem corporis Christi. Verùm quodamodò desitio panis in hac conuersione dicitur esse idem realitèr cum pane non positiuè, & propriè; quia in illo instanti, in quo desinit panis, desitio panis non est aliquid reale. Sed benè negatiuè dicitur desitio panis cũ pane eadem res; quia non est alia res.

ARTICVLVS III.

An accidentia panis, & vini absq; subiecto maneant in hoc Sacramento?

1. ℞. Sic, quia non subiectantur in substantia panis, & vini; cùm sint conuersa in corpus, & sanguinem Christi. Nec in corpore Christi; quia cùm sit impassibile, & gloriosũ, non potest suscipere istas qualitates. Nec in aere circumstante; quia idem numero accidens non potest transire de subiecto in subiectum. *ità in cap. species, & cap. nos de consecrat. dist. 2. & Concil. Florent. in Decret. super vnion. Græc. & Armen. & Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. & can. 2. & D. Thom. 3. p. q. 77. art. 1.*

2. Nota, quòd causa materialis

rialis est duplex. Altera componens, altera verò substentans; quarum prima non potest suppleri à Deo; quia est pars essentiæ rei, & Deus non potest esse alicuius rei pars. Benè tamen Deus potest gerere vicem, vt substentans; quia licèt non possit esse subiectum accidẽtium, valet tamen, & sine subiecto substentare, & conseruare; cùm hoc ad genus causæ efficientis reducatur.

3. Similiter Deus in hoc Sacramento non conseruat accidentia sine subiecto; quia tribuit illis de nouo modum aliquem essendi accidentalẽ; quia eadem esset ratio de illo, & de illis accidentibus esse sine subiecto. Nec, quia tribuit de nouo modum quendam realem essendi substantialem; quia iste modus substantialis nouus non est substantia completa ex essentia, & existentia; nàm aliàs non essent accidentia sine subiecto. Non sola essentia substantialis; nàm non potest existere sine existentia. Non existentia substantialis panis, & vini; cùm sit conuersa in corpus, & sanguinem Christi. Non existẽtia debita alteri essentiæ substantiali; nàm Deus nõ destruisset propriam existentiã substantiæ panis, si debeat producere ibi aliam existentiam substãtialem. Non quia tribuit illis aliquam entitatem, quæ sit modus ipsius quantitatis; quia ista entitas solùm formalitèr distinguitur ab ipsa quantitate; & sic esset minùs perfecta, quàm ipsa quantitas; cùm modus rei est minùs perfectus, quã res, cuius est modus. Sed Deus conseruat illa accidentia, nihil reale de nouo producendo in illis, sed solùm tollendo illam imperfectionem inhærentiæ, & facit, quòd accidens existat sine tali vnione; quia licèt ex natura sua dependeat à tali vnione, non tamen sic dependet, vt non possit de potentia Dei absoluta Deus nõ actuare suã propriam essentiam accidentis, & facere, quòd sit extra nihil, per solam manutenentiam diuinam absq; additione alterius entitatis. Maximè cùm omnes Theologi dicant accidentia separata in hoc Sacramento habere modum essendi substantiæ.

4. Verùm accidentia separata in hoc Sacramento naturalitèr appetunt esse in subiecto; quia licèt actualis inhærentia dicat ex natura sua imperfectionem, tamen appetit, & ordinatur ad proprium finem illius. Ideò hæc accidentia, & quodcunq; accidens si conseruarentur à Deo sine subiecto, indiuiduantur in ordine ad proprium subiectum, à quo remanent separata, quia accidenti ex natura rei debetur, quòd non sit sine substantia: & consequenter indiuidua-

niduatur ex ordine ad illam substantiam, quæ sibi ex natura rei debetur. *ità D.Thom.3.p.q.77. art.1.ad 3.* Et licèt Deus possit facere, vt accidens habeat modum essendi substantiæ in Eucharistia, non tamen potest facere, vt substantia habeat modum essendi accidentis; quia facere, quod accidens habeat modum substantiæ est perficere, & eleuare naturam accidentis, quod de facto facit Deus in Eucharistia; facere verò, quòd substantia habeat modum essendi accidentis inhærendo, est destruere totam naturam substantiæ.

5. Similiter actualis inhærentia accidentis in subiecto, & ipsius existentiæ sunt idem realitèr materialitèr, non autem realitèr formalitèr, & hoc sufficit, quòd existentia accidentis possit esse sine actuali eius inhærentia in subiecto; quia sicut forma potest esse vnita materię, & etiam separata ab illa, licèt vnio distinguatur ab ipsa, tantū realitèr formalitèr; ità similiter existentia accidētis potest esse, sine inhærētia eius actuali in subiecto. Tamen accidentia habent suam propriē existentiam distinctam ab existentia substātiæ; quia S.Tho. *3.p. q.17.art.2.* ait, quòd in Sorte ponitur aliud esse, secundùm quod est albus, & aliud, secūdum quod est homo.

6. Sed nullo modo dici potest, in accidentibus Eucharistię manere existentiam panis, & vini; quia tota substantia panis conuertitur in corpus Christi, & tota substantia vini in sanguinem eiusdem. *ità Concil Trid.sess. 13. can.2.& cap. 4.* Benè tamen quantitas dimensiua panis, & vini in hoc Sacramēto, est aliorum accidentium subiectum; quia intellectus, quo mediante habitus insunt animæ, si diuina virtute daretur separatus ab anima, eosdem cōseruaret habitus. *ità D.Thom.3.p.q.77.art.2.*

7. Vnum tamen est miraculum, quòd quantitas maneat in hoc Sacramēto, separata à substantia, ad quod sequitur, quòd alia accidentia inhęreāt quantitati; quia si daretur calor separatus ab igne, supposito isto miraculo, naturalitèr tamen calefaceret; ità quantitas separata. Et vniuersa accidentia, quę omninò realitèr distinguntur à quantitate, possunt per absolutam Dei potentiam esse separata ab illa; quia hæc accidentia distinguntur realitèr à quātitate, & quantitas non est de essētia illorum, & habent suas existētias distinctas realitèr ab existentia quantitatis; ideò nulla est ratio, quare non possit diuina virtute existere sine quantitate. *ità D.Thom. lib. 3. contra gent. cap. 66.*

8. Verùm si darentur accidentia separata à substantia, & à quan-

quantitate,naturalitèr non essēt sensibilia, vel perceptibilia aliquo sensu; quia extentio est cōditio necessariò requisita ex natura rei, vt accidentia sint sēsibilia, & perceptibilia ab aliquo sensu, sed sine quantitate nullam habent alia accidentia extensionem. Ideò si darentur alia accidētia separata à quantitate, essent indiuisibilia, & in puncto indiuisibili; quia sicut de facto substantia corporea Christi in Sacramento Altaris est indiuisibilis, & tota in toto, & tota in qualitate parte; ità & alia accidentia.

9. Similiter species, & accidentia, quæ remanent in hoc Sacramento, possunt immutare aliquod extrinsecum; quia species Sacramentales, quæ remanent in hoc Sacramento,sētiuntur; cùm immutant corpora. *ità D. Thom.3.p.quæst.77.art. 3.* Imò possunt producere formā substantialem; quia species vini consecrati immutant guttam,& parum aquæ sibi appositam in vinum, sicut immutatur,dum infunditur vino consecrato in calice. At accidens virtute substantiæ potest generare, & corrūpere formā substantialē; quia mortuo animali seminãte,semē relictum; virtute animalis pertingit,& producit simile animal in specie; ità similitèr accidens potest virtute substantiæ generare, & corrumpere formam substantialem; cùm alia accidentia non virtute propria, sed substantiæ possunt immutare exteriorem materiam vsque ad formam substantialem. *ità D.Th. 3.p.q.77.art.3.ad 3.* Et quando dicitur accidens virtute substātiæ causare substantiam, nō est intelligendum, quòd illa virtus sit alia entitas distincta ab accidentibus; quia illud accidens, cùm sit proxima essentiæ substantiali, attingit effectum talis substantiæ, cuius est passio. Nō ideò sequitur, quòd dum species Sacramentales corrūpunt, & generant substantiam, sint causæ potiores, & nobiliores suo effectu; quia sunt causæ instrumentales illius; cùm potiùs est de ratione causæ instrumentalis, quod sit inferior suo effectu, quàm sit dignior, & potior illo.

ARTICVLVS IV.

An species Sacramentales corrumpi possint?

1. R. Sic, quia sensu deprehenditur hostias cōsecratas putrefieri, & corrumpi. *ita D.Thom.3.p.q.77. art.4.*

2. Ideò hostia cōsecrata naturalitèr concremari, & corrumpi potest ab igne; quia generatio ignis esset tunc naturalis; ità & corruptio hostiæ; nā generationi naturali coniūgitur

gitur corruptio naturalis, *ità D. Thom. loco citato ad.* 4. At Deus miraculosè conseruat species Sacramentales, idest, supplendo vicē substantiæ panis, & in hoc solū cōsistit miraculum, tamen si fortiùs ipso pane, cum illo concurrit Deus fortiori modo; ideò sicut posset substantiam panis, potest etiam corrumpere illa accidētia. Et talis corruptio specierum Sacramentalium dicenda est substantialis; quia videtur sufficere, quòd quantitas specierum Sacramentalium gerat vicem substantiæ, & illa corruptio specierum Sacramentalium dicatur substātialis. Quòd licèt quantitas, vt sic, sit diuisibilis in infinitum, tamen in quātùm est quantitas talis substantiæ, certum habet, & determinatum terminum suæ diuisionis, vltra quem, si diuidatur, corrumpitur, sicut & substantia ipsa corrumperetur: igitur quātitas specierum Sacramentaliū per talem diuisionē potest corrumpi; quia quātitas, vt est in tali substantia, desinit esse ad desitionem substantiæ. *ità D. Thom. loco citato.*

3. Similiter ex speciebus Sacramētalibus potest aliquid generari; quia patet ad sensum speciebus Sacramentalibus aliquid generari. Et quando ex speciebus Sacramentalibus aliquid generatur, tota substantia, quæ producitur, non creatur à Deo; quia experientia constat fieri ibi actionem iuxta naturam agentis quod applicatur. Verùm sola quantitas non sufficit, vt subsistet formæ substāntiali aduenienti; quia inter quātitatem, & formam substantialem nō potest esse substantailis vnio; cùm quantitas sit accidēs, vnio illa necessariò erit accidētalis *iuxta illud Aristotelis lib.* 1. *Physic.* impossibile esse substantiam componi ex non substantijs. Et quando quantitas specierum Sacramentalium cum ipsis corruptis generatur aliquid, dicitur supplere vicem materiæ, quantùm ad omnia, quæ antecedunt instans generationis, non tamen recipit vltimam dispositionem; quia non est capax illius formæ substantialis; sed solus Deus in instanti generationis producit formam propria virtute, ex cuius potentia agens naturale educit formam, producendo in illa vltimam dispositionem; & sic naturalitèr generat sibi similem.

4. Similiter quando ex hostia consecrata generantur vermes, materia illius compositi producitur a solo Deo; quia materia illa prima necesse est, vt reperiatur, vt à forma naturali informetur; cùm omne agens naturale præsupponat materiā, seù subiectum, in quod agat. Probabile tamē est, quòd quādo ex hostia consecrata generantur

rantur vermes, quòd talis materia creatur à Deo ex nihilo; quia in iſto caſu dici poſſet, quòd duæ actiones coniungerentur talitèr, quòd per vnum deſinit eſſe quantitas, & per alterum producitur materia prima à ſolo Deo, ſicut produceretur, etiam ſi non præceſſiſſet quantitas. *ita D. Thom. 3. p. q. 77. art. 5. in corp.* Probabiliùs tamen eſt dicere, quòd materia compoſiti, quod ex hoſtia conſecrata generatur, à Deo minimè creatur, ſed per conuerſionem quantitatis hoſtiæ in materiam producitur; quia creatio fit ex nihilo, & materia huius compoſiti, quod ex hoſtia conſecrata generatur, producitur a Deo, præſuppoſita quantitatis corruptione, conſequenter nõ creatur, ſed conuertit Deus quantitatem hoſtiæ in materiã primam. *ita D. Thom. loco citato.*

5. Tandem ſpecies Sacramentales nutrire poſſunt; quia nutritio eſt generatio particularis; ideò ſicut ex ſpeciebus Sacramẽtalibus poteſt aliquid generari, ità poteſt, & nutriri. *ita D. Tho. 3. p. q. 5. art. 6.* At talis nutritio fit per conuerſionẽ quãtitatis in materiam primã productam, quæ quidem nutritio naturalis eſt, quantùm ad introductionem formæ in materiã; quia fit virtute agentis naturalis; ſupernaturalis verò, quantùm ad conuerſionem quantitatis hoſtiæ in materiam primã, quia fit à Deo.

DISQVISITIO XLVI.

De effectu huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

An hoc diuinum Sacramentum per ſe conferat augmentum gratiæ?

1. ℞. Sic, quia cum ſit cibus ſpiritualis, confertur ad nutrimentum, & augmentum eius. *ita D. Tho. 3. p. q. 79. art. 1. & Concil. Florent. in Decreto Eugenij. & Concil. Viennenſi ſub Clemente V. & in Clementina vnica, de Reliq. & Venerat. Sanct. & Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. in cap. Firmitèr, & in cap. cùm Martha: de Celebratiane Miſſarum.* Cũ hac differentia, quòd ille non ſemper auget, quando nutrit; quia viuens nõ eſt ſemper

per

per in statu augmenti, licèt nutriri debeat. At in hoc Sacramento idem est nutrire, & augere gratiam; quia gratia nunquàm remittitur, & vbi est nutritio, seù additio sine remissione, necesse est fieri augmentũ.

2. Imò soli Eucharistiæ per se competit conferre augmentum gratiæ; quia alia Sacramẽtã viuorum ordinantur ad alios speciales effectus, per quos cõferunt aliquod augmentum gratiæ, & hoc per se primò ordinatur propter vnionem fidelium cum Christo. Verùm diuinum hoc Sacramentum non est per se institutum, ad conferendam primam gratiam; quia Concil. Trid. *sess. 13. cap. 2.* istius nunquàm meminit. Tamen interdum confert primam gratiam, & peccatum mortale delet; quia Sacramenta nouæ legis secundùm rationem genericam conferunt gratiam non ponentibus obicem; cùm omnia sint instituta ad conferendam gratiam ex opere operato, *ita D. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quæstiunc.* 2. Et quamuis Sacramenta viuorum sunt instituta ad causandum augmẽtum gratiæ, tamen secundum rationem genericam, vt Sacramenta sunt, habent etiam causare primam gratiam. Ideò si quis cognoscat euidenter se non habere contritionem, non potest accedere ad hoc Sacramentum; quia vltima differentia Sacramentorum viuorum requirit, vt homo sit in gratia.

3. Vnde Eucharistia simùl, & nõ successiuè cõfert suũ effectum; quia causa efficax, simùl producit totum suum effectum, quando nec in passo, nec ex parte effectus est repugnantia. Probabile tamen est, quòd gratia Sacramentalis Eucharistiæ augeatur, quandiù species Sacramentales durant in corpore sumentis, si ille magis, ac magis se disponat; quia cibus corporalis quandiu durat in stomacho, prodest corporaliter. Sed probabiliùs est, quòd confert gratiam Sacramentalẽ ex opere operato, in illo instanti, in quo verum est dicere, nũc est Sacramentum assumptum, & transmissum in stomachum; licèt postea ex opere operantis recipiat augmẽtum gratiæ iuxta maiorem deuotionem, qua veneratur illud; quia dum producit suum effectum ex opere operato consequentèr in eo instanti, quo peruenit ad ventriculum, iuxta quantitatem dispositionis ipsius suscipientis producit. At sic, si eo tempore, quo Christi præsentia durat in stomacho accipientis Eucharistiam, priusquàm transmutẽtur species Sacramentales, & dispositio hominis nõ perficitur, nullum augmentum gratiæ ei confertur; quia hæc duratio præsen-

sentiæ est propter accidentales casus. Licèt probabile sit, quòd si suscipiens circa finē sumptionis melius dispositus, quàm initio sūptionis, maiorem gratiam suscipiet ex opere operato, durante præsentia Christi in speciebus Sacramentalibus, licèt hæc per accidens sequantur; quia alia Sacramēta tantùm sunt in vsu, & tunc simpliciter esse incipiūt, quando vsus perficitur, & statim etiam desinunt: sed hoc est permanens, & factum supponitur ante vsum, applicatur autem ad agendum per ipsum vsum, & totum integrum permanet toto tempore manducationis, & vsus; & in qualibet parte, & instanti illius temporis durat, durante præsentia Christi sub speciebus Sacramentalibus.

4. Dici potest, quòd qui recipit Eucharistiam in peccato mortali, si durātibus speciebus in stomacho, habeat attritionē extimatam contritionem, iustificatur; quia sicut accedens ad Baptismum sine dispositione, cum affectu ad peccatum mortale, & postea in medio prolationis formæ non finitæ habet attritionem supernaturalem, iustificatur ad mentem omnium Doctorum; ita similitèr in casu nostro. Sed negatiua sentētia verior est, & probabilior, nullo pacto iustificari; quia omnia Sacramenta habent determinatū instans, in quo causant suum effectū, scilicèt, nunc est Sacramentum, & transmissum in stomachum postea durantibus speciebus in stomacho, etiam si habeat attritionem, inuincibilitèr existimatam contritionem, nullo modo iustificabitur.

5. Benè tamen recipit gratiam Sacramentalem, qui post deglutitam hostiam consecratam, statim moritur, vel non omnit Sacramentum; quia suum effectum producit, quando cōmestum est, scilicet guttur, aut gulam transiuit. Non tamen qui diù retinet hostiam in ore, donec corrumpatur; quia hoc non est manducare iuxta dictum Christi. Neque recipit effectum gratiæ, qui fictè recipit, & post transactam susceptionem, & præsentiam Christi, recedente fictione post corruptionem specierum Sacramentalium; quia nullus Sanctorum hoc docuit, cùm D. Paulus dicat, Probet autem se ipsum homo, qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. *ita D. Thom. in 4. dist. 4. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 3.* Quamuis probabile sit causare gratiam, recedente fictione, maximè cùm Sacramentum Eucharistiæ sit omnium Sacramētorum excellentissimum.

AR-

ARTICVLVS II.

An adeptio gloriæ sit effectus specialis Eucharistiæ?

1. ℞. Sic, quia tribuit ex opere operato instrumentaliter, virtutem perueniendi ad montem gloriæ, sicut cibus, quo Elias confortatus ascendit ad montem Oreb. *ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 2. ad 3. & Concil. Trid. sess. 13. cap. 2.*

2. Verum Sacramentũ hoc, secundùm suam propriam rationem specificam, non remittit peccatum mortale; quia hoc Sacramentum habet ex se, præseruare à mortalibus, & remittere venialia. *ita Concil. Trid. loco citato. & D. Tho. 3. p. q. 79. art. 3.* Benè tamen remittit peccata venialia ex opere operato; quia per Conc. Trid. *sess. 13. cap. 2.* ponitur tamquam proprius effectus huius Sacramenti. *ita D. Tho. in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. & Innocentius III. lib. de hoc mysterio cap. 44.* Sed duo videntur necessaria ex parte sumẽtis, vt hoc Sacramentũ deleat peccata venialia. Vnũ est, vt illud sumens, sit in statu gratiæ; quia non potest veniale peccatum remitti, sine mortali. Aliud est, vt sumens Eucharistiam non habeat actualem effectum ad peccata venialia; quia actualis affectus ad peccatum veniale, & etiam virtualis, est obex, vt peccatum ipsum veniale tollatur.

3. Similiter, hoc Sacramẽtũ habet aliquam efficaciã in corpore illud digne suscipientis, moderando fomitem peccati, & alios bonos effectus in sensitiuo appetitu excitãdo, vt promptiùs, & iucundiùs homo virtutem operetur; quia hoc Sacramentum per se loquendo ordinatur ad præseruandum hominem à peccato. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 2. & D. Thom. opusc. 58. cap. 12. & opusc. 59. cap. 6. & 3. p. q. 79. art. 6. ad 3.*

4. Tamen hoc Sacramentũ, in quantum Sacramentum, nõ ordinatur per se primò, & ex vi Sacramenti, ad remittendam pœnam debitã peccatis dimissis; quia omnia Sacramenta ex opere operato per se primò ordinantur ad causandam gratiã, vel augmentũ ipsius: per quandam cõmunicationem, ex consequenti ad effectum principalem; sumens hoc Sacramentũ, consequitur remissionem pœnæ debitæ peccato; non quidẽ totius, sed secundùm modum suæ deuotionis, & feruoris, & hunc effectum habet Eucharistia; cùm sit omnium præstantissimum. *ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 5.* Sed Sacramenta, in quantum Sacramenta, remittũt pœnam debitam peccato, ex opere operato; quia ad infusionẽ

gratiæ per quandam concomitantiam sequitur remissio alicuius pœnæ debitæ peccato, quæ est etiã ex opere operato.

5. Rursus peccatum veniale præteritum, quod solùm secundùm maculam durat, nullo modò impedit effectum huius Sacramenti; quia peccatum veniale remouetur per hoc Sacramentum; consequenter nõ potest impedire eius effectum. *ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 4. & 5.* Neque peccatum veniale, actu concomitans sumptionem huius Sacramenti, nõ impedit gratiæ, & charitatis augmentum; quia peccatũ veniale non pugnat cum gratia habituali; neque cum quocunque augmẽto eius in facto esse, neque etiã in fieri, si aliundè possit applicari causa. Imò nulla actualis dispositio necessaria est, vt hoc Sacramentũ conferat augmentum gratiæ, & charitatis, quia carentia talis deuotionis non potest impedire in amẽte hunc effectum; aliàs omninò irrationabile esset dare hoc Sacramẽtum infantibus, & carentibus vsum rationis; cùm eis aliquando datur.

6. Verùm distractio totalis, siue sit culpabilis, siue sine culpa impedit effectum huius Sacramenti, qui est spiritualis dulcedo; quia dulcedo spiritualis est quidam actus volũtatis, qui consequitur ad actum intellectus, qui est actualis consideratio; nõ enim lætatur quis de aliqua re, nisi consideret illam. Sed distractio per magnam eleuationem in Deum non impedit talem effectum; quia hoc multoties fit, ex speciali instinctu Spiritus sancti.


7. Quãdo verò distractio culpabilis, vel sine culpa nõ est totalis, sed tantùm partialis, impeditur iste effectus, qui est dulcedo quædã spiritualis partialitèr, non tamen totalitèr; quia actus voluntatis, qualis est hęc dulcedo spiritualis, sequitur ad actũ intellectus practicum, secũdùm perfectionem illius; cõsequentèr eo modo, quo est distractio, eo modo similitèr impedit dulcedinem istam spiritualem.

8. Nota, quòd actualis distractio est duplex. Altera omninò naturalis, absq; culpa; Altera verò venialitèr culpabilis ex negligentia. Vtraq; hæc distractio nõ impedit effectum huius Sacramẽti, scilicèt, gratiæ, & charitatis augmentũ, si aliàs suscipiens illud, est in gratia constitutus. Iterum distractio actualis, aliquando est omnimoda & totalis, vt quãdo homo nullo modo recordatur rei præsentis; aliquando autem est partialis, vt si simul aduertat homo ad id, quod facit, & ad alteram rem, licèt imperfectam. *ità D. Tho. 3. p. q. 79. ar. 8.* Et hæc distractio totalis, vel partialis, si sit naturalis,

vel

vel culpabilis solùm venialitèr, licèt nõ impediat effectũ huius Sacramenti, scilicèt, augmentũ gratiæ, & charitatis, si homo sit in gratia, quia peccatum veniale non pugnat cùm gratia habituali, neque cum quocunque augmento eius in facto esse, neq; etiam in fieri. Tamen distractio totalis, etiam si sit naturalis, vel partialis, impedit effectum Eucharistiæ, quæ est spiritualis dulcedo; quia hæc, quæ recipitur ex hoc Sacramento, est actus voluntatis, qui consequitur ad actualem considerationẽ; consequẽtèr si distractio sit totalis, totalem impedit effectum huius Sacramenti; si autẽ partialis, partialem impediet talem effectum. *ita D. Tho. 3. p. q. 70. art. 8.*

9. Tandem ad Eucharistiam suscipiendam nõ requiritur maior dispositio, quàm ad alia Sacramenta ex necessitate, licèt, vt quis suscipiat dulcedinem spiritualem huius Sacramenti, quę est veluti pars effectus Eucharistiæ, actualis deuotio requiratur; quia peccata actualia venialia, non ex toto impediunt huius Sacramenti effectum, sed in parte, scilicèt dulcedinem, quæ impeditur per distractionẽ in mente peccatorum venialiũ; cùm hæc sit actus voluntatis, cõsequitur actualem cõsiderationem intellectus; non autem tollitur per hanc distractionem, & peccata actualia cõcomitantia ipsam Sacramẽti susceptionem, augmentum habitualis gratiæ, & charitatis; quia ad consequẽdam gratiam habitualem, vel augmentum illius, si homo est in gratia, peccatum actuale veniale non est obex. *ità D. Thom. loco citato.* Vnde peccatum habituale non impedit remissionẽ sui ipsius à susceptione Eucharistiæ; quia peccatum veniale habituale, nec impedit augmentum gratiæ habitualis, nec refectionem spiritualis dulcedinis; nec à fortiori impedit remissionem sui ipsius. Benè tamẽ peccatum actuale veniale impedit remissionem sui ipsius; quia repugnat tolli, dum actu committitur. *ita D. Thom. 3. p. q. 79. art. 8. in corpore.*



DIS-

DISQVISITIO XLVII.

De Ministro huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

An consecratio Eucharistiæ sit propria Sacerdotis?

1. ℞. Sic, & est de fide, & oppositum est hæresis; quia ità *Concil. Trid. contra Lutherum sess. 22. cap. 1. & can. 2. & in cap. Firmitèr de Sum. Trinit. & fide Catholica, & D. Thom. 3. p. q. 82. art. 1.*

2. Verùm possunt plures Sacerdotes vnam, & eandem hostiam cōsecrare; quia est exemplum consecrationis Episcopalis in ordinatione Sacerdotum, vbi plures Sacerdotes cōsecrāt. *ità D. Tho. 3. p. q. 83. art. 2.* Sed quādo plures consecrant vnam, & eandem hostiam, & nō mutuò se expectant, ille solus, qui priùs perfecit verba consecrationis, cōsecrat; quia in Baptismo, qui priùs formam, & ablutionem finit, tantùm baptizat; nàm tunc omnia ad Baptismū necessariò concurrunt; ità in consecratione. Et sic Episcopo in ordinatione præcipitur morosè proferat verba consecrationis, vt Sacerdotes, qui nouitèr ordinantur, possint simul cum illo proferre verba, & consecrare; quia ità *ordinatur in Pōtificali Romano.*

3. Hinc est, quòd non sufficit intentio consecrandi illam, sed requiritur, quòd simul proferant verba cōsecrationis; aliàs qui primò finit verba consecrationis, consecrat; quia in illo instanti sunt requisita, scilicèt intentio ministri, vera materia, & verba consecrationis.

4. Similitèr si plures Sacerdotes concurrerent ad cōsecrationem vnius hostiæ, si quilibet illorum intēderet suam partem consecrare; & si nullus signaret, qualem partem velit consecrare, sed in confuso quisq; intenderet consecrare vnam partem, tunc consecratio nulla est, quia pronomen, *Hoc*, & *Hic*, debet demonstrare singularem materiam, & determinatam. Sed erit valida, si vterque illorum certā, & definitam partem sua intentione designet; quia quisq; ex Sacerdotibus suam cōsecrationem, vt integra causa, perfecit; quamuis accidentariū sit, quòd species consecratæ sint continuæ inter se.

5. Similitèr non possunt cōcurrere plures ministri, ad consec ran-

secrãdũ, si vnusquisq; partẽ formę solũ proferat: quia tũc neuter eorum proferret formam; neq; ex verbis diuersorum hominum vna forma cõponi potest. Neq; esset valida, si duo, vel plures Sacerdotes cõplexim, vt partiales vnam, & eandem hostiam consecrarent; quia falsum est, quòd vnus Sacerdos in cõfectione Sacramenti Eucharistię dependeat ab alio.

6. Vnde non est impossibile, quòd plures Sacerdotes vnam, & eandem hostiam consecrent simul, & in eodem instanti proferant verba cõsecrationis; quia aliàs Ecclesia Romana in ordinatione Sacerdotum statueret aliquod impossibile. Sed benè qui ordinantur, debent habere positiuam intentionem consecrandi, non quidem absolutam, sed conditionalem, scilicèt, *si finiero verba mea in eodem instanti, in quo finiet Episcopus: aliàs autem mea intentio est tantùm illa proferẽdi instructionis, & ceremoniæ causa*; quia cum hac intentione nullũ est sacrilegium, quòd proferãt verba super hostiam iam consecrationem factam ab Episcopo consecrante, finiant verba consecrationis cum tali intentione Religiosa. Et si Episcopus aduertat aliquem Sacerdotum ordinatorum protulisse verba consecrationis, priusquàm ipse, non tenetur adhibere aliam hostiam consecrandam; quia Sacerdotes, qui ordinantur, nec debent habere determinatam intentionem consecrandi, nec proferre verba recitatiuè; sed debent abstrahere ab vtroque, habendo intentionem Religiosam faciendi, quod Ecclesia intendit; cum Episcopus ordinãs sit principalis consecrans, habẽs intentionem consecrandi omninò absolutam; alij verò Sacerdotes intentionem cum cõditione. Hæc intentio conditionalis non est necessaria explicitè, sed sufficit virtualitèr, & implicitè; quia omnium intentio celebrantiũ cum Episcopo cõsecrante refertur ad idem instans. *ità D. Thom. 3. p. q. 82. art. 2. in corp.*

ARTICVLVS II.

An dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum Sacerdotem?

1. ℟. Sic ex iure, & ordinaria potestate; quia Sacerdos in persona Christi cõsecrat; & sicut Christus consecrauit, ità alijs sumendum dedit. *ità Concil. Trid. sess. 13. cap. 8. & D. Tho. 3. p. q. 82. art. 3.*

2. Verùm in casu necessitatis ex commissione Sacerdotis, & in absentia illius, potest Diaconus ex iure diuino dispensare corpus Christi; quia *ità Cõcil. Arelaten. cap. 15. & Carthag. 4. cap. 38. & Clemens Papa lib. 8. Constit. cap. 28.*

cap. 28. Imò Diaconus in aliquo casu potest dispensare populo corpus Christi, vt quando Sacerdos ex iniquitate, nec vellet conferre Sacramentum infirmis constitutis in extremis; nec dare facultatem ad conferendum; quia tunc ex commissione virtuali Episcopi, vel Papæ habet. Et si esset in cõmuni vsu, sicut erat in primitiua Ecclesia, communicare sub vtraq; specie; Diaconi ex cõmissione Sacerdotum possent licitè, nulla extãte necessitate, ministrare Eucharistiam sub specie sãguinis; quia Sacramentum sanguinis continetur in calice, atque adeò non est opus, vt à dispensante tangatur. *ità D. Thom. loco citato,*

3. Secùs Subdiaconus, & inferior quicunq; siuè clericus, siuè Laicus, in nullo casu potest dispensare Eucharistiam; quia *ità cap. Diaconus dist.* 23. Tamen non videtur omninò improbabile, quòd in casu extremæ necessitatis possit; quia hoc non est, ex natura rei, malũ, vel contra reuerentiam Sacramenti. *ità D. Thom. loco citato.* Sed probabiliùs est oppositũ; quia nũquam hoc in Ecclesia Catholica videtur admissum: Ratio autem, cur liceat Laico de loco indecoro in decorum; ad infirmum autẽ etiam in articulo mortis, non licet illud deferre; quia prima necessitas desumitur ab intrinseco ex natura ipsius Sacramẽti, quod ius naturæ debet seruari ab omnibus fidelibus, vt defendatur à quacunq; iniuria. At in secundo casu desumitur necessitas ab extrinseco, scilicèt in ordine ad ipsos fideles. Et sic vsus quarundam Ecclesiarum, in quibus Laici tempore necessitatis deferebant Eucharistiam ad infirmos, non est laudabilis; quia fuit in vna, vel altera Diœcesi introductus ex ignorantia, & errore alicuius Episcopi.

4. Rursus dispẽsatio Eucharistiæ non tantùm est ordinis, sed etiam actus iurisdictionis; quia pascere gregem Christi, non est munus cuiuscunque Sacerdotis, sed proprij pastoris. *ità in Clement. cap. Religiosis de Priuileg. & cap. omnis vtriusq; sexus de Pænit. & remiss.* Ideò esse peccatum mortale ministrare hoc Sacramentum sine debita iurisdictione, aut facultate, per se loquendo; quia est alienum vsurpare ius in re graui cũ animarum periculo, & contra pacem, & debitam gubernationẽ, & ordinem Ecclesiasticũ. Hoc autem intelligendum est ex genere suo; quia si intercedat bona fides, & interpretatiua, seù præsumpta voluntas probabili causa, excusari potest peccatũ, vel omne, vel saltem mortale.

5. Notabilis est differentia in susceptione huius Sacramenti, & Pœnitẽtiæ, si nõ antecedat, iuris-

iurisdictio; cùm in Sacramento Pœnitentiæ necesse sit, vt antecedat iurisdictio; quia ab illa pendet substantia actus; & ideò non sufficit ad illam Ratihabitio de futuro, nec præsumptio consensus posteà prestandi, sed requiritur præcedens voluntas dandi iurisdictionem. In administratione autem huius Sacramenti, iurisdictio nõ requiritur ad substantiam actus, sed ad debitum modum, & ordinẽ. Huic peccato generatim, non est aliqua pœna, vel censura annexa pro omnib' Sacerdotibus; quia non interuenit defectus ordinis, sed iurisdictionis.

Benè tamen fieret irregularis, qui hoc Sacramentum ex officio administraret, sine debito ordine sacro, requisito ad hanc administrationẽ; quia, sicut qui sollẽnitèr baptizaret nõ Sacerdos, incurrit pœnam irregularitas; cùm sollemnitèr baptizare, sit actus ordinis sacri Presbyteratus; ità similitèr administrare Eucharistiam ex officio, est actus sacri ordinis Presbyteratus, habentis annexam iurisdictionem, vel ex commissione, vrgente tamen necessitate, pertinet ad Diaconum.

6. Stando in iure communi canonico, soli Parocho ex officio competit Eucharistiam administrare, quia *ita in Clement. cap. Religiosi. de Priuilegijs, & excessibus Priuileg.* Et si Religiosus, conferens Eucharistiam alijs Religiosis, non manet ipso iure excommunicatus, si hoc facit sine facultate proprij Sacerdotis; quia *in Clement. cap. supradicto.* solùm ponitur excommunicatio latæ sententiæ; contra religiosos ministrantes laicis; ideò non afficitur pœna excommunicationis, cùm pœnæ sint potiùs restringẽdæ, quàm ampliãdæ. Verùm Religiosus ministrans Laicis Sacramentum Eucharistiæ, ex ignorantia affectata, incurrit ipso iure excõmunicationem latam in Clement. supradicta; quia dum adest ignorãtia affectata, incurrit easdem pœnas, ac si peccaret ex certa scientia, & actus redit in naturam suæ formæ. Secùs ex ignorantia vincibili quidem, sed non affectata; quia quando ignorantia nõ est affectata, maximè minuitur peccatum, & pœna excommunicationis regularitèr ponitur propter actum perfectum, & contra inobedientes.

7. Et licet Religiosis hoc sit vetitum in iure canonico tamẽ possunt vi suorum Priuilegiorum extra tempus Paschæ; quia *ita Nicolaus V. & Sixtus IV. Bulla 2. & Iulius II. in supplem. concessione* 160. concesserunt Minoribus. Excepta tamen Eucharistia per modum Viatici; quia Paulus III. excepit Eucharistiã in mortis articulo, & commu-

 nio-

nionē Paschalem. Imò adest Priuilegium, quo Mendicantibus conceditur facultas, posse cōmunicare fideles in Paschate, absque scrupulo incurrendæ excōmunicationis latæ sententiæ in Clement. *Religiosi de Priuileg.* quia hoc concessit Iulius II. fratribus Minorum. Nec obstat, hoc Priuilegiū esse sublatum per non vsum; quia talis non vsus nō est deperditus per præscriptionē quadraginta annorum; neque non vtentes habent scientiam talis Priuilegij, & voluntatem non vtendi illo; ita Pius V. & successores vsque ad Paulum V. reualidauerunt Priuilegia Mendicantium.

8. At deficiente Parocho, & necessitate vrgente possunt fideles in periculo mortis accipere Eucharistiam à Religiosis, & ab alijs Sacerdotibus; quia in iure habetur, quòd cui conceditur Confessio, censetur etiam concessa communio. Maximè si proprius Parochus neget ex nequitia; quia tunc adest interpretatiua voluntas Episcopi, vel Papæ.

9. Verùm quando aliquis Sacerdos habet facultatem, ad audiendas confessiones, non habet etiam facultatem, ad cōferēdum illi Eucharistiam; quia istæ sunt distinctæ facultates, nec vnum continetur in altero. Sed benè proprius Sacerdos potest committere facultatem conferendi Eucharistiam suis subditis, etiam in die Paschatis, cuicunque simplici Sacerdoti; quia ad administrandam Eucharistiam fidelibus, non requiritur specialis scientia, neque in iure fuit reseruatum Episcopis, quòd ipsi soli eligerent idoneos, ad conferendum hoc Sacramentum.

10. Similitèr qui adimpleuit præceptum Communionis in hebdommada sancta, potest in die Paschatis recipere Eucharistiam ab alio quocunq; sacerdote habente potestatē ad hoc extra proprium Parochum; quia iam adimpleuit præceptū. Et Religiosis vi suorum Priuilegiorum licèt ministrare Eucharistiam in die Paschatis Vagis, Aduenis, & Peregrinis; quia limitatio facta fuit in fauorem Parochorum, quo eis per hoc non infertur iniuria. Neque tenentur isti tempore Paschatis communicare in Parochia, in qua illo modico tempore degunt; quia isti non habent animum habitandi maiori parte anni in Oppido, in quo per trāsitum reperiūtur; ita Eugenius IV. hoc priuilegium concessit Mendicantibus. Ideò Peregrini non tenentur adire Ecclesiā Cathedralem, & Matricem Oppidi, in quo degunt tempore Paschatis, vt ibi Eucharistiæ Sacramentum recipiant; quia Peregrini non habent requisitam habi-

habitationē, vt fiant Parochiani alicuius Parochiæ in Oppido, in quo ad breue tempus degunt. Neque Mercennarij, ad breue tempus locantes operas suas, tenentur tempore Paschatis in Heri Parochia, Eucharistiæ Sacramentum recipere; quia non acquirunt Parochiā Heri; cùm ad breue tempus ibi contrahant moram.

11. Similiter Priorissæ, & Abbatissæ Monasteriorum, Ordinum Mendicantium, possunt facere ministrare Sacramentū Eucharistiæ ab aliquo Presbytero sæculari, in suis Ecclesijs; quia Sixtus V. & Leo X. concesserunt hoc Monialibus Sanctæ Claræ; consequenter Monialibus Mēdicantium per participationem: licèt dici posse de licentia fratrum; quia *ita Iulius II.* Sed veriùs dicendum non posse; quia non sunt in vsu, nec est aliqua præscriptio in contrarium. At communionem, quæ voluntariè, & ex deuotione à fidelibus suscipitur, possunt Religiosi tàm in proprijs, quàm alienis Ecclesijs ministrare absque licentia Parochi; quia exceptio non est ratione loci, sed temporis. *ita Pius IV. Bulla 3. & Pius V, Bulla 7.* Secùs communionem Paschalem absque licentia Parochi; quia à Iulio II. limitatur. Neque communionem in articulo mortis per modum Viatici; quia de hoc est limitatio Pauli III. *anno* 1549.

12. Tandem Sacerdos consecrans tenetur sumere Sacramentum hoc; quia sic decernitur in Concil. Tolesano *cap. de consecrat. dist. 2. cap. Relatum.* cùm non sit tantùm Sacramentum, sed etiam sacrificium. *ita D. Thom. 3. p. q. 82. art. 4.* Imò Sacerdos, præciso Missæ Sacrificio, potest seipsum communicare ex deuotione, dum non sit alius Sacerdos, nec adsit scandali periculum; quia Sacerdos non alienam iurisdictionem vsurpat, sibi Eucharistiam ministrando, nec vllum ius extat contrarium. Et etiam licitum est Diacono in articulo mortis existenti se ipsum communicare in necessitate, ne decedat sine Viatico; quia in Concil. Niceno *cap. 14.* concessum erat Diacono, vt sibi communionē præberet, absente Sacerdote, in graui necessitate, nec vllo iure nouo cōtrarium sancitum est.

ARTICVLVS III.

An malus Sacerdos Eucharistiam consecrare possit?

1. ℟. Sic, & est de fide; quia nulla malitia impedit ministrum à vera confectione Sacramenti, dum apponit veram materiam, & formam, & habet intentionem fa-

ciendi, quod facit Ecclesia. *ita in multis Concilijs est diffinitum, & expressè in Concil. Trid. sess. 7. can. 12. de Sacram. in genere. & D. Tho. 3. p. q. 6. art. 3.* Nec obstant loca Sacræ Scripturæ, in quibus asseritur, quòd displicet Deo sacrificium factum à malis ministris; quia ex hoc non infertur sacrificium non esse validum. *ita D. Tho. 3. p. quæst. 82. art. 5.*

2. Nota, quòd actio consecratiua dupliciter cōsideratur. Primò, quantum ad suam entitatem, vt consecratio est, & sic est, & eleuatur à Deo; quia cùm sit opus supernaturale fit à Deo, tamquam à causa principali concurrente cum auxilio supernaturali, & speciali. Et licèt in tali consecratione accidat malitia ex parte ministri, tamen illa malitia non impedit, quin naturalis entitas illius eleuetur ad causandam gratiam. Secundò, prout est à Sacerdote, operante deficienter, & vt sic, cum sit peccatū, non solùm non est à Deo concurrēte speciali auxilio, verùm etiam simplicitèr loquendo non est à Deo, vt actio; quia actio peccaminosa, & in materia irreligionis tribuitur ipsi Sacerdoti malo, tamquàm causa moralitèr deficiens, dum irreligiosè celebrat.

3. Vnde malus Sacerdos cōsecrando duo peccata formalitèr distincta committit. Vnum, quando conficit Sacramētum in peccato mortali. Alterum, quando indignè se communicat; quia sunt duæ actiones formalitèr distinctæ. Non tamen committit quatuor peccata, scilicèt, quando consecrat panem, & posteà consecrando sanguinem, & quando sumit corpus Christi, & deinde sanguinem eius; quia consecratio panis, & sanguinis; licèt Physicè censeantur duæ actiones, tamen moralitèr est vna actio, & consecratio totalis, quatenùs ambæ integrant, & efficiūt vnum perfectum Eucharistiæ Sacramentum. Ità etiam dicēdum est de communione; quia habetur pro vnica refectione spirituali. Quamuis sit opinio dicentiū, tātùm vnum peccatū committere; quia vnum sacrificium constituunt, quamuis tribus partibus constet, scilicet, consecratione, oblatione, & sumptione.

4. Verùm Missa mali Sacerdotis, quantùm ad substantiam sacrificij, nō minus valet, quàm boni; quia D. August. *lib. 1. de corpore Domini, & refertur q. 1. cap. contra Catholicam,* ait, non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 6.* Secùs si attendamus ad deuotionem offerentis; quia in Decreto. *1. q. 1. cap. ipsi Sacerdoti* habetur, quantò Sacer-

cerdotes fuerint digniores, tantò faciliùs in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. *ità D.Thom. loco citato.* Simpliciter, & absolutè Missa boni Sacerdotis vtilior est, quàm mali; quia licèt sint æquales, quò ad essentiale sacrificium, tamen quò ad accidẽtale prouenit ex deuotione ipsius Sacerdotis.

5. Attendẽtes tamen ad orationes nomine Ecclesiæ, nõ minùs valet Missa mali Sacerdotis, quàm boni; quia æquè suis orationibus gratias Deo impetrat Ecclesia. *ità D. Thom. loco citato.* Et nõ solùm Missa mali Sacerdotis nomine Ecclesiæ, est fructuosa, sed omnes orationes, quas in persona Ecclesiæ fundit; quia eleemosyna distributa per seruum nequam nihil detrahit à merito Heri.

6. Similitèr illi, qui intra Ecclesiam instituti, & secundùm eius statuta ordinati sunt, post modum verò per heresim, schisma, vel excommunicationem ab ipsa præscindũtur, rectè quidem facultatem susceperũt, sed non rectè ea vtuntur; quia contra Ecclesiæ iussum, illam exercent. Cõsecrarent tamen; quia cõsecratio est actus consequẽs ordinis Sacerdotalis potestatẽ. Nec obstat, quòd sint extra Ecclesiam; quia si ritè ordinati sunt, & debitam formam, & materiam adhibeant, & intentionẽ habeant faciendi, quod facit Ecclesia, verum conficiunt Sacramentum. *ità D.Tho.3.p.q.82. art.7.ad 1.* Quamuis isti non rectè potestatem habeant, nec quandiù sint præcisi, rectè illa vtuntur; quia vtrunq; est contra Ecclesiæ ordinem, quæ præcisitas ab ordinibus cohibet, tàm in suscipiendis, quàm exercendis. Tamen isti, licèt sint extra Ecclesiam, verum consecrant Sacramentum; quia in consecratione Sacramenti talis loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem. *ità D. Tho. loco citato.*

7. Nota, quòd quadrupliciter sumi potest corpus Christi. Primò, materialitèr tantùm, & sic potest illud manducare Brutum, canis &c. Secundò, Sacramentalitèr tantùm, & sic manducat, qui existit in peccato mortali. Tertiò, spiritualitèr tãtùm, & sic qui baptizatur, & qui per fidem viuam, & contritionẽ spiritualitèr manducat, antequã manducet Eucharistiam. Quartò, spiritualitèr, & Sacramentalitèr coniunctim, vt manducat iustus, Sacramentum suscipiẽs. Et iste mod⁹ est perfectior alijs; quia non solùm Sacramentum, sed effectus, & res Sacramenti sumitur, scilicèt gratia cum augmento eius. *ità D.Tho. 3.p. quæst.80.art.1.& 3.* Talitèr quòd si Sacerdos infanti hoc Eucharistiæ Sacramentum ministraret, esset verum Sacramentum,

con-

conferens gratiam; quia de essentia Sacramenti est conferre gratiam, vbi non est obex. Et infans, licèt non cognoscat virtutem huius Sacramenti actualitèr, benè tamen habitualitèr; quia dum habet verũ habitum fidei, & gratiæ, habet etiam habitualem cognitionem, & est habitualitèr probat⁹ ad hoc Sacramentum recipiẽdum, quod nõ est in Infidelibus per obicẽ, quam ponũt per falsam cognitionem. Sed si adultus existens in gratia sine sua voluntate actuali, vel saltèm virtuali, reciperet hoc Sacramentum, non susciperet effectum illius, scilicèt, augmentum gratiæ; quia Sacramenta collata adulto cõtra suam voluntatem, non conferunt illi effectum suum. *ità D. Thom. loco citato.*

ARTICVLVS IV.

An liceat à malis Sacerdotibus communionem recipere, & eorum Missam audire?

1. ℞. Nõ, imò peccat mortalitèr, si fiat absque necessitate; quia esto, quòd liceat vti malitia alterius ad proprium cõmodum, & vtilitatem, non tamen licet inducere aliquem ad peccandum. Tamen licet communionem recipere ab aliquo malo Sacerdote parato ad conferendum, si ex hoc aliqua eueniat vtilitas petenti; quia sine vtilitate, & commodo nostro, non est licitum vti malitia alterius.

2. Ideò quotiescunq; est aliqua vtilitas, potest homo petere cõmunionem, & alia Sacramenta à proprio Parocho excommunicato, tolerato tamen ab Ecclesia, etiam si sit non paratus; quia habet ius ad petendum, & vti iure suo, ideò non peccat. Imò tempore necessitatis potest homo petere Sacramentum Eucharistiæ, & alia Sacramenta ab alijs Sacerdotibus, qui non sunt Parochi, nec parati; quia vrgente necessitate, quilibet potest hoc petere, dum nõ adsint alij, qui illa ministrãt. Et in tali casu Sacerdos non peccat, dum non potest obtinere absolutionem ab excommunicatione, dum conatur ad cõtritionem habendam; quia aliàs nullus esset fauor factus fidelibus, quòd scilicèt, possent communicare in diuinis cum ministris excommunicatis toleratis.

3. Tandem potest homo, & aliquando tenetur recipere à ministro nõ tolerato Sacramẽta illa, quę sunt in præcepto, tẽpore necessitatis extremæ. Sunt autem Sacramenta in diuino præcepto, Baptismus pro omnibus, & Eucharistia pro adultis, Sacramentum Pœnitentiæ pro his, qui post Baptismum peccauerunt mortalitèr. Extre-

mæ

mæ Vnctionis verò est necessitas solùm, quando homo est proximus morti; neque habet alium Sacerdotem, à quo possit recipere Sacramentum; quia Ecclesia vel non potest, vel saltèm non debet facere contra præcepta diuina; neque in degradatione habetur oppositum huius expressè, sed solùm dicuntur verba in cōmuni, quod, scilicèt, fideles non recipiunt Sacramenta ab huiusmodi degradatis, quæ verba explicantur extra casum necessitatis.

ARTICVLVS V.

An conueniens sit Sacerdoti omninò à consecratione Eucharistiæ abstinere?

1. R. Non; quia officium propter ministerium, & opus datur, & inordinatè retinetur, si executioni non mandatur. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 82. art. 10.*


2. Imò Sacerdos etiam non curatus peccat mortalitèr, si per totam vitam abstineat à celebratione Missæ; quia omissio actus, celebrationis, in eo, qui habet tale munus, intrinsecè, & ex proprio obiecto est mala, & rationi dissona; & materia talis obligationis est grauis. *ità Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de Sacrificio Missæ & Can. 2. & sess. 23. cap. 14. de Reform. & D. Thom. in 4. dist. 13. quæst. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2.* Verùm non licèt appetere Episcopatum; quia requirit perfectionem, Pontificum enim est ordo. *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 185.* Celebrare autem, quod est quid nobilius, appetere licet; quia hæc licèt sit magna, tamen est communis, & in vsu nō requirit perfectionem, licèt sanctitatem requirat. *ità D. Thom. loco citato.*

3. Rursus est contra ius naturæ, Sacerdotem per totam vitam abstinere à celebratione Missæ; quia contra ius naturæ est, quòd potestas nunquam reducatur ad actum. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 63. art. 4.* Ideò scandalum, quod dat populo Sacerdos, raró celebrando, est peccatum mortale; quia cùm hoc scādalum sit omnium virorum, & prudentum, argumentum enormis conscientiæ. Ità etiam dicimus, quod Diaconus, aut Subdiaconus numquam suum officium exercentes peccant; quia potestas suscepta ab his in susceptione sacri ordinis, non debet esse otiosa. Non tamen videtur esse peccatum mortale; quia cùm non sit tanta necessitas, nec vtilitas in Ecclesia Dei, censetur materia leuis, illa non exercere.

4. Similitèr diuinum præceptum est, quotidiè in Ecclesia celebrare, præterquàm in die Parasceues; quia quotidiè

iure diuino est offerendum. *ita in Canone.* Item Ecclesiasticum præceptum est, vt quotidiè conficiatur hoc Sacramentum in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, & Cõuentualibus; quia est communis cõsuetudo totius Ecclesiæ. *ita cap. Iteratur, de consecrat. dist. 2. & cap. cum creat. de Celebrat.Miss.* Item Parochi tenentur celebrare, vel facere celebrare, quoties populus tenetur audire Missam; quia hic videtur esse quidam virtualis contractus inter ipsos, & proprios Parochianos; nã propter hoc recipiunt redditus.

5. Verùm Sacerdos particularis ter, aut quater in anno in principalibus festis, scilicèt, in Natiuitate Domini, Paschatis, & Pẽtecostes tenetur sub mortali celebrare; quia ita Innocẽtius III. *in cap. Dolentes de celebrat. Miss. præcipit.* Sed si isti non celebrant in principalibus festis, sed alijs diebus ferialibus, ter, vel quater in anno non peccãt mortalisèr; quia ibi Innocentius III. *loco citato.* solùm iniquo animo fert, quosdam fuisse Sacerdotes, qui nec quater in anno celebrarẽt, & non meminit dierum principalium. Probabile est etiam asserere Sacerdotem particularem teneri celebrare illis diebus, quibus consueuerũt deuoti fideles cõmunicare, scilicèt, in sollemnitatibus Domini, idest, in Paschatibus, in principalibus sollemnitatibus Beatæ Virginis, in aliquibus Apostolorum, in die Sanctorum, ita vt celebrẽt duodecim vicibus in anno, securus erit, quòd seruet præsens præceptum; quia ità videtur esse ad mentem S. Tho. *3.p.quæst.82. art.10.in corp.*



DIS-

DISQVISITIO XLVIII.

De indignè sumentibus Eucharistiam.

ARTICVLVS I.

An peccator sumens Corpus Christi Sacramentalitèr, peccet?

1. ℞. Sic; quia Baptismus, & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quę dantur ad tollendam febrem peccati: hoc autem Sacramētum est medicina cōfortatiua, quæ non debet dari, nisi liberatis à febre peccati. *ita D. Tho. 3. p. quæst. 80. art. 4. ad 2.*

2. Verùm sumens Eucharistiam cum peccatis venialibus, quæ ante sumptionem commisit, non peccat propter hoc venialitèr, etiam si nullus præcesserit dolor de illis; quia sanctissimi, & paucissimi sunt, qui non videant se, semper esse in aliquo peccato veniali. Sed si peccatum veniale, sit circumstantia ipsius actus communicandi; vt si quis communicet propter vanam gloriam, vel distractus, peccatum veniale est sic communicare; quia non habere circumstantias debitas, est aliquo modo malus. Ita etiam peccat venialitèr, qui se cōmunicat cū affectu virtuali, licèt non formali ad aliquod peccatum veniale; quia ille affectus videtur aliqualis irreuerentia erga hoc diuinum Sacramentum. Multò plùs peccat venialitèr accedens ad Eucharistiam, cum conscientia multorum peccatorum venialium, sine dolore vllo, aut proposito emendandi vitam; quia iste est aliquo modo indignus, & non satis dijudicat corpus Domini, & ponit obicem aliquibus effectibus huius Sacramenti, non contemnendis, vt remissio venialium, actualis feruor charitatis, & tandèm irreuerentia contra hoc Sacramentum.

3. Absolutè, & per se loquendo est necessaria contritio in illo, qui peccauit mortalitèr post Baptismum, vt dignè accedat ad hoc Sacramentum; quia hoc fuit institutum ad cōferendam secundam gratiam; vel per Sacramentum Pœnitentiæ, per quod ex attrito fit contritus; vel extra Sacramentum

Pœnitentiæ, per contritionem. Per accidens tamen ad consequendum effectum Eucharistiæ sufficit sola attritio supernaturalis, existimata inuincibilitèr contritio. *ita D. Tho. 3. p. quæst. 79. art. 5.* Sed benè potest aliquis esse neuter in suscipienda Eucharistia, ità vt nec iustificatur, nec peccat; quia quando quis inuincibiliter existimat se esse contritum, cùm in re neq; contritus, neq; attritus sit, etiam si iste accedat ad hoc sacramentum, excusatur à peccato propter ignorantiam inuincibilem. Nec iustificatur; quia nulla in re habet sufficientem dispositionem, vt iustificetur; cùm non habeat attritionem veram supernaturalē, vt supponitur. Et talis de facto accedit indignè; secundùm tamen propriam existimationem non accedit indignè; inuincibilitèr enim putat se esse contritum; & sic non peccat; quia propter ignorantiam inuincibilem excusatur à culpa.

4. Vnde temerarium est dicere, non esse præceptum obligans ex genere suo ad mortale de præmittenda Confessione, ante accessum ad Eucharistiā; quia potestas ministris data est à Canone expellēdi indignos ab hac mensa & non possunt hoc facere, nisi cognoscant indignitatem, media Confessione suscepta, vel non suscepta. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. de Doctrina Eucharistiæ & Can. 11. & D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4. & quodlib. 1. art. 11. & 1. Corinth. cap. 11. lect. 7.* Et hoc præceptum non tantùm est Ecclesiasticum; quia hic mos in Ecclesia à Christo per Apostolos sanctos deriuatus creditur, cùm sēper fuerit. Sed hoc præceptum nō ordinatur ad illam ex natura rei; quia De' potuit ordinare, quòd homo accederet ad hoc sacramentum sine Confessione, sed quòd accederet cum contritione & debita reuerentia. Sed benè est præceptum diuinum positiuum; quia lex ista, talis est, vt in ea dispensare non possit Papa; quamuis possit interpretari, An in tali necessitate obliget? nec ne. Tamen supposita obligatione, non potest in ea dispēsare; neque hoc vnquàm visum est in Ecclesia. *ita Concil. Trid. loco citato.* Et ideò Christus dedit præceptum de non suscipienda Eucharistia sine præuia Cōfessione; de alijs verò Sacramentis non item; quia hoc est excellētissimum, & finis aliorum ad quod specialitèr ordinantur, & Pœnitētia, sicut principium ad finem.

5. Et licèt contritio per se solam, possit purificare animā, tamen requiritur ex præcepto diuino sacramentalis Confessio, ad suscipiendam Eucharistiam; quia nullus admittendus est ad mensam cœlestē, nisi sit pro-

probatus dignus per ministros ipsius Ecclesiæ, & Christi per Sacramentalem Confessionem. Interdùm tamen licere ei, qui peccauit mortalitèr sine prævia Confessione Eucharistiam accipere; quia hoc præceptum diuinum est, positiuum, quod natura eius est, vt obliget semper, nō tamen pro semper; nam possūt occurrere tales circumstantiæ, vt interdùm, & pro tūc non obligent. *Ità Concil. Trid. loco citato & D. Thodoco citato.*

6. Verùm si quis habeat præsentem Sacerdotem, cui potest integrè, & legitimè confiteri; de propinquo tamen alium expectet, cui solet deuotiùs confiteri; hæc non est sufficiens causa ad differendam Confessionē, si communicare, vel sacrum facere necesse sit; & sic peccaret mortalitèr, prætermittendo Confessionem Sacramentalem ante Communionem; quia vt sic, non potest dici deesse copiā Confessoris; cùm præsto sit aliquis sufficiens, absq; morali graui incommodo. Neque Religiosus, si valet confitèri Sacerdoti Laico, potest differre Cōfessionem, si est necesse communicare, vel sacrum facere, vt more suo posteà intra Religionem confiteatur; quia Laicus Sacerdos est sufficiens minister ad confessionem Religiosi audiendam sine graui incommodo, vel Religiosi, vel Religionis per se loquendo.

7. Sed non tenetur Confessionem præmittere, qui timet cum Sacerdotem, qui solus adest, qui possit Confessionem audire, nō obseruaturum sigillum, aut grauem aliquam iniuriam sibi illaturum, audita Confessione: si vrget grauis necessitas communicandi, vel sacrum faciendi; quia vrget necessitas omittendi eam, si ex alia parte esset scandalum, nō communicare, vel sacrum facere, dummodò cōteratur ante Cōmunionem. Ità etiam, si vrget grauis necessitas communicandi, vel sacrum faciendi, habet multa peccata mortalia, & solùm de vno habet probabile periculum, quod Sacerdos præsēs reuelabit, tenetur ante Cōmunionem omnia alia confiteri, & illud solum tacere; quia tunc dicitur facere Confessionem integram formalem, licèt materialitèr, & per accidens non sit integra.

8. Item sacerdos celebraturus, si habet peccata mortalia non reseruata, & aliqua reseruata, tenetur confiteri, si adest copia Confessoris habentis solam facultatem communem absoluendi à nō reseruatis; quia in isto casu ex iusta causa potest à Confessore habēte facultatem communem, directè absolui à peccatis non reseruatis, & indirectè à reseruatis, cum

proposito comparendi coram superiore habente facultatem absoluendi à reseruatis, quam primùm cōmodè poterit. Nec obstat, quòd bis tunc confitetur idem peccatum; quia illud onus confitendi iterùm idem peccatum, nullius momenti est, vt excusari possit ab obligatione huius diuini præcepti, prætermittendi Confessionem ante Communionem. Et si vnum solum peccatum mortale habeat, ex cuius Cōfessione timet periculum; potest confiteri de venialibus, sed non tenetur, ex vi huius præcepti, prætermittere Confessionem ante communionem; quia vi huius præcepti obligatur homo ad Confessionem omnium peccatorū mortalium, & ob periculum tunc non obligatur.

9. Et talis peccator, si probabilem existimationem haberet, se non esse contritum, sed tantùm attritum, tenetur tunc confiteri de venialibus, & indirectè absolueretur de peccato, quod non obligatur confiteri ob periculum probabile grauis incōmodi; quia irreligiosè, & indignè suscipere, vel ministrare Sacramenta, continet irreuerētiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licèt Sacramenta secundùm se ipsa incontaminabilia sint. Ita D. Th. 3. p. quæst. ...

10. Tandem Concil. Trid. *sess. 13. cap. 7.* hanc constituit regulam generalem, quando aliquis potest diuinum hoc Sacramentum suscipere, non præuia Confessione; scilicèt, quando non est copia Confessoris, & vrget necessitas communicādi. Et tunc cēsendum est aliquem non habere copiam Confessoris, & vrget necessitas communicandi, quando non habet sufficientem Confessorem. Insufficiens Confessor est ille, qui non est expositus, licèt possit in articulo mortis, in alijs casib⁹ minimè; quia cū nō si expositus ab ordinario loci, nullam habet potostatem iurisdictionis ordinariam, neq; delegatam. Itē dicitur insufficiens, quando probabilitèr timetur de illo, quòd reuelabit crimen auditum in Confessione; quia tunc ita se habet res, ac si nullus esset Cōfessor, moralitèr loquendo. Et quando Confessor sufficiēs est distans per vnam leucam, siue per milliarium, siue duo milliaria, non dicitur sacerdos moralitèr absēs pro audiēdis Confessionibus; quia qui tenetur ex necessitate celebrare, surgere debet manè, & proficisci ad alterum, & reuerti ad celebrandum. Quandò verò distantia est maior, secundùm prudentum virorum arbitrium est iudicandū; præcipuè si habeat vel possit habere iumentum.

AR-

ARTICVLVS II.

Quænam sit necessitas vrgens, quæ excusat prætermittere Confessionem, ante Communionem?

1. R. Rem esse magni ponderis, & existimationis, & in materia grauissima, prudentũ vero, arbitrio standũ esse; qa difficile est iudicare in particulari, quando necessitas hæc sit grauis satis; nàm hoc iudicare, pẽdet multũ ex circumstantijs.

2. Periculum mortis excusat eum, qui suscipit hoc Sacramẽtum à pręmittenda Confessione Sacramentali, si ipse sit Sacerdos, vel Laicus, & hostia sit consecrata; & non adsit alius Sacerdos, sed solùm Diaconus, qui ministrat; quia hæc arbitrio prudentum est necessitas, & magna, & maximè propria. Itẽ potest Sacerdos peccator, quãdo non adest copia Confessoris, ad communicandum infirmum constitutum in articulo mortis, si per internum animi motum conteratur; vel probabilitèr existimet se esse contritum; quia necessitas grauis est, & spiritualis, & propter vnionem & obligationem charitatis, vt propria reputanda est. Itẽ non tenetur Confessionem pręmittere, qui caret copia Confessoris approbati, & si approbati, sint excommunicati vitandi; quia non est verisimile, præceptum positiuum cum tanto rigore, & detrimento obligare. ex D. Tho. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad 2.

3. At ille, qui tenetur in Paschate cõmunicare, nõ posse sine præmissa peccatorũ mortaliũ confessione; quia præceptũ diuinum præmittendæ confessionis præualet præcepto Ecclesiastico communicandi in Paschate, nisi immineret probabilitèr sibi graue scandalum, aut infamia, si non communicaret in Paschate. Multò minus qui ob deuotionem solùm communicat habens mortalia; quia nõ præsumitur tunc adesse vrgentem necessitatem communicandi. Maximè præceptum diuinum præualet actui, qui non est in præcepto. Neque simplex Sacerdos, deficiẽte copia confessoris, potest celebrare sola contritione pręuia, prætermissa cõfessione, dũ iter faciẽs, celebrat propter Missam pręcepti, quã tenetur audire, si est conscius culpę lethalis; quia præceptum audiendi Missam est Ecclesiasticum; hoc est diuinum. Benè tamen potest Parochus non habens copiã confessoris, prætermissa confessione, præuia tamen contritione, celebrare in die festo, ne Parochiani careant Missa; quia in isto casu videtur adesse grauis necessitas celebrandi, vt Parochus satisfaciat proprio officio, quo

quo tenetur curare, vt Parochiani nõ careant sacro in diebus festiuis. Dummodo commodè non possit ad vicinum Curatum ante Missam se conferre; quia si posset, à graui culpa non excusaretur.

4. Similitèr Sacerdos, qui post inchoatam Missam post consecrationem meminit alterius peccati mortalis, progrediendum est ad communionẽ sine confessione, cum sola interiori pœnitentia, licèt facilè, & sine vllo scandalo posset Sacerdotem ad Altare vocare, & cõfiteri; nec tenetur, nec debet id facere; quia non decet sacrificium iã substantialitèr inchoatum interrumpere. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad 2.* Et si talis non sperat posse ad contritionem sine confessione Sacramentali peruenire; si facilè, & sine scandalo posset vocare Sacerdotem, & confiteri, tenetur ante communionem præmittere confessionem Sacramentalem; quia minor videtur irreuerentia interrumpere sacrificium post consecrationem, quàm communicare in peccato mortali: Si hæc memoria mortalis euenit ante consecrationem, potest, si facilè, & sine scandalo ad Altare vocare cõfessorem; quia illa prior pars Missæ est extrinseca sacrificatio; & ideò sine indecentia interrumpi potest. Si verò meminit antequàm Missam inchoet, debet confessionem præmittere, etiam si oporteat exui vestibus sacris, vt Sacerdotem adeat, dum non adest scandalum, vel aliquod graue incommodum; quia cùm actio Sacrificij non sit inchoata, nulla est rationabilis ratio communicandi sine cõfessione, ex vi hujus causæ, seù capitis. Et si post inchoatã Missam non potest ad Altare vocare confessorem, non tenetur inde descendere, etiam si fieri possit sine scandalo; quia censetur maxima iniuria inferri sacrificio, si Sacerdos, inchoata Missa, descenderet ex Altari. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad 2.*

5. Verùm Sacerdos excommunicatus, ratione vitandi scãdalum, non præmissa confessione Sacramentali, potest celebrare; quia si causa vitandi scandalum, Sacerdos tenetur incæptam Missam perficere, ac & eadem ratione, poterit illam incipere, & perficere. *ita D. Thom. loco citato.* Sed sola verecundia, in causa esse nõ potest, communicandi absq; confessione Sacramentali; quia propter verecundiam nemo excusatur; quando prælatus cui debet confiteri, doctus, & probus sit. Si tamen Prælatus esset tyrannus, à quo timetur, vel diuulgatio confessionis, vel aliud graue malum, & hoc probabilitèr,

litèr, & non pateret accessus ad alium Superiorem; si vrgeret necessitas communicandi, absoluitur tunc subditus ab eius obedientia in ea re; & si adest Confessor habens facultatem communem, posset ei confiteri, & absolui, cum proposito adeundi habentem facultatem ab illo casu reseruato absoluēdi, vt directè ab illo absolueretur: interim autem posset communicare, si non communicādo, timeretur graue scandalū, vel grauis infamia incurreretur. Sed si adest Sacerdos, cui potest confiteri ex priuilegio, tenetur huic confiteri, si vrget necessitas communicandi, ne sine confessione, Sacramentū Eucharistiæ susciperet; quia talis communicaturus habet præsentem Sacerdotem sufficientem.

Rursus Laicus, qui iàm accessit ad linteum cum alijs, cōmunionis gratia, si recordetur alicuius mortalis obliti, non tenetur recedere, & statim adire confessorem; quia se exponeret probabili periculo infamiæ, indicando alijs, se habere consciētiam alicuius peccati mortalis; cùm peccatum veniale non impediat sumptionē Eucharistiæ. Præcisa tamen nota infamiæ, & scandalo, tenetur tunc adire confessorem; quia non inuenitur iusta causa prætermittendi confessionem. Etiā si ante communionem præmisit confessionem Sacramentalem formalitèr integram omnium quæ memoriæ occurrūt, & posteà communicaturus recordatur alicuius peccati non confessi, per se loquendo, tenetur, si sine nota infamiæ, & scandalo adire confessorem, priusquàm communicet; & non satis est pœnitentia interna de illo, & propositum confitendi illud suo tempore; quia præceptum diuinum de præmittenda cōfessione Sacramētali, non tantùm obligat ad cōfitendum ante communionē, sed simplicitèr ad confitendum omnia peccata mortalia, & subijciendum ea clauibus Ecclesiæ, priusquàm ad communionē accedatur: nàm tunc absolutè non subijcit omnia peccata sua clauibus Ecclesiæ; cum necesse sit esse latū de illo iudiciū in Sacramētali foro Pœnitētiæ. Et si nō potest adire confessorem ante saltèm inchoatā Missam, tenetur elicere actum contritionis; quia tenetur ante communionem peccata subijcere clauibus Ecclesiæ: & dū non potest adire confessorem propter infamiam, actualiter conteratur internè; nā ad impletionem huius præcepti non sufficit virtualis detestatio, sed actualis, quæ fit per actualem contritionem.

7. Similitèr dùm Sacerdos est

est in Altari, non est concedens, vt qui communicaturi sunt, in conspectu plebis illa peccata, quorum sunt obliti in Confessione, illic confiteantur, sed communionem tenentur differre, si sine nota infamiæ possunt; quia locus ille non est aptus adhoc munus, & non est condecens, vt Confessio fiat in Altari.

8. Item qui præmisso examine conscientiæ, credit se esse in statu gratię, cùm re vera mortale habet, si actum attritionis supernaturalis ante cõmunionem eliciat, fructum, & effectũ huius Sacramenti recipit; quia talis non ponit obicem ad gratiam; fit.n.ex vi Sacramẽti ex attrito contritus. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 79. art.3. in corp.* Tamen dubitans, se mortalitèr peccasse, vel habere, & magis ad hoc propendeat; quamuis habeat suspicionẽ in oppositum, tunc tenetur confiteri ante sumptionem Eucharistiæ; quia peccata mortalia dubia sunt materia necessaria Confessionis; cùm in dubio iudicandum sit in fauorem conscientiæ. *ità D. Tho. 3.p. quæst.79.art 3. in corp.* Imò tenetur confiteri, si æquales habeat coniecturas probabiles in contrarium, non declinans practicè magis in vnam partem, quàm in aliã; quia lex quantumcunq; pœnalis, & odiosa sit, est amplectẽda, quando est in animarum fauorem ad vitanda peccata. *ità D.Thom.in 4.dist.22.quæst.2.art.3. ad 3.* Sed quãdo probabilitèr iudicat vnã partẽ, non peccasse, vel circumstantias non confitẽdas; & de alia parte habet suspicionem, vel formidinem, tantùm, non tenetur confiteri; quia potest quis licitè operari, sequẽdo probabilem sententiam.

9. Veriùs tamen, & securiùs est confiteri; quia vsus Ecclesię, ità videtur hoc Confessionis præceptum; cùm ex Concil. Trid *sess.13.cap.7.* habetur, quòd priusquàm communicet, quòd præmittat Confessionem de illo peccato, quod suspicatur, & timet non esse confessum. Multò magis constitutus in articulo mortis; licèt de opposito habeat probabile iudicium; quia quamuis excuset opinio probabilis pœnitentem à culpa, nõ tamen supplet necessarium medium remissioni peccatorum, si fortè hoc peccatum, de quo habetur suspicio, vel timor, vel formido, fuit coram Deo mortale, vel non confessum.

ARTICVLVS III.

An existens in peccato mortali, & communicans sine Confessione, vel cõtritione, committat duplex peccatum lethale?

1. ℞. Sic, quia peccat tunc contra duo prę-

præcepta, vnum, scilicèt, omissionis; quia nõ confitetur, quãdo tenetur: Et alterum commissionis; quia communicat in peccato mortali. Tamẽ si cõfessio tunc temporis, obligabat solùm per ordinem ad cõmunionem, qui suscipit Eucharistiam sine Confessione, vnum tantùm mortale committit; quia vbi est vnum præceptum propter aliud, ibi est vnum tantùm. Et si talis est aliqua excommunicatione irretitus, duplex peccatum cõmittit; quia sunt duæ obligationes distinctæ rationis, & vtraq; circumstantia est explicanda in Confessione.

2. Verùm si tantùm attendamus ad ius diuinum, Sacerdos celebrans cum peccato, non tenetur statim, habita opportunitate, confiteri; quia præceptum Confessionis est affirmatiuum, obligans tantùm tempore necessitatis, & necessitas Confessionis est transacta. Neq; statim conteri, vel confiteri, qui ministrat Sacramenta in peccato mortali sine contritione, transacto ministerio; quia præceptũ Confessionis obligat pro tunc, vt dignè, & sanctè exerceat tale ministerium.

3. Vnde Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. præcepit, vt Sacerdos, si necessitate vrgente absq; præuia Confessione celebrauit, quam primùm postea cõfiteatur; ideò præcepto Ecclesiastico tenetur cõfiteri. Et ly *quamprimum*, idest, tẽpore suo ante aliam celebrationem non est vera explicatio; quia præceptum Concil. ad nihil obligaret; cùm talis necessariò ante aliam celebrationem iure diuino teneatur confiteri propter scientiam peccati mortalis. Neq; ly *quam primum*, intelligendum est, illicò; quia videtur intelligentia nimis stricta, & rigorosa. Sed satis benè explicatur, scilicèt, *quamprimum*, idest intra triduum; quia *ità in leg. final. cap. de erron. aduocat. & cap. de iudiciis.*

4. Hoc autem præceptum Concil. non extenditur ad Laicos; quia præceptum Concil. tantùm mentionem facit Sacerdotum, & non Laicorum. Neq; vi huius præcepti tenetur *quamprimùm* confiteri Sacerdos, qui ex malitia, vel negligentia non confessus celebrat; quia Cõcil. Trid. non exprimit Sacerdotem ex malitia celebrantem; ideò talis non obstringitur huic præcepto formali.

5. Benè tamen tenetur *quãprimùm* confiteri vi præcepti, si Sacerdos post consecrationem, ante tamen sumptionem, recordatur, vel commiserit aliquod mortale; quia tunc dicitur celebrare, & communicare, vrgẽte necessitate sine præmissa Confessione. Ità etiã tenetur *quamprimùm* confiteri, si vrgente necessitate facit officium in die

Parasceues cum peccato, licèt non consecret, neq; sacrificet: quia satis est, vt Sacerdos ligetur hoc præcepto, quod sollemni ritu Ecclesiæ, & vt minister publicus cōsummet sacrificiū, seù Sacramētum. Idèm est etiā de eo Sacerdote, qui assumitur ad complendum, & consummandum sacrificium ab alio inchoatum; quia hæc actio, est propria Sacerdotis, & sub nomine celebrationis meritò cōprehenditur iuxta communem vsum, & sensum huius vocis. Non verò Sacerdos, qui more Laicorum communicat non sacrificās, tenetur hac lege Cōc. Trident. quia ibi loquitur solùm de Sacerdote celebrante. Neq; qui solùm propter obliuionem celebrat, & communicat absque Confessione præmissa, vi præcepti non tenetur posteà *quamprimùm* confiteri; quia Concil. præcepit, vrgente necessitate, & obliuio non est vrgens necessitas.

6. Tandèm Sacerdos habēs conscientiam peccati mortalis, vrgente necessitatè celebrans absque præuia Confessione, si inter se conteratur, cōsequitur gratiam Sacramentalem; quia D. Thom. *3. p. quæst. 83. art. 6.* dicit, quòd talis non indignè, sed fructuosè sumit sacramentū. Et stādo solū in iure diuino, sat est q̄ talis internè conteratur, non tamen tenetur vi q̄ habeat propositum, post celebrationem *quamprimùm* confiteri; quia præceptum diuinum præmittendi Confessionem Sacramentalem est affirmatiuum, & solùm præcipit Confessionē, & dispositionem ad communionem, seù ratione Eucharistiæ sumendæ. Tamen iure Ecclesiastico tenetur habere hoc propositū, saltèm virtuale, *quamprimùm* cōfitendi; quia præceptum Cōcil. Trid. est positum pro Sacerdotibus celebrantibus, vrgente necessitate, absque præuia Cōfessione.

ARTICVLVS IV.

An Eucharistiam sumere in mortali sit Sacrilegium?

1. R. Sic; quia hoc Sacramentum est res maximè sacra, cui ex virtute Religionis proprius cultus, & reuerentia debetur.

2. Verùm ex genere suo nō est tàm graue, sicut hæresis, desperatio, aut odium Dei; quia hæc sunt Dei immediatius, & attingunt Diuinitatem, quā indignè susceptio Corporis Christi. *ita D. Tho. 3. p. q. 80. art. 5.* Neq; hoc peccatum in specie sua est maximum omnium, quæ Religioni opponuntur, sed in tertio gradu, seù ordine constitui potest; quia iniuria, quæ irrogatur Deo, illum blasphemando, & in

& in propria specie, maior est, quàm in aliena. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 4. in corp.* Benè tamen grauiùs est peccatis, quæ contra creaturas perpetrantur, loquendo ex genere suo; quia quantò persona offensa, siuè peccati obiectum sit nobilius, tantò peccatum ex ea parte, per se loquendo, & ex genere suo, est deterius; sed humanitas Christi, licèt in aliena specie sub speciebus Sacramentalibus, est dignior quacunque creatura.

3. Nota, quòd inter peccata, quæ Religioni opponuntur, in primo gradu sunt, quę contra Deum secundùm se, seù contra Diuinitatem eius; quia quò excellentior est Diuinitas cęteris rebus, eò iniuria illi facta, est grauior, & huiusmodi est blasphemia, periurium &c. In secundo gradu sunt peccata contra humanitatem Christi, vt in propria specie existit; quia illa proximè est coniuncta Deo. In tertio gradv est peccatum sacrilegij contra hoc Sacramentum; quia in ipso realitèr, & substantialitèr Christus cōtinetur; quãuis in altera specie.

4. Sed omnes indignè sumẽtes Eucharistiam, non æqualitèr peccant; quia vnus indignè accedit, sed timet, & veretur sua peccata confiteri; alter verò indignè accedit; quia suam conscientiam negligit, & gratiam Sacramentalem cōtemnit. Grauius tamen peccatum est, accedere grauioribus peccatis, quàm cum leuioribus; quia maiorem irreuerentiam infert Eucharistiæ, & est indignior. Quamuis ratione scandali, vel alterius circumstantiæ accedere possit è conuerso, vt grauiùs peccet accedens ad hoc Sacramentum, qui minora habet peccata.

5. Rursus accedere ad Eucharistiam in peccato mortali, est grauiùs peccatum peccato homicidij; quia quantò persona offensa, siue obiectum est nobilius, tantò peccatum ex ea causa, & secundùm suam speciem, est grauius, & deterius. Tamen ex parte circumstantię grauius est homicidium, quàm indignè accedere; quia personæ Christi nullum de facto infertur nocumentum. Quamùis secundùm rationem genericam, & specificam, & ratione irreuerentiæ, grauius sit peccatum, indignè accedere; quia homicida inhonorat hominem, hic autem Deum.

6. Probabile est etiam asserere homicidium esse grauius, etiam secundum speciem athomam, quàm communicare in peccato mortali; ità vt non fiat transitus ex intentione irrogandi iniuriam huic Sacramẽto; quia accedere, & sumere Eucharistiam; vel timore, vel

infirmitate in mortali; quia timet, & veretur, semper in indiuiduo minùs graue peccatũ est, quàm iniustè hominem occidere; cùm homicidium inferat magnum nocumentum proximo.

7. Sed, vt sic, grauiùs peccat, qui proijcit Corpus Christi in lutum, vel sterquilinium, quàm occidere hominem; quia talis formalitèr, & intentione, infert grauissimam iniuriam infinitæ personæ Christi verè, & realiter existentis, licèt in aliena specie sub speciebus Sacramentalibus; & occidens hominem infert damnum personæ creatæ. Et talis grauiùs peccaret, quàm cum mortali accederet; quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam inferendi huic Sacramento, quod non intendit peccator indignè accedendo. Tamen sciens execrabiliorem esse Deo spiritualem immunditiam, quàm secretò, & absque scandalo hoc Sacramentum proijceret in lutum, grauiùs peccaret ille, quàm iste; quia receptaculum animæ peccatricis est indigniùs, viliùs, & execrabiliùs, per se loquendo, quàm sterquilinium.

8. Verùm peccatoribus publicis, petentibus Eucharistiam non est exhibendum; quia vniuersaliter in omni materia, est contra ius naturæ admittere indignos ad quæcunque beneficia. Imò, ex eo, quòd admittantur ad illum, irrogatur iniuria Sacramento; quia confertur indignis. *ità cap. pro dilectione tua dist. 2. de consecrat. & D. Tho. 3. p. quæst. 80. art. 3.*

9. Publicus peccator est, qui damnatus est per sententiam in iudicio de vsura, simonia, &c. vel qui confessus est in iudicio crimen, ante iudicis sententiam; vel cuius delictum est manifestum, vt nulla tergiuersatione celari possit, vt meretrix in lupanari existens, vel domi concubinam habẽs. Item peccatum publicum scitum in Parochia. Itẽ delictũ in foro in dimidio diei factũ, licèt non videatur, nisi à quatuor, vel quinque hominibus. *ita D. Tho. 3. p. quæst. 82. art. 9. ad 3.*

10. Rursùs peccatores publici, etiamsi egerint pœnitentiam secretam, non sunt admittendi ad Eucharistiam; quia minister Eucharistiæ coram Deo, & hominibus, debet dignè diuinum hoc Sacramentum ministrare. *ità cap. si peccauerit 2. quæst. 1. & cap. Scenicis de Consecrat. dist. 2.* Neque publico peccatori, etiam occultè petenti Eucharistiã, est danda; quia iste neque in re ipsa, neque externa specie, habet ius petendi, cùm eius status sit manifestus.

Tamen in periculo mortis constitutus, satis est, vt pro tem-

temporis opportunitate, & necessitate, vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat, vt ei Eucharistia conferatur; quia tunc temporis propter periculum, & vrgentem necessitatem, non est maior diligentia exigenda, quàm commodè exhiberi possit. Sed necesse est, vt publicam satisfactionem exhibeat, saltèm vt eius dispositio, ac conuersio publica, & manifesta sit; quia hoc sufficit ad tollendum scandalum, & licitè, & absque scandalo poterit illi ministrari.

ARTICVLVS V.

An peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam, à proprio Parocho sit deneganda?

1. R. Non; quia cũ peccatum eius sit occultum, esset infamare illum, quod intrinsecè est malum. *ita in cap. si tantùm & in cap. Placuit 6. q. 2. & in cap. si Sacerdos de officio Ordinarij & D. Thom. 3. p. quaest. 80. art. 6.* Benè tamen negari potest à Sacerdote non proprio; quia sine scandalo, & infamia potest assignare ei sufficientem rationem ad non tribuendum, idest. *Nolo, cùm non sim tuus Parochus.* Sed si talis Sacerdos est paratus ad tribuendum, & talis peccator venit cum alijs ad communicandum, non potest negare Eucharistiam; quia tunc sequeretur manifestè scandalum, & infamia. *ita D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. in corp.*

2. Neque licet occulto peccatori publicè petenti Eucharistiam, vt suo honori, & famæ consulat, hostiam non consecratam porrigere; quia talis quãtùm in se est, facit idolatrare præsentes. *ita D. Thom. 3. p. quaest. 80. art. 6. ad 2.* Probabile est in graui euentu, vbi grande periculum imminet abstinere à communione peccatori occulto, licitum esse, hostiam non consecratam ei porrigere: si tamen proponatur hostia consecrata adoranda, & à tergo post illam, non consecrata apponatur ex consensu eiusdem peccatoris, ità vt nec videatur, nec adoretur: atque hoc fiat ex consilio, & scientia peccatoris, ne adoret hostiam non consecratam, & vt peccatum, periculum vitet; quia tunc Sacerdos non faceret idolatrare ipsũ peccatorẽ, neq; præsentes.

3. Similitèr peccatori occulto occultè petenti Eucharistiã, est deneganda, etiam si sit tempus præcepti communicandi; quia tunc nullum sequitur scandalum, vel infamia, & nulla ratio reperiri potest, quare conferatur peccatori Eucharistia. Imò proprius Parochus, qui ex officio tenetur ei ministrare Sacramentum potest denegare; *quia ita Concil. Vuesense cap. 8. & babe-*

habetur 6. quæst. 2. si tamen & D. Thom. 3.p.quæst.8.art.6.in corp.

4. Verùm excommunicatus occultus, & soli Sacerdoti notus, non potest à publica Eucharistię receptione reijci; quia decisum est à Clement. III *in cap. cùm non ab homine.* Secus coram his, qui sciunt crimen, etiã si crimen non sit publicum, quia non est magis publica negatio, quàm delictũ. Ideò medicus corporalis nequit cõferre medicinam nociuam infirmo; quia tantùm respicit ad bonum corporale, quod in salubri medicina consequitur. At medicus spiritualis, qui absolutè tenetur respicere ad bonam famam, potest licitè conferre farmacum spirituale Eucharistiæ peccatori occulto publicè petenti; quia peccator occultus in foro exteriori habet ius ad publicè petendũ Sacramentum, ne scandalum suboriatur, & vt infamia petentis euitetur. Maximè non potest negare Sacramentum, quando per solam confessionem cognouit peccatum; quia confessor non scit peccatũ, vt homo, sed vt Deus. Nec obstat dictum D. Thom. *in 4. dist.9.quæst.1.art.5.* dicentis peccatori occulto petenti Eucharistiam, posse negari hoc Sacramentum; quia ibi non loquitur in speciali de scientia confessionis; cùm non vt homo scit, sed vt Deus, & ita explicandus est textus. *cap. Placuit. q. 2.*

5. Item peccator petens Eucharistiam ad irridendum hoc Sacramentum, etiam occultè, est deneganda; quia est iniuria extrinseca, quæ debet vitari, etiã quando fit in occulto. Et licèt per sacrilegam, & satanicam conculcationem Eucharistiæ non sequatur de facto nocumentum aliquod ipsi Christo, tamen ipsa actio ad hoc tendit secundùm se; quia qui conculcat imaginem alterius, intendit ipsum dehonorare. Ideò per se loquendo, maius præiudicium infertur aliquo modo Christo per conculcationem Eucharistiæ, quàm eam suscipere in mortali; quia conculcatio est irreuerentia de se manifesta contra iustitiam commutatiuã; in susceptione verò est interior contra virtutem Religionis, & maius præiudiciũ infertur Christo per conculcationem. Similitèr neq; licere dare alicui Eucharistiam in probationem, seù probationẽ suspicionis criminis; quia hoc est tentare Deũ, & est prohibitum in iure *cap. ex suarum de purgat. canon. & in cap. consulnisti. & cap. minas. 2. q. 5.* Vnde tentatio Dei, secundùm S. Thom. 2.2. *quæst.97.art.* 1. est irreligiositas quædam, per quã ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, vt veritate, potentia, scientia, &c. sumitur experimen-

rimentum cum verbis, vel factis; an Deus perfectionem habeat, nec ne? & dicitur irreligiositas; quia vitium hoc Religioni opponitur, nam dubitare de diuina excellentia pertinet ad Dei irreuerentiam.

6. Nota, quod tentare Deũ, dupliciter sumi potest. Primò, quando quis formalitèr, & ex intentione tentat Deum, nimirum quando expresè dubitat de aliqua Dei perfectione, aliquid facit, illius animo experiẽdi, & hoc est ex genere suo peccatum mortale; quia dubitare de diuina excellentia, pertinet ad contemptum, & dicit magnam irreuerentiam erga Deum. Secundò, interpretatiuè, & implicitè est, quando nõ expresè dubitat, nec experimentum sumit, sed id petit, & agit ad experiendam diuinam perfectionem, & hoc opponitur virtuti Religionis; quia est irreuerentia imprudentèr expectare auxilium Dei. *ita D. Tho. 2.2. quæst. 97. art. 1.*

7. Similiter ex genere suo peccatum mortale est tentare Deum ex sola curiositate procedente, quia notabilis irreuerentia est, agere cum Deo, tamquàm cum ludione, & curiositatum fautore. Aliquando tẽtatio Dei ex curiositate procedens, est peccatum veniale; quia ratione ignorantiæ non crassæ inconsiderationis, vel ratione exiguitatis materiæ nõ fit grauis irreuerentia Deo.

8. Tamen si iusta causa suppetit, petendi rem, aliquam mirabilem, aut miraculum à Deo, nullum est peccatum; quia tunc non est tẽtatio Dei; cùm non procedat ex dubitatione, neque ex vana curiositate. Iusta autem causa excusans à culpa, petentem aliquod mirabile, aut miraculũ à Deo; primò est diuina inspiratio, vt quando Abraham petijt signũ à Deo, vnde sciuit semen suum possessurum terram Chanaan. Secundò est necessitas, vt infidelis bona mente si petat miraculum, vt sciat, quæ doctrina; vel an hæc sit à Deo. Sed nullo modo Corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem, & ad purgandam suspicionem delicti, vt sumendo Eucharistiam aliquo signo, vel miraculo, & hoc modo est explorare delictum alterius, quod est peccatum, & prohibitum. *cap. ex tuarum de purg. & D. Tho. 3. p. quæst. 80. art. 6. ad 3.* Vel hæc probatio, & exploratio criminis per modum cuiusdam iuramenti, & tunc ex natura rei non est intrinsecè mala sumptio Eucharistiæ; quia iuramentum etiam est res sacra, & tamen illo vtitur ad confitendam veritatem, & purgandum delictum. *ita D. Thom. in 4. dist. 9. quæst. 1. ad 3.*

9. Ve-

9. Verùm hoc neq; est licitum vti susceptione Eucharistiæ per modum cuiusdam iuramenti ad probationem, seù purgationem alicuius delicti, cogendo eos, de quibus suspicatur; quia vsu, & consuetudine est omninò abrogatus hic modus, tamquàm illicitus; cū sit expositus multis sacrilegijs. Consequentèr grauitèr peccare maritos, qui vxores cogunt ad susceptionem Eucharistiæ, per modum cuiusdam iuramēti, vt se purget à suspicione Adulterij; quia exponunt illas periculo committendi maximum sacrilegium, indignè sumendo eam. Et superiores grauissimè delinquunt, qui hoc modo volunt subditorum occulta delicta inquirere; quia non habent ius hoc modo præcipiendi, aut eo modo inquirendi delictum. Sed si quis voluntate sua hoc medio communicandi vtitur ad ostendendam suam innocentiam, id neque per se est malum, neque omninò inusitatum; quia iuramentum est res sacra, & tamen illo vtitur ad confirmandam veritatem, & purgandum delictum: & Gregorius VII. hoc fecit coram Henrico IV. in purgatione suæ innocentiæ.

ARTICVLVS VI.

An per suspicionem temerariam criminis etiam grauissimi, Eucharistia sit deneganda?

1. R. Non; quia suspicio temeraria nullo probabili fundamento nititur.

2. Nota quòd D. Thom. *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 2.* asserit triplicem esse suspicionem. Quædam violenta, ad cuius contrarium non admittitur probatio, sicut si inueniatur solus cum sola, nudus in lecto, loco secreto, & tempore apto ad commistionem. Alia est suspicio probabilis, sicut si inueniatur solus cū sola colloquēs in locis suspectis, & frequenter. Tertia est suspicio præsumptuosa, seù temeraria, quæ ex leui coniectura ortum habet; & propter hanc non debet denegari Sacramentum petenti. Neque est deneganda, quando aliquis suspicioni probabili laborat de commisso crimine; quia pœna non infligitur, vbi culpa ignoratur, sed delictum dubium ignoratur esse commissum. *ita D. Tho. loco citato.*

3. Benè tamen violenta suspicio est sufficiens causa denegandi; quia innititur talibus signis, & indicijs, quæ licèt nō faciant euidentiam in se, tamen faciunt probabilitatem moralē; cùm


cùm in contrarium nihil sit, quod excuset, aut suspicionem eneruet. *ita D. Thom. locò citato.* Maximè si procedat ex fama publica; quia sic reddit suspectum de crimine, publicum peccatorem. Secùs si sit occultus, in publico non est deneganda; quia occultus peccator habet in perceptione Eucharistiæ ius in publico; non tamen in occulto; quia quando petit occultè non diffamatur. *ita D. Thom. loco citato.*

4. Sed si talis ex fama publica existat in articulo mortis petenti non est deneganda, si neget delictum, & alioquin præbeat signa bonæ dispositionis; quia periculum mortis, & signa illa bonę dispositionis eneruat suspicionem de crimine. Secùs conferendum est in vno loco, peccanti in alio loco peccatum publicum, si moralitèr creditur, quod peccatum illius manifestabitur, & constet Sacerdoti, peccatorem non esse emendatum; quia talis tunc non diffamatur, cùm potiùs moralitèr loquendo, iàm ipse est infamis; nàm in proximo est, vt diffametur. Sest est danda, si moralitèr creditur, quod aliàs non manifestabitur delictum in illo loco, in quo publicè petitur, etiam si peccatum in loco commissum, sit publicum per publicam sententiam, & etiam constet Sacerdoti, illum non fuisse emendatum; quia ibi talis non est, nec futurus infamis, & saltèm secũdùm ragulas charitatis habet ius ad suam famam.

5. Vnde qui diffamatus in vno loco, siue de facto, siue de iure sit, in alio diffamat, in quo probabilitèr propter locorum commercium, & propinquitatem, infamia est diuulganda, nec peccat mortalitèr, nec ad restitutionem famæ tenetur; quia in moralibus, quod parùm distat, quasi nihil distare videtur, & quod est in potentia proxima, iàm ferè iudicatur in actu. Ideò talis potiùs exercet actum charitatis, qui diffamatum in vno loco, si non est emendatus, in alio reuelet his, quibus obesse potest; qùia potius habẽda est ratio eorum, qui pati possunt dãnum, quàm eius, qui potest inferre, & prudentèr; cùm emendatus non sit, timetur illaturus, nisi aliàs hoc ex odio faceret. Sed si talis infamatus est emendatus, nec alijs obesse creditur, tunc peccat mortalitèr detrahendo, quia fama est bonum necessarium ad honestè, & studiosè viuendum: quo bono sine iusta causa, vel necessitate priuare fratrem iàm emendatum, & honestè viuentem repugnat charitati. Verùm peccat talis contra charitatem, sed non contra iustitiam, & sic

non tenetur ad famæ restitutionē, dum est ibi post sententiam iudicis damnatus; quia adhoc punitur, vt eius infamia ad omnium aures peruenire queat, & per accidens est, quod non ad omnes perueniat. Et tunc peccaret contra iustitiam, si olim diffamatum in vno loco ob sua crimina per euidentiam facti, sed iàm emendatum, & honestè viuentem, in alio loco, vbi id ignoratur, infamat; quia sicuti fama proprio facto amittitur, & infamia contrahitur, sic etiam proprio facto infamia purgatur, & fama ipsa recuperatur. Tamen qui diffamatum in eadem Ciuitate, idque publicum est in vna Parochia, seù vicinia, si in alia reuelet sine animo detrahendi, vel odio, nec peccat, nec ad restitutionem famę tenetur; quia moraliter præsumitur, quòd facilè ad alia loca similia deriuatur.

6. Tandèm in casibus, in quibus non licet conferre Eucharistiam publico peccatori petenti; si non conferendo, immineat Sacerdoti, probabile periculum mortis, vel grauissima aliqua infamia, licèt illud conferre petenti; quia non exercet tūc aliquam actionem, quæ secundùm se illicita est, & immediatè peccatum. Potest tamē Sacerdos, qui est cōscius criminis, secretò monere peccatorē, vel generalitèr in publico omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequàm de peccatis pœniteant, vt Ecclesiæ reconcilientur, & hoc sufficit.



DIS-

DISQVISITIO XXXXIX.

De sumptionis impedimentis Eucharistiam.

ARTICVLVS I.

An mollities voluntaria Eucharistię sumptionem impediat?

1. ℞. Sic; quia est peccatum mortale. *ita D. Tho.2.2.quæst.154.art.5.* Et mollities voluntaria, idest seminis emissio procurata à se solo, est eiusdem speciei cum pollutione procurata tactu alieno, absq; concubitu tamen, siue extrinseco adminiculo proprio, vel alieno, per quodcunq; coniunctũ, vel separatũ instrumẽtũ; & siue sit ꝓcurata ꝑ actũ interiorẽ positiuè, vel negatiuè; quia hæc omnia materialitèr, & per accidens se habent ad voluntariam pollutionem absque concubitu quocunque.

2. Verùm pollutio voluntaria procurata tactu alieno, est grauius peccatum, quàm procurata à se solo; quia fit particeps peccati alterius, cooperantis ad suam pollutionem. Et hęc grauitas, est aperienda in Confessione; quia continet duplicem numericam malitiam, & propriam, & alienam. Et si reseruaretur peccatũ carnale in secundam personam patratum, erit reseruatum; quia grauior fit malitia ratione societatis in peccato alterius. Et licèt pollutio procurata à se solo, siue tactu alieno, sit eiusdem speciei, tamẽ si accidat de alio, vel alia cogitatio, desiderium, delectatio morosa, ac si cum tali, vel tali concubitu voluntate efficaci coire vellet, tũc variaretur species; quia si tunc, dum se polluit, affectaret coniugatam, erit adulterium; si virginem stuprũ; si masculum sodomia, & sic de alijs: & si vno actu polluendo se, diuersas personas affectaret, multiplex peccatum erit pro variatione personarum, cum quibus coire vellet, tunc variatur species, & explicanda in Confessione conditio personæ, cuius procuratur pollutio.

Sunt qui dicunt, quod quando sola mollities committitur tactibus professi, vel in sacris constituti; si patiens est sæcularis, non tenetur ampliùs dicere, nisi, *passus sum pollutionem*

tactibus alienis; quia persona sacra non est in tali casu violata. Sed oppositum est tenendum, & explicanda in Confessione; quia hæc est circumstātia grauiter euidentèr aggrauās. Et Religiosus sæcularem polluens, tenetur explicare conditionem suæ personæ, scilicèt, non solùm se esse Deo dicatum debet explicare, sed etiam sæcularis addere debet, & exprimere circumstantiam complicis; quia tunc, & esset pollutio, & esset scandalũ, & persona sacra esset violata ob mutuũ cōtactũ, pollutione in se sequuta.

Rursùs sunt, qui dicunt, quòd aliquis coiens cum masculo, & supercumbans super eum, sicut super fœminam, non tenetur aperire hanc circumstantiam, si tantùm se polluat, sed sufficit dicere, *tactu alterius molliciem commisi*; sed quia hæc circumstantia notabilitè euidentèr aggrauat factum, tenetur aperire.

Tandem sunt, qui dicunt, quòd in peccato sodomiæ non tenetur quis exprimere in Confessione, an fuerit agens, vel patiens; quia peccatum sodomiæ est eiusdem speciei, siue fuerit agens, siue patiens. Sed affirmatiua est verior; quia licèt sit eiusdem speciei, tamen in agente reperitur per se emissio seminis voluntaria, quæ est circumstantia notabilitèr euidentèr aggrauans.

ARTICVLVS II.

An pollutio nocturna in somno contingens secundùm se, & in se, sit peccatum?

1. R. Non; quia in somno ratio non habet liberum arbitrium. *ita D. Thom.* 2.2.*q.* 154. *art.* 5. Benè tamen imputatur ad culpam; quatenùs fuit causa voluntaria, scilicèt in vigilia antecedenti; quia actiones, quæ in somno contingunt, vt sunt voluntariæ in causa, possunt esse laudabiles, aut vituperabiles. Ità etiam si in vigilia fuit deliberatum desiderium, vt in somno accideret pollutio; quia *ita D. Tho. supra alligatus*.

2. Vnde pollutio nocturna procurata, vel volita expressè, vel formalitèr in vigilia, est peccatum mortale; quia pollutio secundùm se, est peccatum mortale. Si verò solùm volita virtualiter, solùm est peccatũ, sicut & actus ille, ad quem sequitur, itaque si actus est mortalis, pollutio mortalis; si verò veniale, vt cœna immoderata, pollutio venialis; quia pollutio nocturna in somnis contingēs, tantùm habet malitiam ratione actus præcedentis, cum in re ipsa non habet libertatem. Ideò dare operam rei licitæ necessariæ, vel vtili, vacat à culpa, quā-

uis præuideatur fore, vt pollutio sequatur ex ea; quia non imputatur ius suum prosequēti, effectus per accidens, ac præter intētionem subsequuturus. *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 5. in corp.* Imò si ex causa licita, in qua præuidetur pollutio subsequutura, fit illicita ratione circumstantiæ extrinsecæ, nihil ad pollutionem conferentis, vt si quis cōfessiones audiat ob vanam gloriam, pollutio inde subsequuta, quamuis præuisa, vacat omninò culpa; quia is actus est de se licitus, & conueniens, & circumstantia, qua vitiatur, nihil influit, quo pollutio subsequatur, sed potiùs ex naturę infirmitate procedit. Tamen si subest probabile periculum consensus in pollutionis delectationem, tunc quantumuis causa sit licita, est ab ea abstinendum, sub culpa lethali; quia secundùm D. Thom. *3. p. quæst. 80. art. 7. in corp.* periculis spiritualibus probabilibus se exponere, est valdè vituperabile, etiam si sit pro vita saluanda spirituali proximi. Tunc id periculum cōtingit, quando quis est expertus se in simili occasione semper in culpam lethalem labi, licitè aliquando potest se exponere huic periculo ob causam valdè vrgentem, proponens firmitèr se non cōsensurum: quia D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 9. in corp.* docet infirmis in fide interdicendum esse infidelium participationem, nisi vrgeat necessitas.

3. Similitèr expertū se pollui ex equitatione, non teneri pedester incedere, ab illaq; desistere, etiam si pollutio fuerit præuisa subsequutura, si absit periculum consensus; quia tūc pollutio solùm erit permissa, nō autem voluntaria. Ità etiam expertus se pollui, sumendo ex tali genere cibi, & potus, secundùm morē patriæ, vel aliorum, cum quibus epulatur: dūmodo non sit periculum consensus, non tenetur abstinere; quia non obligamur abstinere ab eo, ad quod ius aliquod, vel aliquam causam honestam, vel vtilem habemus nobis, vel alijs. Consequenter non obligamur iacere sic, vel sic in lecto vel non iacere, licèt videamus pollutionem nocturnam sequuturam ex tali corporis situ, si eo indigemus; vel si ille situs est nobis vtilis, vel si eo vtimur bona fide, & animo; quia cæteri sic dormiunt, vel iacent in lecto; vel eo vtimur, ne aperiamus locum scrupulis, & anxijs cogitationibus.

4. Secùs si nulla adest iusta causa, aut vtilitas, aut honestas ad faciendū id; vnde sequutura probabilitèr præuidetur nocturna pollutio, hæc imputabitur ad culpam, nisi euitemus id; vnde probabilitèr præuidetur

sequu-

ſequutura; licèt abſit periculũ probabile conſenſus, & cauſa, ad quam ſequitur in ſe,& ſecũdùm ſe licita ſit; quia qui vult antecedens, vult conſequens, quod ex eo infertur; & qui vult cauſam, vult effectum. *ita lib.1. §.1.ff.ſi vſus fructus petatur.* Similitèr pollutionem eſſe peccatum mortale, præuiſam prouenire ex cauſa venialitèr luxurioſa,influente quodammodò in pollutionem; vt ex aſpectu curioſo mulierum, vel lectione curioſa librorum, vel ex verbis aliquantulum libidinoſis, & venialitèr turpibus; licèt non intendatur pollutio; quia in illis ſentitur vehemens commotio appetitus, & proximum periculum pollutionis, quod euitare debemus. Neque hoc dictum eſt oppoſitũ, quod ſupra diximus, ſcilicèt dantem operam rei illicitæ veniali, non teneri ſub mortali ab ea abſtineri,ratione pollutionis in ea præuiſæ; quia ibi loquitur de re illicita veniali in quocunq; alio genere, quæ ſuaptè natura non pertinet ad luxuriam,vt de nimia commeſtione venialitèr peccaminoſa; quia tunc verũ eſt,pollutionis malitiam ex malitiæ cauſa æſtimandam eſſe.

5. Certiſſimum eſt etiam, pollutionem eſſe mortalẽ, quoties cauſa, in qua præuidetur futura, eſt mortalis, etiam ſi nõ ſit intenta directa pollutio;quia lex naturalis obligans, ad non procurandam ſeminis effuſionem, ſubindè obligat ad vitandas cauſas per ſe, & notabilitèr influentes ad illam. Et ſic pollutio pręuiſa in cauſis mortalibus; licèt per ſe, & mortalitèr in illam non influant, eſt mortalis, & pollutio præuiſa in nimia ebrietate, vel cõmiſtione mortali, mortalis erit, etiam ſi non ſit intenta; quia nemo ius peccandi habet. *ita D. Th.2.2.q.154. art.5.in corp.* Neq; licet ſentienti magnum pruritum in partibus verendis, quò pruritum ſedet, illas refricare, ſi adſit probabile periculum pollutionis, etiam abſque conſenſus diſcrimine; quia qui vult cauſam ſuaptè natura ordinatam ad aliquem effectum,vult etiam cõſequenter effectũ,qui ex natura ſua ſequitur ad illam. *ità lib.1.§.ff.ſi vſus fructus petatur.* Tamen ſi expertus ſe nõ pollui refricando partes verendas, ad ſedandum magnum pruritum,& non eſt conſenſus ad delectationem, non peccat lethalitèr;quia neceſſitas in hoc caſu excuſat.

6. Non tamen licet ob ſanitatem,ſeminis emiſſionem procurare, etiam remedijs aliàs licitis, vt pharmacis; nec id poteſt aliquo bono fine honeſtari; licèt ad vitam præſeruandam omninò ſit neceſſarium; quia in omni euentu, præter generationem prolis in matrimonio, ipſius adminiſtratio homini denegatur. Et eſt diſparitas inter

am-

amputationem membri, quæ licita est ob sanitatem corporis, & inter procurationem emissionis seminis; nàm in abscissione membri ob tuendam vitam, cessat illa ratio, viam aperiendi multis sceleribus; at in procuratione pollutionis est periculum, vt via aperiatur infinitis peccatis; nàm in emissione seminis non sentitur dolor, sed magna voluptas.

7. Neque licere cooperari, ad seminis iàm è lumbis decisi effusionem, quamuis retentio, saluti corporis graue detrimẽtum allatura sit; quia sic fluxus illius est procuratio, quod nullo pacto licet. Benè tamen licere, emissionem seminis in naturali fluxu, quæ cępit in somnis, non impedire: ob morbi periculum absque consensu delectationis; quia id non est procurare, sed pati emissionẽ seminis, ne corruptus humor noceat. Quãuis argumentum valdè timoratæ, & bonæ conscientiæ sit, tunc repentè illius cursui obstare; quia in repentinis cognoscitur habitus, tàm bonus, quàm malus. Imò si pollutio cępit culpa patientis: si in ipso fluxu præteritæ culpæ pœniteat, non tenetur fluxum reprimere; quia iàm pęnitentia interrupit actionem peccaminosam præteritam.


8. Similitèr desiderare pollutionem in somno contingentem, vt natura leuietur, vel sanetur: etiam non intendendo pollutionem, nec aliquid adhibendo, vt pollutio in somno sequatur, est illicitum; quia pollutio ex suo obiecto, & natura mala est, etiam ob bonum finem. Sed valdè probabile est oppositum; quia D. Tho. 3. *p. quæst.* 80. *art.* 7. *in corp.* ait, quòd nocturna pollutio, secundùm se considerata, peccatum mortale non est, nisi ratione causæ.

9. Rursùs non est licitum desiderare pollutionem contingentem in somnis, vel de illa iã sequuta gaudere, ex affectu libidinis, vel propter delectationem ipsius; quia est consentire pollutioni ob finem inhonestũ, quod est peccatum. At gaudere de pollutione in somnis iàm habita ex superfluitate seminis contingente, ob bonum finem, vt ob corporis sanitatem, vel ad sedandas carnis concupiscentias, licitum est; quia quod licitum est desiderare, vt fiat, licitũ est etiam de eo gaudere, quod quod factum est. *ità D. Thom. in 3. dist. 9. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad* 5. Verùm pollutio in somnis contingens, si fuerit ante somnum intenta, & procurata, simplicitèr loquendo, & cum proprietate, est appellanda peccatum; quia habet libertatem in actu interiori, præcedenti ante somnum. Et pollutio contingẽs in somnis, non habet aliam malitiam ab illa, quæ fuit in actu

præ-

præcedenti, qui fuit causa talis pollutionis; quia vbi nõ est noua libertas, malitia moralis non multiplicatur. Igitur eò ipso, quò quis dedit causam futuræ in somnis pollutionis in vigilia, reus est malitiæ pollutionis secundùm affectum, & voluntatem, siue eueniat, siue non; quia si quis proijceret telum, vt aliquem occidat, & antequam perueniat telum ad eum, per pœnitentiã doleat, & resipiscat, tunc proijciens telum secundũ affectum, & voluntatem, reus est malitiæ homicidij, in illo priori malo affectu homicidij, siue sequatur, siue non, occisio illa est iniusta; ità similitèr. Si verò quis in vigilia procuraret pollutionem futuram in sõnis, si antequam dormiat, doleat cõtritionem habẽs de illa mala voluntate, ꝓcurare pollutionis in vigilia; tũc pollutio sequuta non imputatur culpæ; quia tunc illa pollutio sequitur, tamquàm effectus quidam naturalis, non tamen tamquàm effectus malæ voluntatis, quæ per pœnitentiam mutata resipuit.

10. Hinc est, quòd pollutio, quæ incipit in vigilia per somnum, in homine recentèr excitato, sæpè non est peccatum mortale, sed veniale; quia sæpè in homine expergefacto, non est plena deliberatio; nec plenũ iudicium rationis. Et multò minùs erit, saltèm peccatum mortale pollutio illa, quæ incipit euenire alicui, dum dormit, prę ter illius intentionem, & finitur postquã est experrectus, si voluntas superior, siue ratio deliberata in illam consentiat; quãuis sẽsualitas ea delectetur; quia pollutio, quæ incipit naturalitèr in somnis, incipit esse voluntaria; cùm ei consensus deliberatus præbetur post somnũ. Ideò quando pollutio non fuit peccatũ mortale, potest homo celebrare, vel communicare intrà vnum diem naturalem; quia solum peccatum mortale, de necessitate impedit hominẽ à susceptione huius Sacramenti, *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 7. in corp.* Tamen impedit ex quadam congruentia, quæ desumitur ex ordine ad spiritualia; quia licèt non sit mortale, dicit tamen quandam fœditatem corporalem. Excusatur etiam ab omni culpa, etiam veniali, accedens ad communionem post pollutionem, quę ipsi contingit absq; omni culpa; quia par non est, vt sit pœna, vbi non est culpa. Sed indecentèr, & cum distractione accedens ad Eucharistiam, etiam si sit in gratia, peccat venialitèr; quia remanet malignus affectus malignæ carnis. *ità D. Thom. loco citato.*



AR-

ARTICVLVS III.

An debeat abstinere à Communione, qui peccatum carnale commisit, etiam facta Confessione?

1. R. Sic; quia huiusmodi peccata non mediocritèr abstrahere consueuerunt mentē à diuinis. Verùm si nullum malignum affectum sētiat, ad Eucharistiam accedere, nulla ratione de necessitate prohibetur; quia rectè iàm homo tūc disposit' est, & pollutionis peccatum, siue quoduis aliud post legitimam pœnitentiam, proindè se habet, ac si non fuisset. Meliùs est tamen, ob humilitatem abstinere à sacra Communione per viginti quatuor horas; quia denegando, ne communicet; vt grauitatem peccati sui magis agnoscat, & in posterùm ab huiusmodi facinore perpetrando cauebit. *ità D. Tho. in 4. dist. 9. q. 1. art 4. quæstiunc. 2.*

2. Similitèr conuenientissimum esse post copulam coniugalem, siuè petēdo, siuè reddendo exercitam, abstinere ea die à communione, idque cōsulendum esse, nisi iusta causa aliqua oppositum suadeat; quia *in Concil. Eliberitano, vt refertur in lib. de consecrat. dist. 2. cap. dicitur omnis homo Consulitur, vt Eucharistiam sumpturus, tribus, aut quatuor, aut octo diebus præcedentibus à copula coniugali abstineat.* Et si debitum coniugale sit petitum recto fine, ea die accedere, non est aliqua culpa, sed solùm est consilium abstinere, & suo relinquendus est indicio; quia *ita cap. Vir cùm propria. & D. Tho. 3. p. quæst. 80. art. 7. ad 2.* Neque est culpa, si debitum coniugale sit petitum, non causa prolis, nec voluptatis, sed causa periculum incontinentiæ euitandi; quia cùm voluptas in isto casu minimè dominetur, sed continentiæ, & seruandæ fidei matrimonialis amor, non ita mens absorbetur voluptate corruptæ carnis.

3. Verùm exigens debitum coniugale causa voluptatis, nō licere eadem die, ad eam accedere; quia ex tali copula magna distractio, mentisque hæbetudo suboritur.

4. Tamen sunt causæ, quæ excusant ab omni culpa coniuges, post exercitam copulam, accedere eadem die ad Eucharistiam. Prima magna festi sollemnitas. Secunda, si dies est Iubilæi, exigatq; communionē, quo comparetur. Tertia est specialis deuotio, præparatioque ad communionem. Quarta est nota aliqua ex eo, quod communio omittatur.

5. Sunt, qui dicunt coniugē reddentem debitum, teneri sub veniali eadem die à communione abstinere; quia irreueren-

uerentèr accedit ob mentis abstractionem, & euagationem indè ortam. Sed probabile est non teneri eadem die abstinere à communione, præsertim si antequam reddat petitionem, honestis, ac moderatis precibus, & excusationibus repellat; quia tunc adest bonum, satisfaciendi iustitiæ debito, quo voluptas illa coitus,& mentis euagatio inde orta præponderat, vel certè adæquatur. Ideò non eximunt coniuges à debiti reddendi obligatione, eò quòd illa die Eucharistiam recepturus est; quia obligatio hæc ex ipsa iustitiæ lege oritur, nec inuenitur ius aliquod hunc casum excipiens; *ita cap.de coniug.* Exceptis tamē Ecclesiæ ministris cōiugatis, quales sunt Græci, quibus interdictum est celebrare die, qua ad vxores accedunt. *ita D. Tho. in 4.dist.32.quæst. vnic. art.1.ad 1.*

6. Tandèm post communionem eadem die petere debitum vxorium causa prolis, vel gratia vitandæ incontinentiæ, nullum est peccatum; quia rectus finis procreandæ prolis, & euitandæ incontinentiæ volitus à Deo, præponderat rationi illius indecentiæ, vel certè illam adæquat. At ob delectationem, est veniale; quia aliqualis irreuerētia est cōtra Sacramentum. *ita D. Tho. 3.p.quæst. 80.art.7.ad 2.*

ARTICVLVS IV.

An recepturus Eucharistiam debeat esse ieiunus?

1. ℟. Sic; quia. *ita tom. 2. Conciliorum.& D.Tho. 3.p.quæst.80.art.8.*

2. Nota,quòd ieiunium duplex: Ecclesiasticum, quod illud dicitur,quo præcipitur vnica commestio in die. Naturale verò importat abstinentiam à qualibet re, etiam modica commestibili, per modum cibi, aut potus; & vt sic, ante communionem debet, per se loquendo, à media nocte esse ieiunus; quia *ita D. Thom. 2. 2. quæst.147.art.6.* Et opposita sententia est erronea; quia *ita cap. Nihil 7.quæst.1.& cap. Ex parte de celebrat.Miss.& D.Thom.3.p.quæst. 80.art.8.ad 4.* vbi ait nihil referre, etiam si res tantùm sit medicina, vel sola aqua, quæ non nutrit. Et abusus in die Cœnæ Domini, in quo à non ieiunis sumebatur,abrogatus est; quia *ita D. Tho.loco citato ad 3.*

3. At iure optimo Christus consecrauit, & sumpsit Eucharistiam post cœnam, non ieiunus; quia Christus priùs debuit adimplere figuram Agni, quàm veritatem Eucharistiæ instituere. Nos autem, cessante figura, ieiuni communicamus; quia ad euitandum periculum vomitus.

mitus. *ità D. Thom. loco citato ad* 1. Ideò quicunq; cibus, vel potus, etiam si sit in minima quantitate, impedit ex pcepto sumptionem Eucharistiæ; quia *cap. Ex parte de Celebrat. Miss.* vbi Sacerdos secundam Missam dicturus in nocte Natiuitatis, prohibetur in priori sumere calicis ablutionem, ne naturale ieiunium soluat. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art.* 8. quidquid ergò ore accipitur, q per se, & propria actione vitali in stomachum traijcitur comedendo, & bibendo, dicitur sumi per modum cibi, & potus. *ità D. Thom. loco citato.*

4. Vnde frangit ieiunium naturale, qui medicinam ore sumit; quia illam ore sumit, & actione vitali traijcit ad stomachum bibendo, vel edendo. Secùs tamen qui deglutit, aut aliũ humorem à capite in os descẽdẽtem, aut casu ex ore manantem, frangit ieiunium naturale; quia nihil sumit per modum cibi, & potus. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 8. ad* 4. Et sic si quis manè abluendo os aqua, vel vino, casu aliquid aquæ, vel vini deglutiat, non debet abstinere à Sacramento sumendo; quia guttula illa non traijcitur per modum potus, sed per modum saliuæ. At ad modum potus, & cibi impedit; ne in hac materia locum habeat id, quod in alijs præceptis, & legibus dici solet, scilicèt, *Minimum, siuè modicum non considerari*; neque illud Philosophi, scilicèt, *Parum pro nihilo reputatur*; quia Synodus Toletana 7. *Can.* 1. definit nullum cibum, potumq; quamuis minimum ante communionem sumendum esse. *ità D. Thom. loco citato.*

5. Verùm reliquiæ, quæ supersunt in ore, ex cibo ante mediam noctem sumpto, si traijcitur casualitèr in stomachum, etiam si post mediam noctem, aut etiam manè, casu delabãtur in ventrem, non impediunt à sacrificio faciendo; quia contra intentionem delabitur in stomachum. *ità D. Tho. 3. p. quæst. 80. art.* 8. Sed si ex certa scientia, & intentione deglutiantur, tunc violat ieiunium naturale, & impedit sumptionem Eucharistiæ; quia iàm videntur illæ reliquię sumi nõ per modum saliuæ, sed per modum cibi; cùm non causalitèr transglutiantur. *ità D. Th. 3. p. quæst. 80. art. 8. ad* 4. Ità etiam dicimus fregisse ieiunium, qui post mediam noctem deglutit aliquid, quod vespertino tempore ore sũpsit, scilicèt, Saccharum paulatim deglutiẽdum, ad sedandam raucedinem; quia partes Sacchari sumpti vespertino tẽpore ex intentione paulatim defluendæ in stomachum traijciuntur. *ità D. Thom. 3. q. 80. art. 8. ad* 4. Et sic frangit ieiuniũ naturale, qui ex intentione sumendo ore papyrum, traijcit in sto-

stomachum; & qui aliquid ex proprijs vnguibus, vel sanguinis proprij vulneris, & alia similia transmittit in stomachum, quæ neq; habent rationem cibi, neq; potus, neque etiam medicinæ; quia D. Thom. *loco citato* asserit, quòd nihil refert, quòd aliquid horum nutriat, vel non nutriat. Peccat mortalitèr, qui communicat post cibum, & potum, etiam minimum; quia sumens minimam quantitatem cibi, vel potus, verè, & propriè, & per se dici non potest, quòd ieiunus ieiunio naturali communicat. *ità D. Thom. loco citato.* Ieiunium autem naturale incipit à media nocte; quia tunc incipit Sol ad nos redire, & in vniuersa Ecclesia computatur dies à media nocte in mediam noctem; non obstante cõsuetudine alicubi in contrarium.

6. Sumptio verò ipsius Sacramenti non frangit ieiunium naturale; quia species Sacramẽtales non censentur commune corporis alimentum. Neque est necesse, vt quis sumpturus Eucharistiam digesserit cibum, aut post cœnam dormierit; quia quis dicitur ieiunus ieiunio naturali, qui à media nocte vsque ad communionem; licèt non digesserit, vel nõ dormierit, sufficit ad communionem. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 8. ad 5.* Ità quòd Sacerdos, qui in vigilia Natiuitatis Domini pransus est, vel ientaculum sumpsit propè mediam noctem, potest post mediam noctem celebrare; quamuis non dormierit; & cibum non digesserit; quia hic dicitur ieiunus à media nocte, quod sufficit.

7. Similitèr Sacerdotem, qui post sumptam ablutionem, aut dictas Orationes Missæ aliquã hostiæ particulam reperit in patena, vel in corporali, posse eam statim sumere, quia tota illa actio reputatur vnus actus, vna perfecta Sacrificij consumptio, vnum conuiuium; & ità vnus recept⁹ est apud omnes. Imò si particula relicta post ablutionẽ sit grandiuscula, & alicuius magnitudinis, si ibi nõ esset custodia, vbi celebratur, in qua commodè seruari posset, etiam integram hostiam; nedum particulam illam; etiam inuentam in linteolis, poterit Sacerdos post lotionem sine scrupulo sumere, vt si in campo longè ab Ecclesia distante, Missa esset celebrata; quia commodè seruari non potest, & moralitèr loquẽdo, totum illud censetur vnicũ conuiuium. Sed post notabile temporis interuallum exactum à sacrificio consummato, non licet Sacerdoti eas particulas sumere; quia tunc censetur sacrificium absolutum. Tempus autem, in quo sumi poterunt licitè huiusmodi reliquiæ, erit illud, quo Sacerdos est in Altari ad

per-

perficiendum Sacramentum. Aliàs debet conseruari, si potest, sicut & reliquiæ relictæ ab alio Sacerdote; quia non videntur integrare vnum, & idem cõuiuium; & ideò post lotionem non sunt sumendæ, sed reseruandæ, vt alius Sacerdos sumat eas ieiunus, simul cum hostia, quam ipse consecrabit.

8. Similitèr Sacerdos habens palato affixas reliquias hostiæ, potest secundam ablutionem sumere, vt illas traijciat in Stomachum. Itèm si particula aliqua adhæsit calici; quia hoc est tutiùs, & honestiùs, quàm digitum apponere. Itèm Sacerdos, qui statim post Missæ Sacrificiũ multo tempore se detinuit in dispensanda Eucharistia, & cõ municãdis alijs, potest reliquias hostiarum, quas consecrauit, si quę remanserunt, sumere, antequam discedat ab Altari; quia dùm non discessit ab Altari, censetur vnica actio moralis, & vnicum conuiuium. Sed postquàm discessit ab Altari, per se loquendo, non potest illas reliquias consumere; quia iam expleuit ministerium suum, & nõ reputatur vnica actio cum præcedenti. Et huiusmodi reliquias non esse dandas Laicis post ablutionem; quia non pertinet ad eorum ministerium; & eorũ actio censetur omninò cõsummata in prima sumptione ipsius Sacramenti. Imò nec dandæ sunt illis post finitam omninò communionem, etiam si ablutionem non sumpserit, nisi, moralitèr loquendo, simul dentur cum priori formula; ità vt censeatur vnica moralis communio; quia cùm sit in illis verè, & realitèr, & substantialitèr Corpus Christi, esset iterùm communicare.

ARTICVLVS V.

An in mortis articulo, non ieiuno communicare liceat?

1. R. Sic, ob viaticum iudicio Medici; quia in articulo mortis obligat pceptũ diuinum communionis, quod erit hoc potiùs seruandum, quàm Ecclesiasticum: cùm homo eo tempore indigeat auxilio huius Sacramenti: *ità de Consecrat. dist. 2. cap. Presby. & D. Tho. 3. p. quæst. 80. art. 9. in corp.*

2. Et quamuis possit vna, vel altera hora post mediam noctem ieiunus accipere, non tamen est necessarium, ea intẽpestiua hora Sacramentum dare, & accipere; quia hoc non moralitèr fieri potest sine magna difficultate, nec regularitèr ad reuerentiã huius Sacramenti, expedit ità fieri, nec Ecclesiastica consuetudo, quæ est optima huius legis interpres, ità esse faciendũ declarat. Et huiusmodi casum non solum habere lo-

locum in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, quando nec anticipari potest communio, nec differri mors, vel supplicium; quia tunc est eadem ratio necessitatis.

3. Similitèr licitum est in eadem infirmitate conferre sæpè Eucharistiã nõ ieiuno, si variatur infirmitas notabilitèr; quia noua necessitas, quando infirmitas notabilitèr variatur, superuenisse censeatur. Posse etiam iterùm admitti ad communionem ieiunum; quia numquàm est priuandus tanto Sacramento, qui sufficiẽtèr est dispositus. Imò per modum Viatici posse non ieiunum iterum communicare in eadem infirmitate, dummodò inter vnam, & alteram communionem mediet tẽpus sex, vel octo dierum; quia Concil. Constansiense non restrinxit talem concessionem ad vnam vicẽ, sed iterũ nõ ieiunus secũdùm necessitatem admitti.

4. Similitèr non licèt Sacerdoti non ieiuno conficere, & sumere Eucharistiam, vt eam conferat infirmo in periculo mortis; quia maior habenda est ratio reuerentiæ debitæ Sacramento, quàm necessitas proximi. Ideò non licèt Sacerdoti non ieiuno celebrare, ad communicandum infirmum in periculo mortis; benè tamen infirmo non ieiuno; quia necessitas infirmi est intrinseca, ꝓpter humanum impedimentũ, quod vitare moralitèr non potest: at necessitas ministri est extrinseca, & accidentaria, quæ moralitèr rarissimè accidit, supposita prouidentia, quam Ecclesia habet, seruandi Eucharistiam pro infirmis, vt statutum est in Concil. Niceno *cap.* 14. *& cap. Presbyter. de Consecratione dist.* 2.

5. Verùm licere Sacerdoti non ieiuno prosequi Missam inchoatam post consecrationẽ iàm factam, si post recordetur se non esse ieiunum, etiam si non adesset scandalum; quia perfectio huius Sacrificij magis obstringit, quàm non seruato ieiunio non celebrare. Tamen si ante consecrationem recordatur tutiùs est inceptam Missam relinquere, si aliàs nullum adest scandalum; quia qui non est ieiunus à media nocte vsq; ad susceptionem Eucharistiæ, ineptus est ad celebrandum. *Ita D. Tho.* 3. *p. quæst.* 80. *art.* 8. *Ita Concilil. Africanum cau.* 8. *& Carthag.* 3. *cap.* 19. *quæ extant. tom.* 2. *Consiliorum*. Sed secundùm D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art. art.* 6. *ad* 2. vtrumq; esse liberum, & relinquere Missã, & finire illã; tamẽ tutius inceptã Missã finire. Excepto tamẽ, si in aliquo Oppido esset vnus Sacerdos, q in nocte Natiuitatis soluit ieiunium, neque reperitur alius Sacerdos, qui celebraret, tenetur ipse rẽ sacram facere, ne populũ scandali-

dalizaret; cùm ei ex officio celebrare incumbat; quia vitare scādalū est de iure diuino. Imò Laico non ieiuno propter vitandum scandalum licet Eucharistiam sumere post cibum, & potum; quia ad vitandā grauem infamiam cessare solet cōmunitèr obligatio legis positiuæ. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad 2.*

6. Item quando Sacerdos, qui sacrificium inchoauit, ęgritudine correptus, non potest illud perficere; Sacerdos non ieiunus potest, & debet illud sumere, & sacrificium perficere; quia magis interest perfectio Sacramenti, quàm præceptum Ecclesiæ de non communicando, non seruato ieiunio naturali. *ita Decretum Concil. Toletani VII. in cap. Nihil 7. quæst. 1.* Tamen si Sacerdos pereat ante consecrationem, nullus tenetur sacrificium perficere; quia sacrificium non relinquitur imperfectum. Idem dicēdum est, si Sacerdos pereat post sumptionem vtriusque speciei; quia iàm est completum, quò ad substantiam. Si verò pereat Sacerdos celebrans post consecrationem, sumpta tamen vna specie, debet Sacerdos pręsens, etiam non ieiunus, si non adest ieiunus, perficere sacrificium, sumendo alteram speciem iàm consecratam, & non sumptam à priori Sacerdote; quia sumptio vtriusque speciei pertinet ad substantiam sacrificij. Et à fortiori tenebitur perficere sacrificium, si Sacerdos post consecrationem panis, vino non consecrato, pereat; quia iàm est incæpta substantia sacrificij post consecrationem. *ita habetur in Decretis 7. quæst. 1. cap. Nihil. & in Concil. Tolet. VII. can. 5. ita D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad 1.*

7. Item licet Sacerdoti non ieiuno communicare propter vitandam grauem aliquam extrinsecam irreuerentiam diuini Sacramenti; vt v. g. ne igne cōsumetur, aut ne deueniat in manus hæreticorum, & infideliū, à quibus ignominiosè tractabitur, aut propter aliquam similem causam; quia quod propter reuerentiam Sacramēti institutum est, non debet cōtra reuerentiam illius debitam obligare.

8. Tandem Sacerdos, aut alius, qui communicauit, per se loquendo, non peccat, comedēdo statim sumpta Eucharistia; quia consuetudo, seù præceptum nihil comedendi, post communionem, vsque ad meridiem vt habetur *cap. tribus de consecratione. dist. 2.* iam per contrariam consuetudinem est abrogatum. *ita D. Tho. 3. p. quæst. 80. art. 8. ad 6.* Tamen ob maiorem Sacramenti reuerentiam expedit post communionē aliquan-

quātulùm abstinere à communi cibo, & potu; quia decet propter ipsius Sacramenti reuerentiam.

DISQVISITIO L.

De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

ARTICVLVS I.

An sit præceptum diuinum sumendi Eucharistiam?

1. ℞. Sic; quia Author naturæ posuit præceptum sumendi alimentum corporale; ita etiam Author gratiæ debuit imponere præceptum sumendi hoc alimentum spiritnale; *ita D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 11.*

2. Imò præceptum hoc diuinum non obligat tantùm semel in vita, sed etiam pluribus vicibus; quia Ecclesia determinat semel in anno saltem, & explicat esse præceptum diuinū. Maximè, per se loquendo, est præceptum diuinum sumendi Eucharistiam in articulo mortis naturalis, aut violentæ; quia necessitas Eucharistiæ reperitur maximè in articulo mortis ad corroborationem viriū spiritualium. *ita Concil. Trid. sess. 13. cap. 6.* Et qui in periculo mortis renueret communicare, non potest à reatu mortali excusari; quia extat præceptum diuinū, & dat maximum scandalum. Tamen non tenetur Eucharistiam sumere in periculo mortis, qui paulò antè intra sex, vel octo dies, ante mortem communicauit; quia censetur se præparasse ad huiusmodi transitum per Eucharistiam sumptam paulò antè, quàm incideret in periculum mortis.

3. Verùm præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, propriè loquendo, non obligat non baptizatos; quia quamuis omnes teneantur ad Baptismū, & ad ingressum in Ecclesiam, non tenentur tamen ad leges, & præcepta, quæ ponuntur pro his, qui sunt iam in Ecclesia. Vnde baptizatus existēs in peccato mortali, est capax Eucharistiæ, ideò habet præceptum communicandi, secus autem non

non baptizatus. Et sic nõ baptizati in Inferno non sunt passuri aliquam specialem poenam, eò quòd non sumpserint Sacramentum Pęnitentiæ, & Eucharistiæ, sed tantùm grauitatem peccati; quia mortui sunt sine Baptismo. At baptizatus non solùm recipiet poenam Inferni secũdùm grauitatem primi peccati; quia, scilicet, noluit confiteri; sed etiam aliam distinctã; quia noluit communicari.

4. Similitèr constitutus in articulo mortis, qui paulò antè communicauit, satisfecit præcepto de communicando in articulo mortis, etiam si actualem intẽtionem, & voluntatem non habuerit sumendi Eucharistiam, & Viaticum; quia sufficit, quòd si homo cognouisset hoc imum periculum, per modum Viatici communicare voluisset, idque meritò præsumitur. Sed laudabile, licitum, & virtuosum esse, per modum Viatici iterùm communicare die sequenti; quia Ecclesia non limitauit hanc facultatẽ ad eos, qui ante longum, vel breue tempus non communicarunt, sed simplicitèr illam concessit omnibus, qui Viaticum non acceperunt. At verò intra eundem diem, est simplicitèr ab Ecclesia prohibita, ideò nõ danda. Neque qui sumpta Eucharistia in articulo mortis, posteà commisit peccatum mortale, ex pręcepto iterùm communicare non tenetur; quia peccatum est occultum, ex fragilitate commissum, & petere iterùm Viaticum est præter morem Ecclesiæ, nec fieret sine admiratione, & scandalo fidelium.

5. Neque qui communicauit in articulo mortis, non tenetur, transacto illo periculo, cõmunicare, vt adimpleat præceptum, quo tenebatur in articulo mortis cõmunicare; quia quando aliquis terminus fuit constitutus, non ad sollicitandam obligationẽ pręcepti, cessat obligatio, elapso termino constituto.

6. Similitèr iudex tenetur concedere reo tempus cõmunicandi, vt adimpleat condemnatus ad mortem diuinum hoc præceptum in articulo mortis; quia præceptum communicãdi obligat in articulo mortis ex iure diuino. *ità in Clement. cùm secundùm de Pœnit. & remiss. ità Innocentius III. in cap. Quod in te.* Et cõsuetudo alicuius loci, qui condemnatis ad mortem Eucharistiam non ministrant, est potiùs abusus, quia nulla apparet causa, cur, si sint verè poenitentes, tanto beneficio priuentur. *ità in Canon. 13. quæst. 2. cap. Quæsitum.* Excusare verò hanc consuetudinem per ignorantiã non possumus; quia satis canones sunt manifesti.

7. Neque hoc præceptum in

articulo mortis extenditur infantibus: quia hoc non est medium necessariũ infantibus ad salutem. *ità Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. & 4.* Et his sufficit spiritualis communio, quando in baptismate membrũ corporis Christi efficitur. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 9. ad 3.* Neq; amentibus à natiuitate; quia *ita in cap. Omnis vtriusq; sexus & D. Tho. loco citato.* Ita etiam nõ vtentibus ratione est danda; quia debilis rationis vsus satis est ad dijudicãdum corpus Domini ab alijs cibis, idest, ad cognoscendum, qua deuotione, & animi præparatione sit ad Eucharistiam accedendum. *Ita D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 9.* Sed amentibus, qui habuerũt lucida interualla, si quãdo erant compotes mentis, apparuit eis deuotio huius Sacramẽti, est danda nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel expuitionis, vel alterius grauis indecentiæ erga Sacramẽtũ; quia sicut qui in vigilia petijt Baptismum, si dormiens baptizarẽtur, gratiam Sacramentalem reciperet, ità à simili. *ità est statutum in cap. 15. Qui 26. quæst. 2. & in Cõcil. Carthag. 4. cap. 76.*

8. Similiter laborãtibus phrænesi per multum tẽpus, est Eucharistia singulis annis tribuenda, si præcessit in eis petitio, & deuotio huius Sacramẽti; quia datur propter deuotionem, quã erga hoc diuinum Sacramentũ in sanitate existentes signo, aut verbo declarauerunt. Imò non tantùm dandum, sed necessariò dandum; quia propter deuotionem quam habuit, habet ius ad illud. Ita etiam est danda Energumenis baptizatis, seù obsessis à Dœmone in articulo mortis; quia *ità in Concil. Elibertino, & D. Th. 3. p. quæst. 80. art. 9. ad 2.* Et etiã Energumenis habentibus vsum rationis non solùm in articulo mortis; sed etiã extra illud, danda, si absq; periculo irreuerentiæ communicare possunt; quia ex virtute huius Sacramenti patiẽtèr, & cum fructu laborẽ suum sustineant. Nec obstat Concil. Elibertinum *Canon. 29.* quia ibi loquitur de his, qui propter publica aliqua scelera publicè ẽt à Dœmonibus vexantur, & ab Ecclesia excommunicãtur, *iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 5. Iudicaui tradere huiusmodi Satanæ &c.*

9. Tandem potest Ecclesia, absolutè loquẽdo, aliquẽ adultum baptizatũ priuare Viatico in articulo mortis; quia ipsũ & præceptum diuinũ non obligat Ecclesiã, vt semper det; nàm ex iusta causa potest negare, vel ob pœnam, vel ad aliorum correptionẽ, vel ob maiorẽ Sacramenti reuerentiam. Tamen regularitèr non expedit, vt Ecclesia tàm graui pœna vtatur in suos fideles, si signa fidei, & pœnitentiæ obstenderint.

ARTICVLVS II.

An fideles obligentur ex vi præcepti Ecclesiastici, communicare.

1. R. Sic; quia ità statuitur *in cap. omnis vtriusque sexus. ità Innocentius III. eodem.* Sed obligat solos fideles baptizatos; quia nomine fidelium intelliguntur illi, qui fidem Christi, & Ecclesiæ professi sunt per Baptismum.

2. Verùm adultus non obligatur ad communionem, statim ac habet vsum rationis; sed per aliquod tempus; sed etiam per aliquos annos cõfiteatur; priùs quàm ad communicandum obligati; quia est magnũ discrimen inter vtrumq; Sacramentum; nam Cõfessionis est magis necessarium; ideò anticipandum; Eucharistiæ verò est longè digniùs, & ideò ad illius vsũ maturior ætas expectanda est. *ità cap. omnis vtriusque sexus. & D. Tho. in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 4.* Imò non tantũ est consilium, sed præceptũm obligans pueros, statim ac deuenerint ad vsum rationis in articulo mortis communicandi; quia tunc est capax confessionis, & extremæ vnctionis, fidei, & sufficientis reuerentiæ huius Sacramenti, & est in eo periculo, in quo non expectat commodiùs tempus ad recipiendum Sacramentum cum maiori dispositione.

3. Hoc præceptum Ecclesiasticum specialitèr obligat fideles tempore Paschatis; quia *ita in lege. cap. omnis vtriusque sexus. de Pænit. & remiss. & Concil. Trid. sess. 13. can. 9.* Nam eo tempore videntur esse magis dispositi, & deuoti, cùm eo tempore institutum fuit, & celebratum hoc mysterium. Nomine Paschatis intelligitur ipsa dies Dominica Paschæ Resurrectionis Domini. Tamen Ecclesiastica consuetudo declarauit hoc tempus cõpleti quindecim dies à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, & extra hos dies non adimplet præceptum; quia *ita ex Decreto Eugenij IV.* Sed qui transgressus in Paschate hoc præceptum, non liber manet ab obligatione communicandi vsque ad sequens Pascha; sed statim quamprimum moralitèr homo possit; quia hoc præceptum non tantùm est Ecclesiasticum, sed diuinũ, quod non habet illud tempus determinatum.

4. Et qui præuidet se in Paschate à sacra communione impediendum, non tenetur tẽpus præscriptum præuenire; quia ante prædictum tempus præceptum communionis non obligat, sicut non tenetur anticipare audire Sacrum, dũ præuidet

uidet non posse in die festo. Dummodò tamen intra eum annum semel communicauerit; quia ita præcipit Concil. Trid. *sess. 13. can. 9. & Concil. Lateran. sub Innocentio III.* quia licèt anticipando communionē non adimpleat præceptum annuale, tamē implet magis principale, & substantiale, scilicèt, diuinum.

5. Excusantur ab huiusmodi Ecclesiastico præcepto communicandi in Paschate, qui excommunicationis vinculo obstricti, aut interdicto personali sunt liberati, si omnino petant absolui; quia per ipsos tunc nō stat, quin absoluantur, & sic absoluti adimplerent tale præceptum. Non tamen idem iuris est de suspenso; quia pœna suspēsionis obstrictus generatim à Sacramentis non prohibetur. Si verò suspensi arceantur, vel speciatim ab Ecclesia, vel generatim à Sacramentis, vel à sacra Communione; tunc idem iuris est de excommunicatis interdictis personalitèr nominatim, & de suspensis à Sacramentis, aut à sacra communione, & hi omnes excusantur ab huiusmodi præcepto, dummodò procurent pro viribus absolutionem à censuris; quia per ipsos tunc non stat, quin communicent. Ac etiam in isto casu perpetiēdo censuram, & pœnam Ecclesiæ pariter merentur. Si autem per ipsos steterit, quo minus ab excommunicatione, interdicto, & simili suspensione absoluantur, non excusantur ab huiusmodi præcepto.

6. Similitèr hoc præceptum de communione Paschali non censetur implere is, qui sæpius inter alios dies anni communicauit, extra tamen hos dies Paschales. *ita lex in cap. omnis vtriusque sexus; & Concil. Trid. sess. 13. can. 9. statuunt tempus.* At si alicubi introducta esset consuetudo, aut priuilegium Apostolicum extendendi amplius hoc tempus, illud seruando, implet hoc præceptum, quia consuetudo legitima, præscripta, & recepta est altera lex. Neque adimplet præceptum, si in die Paschatis indignè accipit, maximè excōmunicatus, vel interdictus; quia cibus est animæ, qui debet prodesse, & non obesse.

7. Tandem pœnæ decretæ contra eos, qui annuam confessionem, vel Paschalem communionē intermittunt, sunt; vt viuētes ab Ecclesia arceantur, & mortui Ecclesiastica sepultura prohibentur. *ita Concil. Lateran. in cap. omnis vtriusque sexus.* Et quia non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ, ideò Parochi (cū iurisdictione in foro exteriori careant), nō debent alicui eam inferre, nisi monitus, atque iubente ordinario loci; quia hæ

hæ pœnæ sic decretæ; donec imponantur, ipso facto, non incurruntur.

ARTICVLVS III.

An meliùs, & laudabiliùs sit frequentiùs communicare, quàm rarò?

1. R. Sic; quia communicare dignè per se bonum est, abstinere verò solum est bonum per accidens, vel defectu dispositionis, vel vt homo ad reuerentiam tanti Sacramenti excitetur; quia frequentèr accedere ad hoc sacramentum est ex propensione charitatis, differre illam est, aut ex negligentia, aut ex timore, sed meliùs est ex charitate operari, quàm ex timore. *ita D. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. & Concil. Trid. sess. 13. cap. 8. & Innocentius III. lib. 4. de hoc mysterio, cap. 42.*

2. Mos erat, & consuetudo Laicis fidelibus in primitiua Ecclesia communicandi singulis diebus; quia ita attestantur Scripturæ, & Sancti Patres. Et hic mos fuit Laicis sub præcepto; quia *ita ex cap. Peracta de consecratione. dist. 2. vbi inquit Calixtus Papa, Peracta consecratione omnes communicent, & qui noluerint, Ecclesiasticis careant liminibus; ita D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 10. ad 5.* Sed hic mos propter remissam fidelium deuotionē cessauit, & statutum fuit, vt rariùs sæculares communicarēt; quia Fabianus Papa instituit *ter in anno.* Sotherus Papa *in die Cœnæ Domini.* Tandem in Concil. Lateranen. *cap. Omnis vtriusque sexus: decretum fuit, vt in die Paschatis Eucharistia sumeretur. Ita etiam cap. & si non frequentiùs: & cap. in Cœna Domini dist. 2. de consecrat. & D. Thom. loco citato.* Et sic nullo iure est prohibitum cōmunicare quotidie; quia non inuenitur talis prohibitio in toto iure Ecclesiastico, immò mos contrarius.

3. Vnde singuli Sacerdotes, siue Religiosi, siuè sæculares sint, nec iure diuino, nec Ecclesiastico tenentur quotidiè celebrare, per se loquēdo; quia nullibi extat tale ius. Imo augetur ratio; quia non solùm ex vi ordinis, sed neq; ex vi Parochialis suæ obligationis; cum potest satisfacere per alium; & si solùs ipse sit, non est cogendus quotidiè sacrificare; quia esset nimis rigida obligatio, licèt teneantur non omittere absque aliqua causa. Sed debent quotidiè, vel sàltem regulariter, & ferè quotidiè communicare; quia Sacerdotes sunt in statu perfectionis, & sacrificiū Missæ est maximæ vtilitatis in Ecclesia pro viuis, & defunctis.

4. Verùm in aliquibus anni diebus prohibitū est sub mortali

tali per Ecclesiam Sacerdotem sacrificare *in die Parasceues*; quia generalis Ecclesiæ consuetudo est altera lex; *ita Innocētius I. Epistola 1. ad Decentium cap. 4. & cap. Sabbatho. de consecrat. dist. 3. & D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 2. ad 2.* Et feria quinta hebdommadæ sanctæ licitũ est cuiuis Sacerdoti sacrificare priuatim secretò, & absque concursu populorum; quia circa hoc nulla est scripta lex expressè prohibens, vt constat; neque est consuetudo, quæ vim legis habeat. Non impeditur hæc repræsentatio, nec minuitur propterea, quòd alij Sacerdotes sacrificent, & non communicent in Missa sollemni; præsertim; quia Apostoli non vt Sacerdotes, sed vt Laici communicarunt; nàm non dùm erãt Sacerdotes, quãdo communicarunt; quia Christus priùs illis Sacramentum dedit, dicens; *Accipite, & mãducate*; & posteà dixit, *Hoc facite in meã cõmemorationẽ.* & etiã potest priuatim die Sabbathi S. celebrare sine peccato; quia antiqua prohibitio *cap. Sabbatho. de consecrat. dist. 3.* abrogata est, quò ad sollemne officium, & sacrificium publicum, cessauit etiam pro eodem tempore, quò ad omnia sacrificia. Sed probabilior opposita; quia *in dicto cap. Sabbatho. de consecrat. dist. 3.* dicitur in die Sabbathi Sancti non celebrari, sicut in feria sexta: Sed in ea nullo pacto licèt celebrare; quia non solùm à iure antiquo non licet recedere, nisi quatenùs vel alio iure, vel consuetudine abrogatum est, sed etiam quia in Missa illius diei nullus ponitur Introitus pro Missis priuatis.

5. Sed Sabbatho sancto licitũ est priuatim celebrare, si Sacerdos careat hostijs ad cõmunicãdum infirmum in articulo mortis existentem; quia prohibitio iuris supradicti non est cũ tanto rigore recepta, quin liceat pro tanta infirmi necessitate. Ac etiam potest, si in eundem diem incidat festum Annuntiationis; quia cùm non possit populus commodè vni tantùm publico, & sollemni sacrificio interesse, cùm sit numerosus; & in die festo debeat audire sacrũ. Verùm siuè publicè, siuè priuatim illicitũ est feria sexta Hebdomadæ sanctæ sacrificare ad cõmunicandum infirmum; vel si in eundẽ diem incidat festus Annuntiationis; quia ex antiqua Ecclesię traditione penitùs prohibetur celebrari. *ita Innocẽtius 1. Epist. 1. ad Decentium cap. 4.* Et ex D. Tho. *3. p. quæst. 83. art. 2. ad 2.* colligitur, quòd eo die Ecclesia colit cruentum sacrificiũ Christi, ideò nõ repræsẽtat mysticè, nec immolat incruentèr, sicut in Missa. Sed per se loquẽdo, licitum est feria sexta Hebdomadæ sanctæ communicare

more

more Laicorum, & etiam infirmos de hostijs consecratis; quia nulla prohibitio sic habetur in iure, tamquam malum damnatum. Et Innocentius Papa manifestè solùm loquitur de Sacrificio Missæ.

6. Vnde Religiosi nō Sacerdotes, & Religiosæ debent bis, vel saltèm semel in Hebdomada communicare; quia isti debent tendere ad perfectionem, diuinis vacare, & sacris exercitijs intendere. Sæculares non coniugati, & à negotijs sæcularibus separati, possunt semèl in Hebdomada cōmunicare; quia ità hortatur D. August. vt refertur *in cap. Quotidiè dist. 2. de consecratione.* Coniugati verò, etiam si sint personæ piæ, sufficit semèl, aut bis in mense; quia cùm sint occupati in rebus sæcularibus, & vxorijs actibus vacent, non possunt cum tanta reuerētia accedere. *ità cap. omnis homo de consecrat. dist. 2.*

7. Ideò rarissimè, & ferè nūquàm est concedendum nō Sacerdotibus, & præsertim sæcularibus quotidiè cōmunicare; quia conueniens est, vt sit differentia inter Sacerdotes, qui sunt ministri Ecclesiæ, ad quos spectat ex officio iure sacrificiū offerre, & alios fideles, cùm tales moueantur ad superbiā. Quando verò non Sacerdos est probatissimæ vitæ, ità vt totalitèr sit occupatus in rebus diuinis, præcipuè si sit Religiosus, potest quotidiè cōmunicare; quia in eis viget deuotio fidei ad imitationem fidelium primitiuæ Ecclesiæ, sicut Beata Catharina de Senis. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 10.*

8. Rursùs iure diuino nō est expresè prohibitum bis, vel sæpè cōmunicare eadem die; quia sępiùs eodem die sacrificare nō est iure diuino prohibitum, cū adhùc Papa dispenset. Tamen videtur probabilitèr, & implicitè vetitum iure diuino naturali; quia ratio naturalis dictat causare cōtemptum. Iure verò Ecclesiastico est prohibitum, præter Natiuitatem Domini, Sacerdotibus tèr celebrare; quia *ità statuit Innocentius III. in cap. Te referente & cap. sufficit dist. 1. de consecrat. & cap. Consuluisti de celebrat. Missarū. ità D. Tho. in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4.* Extra sacrificium nullus datur casus, in quo liceat bis eadem die cōmunicare, & oppositum faciēs, mortalitèr, & grauissimè peccabit; quia aliàs vnitas, & sufficiētia Passionis Dominicæ, hac iterata communione eodem die, non repræsentaretur. *ita D. Tho. loco citato.* Ad vitandam autem iniuriam inferendam Sacramēto, licet bis eadem die communicare non solùm Sacerdos, sed etiam Laicus non ieiunus; quia maior irreuerentia sequeretur, si irrideretur ab infidelibus.

9. Tan-

9. Tandèm dies, intra quam non est licitum bis communicare, cōputandus à media nocte ad mediam noctem; quia ità est vsus, & consuetudo Ecclesiæ. More Laicorum, per se loquendo, fideles possunt communicare qualibet diei hora; quia nullo iure, aut Canone id prohibetur. Tamen manè vsq; ad meridiem; quia eo tempore Christi passio peragebatur.

ARTICVLVS IV.

An sit præceptum diuinum, vt Laici non communicent sub vtraque specie?

1. ℞. Non; quia in principio legis Euāgelicæ vsus era sub vtraq; specie. *ità in Concil. Constansiensi sess. 13. & cap. in Cœna & cap. cùm frāgitur. & cap. Quid sit de cōsecrat. dist. 2.* & D. Th. *3. p. quæst. 80. art. 12.* approbat hāc consuetudinem, consequentèr nullum extat præceptum.

2. Neque est præceptum diuinum, quo populus ad cōmunicādum sub vtraq; specie obligetur; quia talis anathamizatur, qui hoc affirmaret à Concil. Trid. *sess. 21. cap. 1. can. 1.* Et ex eo, quòd sub vna specie sumitur, nulla sit iniuria huic Sacramēto; quia in vtraque specie verè, realitèr, & substantialitèr totus Christus continetur, & totum corpus, & sanguis Christi. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 12. ad 1.*


3. Vnde in Ecclesia Romana extat potestas ordinādi, quomodo sit à fidelibus hoc Sacramentum sumendum; quia hoc non spectat ad substantiam Sacramenti, neq; ad effectum, vel vsum eius ex præcepto diuino necessarium, sed tantùm ad voluntarium vsum ad euitandam irreuerentiam. *ità Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. & Can. 2.* Ideò extat præceptū Ecclesiasticum, quo sub specie tantùm panis communicandi populo præcipitur. *ità Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. & Concil. Const. sess. 13.* Et rationabilitèr hoc facit Ecclesia Romana; quia sic vitatur omne periculū effusionis sanguinis, quod moralitèr vix possit caueri prę multitudine accedentium. Et ex D. Thom. *3. p. q. 80. art. 12.* colligitur, quòd vinum in parua quātitate potest cōsecrari; sed consecratū conseruari nō potest sine periculo corruptionis. Neq; cōceditur infirmo impotēti suscipere speciē panis; quia cùm affirmatiuū sit, nō obligat semper, & cum periculo irreuerentiæ tanti Sacramēti. Tamen calix consecratus, vēturus in manus Infidelium, & effundendus, consumi potest à Laico, in absentia ministri consecrati; quia hoc fit, ne fiat irreuerentia, & iniuria.

4. Verùm per se loquendo, potest Papa cū aliquo Regno, vel

vel personis dispensare, vt sub vtraq; specie sumat hoc Eucharistiæ Sacramentum; quia tota hæc res est iuris Ecclesiastici, supra quod potest Papa. Modò non expedit in hac re dispensare; quia Concil. Trid. *sess. 21. can. vlt.* respōdet difficultati, in aliud tempus, oblata sibi occasione examinandum, atq; diffiniendum, reseruat.

5. Rursus accedentes cum æquali dispositione nō plùs gratiæ recipiunt sub vtraq; specie, quàm sub vna tantùm ex opere operato; quãuis ex opere operantis consequantur maiorem gratiā; quia vtraq; species simul non est perfectius instrumentū, quàm vna tātùm, cùm realitèr, verè, & substantialitèr cōtineatur sub qualibet specie. Et sola species panis in hoc Sacramento est simul cibus, & potus spiritualis animæ; quia sub specie panis cōtinetur totus Christus. Et quando Sacerdotes celebrādo communicant sub vtraque specie, si species sanguinis reperit effectum Sacramenti causatum à specie panis, nihil aliud gratiæ confert, quia quādo quis recipit plures particulas recipit gratiam Sacramentalem, iuxta dispositionem, quam habet, quando communicat, & non maiorem, vel minorem iuxta quantitatem formarum Sacramentalium.

6. Et quamuis vtraq; species panis, & vini simul, clariùs significat conuiuium hoc spirituale, & gratiam Sacramentalem, quæ in eo confertur, quàm vna tantùm; quia vtraq; species simùl, magis explicitè significat gratiā cibantem, & gratiam reficientē, quàm sola species panis. Tamē Sacramenta nouæ legis, quæ clariùs significant, non propterea magis efficiunt; quia dùm est æqualitas dispositionis non confert maiorē gratiam ex parte suscipiētium. Et si aliquando Ecclesia permisit sub vtraque specie laici cōmunicarēt; quàm concedebat ad maiorem fidelium deuotionem. Sed modo vetitum ad euitandum errorem Bohemorum.



DISQVISITIO LI.

De Extrema Vnctione.

ARTICVLVS I.

An Extrema Vnctio sit verè, & propriè Sacramentum nouæ legis?

1. R. Sic, & oppositum est hæresis; quia *ità Cõcil. Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere & sess. 14. cap. 1. de Extrema Vnctione.* cùm in hac materia Extremæ Vnctionis remittantur peccata, iuxta dictum D. Iacobi *in sua Canonica cap. 5. & ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 1.*

2. Verùm Vnctio, quæ fit oleo ad Cathecumenos, non est Sacramentum, sed Sacramentale; quia non producit peccati remissionem, sed tantùm ad Baptismum disponit. Sed extrema Vnctio attingit effectum principalem, scilicèt tollit peccatum, ideò Sacramentum. *ità D. Tho. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 1. in corp.* Ideò hoc Sacramentum *est signum rei sacræ, quo reliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto, sub præscripta forma verborum, iuxta Christi Domini institutionem ad salutem animæ, & corporis.* Et est bona diffinitio; quia ly *signum rei sacræ*, est loco generis, cętera autem verba loco differentiæ, & differt à cęteris Sacramentis.

3. Similitèr in isto Sacramẽto cõpositum ex vnctionibus, & verbis est id, quod est Sacramentum tantùm; quia hoc Sacramentum supponit pro composito ex vnctionibus, & verbis, sicut & cętera Sacramenta supponunt pro materia, & forma, ex quibus cõponuntur. Gratia verò sanans à reliquijs peccatorum, est res tantùm in hoc Sacramento; quia gratia est effectus, & signatum in hoc Sacramento. Itèm in hoc Sacramẽto spiritualis deuotio, seu quædã hilaritas spiritualis est id, quod est res, & Sacramentum simùl; quia vnctio interior, quæ est deuotio, seu hilaritas quædam spiritualis, respectu Sacramenti, est effectus, & signatum; respectu verò rei Sacramẽti, est caussa, & signum; cùm ordinetur ad tollẽdas reliquias peccatorum, causat hilaritatem in anima, & auget gratiam. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 30. ad 3.* Sed idem diuersimodè cõsideratum potest esse res, & Sacramentum, & res tan-

tantùm Sacramenti; quia contritio habitualis secũdùm quòd disponit ad gratiã, est res, & Sacramentum simùl: secundùm verò, quòd ad illã subsequitur, est res tantùm. Et hæc interior deuotio, quæ est spiritualis vnctio, & hilaritas, est quid habituale; quia manet in eo, qui hoc suscipit Sacramentum, transacto Sacramento. Non tamen est specialis habitus à gratia, & alijs habitibus distinctus; quia est quidam modus, & perfectio ipsius gratiæ, & omnium habituum supernaturalium, quem modum, & excellentiam non habent, qui non recipiunt Extremam Vnctionem. Ideò omnia Sacramẽta causant interiorem deuotionem, & hilaritatem quãdam spiritualem in anima; quia Sacramẽta ex opere operato causant gratiam, vel eius augmentum, & deuotionem erga diuina. Extrema autem Vnctio causat quandam hilaritatẽ spiritualem, & deuotionem secundum specialissimam quandam rationem; quia vnctio causata ab hoc Sacramento, habet quandam excellentiam, & fortitudinem; cùm sanet à reliquijs peccatorum, & tollit tristitiam, & alias tẽtationes in hora mortis.

4. Vnde vnctio, de qua habetur *Marc. cap. 6.* qua Apostoli vngebant multos, & eos sanabant, non fuit verum Sacramẽtum Extremæ Vnctionis, sed tantùm eius figura; quia in Concil. Trid. *sess. 14. cap. 1. de Extrema Vnctione.* dicitur hoc Sacramentum fuisse insinuatum à D. Marco, & quod insinuatur, non expresśè proponitur, sed obscurè indicatur. Benè tamen D. Iacobus *in sua Canonica cap. 5.* loquitur de vnctione, quæ est verum, & vnum ex nouæ legis Sacramentis; quia ità Concil. Trid. *sess. 14. cap. 1.* affirmat cùm in verbis D. Iacobi contineantur omnia, quæ sunt de vnctione Sacramẽti nouæ legis. Et primò, ritus externus sensibilis, materia, & forma constans, scilicèt *oleo, & verbò, seù oratione Sacerdotis.* Secundò, minister, scilicèt *Presbyter.* Tertiò, subiectum, scilicèt *fidelis infirmus.* Quartò, effectus, scilicèt, *promissio gratiæ ad remissionem peccatorum. ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. §. 2.*

5. Rursùs Extrema Vnctio est vnum Sacramentum; quia licèt fiant plures vnctiones, tamen sunt vnum Sacramentum; quia *ità Concil. Florent. & Concil. Trid. sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 1. ità D. Tho. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 2.* Imò est vnum Sacramentum simplicitèr secundùm speciem athomã, ità vt sit vnũ numero, simplicitèr in quocunque indiuiduo; quia hoc Sacramentum ad eundem finẽ, seù effectum semper ordinatur,

scilicèt ad delēdas peccatorum reliquias, & ex eadem materia, & forma integra est. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad* 1. Et quando hoc Sacramentū semel confertur, est vnū numero tantùm Sacramentum, & non multiplex; quia omnes illæ vnctiones, & formæ ordinātur ad cōpletum effectum obtinendum, scilicèt ad confortandum, vel alleuiandum infirmū, cui confertur. *ità D. Thom. loco citato.*

6. Nota, quòd triplicitèr dicitur vnum numero. Primò, sicut indiuisibile, quod nec actu, nec potentia est plura, vt punctus, & vnitas. Secundò, sicut continuum, quod quidem actu est vnum, sed plura potentia, vt linea &c. Tertiò, sicut perfectum aliquod, quod ex partibus cōstituitur, vt domus, quæ licèt actu materialitèr sit multiplex, tamen, quia partes illius constituunt vnum perfectum, scilicèt domum, dicitur vnum quid artificiosum formalitèr; & hoc modo quodlibet Sacramentum dicitur vnum, in quantùm multa, quæ sunt in vno Sacramento, adunantur ad vnum significandum, vel causantur. *ità D. Th. loco citato in corpore.*

7. Similitèr hoc Sacramentum, sicut & reliqua, ab ipso Christo institutum est; quia virtus Sacramētorum à solo Deo est, cùm solus Deus sit, qui iustificat, cōsequētèr solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 64. art. 2.* cùm Sacramenta nouæ legis gratiam cōferant ex opere operato, eorum institutio ad potestatem excellentiæ Christi pertinet, qui & meritor fuit, & dator. *ità D. Tho. loco citato art. 4. ad* 1. Ità vt oppositum asserere sit hæresis. *ità Cōcil. Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 14. can. 1.* Neq; mirum si Euangelistæ institutionē Extremæ Vnctionis non narrauerunt; quia tantùm curauerūt tradere, quæ ad necessitatē salutis, & Ecclesiæ dispositionem pertinent. *ità D. Thom. loco citato ad* 1.

8. Tandèm nullum inueniri in Sacra Scriptura expressum locum, in quo tempus institutionis huius Sacramenti apertè exprimatur; quia si posset assignari locus, esset ille D. Marci *cap. 6.* & tamen tunc non fuit institutum, sed figura, cùm tunc Apostoli non fuerint Sacerdotes. *ità D. Tho. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 3. ad 1.* Sed fuit institutum post Resurrectionem, cùm Christus dixit. *Accipe Spiritum Sāctum, quorum remiseritis peccata &c.* quia Sacramenta, cùm sint fundamenta nouæ legis, ad legislatorem pertinet eorum institutio. *ità D. Thom. loco in corp.* Nec obstat, quòd Christus non exhibuit aliquod Sacramētum, nisi quòd ipse accepit exemplum;

plum; accipere autem pęnitentiam, & Extremam Vnctionem sibi non competebat; quia sine peccato erat; & ideò ipse hæc Sacramenta, scilicèt pœnitentiam, & Extremam Vnctionem alijs non exhibuit. *ità D. Thom. loco citato ad 3.*

ARTICVLVS II.

An oleum oliuæ sit conueniens materia remota huius Sacramenti?

1. R. Sic; quia Christus pro materia remota huius Sacramenti instituit oleum ex oliuis expressum; nam oleũ oliuarum est communitèr, & propriè oleum, & cętera sunt impropriè olea. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 4. in corp.* Ità vt oppositum asserere est hęresis manifesta. *ità Concil. Florent. in Decreto Eugenij & Concil. Trid. sess. 14. cap. 1.* Cur autem liquor olei potiùs sit conuenientior materia huius Sacramenti, quàm liquor vini tantùm est dicẽdum; quia hæc fuit Christi institutio. Tamen congruentèr dicẽdum est ad significãdos effectus huius Sacramenti; quia vinum sanat mordendo, & oleum leniẽdo; & ideò curatio per vinum magis pertinet ad pœnitentiam, quàm ad hoc Sacramentum, quod à Christo fuit institutum ad delendas reliquias peccatorum, & ad saluandum, & alleuiandum infirmum. *ità D. Thom. in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 2.*

2. Indubitatum est de necessitate præcepti oportere materiam remotam huius Sacramẽti esse oleum consecratum; quia in omnibus alijs vnctionibus est materia consecranda priùs: cùm hoc Sacramẽtum sit quędam vnctio. *ità Innocentius III. in cap. vnico statuit. ità Concil. Trid. sess. 14. cap. 1.* Imò ad validitatẽ, & veritatem requiri esse consecratum. *ità Concil. Florent. in Decreto Eugenij §. Quintum Sacramentum, & Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. & Innocentius I. & Concil. Vormatiense cap. 27. & Concil. Aquisgran. tit. 2. cap. 8. & D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2.* Ratio autem, cur in Baptismo non præexigitur de necessitate Sacramenti, materiæ sanctificatio; in Sacramento verò Extremæ Vnctionis pręrequiritur oleum esse consecratum; quia omnis efficacia Sacramentorũ à Christo descendit, & ideò Sacramẽta illa, quibus ipse vsus est, habent efficaciam ex ipso vsu suo, sicut tactu suæ carnis vitam regeneratiuam contulit aquis; sed hoc Sacramento Extremæ Vnctionis Christus non vsus est, nec aliqua corporali vnctione, & ideò in omnibus vnctionibus requiritur sanctificatio materiæ. *ità docet Innocentius III. & D. Tho. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 5.*

&

& oportet de necessitate huius Sacramenti materiam esse consecratam per Episcopum. *ità Concil. Florent. in Decreto Eugenij §. Quintum Sacramentum, & Concil. Trid. sess. 14. cap. 1* Taliter quòd per dispensationem Papæ non potest inferiori Sacerdoti committi, vt oleum illud benedicat, quod futurũ est materia huius Sacramenti; quia Concil. Trid. *sess. 14. can. 1.* absolutè dicit materiam huius Sacramenti esse oleum benedictum ab Episcopo ex Apostolica traditione. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3.* Nec obstat dictum D. Clementis *lib. 8. Apostolic. cōst. cap. 35.* quòd presbyter, absente Episcopo benedicat oleũ &c. quia ibi D. Clemens non habet sermonem de materia huius Sacramenti, sed de oleo ad sanitatem extra Sacramentum habēdam, adhiberi solito. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 31. art. 1.*

3. Et si dignior sit consecratio materiæ Eucharistiæ, quàm huius Sacramenti, tamen simplex Sacerdos potest vi suæ ordinationis transubstantiare hostiam in Corpus Christi; non tamen habet potestatem consecrandi oleum futurum materiā Extremæ Vnctionis; quia sic statuit, & instituit Christus Sacramentorum auctor. Vnde super hoc non cadit dispensatio Papæ; quia in substantiali materia Sacramentorum non potest Papa dispensare.

4. Similitèr non subsisteret, nec esset validum Sacramentũ Extremæ Vnctionis ministratũ oleo catechumenorũ, vel oleo Chrismali, idest quod est mixtum balsamo, ad conficiendum Chrisma, seù Sacramentum Confirmationis; quia quamuis Christus non definierit certa verba, quibus benedicendum sit oleum infirmorum, definiuit tamen, vt benedicatur benedictione vtique ad vsum, cui destinatur accomodata, aliàs esset instrumentũ impertinens. Neque esse validum Sacramētum Extremæ Vnctionis, si per errorē adhiberetur aliud oleũ, quàm infirmorum, benedictũ tamen ab Episcopo; quia materia huius Sacramenti est oleũ benedictum ab Episcopo, per ordinem ad hoc Sacramentũ.

5. Verùm oleum oliuarum est sufficiens materia huius Sacramenti, si alius liquor illi admisceatur in modica quantitate; quia oleum oliuarum non amittit propriam naturam, & speciem propter modicam admixtionem alterius liquoris. In magna verò quantitate, ita vt corrumpatur natura, & propria species olei, non esset validum Sacramentum, ministratum cũ tali tertio tertio liquore; quia oleum oliuarum in sua propria specie, & natura est materia instituta à Christo. *ita Concil. Florent.*

rent. in Decreto Eugenij IV. §. Quintum Sacramentum. Consequentèr non est validum Sacramentum, in Chrismate ministratū, si ex commixtione balsami, oliuarum propriam naturam amiserit; quia tunc illud mixtum esset diuersæ speciei ab oleo oliuarum, quod est materia necessaria in hoc Sacramento, instituta à Christo. Item nec esset validum Sacramentum in Chrismate ministratum, si desit benedictio olei infirmorum, etiam si foret benedictum benedictione Chrismatis: nec oleum balsami commixtione, propriam naturā amiserit; quia materia necessaria huius Sacramenti est oleum benedictū ab Episcopo, per ordinem ad Sacramētum Extremæ Vnctionis. Ideò oleum mixtum balsamo in modica quantitate in infirmis vngendis non est adhibendum, quia nomine Chrismatis latè sumpti, veniat oleū; & ibi *in cap. Illud superfluum*; ità sumatur, non est necesse, quod propter illud nomen Innocentij Primi, oleum mixtum balsamo in modica quantitate, in infirmis vngendis adhibeatur. Vnde hæc propositio non est absolutè concedenda: Chrisma, licèt mixtionem habeat balsami, est sufficiens materia Sacramenti Extremæ Vnctionis; quia si mixtio balsami est tanta, vt oleum oliuæ exuat propriam suam speciem, & naturam, sic nullum fieret Sacramentum; cum oleum oliuæ in sua specie sit materia necessaria huius Sacramenti; *vt statuitur in Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV. §. Quintum Sacramentum.* Si verò mixtio balsami cum oleo sit in modica quantitate, tunc est quidem materia sufficiens huius Sacramenti; quia admixtio balsami cum oleo in modica quantitate nō destruit propriam speciem, & naturam oleo. Non tamen est necessaria talis admixtio; quia oleum oliuarum est materia necessaria in hoc Sacramento, nullam requirens mixtionem balsami.

6. Tria ergò olea sacra in Cœna Domini, Episcopali benedictione conficiuntur: scilicèt Oleum Cathecumenorum, Oleum Infirmorum, & Chrisma confectum ex oleo, & balsamo: quę sacra olea, sicut hodiè, ita etiam fuerunt distincta vnguēta, siue olea. Pro vnctione baptizandorum inter scapulas, & in pectore vnum: pro Confirmatione alterum: & pro Extrema Vnctione tertium. *ita ex Concil. Maldensi* Primum, & principale inter ista olea consecrata ab Episcopo in die Cœnæ, dicitur sanctum Chrisma, quod oleo, & balsamo conficitur, quo benedicuntur fontes baptismales, & calix, & patena, Ecclesia, Altare, & puer baptizatus

ratus in vertice, & in fronte, & Episcopi quando consecrātur in manibus, & in capite inunguntur, & omnes fideles, cùm Chrismantur. Quod quidem oleum annuatim consecrandū est, & innouandum. *ita in cap. si quis de alio dist.* 4. Et peccatum est vti alio, quàm nouo, vt ibi dicitur. Secundum est oleum Cathecumenorum, quod dicitur oleum benedictum, siue sanctum, quo inungūtur baptizandi inter scapulas, & in pectore, & in manus Sacerdotis cùm ordinatur, & Principes, & Reges in brachio, & humero, & Ecclesia, ac Altare ante Chrismationem. Tertium est oleum infirmorū, quo inungūtur infirmi in Extrema Vnctione; *vt in cap. vnic. de sacra vnctione. & in Concil. Trid. sess. 14 cap. 1. de institutione huius Sacramenti.*

7. Verùm oleum non sacrū, additum sacro, fit sacrum; quia res sacra vt potè dignior, trahit ad se rem non sacram. *ità in cap. Quòd in dubijs de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris. & D. Thom. in 4. dist. 12 quæst. 1. quæstiunc. 6. ad 2.* Et non est eadem ratio de vino consecrato si addatur vinum non consecratum; quia vinum consecratum, ampliùs substantia vini non est, sed Sanguis Christi, & solùm est qualitate, & quantitate vinum, modò si addatur vinum profanum, non solum est quantitate, & qualitate vinum, sed etiam substantia vini, quamuis cum vino sacro commixtum fiat vnū quātitate, non tamen substantia. At oleum sacrum non mutat substantiam olei; *ita D. Thom. loco citato.* Et si oleum non sacrum quantitate maius, addatur oleo sacro quantitate minori, totum non fit sacrum; quia si aqua benedicta aspergeretur mare, tota aqua maris non esset benedicta, cùm excedat quantitatē; *ita D. Thom. loco citato.* At si oleo sacro adiungatur paulatim syncathegorematice in infinitum oleum profanum, sed semper quantitate minus, totum fiet sacrum; quia sicut caro animalis tota fit viua accessu, & additione minoris carnis, & tota fit vna caro animata, & viua, ita oleum, &c. *ita D. Thom. loco citato.*

8. Similitèr oleo, cùm sanctificatur ad vngēdos infirmos, non imprimitur aliqua virtus, ei inhærens; quia Sacramentalia non habent in se virtutem aliquam supernaturalem inhærentem, cùm sint res materiales, & inanimes, & sunt vt quædam instrumenta Dei, & sic D. Thom. *3. p. q. 83. ad 3.* explicat se ipsum; Duplicitèr autem aliquid dicitur habere virtutem diuinam, vel esse instrumentū Dei ad aliquid faciendum. Primò, dicitur habere talem virtutem inhærentèr, scilicèt qualitatem

tatem inhærentem, & sic credimus, & amamus, & speramus diuina per fidem, spem, & charitatem diuinitùs infusam. Sic etiam tria Sacramenta Baptismus, Confirmatio, & Ordo; quia imprimunt charaсterem, idest supernaturalem qualitatē in anima secundùm partem intellectiuam, quà ritè afficimur, vel ad alia Sacramenta recipiēda, vel ad fidem Christi publicè profitendam, vel rectè, & Sanctè munera, & officia Ordinū obeunda. Secundò, assistentē tantùm, & sic res inanimatæ, quæ in Ecclesia benedicuntur, & consecrantur, habent virtutem diuinam ad aliquid faciendum, non quidem inhęrentem, sed assistentem tantùm; quia eorum consecratio, solum est per extrinsecam denominationem ab Ecclesia institutam; cū sint res inanimatæ, sunt incapaces inhærentiæ supernaturalis, sed tantùm habent instrumentalem virtutem excitantem ad deuotionem; & sic est de oleo consecrato ad vngendos infirmos. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 3. ad 3.* Et consecratio Ecclesiæ, & olei sancti ad vngendos infirmos non est actio omninò transiens, sed permanens in esse moris in ipso Sacramento; quia oleum Sanctum, per consecrationem Ecclesiasticā remanet permanentèr sacrum in esse moris, & dedicatum, vt sit instrumentum Dei ad vngēdos infirmos, & ad delendas reliquias peccatorum.

9. Similitèr ad validitatem Sacramenti Extremæ Vnctionis, non est necesse, vt oleum fuerit eodem anno benedictū; quia nullo iure constat hoc requiri ad validitatem Sacramenti. Ex consuetudine, & ex præcepto debet eo anno esse benedictum; quia ità Fabianus Papa *in cap. Litteris vestris dist. 3.* statuit, & quòd vetus in sanctis Ecclesijs cremetur. Nec Parochus videtur à peccato excusandus, si oleum alterius anni adhibeat, ad vngēdos infirmos, (nisi aliud suadeat necessitas;) quia faceret contra consuetudinem Ecclesiæ.

10. Tandèm materia proxima Extremæ Vnctionis, est vnctio; quia sic dictum est à D. Iacobo *cap. 5.* nā sicut ablutio est materia proxima in Baptismo, ità vnctio in Extrema Vnctione. Quæ debet fieri in forma crucis, sed non necessitate Sacramenti; quia oppositum neq; in loco D. Iacobi, neque in Sacris Cōcilijs, neque ex traditione Apostolica fundamentum habet. Sed benè peccat mortalitèr facere vnctiones sine figura Crucis; quia est contra consuetudinem cōmunem vniuersalis Ecclesiæ. *ità in cap. Nunquid, dist. 5. de consecratione.*

ARTICVLVS III.

An hoc Sacramentum habeat aliquam formam?

1. R. Sic; quia omne Sacramẽtum nouæ legis efficit significando per formam verborum determinatam; cùm sit vnum ex septem Sacramentis. *ità in Concil. Trid. seß. 7. de Sacramentis in genere. can. 1. & seß. 14. de Institutione huius Sacramenti can. 1. & D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 5. & 6.* Et forma illius fuit tradita à Christo; quia ita diffinitum est in Concil. Trid. *seß. 7. de Sacram. in genere can. 1. & ita D. Thom. in 4. distinc. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1.*

2. Forma huius Sacramenti cōgruentius profertur per orationem deprecatiuam, quàm per indicatiuam; quia non confert semper suum adæquatum effectum primarium, & secundarium, etiam si debita forma, & materia administratur, & ritè recipiatur, sicut cętera Sacramenta: ideò deprecatiuè datur, vt conferat etiam effectum secundarium, scilicèt sanitatem corporalem. Imò si pronunciatur per modum indicatiuum nõ esset validum Sacramentum; quia *ità statuitur in Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV. & D. Iacobus ait, scilicèt inducat Presbyteros Ecclesiæ, & oret super eum; & Conc. Trid. seß. 14. cap. 1. de institutione huius Sacramenti, & D. Thom. in 4. dist. 23. art. 4. quæstiunc. 2.* Ità vt extra communem formam, nõ est valida, quia facit contra diuersum vsum Ecclesię traditum ex Apostolica traditione. Vnde vera forma est ista, scilicèt, *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti, per visum &c.* quia exprimit materiam proximā huius Sacrm̃ēti, & etiam illud, quod operatur in Sacramento, scilicèt diuinam misericordiam, & effectum, scilicèt remissionem peccatorum. *ità Cōcil. Florent. vt supra & D. Th. 3. p. in addit. quæst. art. 9.* Et oratio deprecatiua non facit, quòd effectus huius Sacramenti non sit certus de se, sed tantùm ostendit, quòd quādoq; nullus sequitur effectus in recipiente propter indispositionem eius; quia fictè recipiens, neq; primarium effectum eius recipit, qui est remissio reliquiarum peccatorum, neq; virtute Sacramẽti malè suscepti, suscipit secundarium, scilicèt sanitatem corporalem. *ità D. Thom. 3. p in addit. quæst. 29. art. 8. ad 1.*

3. Verùm non debet in hac forma explicitè, & formalitèr explicari materia remota, quæ est oleum benedictum ab Episcopo; vt habetur in Cōcil. Trid. *seß. 14. cap. de Instit. Extremæ Vnctionis*; quia licèt aliquæ Ecclesiæ-

clesiæ in hac forma declarent hanc vnctionem fieri ex oleo sãcto, tamen Ecclesia Romana solum dicit. *Per istam Sãctam Vnctionẽ &c.* & tamen nulla fit mẽtio olei. Et si in forma omittatur, seù tollatur, ly *sanctam*, vel ly *piissimam*, verum conficit Sacramẽtum; quia tantùm requiritur ad veram, & substantialẽ formã huius Sacramenti, quod sit oratio deprecatiua, explicãs causam illius, & effectum, determinans materiam ad causandũ, & significandum talem effectũ. Sed si omitteret, ly *Per istam vnctionem*, nullum erit Sacramentum; quia per illa verba declaratur materia Sacramenti, & actio ministri, quæ sunt substãtialia. Et si omitteret ly *Piissimam misericordiam*, conficeret Sacramentum; quia non sunt verba substantialia; cùm diuina misericordia Dei sufficientèr inuocetur per ly *Indulgeat tibi Deus &c.* Sed benè grauitèr peccat omittendo, quia in re graui à communi omnium consuetudine Ecclesię Romanę recedit, & se exponit periculo nõ conficiendi Sacramentum. Ac etiã inuocationem Sanctissimę Trinitatis nõ esse de essentia huius formæ; quia hoc Sacramentũm nõ est professio fidei, sicut Baptismus, in cuius forma est necessaria necessitate Sacramenti inuocatio explicita Trinitatis. *ita D. Thom. 3. q. 66. art. 5.*

ARTICVLVS IV.

An hoc Sacramentum valeat ad remissionem peccatorum mortalium?

1. R. Sic, aliquando; quia Sacramẽta nouę legis ex vi sua nõ ponentibus obicem, infallibilitèr cõferunt gratiam ex opere operato. *ita D. Th. 3. p. in addit. quæst. 30. art. 1. ad 2.*

2. Verum vt tale Sacramentum, ex sua institutione, seu secundum suam rationem specificam, & per se non habet causare primam gratiam, nec valet ad remissionem peccati mortalis; quia solùm Baptismus, & Pœnitentia habent hanc excellentiam. *ita D. Tho. 3. p. quæst. 79. art. 3.* Nec propriè dicitur, & primariò remittere peccata venialia; quia ex D. Th. 3. p. q. 65. art. 1. ad 8. dicitur, Nullum Sacramentum nouæ legis esse per se, & primariò institutum contra peccatum veniale; cùm possit tolli per Sacramentalia; quia Pœnitentiæ Sacramentũm ex vi suæ institutionis potest tollere tàm venialia, quàm mortalia. Sed benè effectus proprius, & primarius illius, est causare augmentum gratiæ lætificantis animam, & roborantis ipsam, cõferentis perfectum vigorem, ad exercenda opera supernaturalia; atq; adeò tollentis omnes

reliquias peccatorum; quia est institutum à Christo, tamquam firmissimum præsidium, quo infirmus contra insidias Diaboli muniatur, ac in spem erigatur. *ità Concil. Trid. sess. 14. cap. 2.* Vnde hoc Sacramentum propriè non remittit culpam, vel originalē, vel mortalem, vel venialē, neq; remittit pœnæ reatum; quia reatus per ignem Purgatorij expurgatur. *ita D. Tho. in 4. dist. 23. quæstiunc. 1.*

3. Nota, quòd triplex est peccatum, scilicèt, originale, mortale, & veniale, & in vnoquoq; est distinguere tria, scilicèt maculam culpæ, reatum pœnæ, & reliquias, quæ ex ipsis peccatis relinquuntur. Peccatum originale, mortale, & veniale quò ad maculam culpæ, & quò ad totalem reatum pœnæ, remittitur per Baptismum; quia est quædā regeneratio spiritualis. Actuale verò mortale, vel veniale, post Baptismū remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ. Reliquiæ verò horum peccatorum, scilicèt debilitas, ineptitudo, lāguor, & torpor ad benè operandum, quæ relinquuntur in nobis ex peccato originali, & actuali abstergūtur per Extremā Vnctionem; quia hoc Sacramentum est medicamen spirituale, quod præsupponit vitam spiritualem. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 30. art. 1.* Habitus tamen mali, qui per frequentes peccatorum actus contrahuntur, licèt simpliciter nō tollantur per Extremam Vnctionem; quia hi per frequentiam actuum cōtrariorum auferuntur; tamen sublata debilitate spirituali in ipsa mēte existente, per Sacramētum hoc aliquo modo cessant; quia debitati, & diminuti remanent, ità quòd homini non dominentur. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 86. art. 5. & loco supracitato.*

4. Vnde hoc Sacramentum non confertur sanis; licet sæpè easdem debilitates, & ineptitudines ad bonum operandum patiantur; quia effectus huius Sacramenti est mentis sanatio, & in quantùm expedit, ipsius etiam corporis. *ità in Concil. Florent. in Decreto Eugenij IV. §. Quintum Sacramentum.* Sed non semper sequitur corporis sanatio; quia tunc hoc sequitur, quādo expedit ad spiritualem sanationem. Ideò regularitèr loquēdo, per Extremam Vnctionem non sanantur corporalitèr, nisi prædestinati; quia isti ordinant salutem corporalem ad spiritualem, & ad maius augmentum gratiæ, & gloriæ. Præsciti verò, aliquando; quia qui non est prædestinatus, secundùm præsentē iustitiam, per Extremam Vnctionem proficit diuina virtute iuuante, per aliquod tempus in salute spirituali. Per accidens esset tamē è respectu istius sanitatis corporalis, collatæ virtute

tute diuinam per Extrema Vnctionē, quòd talis posteà mortalitèr peccet, & damnetur.

5. Similitèr per formam Extremæ Vnctionis denotatur secundariò, & implicitè sanitas corporis; quia ly, *Indulgere*, licèt per se primò significet, quòd tollatur infirmitas spiritualis, secundariò verò, & implicitè significat, quod tollatur infirmitas corporalis, (si hoc expedit ad salutem spiritualem.) Tamen hæc sanitas corporalis non est miraculosa; quia licèt effectus Sacramētorum sint supernaturales, non tamen sunt miraculosi, cùm sint regulares; quando expediūt ad spirituale sanitatē; quia *ità Concil. Trid. sess. 14. can. 2. ita etiam Concil. Coloniense par. 7. cap. 49. & Concil. Senonense decreto 10. cap. de Extrema Vnctione. & Concil. Coloniense secundò. cap. 48.* Et si est impedimentum ex parte recipiētis, quòd per susceptū Sacramentū nō conferatur sanatio spiritualis: sanatio corporalis non sequitur vi Extremæ Vnctionis; quia sanitas ex hoc Sacramento ordinatè procedit primò in animam, secundò in corpus. Et si sequatur sanitas corporalis, non indè liceat inferre pro certo ipsum infirmum consequutum esse gratiam Dei in anima; quia potest esse impedimentum ex parte recipientis, & vi diuinæ bonitatis potest illa prouenire in infirmum, *ità D. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 5.*

6. Rursus vi huius Sacramēti non datur sanitas corporalis, quando nō expedit ad salutem animæ; quia Extrema Vnctio non facit corporalem sanationē ex naturali proprietate materiæ, sed virtute diuina, quæ rationabilitèr operatur. *ità D. Th. in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.* Neq; per eam potest fieri perpetua, vel nimis prolongari vita hominis; quia quilibet habet terminum vitæ statutum à diuina prouidentia, & illum gradū gloriæ, ad quem à Deo prædestinatus est.

7. Tandèm hoc Sacramentum nullum imponit Characterem; quia non confertur, tamquàm in Ecclesia militanti permansuro, sed tamquàm indè in aliam vitam profecturo.

ARTICVLVS V.

An Laicus validè possit hoc Sacramentum conferre?

1. ℟. Non, quia nō habet potestatem dimittēdi peccata; cùm hoc Sacramentum dimittat peccata, quæ solùm Sacerdotes habent. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1.* Ità quòd in nullo casu potest Laicus validè hoc Sacramentum ministrare; quia in solo Baptismo diuina dispensatione factum est, vt in neces-

sitate

sitato possit à non Sacerdote ministrari; *ità D. Tho. loco supra citato & 3. p. in addit. q. 31. art. 1.* Et quando Innocētius I. *in Epist. ad Decentium cap.* 8. ait, non solùm Præsbyteris, sed etiam omnibus Christianis vti licere sacro oleo in sua, aut suorum necessitate vngendo; loquitur de vnctione olei benedicti, in qua ex reuerentia quadam, & maxima cum deuotione oleum benedictū adhibeatur in morbis; quia vnctio illa olei benedicti non sacramentalis, in Ecclesia valuit sępè mirabiliter ad sanitatem.

2. Imò neque Diaconus illud conferre potest; quia non est sufficienter consecratus ad hoc Sacramentum ministrandum; cùm non habeat potestatem in corpus Christi verum, nec ad remittenda peccata, cōsequēter neque in corpus mysticum, ad sanctificandum illud, nec ad remittenda peccata, cum per hoc Sacramentum interdum remittuntur peccata, quæ non potest Diaconus. Ita quòd Diaconus ob defectum Sacerdotis, ex commissione Papę validè non potest conferre; quia supra proprios ministros in administratione Sacramentorum, nulla cadit dispensatio, etiam Papæ. *Ità statuit Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. & Can. 4. sub anathemate diffinit Diaconos hoc Sacramentum conferre non valere.*

3. Verùm conferre hoc Sacramentum non est reseruatū solis Episcopis; quia illa Sacramenta reseruantur Episcopis, quæ suscipientem constituunt in aliquo statu perfectionis supra alios. Sed quilibet simplex Sacerdos est sufficiens minister huius Sacramenti; quia D. Iacobus absolutè dicit, inducat Presbyteros. *Ita diffinit Concil. Trid. sess. 14. can. 4.* Ratio autem, cur simplex Sacerdos sit proprius minister Extremæ Vnctionis, non autem Confirmationis; quia confirmatio imprimit characterem, ideò talis Episcopis reseruatur; & Extrema Vnctio datur tantùm ad delendas reliquias peccatorum. *Ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 31. art. 1. ad 1.*

4. Et quamuis quilibet Sacerdos validè possit hoc Sacramentum administrare, tamen licitè necessariū esse, vt sit proprius Sacerdos ægroti, aut à proprio potestatem habēs; quia *ita statutum est ex Clemente I. de Priuilegijs.* In casu tamen grauis necessitatis, & vrget periculum, & non est proprius Sacerdos potest validè, & licitè quilibet Sacerdos, siuè sæcularis, siuè Religiosus conferre; quia præsumitur adesse consensus Parochi, & Papæ. Imò etiam præsente, & reclamante proprio Parocho, qui ægroto non curat, nec vult administrare; quia

quia non oportet Clementinã illam de priuilegijs, cum tanto rigore intelligere; cum non sit intentio Papæ.

5. Similitèr vnus Sacerdos est sufficiens minister huius Sacramenti; quia in vno est potestas sufficiens ad applicandã totam materiam, & formam ad hoc Sacramentum necessariã. Et dum D. Iacobus dicit, *inducat Presbyteros, idest aliquem ex Presbyteris Ecclesiæ*. Imò à pluribus Sacerdotibus ministratum, scilicèt vno vngente, & alter proferēte formam, nō est validum; quia idem Sacerdos debet vngere, & orare, idest formam proferre; cum forma huius Sacramenti sit per orationē deprecatiuam. *ita D.Tho. 3.p. in addit. quæst. 29. art. 8. ad 3*. Sed benè subsistit Sacramentum, si plures Sacerdotes ita ministrēt, vt vnus vnam vnctionē faciat cum sua forma, & alius aliam cum propria forma; siuè id fiat ob necessitatem, & licitè, siuè extra illam & illicitè; quia sicut Sacramentum corporis, & sanguinis Christi potest confici à duobus Sacerdotibus, quando peracta consecratione corporis Christi, moritur primus Sacerdos, vt docet D. Thom. *3.p. quæst. 83. art. 6. ad 1.* Sed qui hoc sine necessitate ministrant, peccabunt mortalitèr; quia Concil. Trid. *sess. 14. cap. 4.* dicit ministrum esse Sacerdotem, & nō Sacerdotes. Sed extante necessitate licitè plures Sacerdotes illud ministrare possunt; quia cùm non sit Sacramentum necessitatis, sæpè contingere poterit, vt infirmus fiat ex attrito contritus, & saluetur per collationem huius Sacramenti.

6. Similitèr alius Sacerdos potest perficere hoc Sacramētum inchoatum, si primus morte præoccupetur; quia sicut peracta consecratione corporis, moritur primo primus Sacerdos, potest ab alio perfici: ita in hoc Sacramento. Ideò secundus Sacerdos non debet inchoare à principio, sed eas perficere, quas primus morte potius ... non perfecit; quia licet subiectum suscipiens illas primas vnctiones, non maneat sanctificatum, quantùm ad sanctitatem gratiæ, manet tamen dispositum ad effectum gratiæ, si reliquæ vnctiones adiungantur. Ita etiam Ordo vnctionū, scilicèt quòd priùs vngantur oculi, posteà aures, &c. non est de necessitate Sacramenti; quia materia essentialis in hoc Sacramento nō est relatio, aut ordo, sed vnctio.

7. Tandèm si duo Sacerdotes simul vngant omnes sensus ægroti, vnus vnum oculum, & alius alium, & sic de cæteris, independentèr ab intentione alterius, quasi solus Sacramentū ministraret, licèt sit illicitum, est

est tamen validum Sacramentum; quia ad validitatem Sacramenti sufficit debita materia, forma, & intentio ministri. *ita D. Thom. 3. p. q. 67. art 6.* Sed si vnus Sacerdos vngit dependentèr ab intentione alterius, tunc nullum conficit Sacramētum; quia aliàs forma Sacramenti non esset ex intentione illam proferentis ad verum sensum determinata. *ita D. Thom. loco supra citato.*

ARTICVLVS VI.

An hoc Sacramentum conferendum sit sanis?

1. ℞. Non; quia D. Iacobus ait, *infirmatur quis in vobis, &c. ita Concil. Florent. in Decreto Eugenij in tract. de Sacram. §. Quintum Sacramentum.* & à Concil. Trid. *sess. 14. cap. 3.* determinatur, quòd tantùm infirmis debet dari. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 29. art. 1. in corp. & quæst. 30. art. 1. & 2.* Et esset inualidum, si de facto conferatur sano; quia subiectum huius Sacramenti sunt soli fideles de vita periclitantes.

2. Neque conferendū gentibus gerentibus bellum, aut existentibus in mari cum periculo mortis, & mulieribus in partu; quia non laborant infirmitate corporali. *ita D. Thom. 3. p. in Addit. quæst. 32. art. 1. ad 2.* Tamen si mulier in partu incipiat deficere, est dandum; quia tunc ex defectu naturæ proxima est morti. *ita D. Thom. loco citato.* Neq; damnatis ad mortem per supplicium à iudice, aut in periculo mortis violentæ existentibus; quia isti non infirmantur. Sed benè dandum est vulneribus cōfossis; quia licèt hi de vita decidant, & morte violenta moriantur, tamen infirmantur. Neque debet cōferri in qualibet infirmitate; quia hoc Sacramentum est vltimum remedium, quod Ecclesia potest fidelibus suis conferre immediatè, quasi dispositio ad gloriam.

3. Ideò si cōferatur infirmo non existenti in periculo mortis, Sacramentum est nullum; quia Concil. Florent. *in loco supra citato* definit solis infirmis dari: cùm ad veritatem huius Sacramenti requiratur, vt medici de infirmi salute desperent, licèt non sit omni spe destitutus, & D. Thom. *3. p. in Addit. quæst. 32. art. 2. ad 2.* ait, esse necessarium iter agentibus ad gloriam, & sub isto titulo confertur. Verùm non est expectandum, vt infirmus sensu, & cognitione careat, neque tempus, in quo manifestè constet, infirmum non posse naturalitèr viuere; quia D. Iacobus loquitur de infirmitate, in qua homo est in periculo mortis. *ità Concil.*

Trid. seff. 14. cap. 3 & D. Th. loc. cit.

4. Similitèr infirmus, qui numquàm peccauit actualitèr non est aptus ad suscipiendam Extremam Vnctionem; quia in eius forma dicitur, *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, per auditum &c.* cùm hoc Sacramentū correspondeat pœnitentiæ, non datur, nisi supposito peccato actuali; ita hoc Sacramentum, ministrari non debet nisi ęgroto, qui aliàs peccauit actualiter, per quod causatur quædam debilitas ad superandum Diaboli insidias, non tamen loquimur de debilitate causata ex peccato originali. *itá D. Th. 3. p. in addit. q. 32. art. 4. ad 2.* Potest etiam, & debet ministrari adulto, qui statim post susceptū Baptismum incidit in morbum lethalē; quia licèt adultis baptizatis sit omnis culpa, & pœna deleta, remanet tamen pugna contra hostem. Nec est mendacium in forma, licèt non delinquerint post Baptismū; quia remansit in eis debilitas mentis causata ex prioribus actualibus delictis, quæ non tollitur omninò per Baptismum. Et quamùis Beata Virgo fuerit subiectū capax Baptismi, & de facto illū susceperit; quia omnibus hominibus impositum est præceptū Baptismi: non tamen est subiectum capax huius Sacramenti; quia Beata Virgo fuit immunis ab omni actuali culpa.

5. Item Furiosis, Amentibus, seu Phreneticis, qui numquàm ratione sunt vsi, non est conferendum; quia tales non commiserunt vllum peccatū actuale; cùm nō debeat exhiberi his, qui non possunt illud recognoscere. *itá D. Thom. 3. p. in addit. q. 32. art. 2.* Benè tamen illis habentibus lucida interualla; quia tales aliquando actualitèr peccauerunt. Neque est necesse, quòd homo debeat habere vsum rationis, quando suscipit hoc Sacramentum; quia quòd hic, & nunc non habeat vsum rationis, nec actualitèr petat hoc Sacramentum, per accidens est; ideoq; non est contra substantiam Sacramenti.

6. Verùm non debet dari alicui malæ vitæ notoriè, aut excommunicato, qui amisit loquelam, vel in Phrænesim incidat; quia semel malus semper præsumitur malus, nisi contrarium probetur. *itá Regula iuris in 6.* Secùs si erat bonæ vitæ; quia nō præsumitur immemor suæ salutis in morte, plusquàm in vita. Item si Sacerdos per diuinam reuelationē cognosceret, infirmum amentem habuisse solùm attritionem, antequā in amentiam incideret, debet illi hoc Sacramētum ministrare; quia tunc per accidens, est sufficientèr dispositus ad illud suscipiendum, & non habet aliud remedium vt saluetur.

Vvv 7. Di-

7. Dispositio autẽ sufficiens, & necessaria ad hoc Sacramentum suscipiendum, attenta propria natura illius, est contritio, per se loquendo; quia licèt sit necessaria per se contritio. Per accidens tamen sufficit attritio supernaturalis existimata ꝓbabilitèr cõtritio. Ideò si talis adultus habens attritionem cognitam quando habebat vsum rationis, & posteà incidat in amẽtiam, si conferatur illi extrema vnctio, iustificabitur medio illo Sacramento; quia Sacramẽta nouæ legis conferunt gratiã non ponentibus obicem. *ità Conc. Trid. sess. 7. can. 6.* Sed nõ iustificatur, imò de nouo peccat, si infirmus habẽs vsum rationis cum sola attritione cognita, suscipiat hoc Sacramentum; quia talis tenetur illud suscipere cum sufficienti dispositione, quæ est contritio.

8. Rursùs non debet dari pueris; quia hoc Sacramentum exigit actualem recognitionẽ, & actualem deuotionem in suscipiente. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 32. art. 3. & 4.* Benè tamen est capax adultus, qui nullum cõmisit peccatũ post susceptũ Baptismum; si ante susceptionẽ baptismatis, actualiter deliquit; quia in illo verificatur forma, scilicèt, *Quicquid deliquisti per visum &c.* & tunc Sacramentum sortitur effectum suum; quia effectus principalis illius est remittere reliquias peccatorum commissorum, siuè antè, siue post susceptum Baptismum. *ità D. Tho. 3. p. in addit. quæst. 30. art. 1.*

9. Tandẽ pueri possunt frui, & licitè ministrari potest eo tẽpore, quo illis Viaticum porrigitur; quia Viatico succedit hoc salutare Sacramentum. Et quãuis pueri non peruenerint ad illam ætatem, in qua regularitèr, & communitèr reciperent sani, Eucharistiã, tamen possunt modò recipere propter præsentem necessitatem, ac etiam Extremã Vnctionem. Ac etiam conferẽdum senibus, qui senio conficiuntur absque vlla infirmitate; quia senectus ipsa est morbus.

ARTICVLVS VII.

An sit necessarium totum corpus vngere?

1. ℞. Non necessitate Sacramenti; quia medicina debet apponi illis partibus, vbi est radix mortis. Neq; præcepti; quia secundùm vniuersalem Ecclesiæ ritum, non inungitur infirmus, nisi in determinatis corporis partibus. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 32. art. 5.*

2. Partes quæ vngũtur, sunt quinque sensuum organa, scilicèt, *oculi, aures, nares, os, & manus*; quia quinque sensus sunt prima principia, & instrumenta

ta peccandi. *ita D. Tho. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2.* Omnia namque peccata actualia in nobis, originem trahunt à quinque sensibus exterioribus; quia nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Vnctio autem in renibus, & pedibus non est de necessitate Sacramenti; quia renes, & pedes non sunt prima radix, & prima principia peccati, sed secundaria. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 32. art. 2.* Sed benè potest, non necessitate Sacramenti, sed iuxta cuiuscunque loci consuetudinem; cum sint, & non sint in vsu; & ita intelligendum est Concil. Florēt. dùm dicit, præter quinque sensus vngendos esse pedes, & renes, vbi est consuetudo.

3. Mutilatus, qui caret aliquo corporis membro, scilicèt, *aure, nare, &c.* est subiectum capax huius Sacramenti; quia licet exterius non peccauerit in ea parte; fortè peccauit per potētias illi membro respondētes. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 3.*

4. Similitèr si dum infirmus inungitur, si moritur ante quintam vnctionem, nullum conficitur Sacramentum; quia effectus principalis huius Sacramēti est abstersio totalis reliquiarum peccati, & sanatio animæ integra nō sortitur, nisi per vnctiones quinq; sensuum, qui radices esse solent omnium peccatorum. *ità D. Tho. 3. p. quæst. 30. in Addit. art. 1. in corp.* Ideò effectus gratiæ Sacramentalis infirmo, ritè suscipienti hoc Sacramentum, confertur in vltima vnctione, quæ agit etiam virtute præcedentium vnctionum, tamquàm complens vnum totale Sacramentum; quia omnes illæ partes, & actiones ordinatæ sunt ad effectum vnū completum in vltima vnctione. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 3.*

5. Vnde in collatione huius Sacramenti in prima, & singulis vnctionibus ante completam vltimam vnctionem, non datur aliquis effectus gratiæ sanctificantis, qui sit partialis respectu adæquati effectus huius Sacramenti, quia per solam vnctionē partialem, & formam partialem in collatione huius Sacramēti, non completur essentialitèr aliquod Sacramentum, cùm sit simplex, & correspondeat omnibus per modum vnius. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 3.* Ideò prima vnctio cum sua forma non est Sacramentum; quia aliàs hoc Sacramentum non esset vnum, sed plura, quod est contra Concil. Trid. *sess. 7. can. 1.* Et primam vnctionem nihil gratiæ addi, nisi veluti ex accidente propter meliorem dispositionem recipientis; quia quando sunt mul-

tæ actiones ordinatæ ad vnam effectum, vltima est formalis respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum. *ità D. Thom. loco citato*. At communicans, recipiens solam speciem panis, recipit verum Sacramẽtum; quia totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, & vini; sed per vnicam vnctionem, non confertur verum Sacramentum Extremæ Vnctionis, quia quinque vnctiones requisitæ, non solum componũt illud integraliter, sed etiam essentialiter. *ità D. Thom. 3. p. q. 76. art. 3.* Et quinq; vnctiones essentialitèr componunt hoc Sacramentum, non quia vna ex illis sit proprie materia, & altera sit forma alterius, sed omnes sunt partes integrales, & essentiales; quia cùm hoc Sacramẽtum sit quoddam compositum artificiale diuinum, & in artificialibus compositis, non est necesse, quòd vna se habeat, vt materia, & altera, vt forma, vt patet experientia.

6. Similitèr peccat lethalitèr minister, si extra vsum necessitatis inungat vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, narem, & os vnica formula dicendo. *Per istas vnctiones, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti*; quia facit contra morem receptum Ecclesiæ. Sed tẽpore necessitatis est validum; quia re vera illæ sunt vnctiones quinq; sensuum, & forma illa est æquiualens in sensu, & significatione. Verùm talis modus, & vsus tempore necessitatis non est consulendus; quia se exponit periculo nullitèr faciendi hoc Sacramentum. Tamen sub conditione, ritus prædictus est consulendus maxime tempore contagij; quia tunc non fit irreuerentia Sacramento, & proximo valdè vtile esse posset. Sed est inualidum, si propter periculum inungeret vnam tantùm partem corporis infirmi; quia ad validitatem eius ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ habemus vnctiones quinq; sensuum. Ideò autem septem ordines sũt Sacramenta imprimentes proprium Characterem, cùm singuli habeant proprios effectus, tãquàm particularia Sacramẽta; at Sacramentum Extremæ Vnctionis essentialitèr non est completum, nisi adhibitis omnibus vnctionibus quinq; sensibus exterioribus, qui sunt radix, fons, & origo totius infirmitatis spiritualis. *ità D. Thom. 3. p. in Addit. quæst. 72. art. 5. & 6.*

7. Verùm necessarium est has quinq; vnctiones componentes essentialialitèr hoc Sacramentum, debere esse simul moralitèr, aliàs nullum Sacramentum, quia non solùm quinque vnctiones sunt de necessitate

tate huius Sacraměti, sed etiam debita earum compositio est de eius substantia. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 8. ad 3.* Et quando fiunt in collatione illius sex, vel septem vnctiones; in quinta confertur gratia, & effectus Sacramenti, non autem in sexta, quæ fit pedibus; vel in septima, quæ fieret in renibus; quia tunc confertur gratia, & effectus Sacramenti, quandò essentialitèr perficitur Sacramětum, cùm aliæ vnctiones sint omninò accidentales, & non de præcepto sed voluntarie.

8. Similitèr si minister velit, & intendat conficere hoc Sacramentum per septem vnctiones: effectus, non in termino prolationis septimæ, sed in fine quintæ confertur, si subiectum sit ritè dispositum; quia hoc Sacramentum quinq; vnctionibus essentialitèr perficitur. *ità D. Th. 3. p. in addit. quæst. 32. art. 6.* Et licèt concedatur, quòd sexta, vel septima sint de integritate huius Sacramenti, tamen effectus non datur in termino prolationis septimæ, sed in fine quinq: quia effectus Sacramenti necessariò datur, si suscipiens sit ritè dispositus, statim ac Sacramentum perficitur essentialitèr. Et si sacerdos intendēs facere, quòd facit Ecclesia, licèt habeat intětionem inungendi infirmum per septem vnctiones, & posteà faciat tantùm quinque; & omittit sextam, & septimam, verum, & validum conficit Sacramentum; quia ibi ponuntur omnia necessaria essentialitèr ad validitatem Sacramenti.

9. Similitèr sacerdos inungens infirmum, si habeat intentionem exclusiuam, idest non ministrandi Sacramentum, nisi per septem vnctiones, & tãtum faciat quinq; tunc non est validum Sacramentum; quia intětio ministri exigitur ad perfectionem Sacramenti. *ità D. Tho. 3. p. quæst. 64. art. 8.* Ità etiam nullum Sacramentum, si minister habeat intětionem exclusiuam non ministrandi Sacramentum in termino prolationis quintæ vnctionis, & habeat intentionē inclusiuam, scilicèt, tãtùm illud conferendi in fine septimæ vnctionis; quia licèt Sacramětum conficiatur, quando perficitur essentialitèr, tamen exigitur intentio ministri ad perfectionem Sacramenti. Intentio autem ministri debet esse determinata ad vltimam necessariam, vel est generalitèr concipienda iuxta id, quod est institutum à Christo, seù Ecclesia intendit; quia de substantia, & integritate Sacramenti est, quod Christus instituit, seu Ecclesia intendit.

10. Tandem per quinque formulas, & vnctiones, quæ adhibětur in collatione huius Sacramenti, sufficientèr significatur curatio spiritualis de omnibus

bus peccatis; quia prima radix omnium peccatorum est cogitatio, quæ ducit originem à quinq; sensibus, iuxta illud nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu. Et quando hoc Sacramentum cõfertur Sacerdoti, non est necesse vngi in palma, sed in exteriori manus parte; quamùis nihil referat quò ad substantiam Sacramenti, etiã in ipsis palmis inungi; quia hæc vnctio ab vnctione, quæ fit in susceptione presbyteratus, diuersa est.

ARTICVLVS VIII.

An hoc Sacramentum debeat, & possit iterari?

1. ℞. Sic; quia Sacramenta, quæ non conferunt Characterem, possunt iterari. *ità Concil. Trid. sess. 7. can. 9. & D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 1.*

2. Ideò aliquando in eadem infirmitate potest iterari; quia in eadem infirmitate potest homo iterùm, & iterùm incidere in idem mortis periculum. *ità D. Tho. 3. p. in addit. quæst. 33. art. 2.* Verùm si infirmitas semper habeat eundem statum, & non sit diuturna, non debet iterari; quia est sufficiens medicina pro tali necessitate. *ità D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 2.* Sed quando infirmus nõ mutat statum infirmitatis, manet tamen in illo per multum tẽporis, scilicèt, per duos, vel tres menses, potest iterari; quia tunc prudẽter iudicatur statum infirmitatis fuisse mutatum. Sed in tali casu debèt iterari sub conditione, & non absolutè, sed sit conditio in mente ministri, scilicèt, si tunc infirmus est subiectum capax istius Sacramenti; quia quod iterùm in simile periculũ inciderit durãte infirmitate, nõ est certum. Tamen si in eadem infirmitate infirmus pluriès deueniat ad articulũ mortis, pluriès etiam inungi potest, quia illa infirmitas tot status habet distinctos, quot vicibus infirmus incidit in nouum periculum mortis, & hoc Sacramentum non respicit infirmitatem vt sic, sed infirmitatis statum. *ità D. Thom. loco citato & in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 2.*

3. Tandem prudentis arbitrio relinquendum est; vt in eadẽ infirmitate fiat huius Sacramẽti iteratio, scilicèt, vt cõsiderata diuturnitate ægritudinis, & statuum eius, & interruptionis eorũ inter se, practica, & cõmuni existimatione, illa cẽseantur diuersa pericula, & status ità diuersi, vt perindè se habeant, ac si essẽt morbi omninò distincti; quia in re graui, & dubia sẽper secundùm viri prudentis arbitrium di iudicandum est.

ARTICVLVS IX.

An sit aliquod præceptum suscipiendi hoc Sacramentum?

1. R. Non; quia non est præceptum naturale; cùm non sit medium ad salutem; neq; positiuum; quia nullibi habetur tale præceptum nõ in scripturis, neq; in Concilijs. *ità Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. & D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1.* Sed hoc omittere non est peccatum lethale, si ex leui negligentia, sed veniale; quia licèt sit maximè salutare, non tamen de necessitate salutis.

2. Verùm est peccatum lethale propter contemptum, & scandalum omittere; quia per Concil. Coloniense talis priuatur Ecclesiastica sepultura, & consequenter est peccatum lethale. Et si infirmus rogatus, & interrogatus, vt recipiat hoc Sacramentum, & renuit, esset tunc contemptus virtualis & peccat lethalitèr; quia ità Concil. Trident. *sess. 14 cap. 3.* definit. Imò formalitèr illud contemneret, si iudicat non esse magni momenti; quia contemptus vix potest in aliquo reperiri, nisi laboret aliquo errore, vel hæresi circa tale Sacramentum.

3. Vnde qui infirmi curam gerit; si Extremam Vnctionem sine rationabili causa illi procurare intermittat, peccat mortalitèr; quia facit contra vniuersalem cõsuetudinem totius Ecclesiæ dicentis, illud suscipere in periculo mortis. Et quando infirmus nõ potest aliud Sacramentum suscipere ante vitę suę finem, nisi Extremam Vnctionem, peccat mortalitèr illam non suscipiendo; quia tenetur homo apponere media facilia, & suauia, quæ apponere potest ad salutem. Et si infirmus in periculo mortis cõstitutus ex malitia ministri, qui non velit audire eius Confessionem, velit tamen ministrare Extremam Vnctionem, etiam si ipse iudicet moralitèr se esse contritum, tenetur sub lethali illud suscipere; quia nullus est certus moralitèr se esse contritum, sed benè sperare se esse attritum, & hoc medio Sacramento potest esse certum ad salutem spiritualem. Et si talis prudentèr, & probabilitèr existimet se habere contritionem, medio hoc Sacramẽto iustificabitur, etiam si à parte rei tantùm habeat attritionẽ; quia Sacramenta nouæ legis ẽt viuorum, non ponentibus obicem conferunt gratiam, quam significat. *ità Concil. Trid. sess. 17. can. 6.* cùm Sacramenta nouæ legis viuorum habeant istum effectum, quòd saltèm per accidens faciunt ex attrito contritũ. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 79. art. 3.* Et

si Sa-

si Sacerdos nolit aliud Sacramentum ministrare; quàm Extremam Vnctionem, non tenetur infirmus sub mortali illud suscipere, quando cognoscit, se habere tantùm attritionẽ; quia tunc nõ esset sufficientèr dispositus. Imò peccaret de nouo mortalitèr, illud accipiẽdo; quia peccatum mortale nõ deletum per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem obex est effectui Sacramenti.

4. Modo consuetudo ferè in tota Ecclesia viget, vt hoc Sacramentum vltimo loco inter Sacramenta, morituro conferatur; quia ideò appellatur Extrema Vnctio, quia datur existenti in extremis. Et erit peccatum veniale absque rationabili causa mutare ordinem Sacramentorum, & suscipere Extremam Vnctionem ante Sanctam Cõmunionem; quia faceret cõtra consuetudinem Ecclesiæ Romanæ. *ità Pius V. in Cathechismo parte 2. cap. 6. num. 12.* Nõ tamen est mortale hunc ordinem mutare; quia mos est antiquus, & alicubi est consuetudo seruandi Viaticum in postremum locum; cùm sit finis Sacramentorũ, & omnia ad illud quodamodò referuntur. *ità D. Thom. 3. p. quæst. 65. art. 3.*


5. Similitèr si post acceptam Communionem, & Extremam Vnctionem infirmus aliquanto tempore viuat, & Viaticum iterùm petat, ei ministrari debet per modum viatici, si inter vnã, & alteram communionem medict tempus octo dierum; quia pia Ecclesia nõ intendit priuare infirmum tot commodis, & fructibus, quibus indiget in statu mortis constitutus.

6. Verùm ex vi Extremæ Vnctionis per se non est necessarium, ante susceptionem illius præmittere Confessionem Sacramẽtalem; quia nullibi inuenitur latum esse præceptum, sicut est in Eucharistia *ità Concil. Trid. sess. 13. cap. 7.* Et si committat post viaticũ aliquod lethale, tenetur iterùm confiteri Sacramentalitèr, vt Extremam Vnctionem suscipiat; quia præceptum diuinum Confessionis obligat in graui necessitate, vt est esse in periculo mortis. Etiã si timetur, non esse futurum tempus ad vtrunque Sacramentum suscipiendum, si Cõfessio integrè fiat, non ideò dimidianda est Confessio, sed perfectè absoluenda, & viaticum suscipiendum; & posteà si tempus fuerit, sacra vnctio est suscipiẽda; quia tam Confessio in articulo mortis, quàm integritas eius est per se necessaria.

7. Et si contingat post Confessionem, & susceptum Viaticum lethalitèr peccare, nec potest commodè sine aliqua nota grauis infamiæ Confessionem præmittere, non peccaret susci-

piendo sacram vnctionē cum sola cōtritione, cum proposito posteà confitendi peccatum tum illud; quia ex vi huius Sacramenti nō est necessaria præcedens Cōfessio. Tamen casus assignatus, moralitèr loquendo, est impossibilis; quia regulariter, & moraliter loquendo nulla erit infamia in articulo mortis; nàm si culpa illa est publica, est optimum exemplum, & in tempore ferè necessarium; si est occulta, nemo illam prudentèr suspicabitur propter Cōfessionem iteratam, cùm in eo articulo sint aliæ quàm plurimæ occasiones iterandi Cōfessiones.

8. Tandem si Sacerdoti cōstet, infirmùm post confessionem, & susceptum Viaticum de nouo peccasse mortalitèr, si posteà videat signa contritionis, & propositum confessionis, absq; morali periculo moriendi sine illa, & est occasio differendi confessionem, licitè dare potest hoc Sacramentum; quia dùm ex parte pœnitentis, per se loquendo, hoc sufficit, non est vnde Sacerdos exigat præuiam illam confessionem.



ARTICVLVS X.

An simplex Sacerdos non Parochus ex præcepto teneatur hoc Sacramentum ministrare?

1. ℞. Non; quia est officium pastoris, quòd vsurpante propria authoritate, & in materia adeò graui, graue est peccatum. Ideò talis licèt non teneatur ex præcepto iustitiæ, cùm non teneatur ratione officij, benè tamen ex charitate; quia vnusquisque in grauibus necessitatibus tenetur ex charitate subuenire proximo, maximè in spiritualibus.

2. Verū minister huius Sacramēti esse debet in statu gratiæ, & si habet aliquod lethale, saltèm per contritionem se disponat; quia hoc est necessariū in omnibus Sacramentis. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 64. art. 6.* nam ita requiritur dispositio ad conficienda Sacramenta, sicuti ad recipienda. Ex genere suo peccatum mortale est, extra statū gratiæ illud ministrare; quia facit contra virtutem Religionis. *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 99. art. 2. & 3. p. quæst. 65. art. 6.* Etiam si vocetur citissimè propter instātem necessitatem infirmi ad illum inungēdum; quia satis est, quòd per contritionem se disponat, quæ breuissimè auxilio Dei haberi potest.

3. Sed minister excommunicatus, toleratus ab Ecclesia, potest illud ministrare, quando non est alius, quia ex priuilegio Martini V. conceditur infirmo posse ab excommunicato suscipere, & petere Sacramentū. Potest etiam minister aliquando illud conferre, non dùm recitatis orationibus, quæ ex vsu, & præscripto Ecclesiæ præmitti consueuerunt, si periculum est in mora; quia nullum præceptum violatur, cùm vtrumq; præstari non possit. Non tamē, licèt etiam in necessitate administrare hoc Sacramentum, nō adhibitis sacris vestibus ab Ecclesia præscriptis; quia præcipitur ab Honorio III. eam debere deferre cum stola, & superpellicio, præcedente lumine. Tamen tempore necessitatis non tenetur deferre eam cum sollemnitate; quia materia Sacramenti Extremæ Vnctionis non est Sacramentum. Sed peccat lethalitèr, si illud administret absq; vestibus sacris, etiam in necessitate; quia in re graui fieret contra vniuersalem totius Ecclesiæ consuetudinē. Potest tamen illud extra lectū ministrari; quia hoc non est prohibitum, nec indecens.

4. Rursus Parochi tenentur ex iustitia ipsis ouibus hoc Sacramentum administrare; quia ex officio tenentur suas oues pascere. Etiam cum notabili periculo vitæ, vt tempore pestis; quia ideò alitur, & accipit stipendium, vt tempore necessitatis ipse ouibus subueniat. Sicut etiam tenetur, & confessionem audire, & Eucharistiam ministrare. Imò in extrema necessitate spirituali quilibet tenetur alteri subuenire, etiam cum periculo vitæ corporalis; quia primæ Ioannis *cap. 3.* dicitur, *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*; & ita D. Thom. confirmat, *3. sent. dist. 29. quæst. vnica. art. 8 & opusc. 18 cap. 14.*

5. Nota, quòd duplex necessitas spiritualis reperitur. Altera simplicitèr extrema, & vltima, vt quando proximus est in periculo finiendi vitam in peccato mortali; & sic quilibet tenetur exponere vitam; quia proximum plus debemus diligere, quàm proprium corpus. *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 8. ad 2.* Altera est non vltima, & extrema, & reparabilis, cùm habeat tempus pœnitendi; & sic non tenetur exponere vitam, & substantiam; quia media debēt proportionari fini.

6. Vnde Episcopi, & Parochi Ecclesias Parochiales habentes tempore pestis in suis Ecclesijs residere tenētur; quia ipsorum est, & ministrare, & procurare, quòd in tanta necessitate proprijs ouibus Sacramenta conferantur, & animas suas ponere pro ouibus suis.

ita D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 5. Imò tales, iure diuino in Ecclesijs suis residere tenentur. *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. & ex D. Thom. loco citato colligitur, quòd qui non assistit personaliter suo gregi, non meretur nomen pastoris.*

7. Ideò habentes curam animarum, tempore pestis licitè abesse non possunt à suis Ecclesijs, etiam si oues suas pascant per sufficientes Vicarios; quia Christus non dixit Petro, *Pascere fac oues meas, sed pasce oues meas*; nàm quicunque accipit aliquod officium, obligat suam personam ad proprias illius officij functiones, & nisi putaretur id facturus, non ei daretur. Et quamuis moralitèr iudicet sufficientiùs per Vicarium suũ, quàm per se ipsum regere, & pascere posse oues suas; non tamen excusatur à residentia, nec licitè tempore pestis, potest abesse ab Ecclesia sua; quia habentes curam animarum, nõ solùm tenentur ad prouidendum, & inseruiendum Ecclesiæ, sed etiam ad personalitèr pascendum. Potest tamen Parochus tempore pestis suam facultatem deligare alteri Sacerdoti, vt Sacramentum Extremæ Vnctionis ouibus sibi commissis ministret; quia cũ habeat ordinarium ius deligãdi suam iurisdictionem, poterit omni tempore eam committere. Non tamen discedere à loco pestis; quia tenetur habere omnimodam certitudinem, quòd omnia Sacramẽta administrarentur. Etiam Prælati Religionum tenentur ministrare extremam Vnctionẽ suis subditis, etiam cum notabili periculo vitæ, vt tempore contagij; quia licèt non recipiant stipẽdia à suis subditis, tamen non solùm habent honorificum locum, sed etiam recipiunt reuerentiam, & obedientiam à suis subditis.



DISQVISITIO LII.

De Indulgentijs, & Thesauro Ecclesiæ.

ARTICVLVS I.

Quid nam sit Indulgentia?

1. R. Quod *indulgentia est remissio, seu relaxatio pœnæ debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini, existenti in gratia à Prælato per applicationem Thesauri Ecclesiastici, ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 25. art. 1.* Probatur explicando. Dicitur *relaxatio pœnæ*, quia homo per Indulgentias absoluitur à pœna debita luēda in Purgatorio pro peccatis iam dimissis, cùm regulariter per contritionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ non relaxatur tota pœna. Dicitur etiam *remissio pœnæ*, quia per Indulgētias non remittitur per se culpa mortalis, aut venialis, sed pœna. Aliàs Indulgentia esset Sacramentum, remittens ex opere operato peccata lethalia, quod est absurdum.

2. Indulgentia est duplex, Plenaria, seu totalis, & non Plenaria, seu partialis. Plenaria, seu totalis est, quæ per se totū reatum pœnæ tollit, qui post culpam remissam fortè remansit. Dixi *per se*, quia per accidens aliquando fieri potest, quod totum reatum pœnæ nō remittit, vt quando causa non est sufficiens ad Plenariam Indulgentiam concedendam, vel quia acquiritur Indulgentia cū aliquo veniali, de quo non cōteritur saltem virtualiter, & tūc pœna per illam complacentiā venialis non tollitur. Indulgētia non plenaria, seu partialis est, quæ per se tantùm partem pœnæ tollit, vt Indulgentia quadraginta dierum, vnius anni, centum, aut centum milliū annorum.

3. Verùm quo ad rationem Indulgentiæ nulla est distinctio inter Indulgentiam Plenariam, pleniorem, plenissimam, & Iubilæum, nisi quædam accidentalis ratione adiunctorum, & solo nomine differunt, quia Plenaria relaxat omnem pœnā mortalis tantùm. Plenior pœnas debitas mortalibus, & venialibus iam dimissis. Plenissima non solùm pœnas mortalium, & venialium, sed etiam ipsam

ipsam culpam venialium, & ita dicitur absolui à pœna, & à culpa, scilicèt à tota pœna, & à tota culpa. Iubilæum addit supradictis facultatem eligendi confessorem, qui à casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis absoluit, ac vota commutat, & interdum dispensandi super rebus malè possessis, quarum veri Domini ignorantur. Et quādo Pontifices vltra Plenariam cōcedunt tot dies, vel tot quadragenas, vel septenas de Indulgentia, id fieri ad cautelam, vt si causa concessionis Indulgentiæ, non sit vere sufficiens ad concessionem plenariæ, saltem is, cui talis Indulgentia cōceditur, lucretur illos dies, vel quadragenas.

4. Similiter cùm à Papa cōceditur Indulgentia Plenaria, vel plenior, tūc remittitur pœna peccatorum mortalium, & venialium remissorum, ita vt nec vlla soluenda in hoc sæculo, nec in Purgatorio pro illis. Et quando conceditur Indulgentia tot dierum, vel tot annorum, idest remittuntur pœnæ in purgatorio debitæ, quot remitti possent per tot dierum, vel annorum iuxta pœnitentiā in hac vita peractam. Item Indulgentia vnius Carenæ est relaxatio tantæ pœnæ, quanta redempta fuisset per pœnitentiā quadraginta dierum in ieiunio panis, & aquæ, & per pœnitentiam etiam aliam septem annorum sequentium. Item Indulgētia vnius quadragenæ est relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuisset redempta per pœnitentiam quadraginta dierum; erat enim asprissima, & strictissima pœnitentia. Item Indulgentia vnius septenæ est relaxatio tantæ pœnæ, quāta fuisset redempta per pœnitentiam septem annorum. Item Indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum est remissio pœnæ debitæ pro tanta parte peccatorum, quāta significatur in Indulgentia. Item Indulgentia mille annorum, vel bis mille, est tanta remissio pœnæ, quanta remitteretur, si homo toto illo tempore secundùm Canones, aut secundum Dei iustitiam pœnitentiam ageret.

5. Vnde quando ab Ecclesia conceditur Indulgētia Plenaria, & adiungitur cum tertia parte peccatorum, vel quarta parte, & aliquando à tota pœna, vel culpa, tunc per culpam intelligere possimus venialia ipsa, quia Ecclesia habet potestatem instituendi Sacramentale potens in se remittere venialia per Indulgentiam secundū intentionem concedentis. *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. de pœnit.* Non autem culpam mortaliū, circa quam Ecclesia nihil potest, nisi mediante Sacramentali confessione. Vel est sensus in cul-

culpa, & pœna, idest conceditur facultas eligendi confessorem, qui absolutionem impendat à quolibet peccato. Et sic tripliciter dici potest Indulgentia pœnæ, & culpæ. Primò præsuppositiuè, idest per præcedētem confessionem. Secundò finaliter, idest vt ea lucrata, succedat mors, & homo amplius non peccet. Tertiò concomitanter, idest datur facultas eligendi Confessorem, qui absoluat à culpa.

6. Similiter quando conceditur Indulgentia Plenaria de pœnitentijs iniunctis, tunc tollitur totus per se pœnæ reatus, qui post culpam remissam fortè remansit, quia ly *de iniunctis* non est restrictiua, sed amplificatiua Indulgentiæ, id est non solùm quo ad pœnam Purgatorij, sed etiam quo ad pœnitentias Sacramentales, vel à Sacris Canonibus, vel à diuina iustitia in Purgatorio iniungēdas.

7. Secus de pœnitentijs iniunctis, quæ sunt medicinales, & præseruatiuæ futurorū peccatorum, quia neque Indulgentiæ, nec Iubilæum moderantur passiones, nec malos habitus extirpant, nec occasiones peccati tollunt. Et hæ pœnitētiæ præseruatiuæ sunt, scilicèt *dimissio Concubinæ, depositio officij peccaminosi, dimissio conuersationis scandalosæ, restitutio alieni, depositio odij mortalis*, quæ sunt necessariò imponendæ, nec absoluendi sunt pœnitentes, si ipsas non acceptant, ita quòd per Indulgentias suppleri non possunt, quia habent rationem solius medicinæ. Neque per quāuis amplam, & plenariam Indulgentiam deobligatur pœnitens à persoluenda pœnitentia sibi à Sacerdote iniuncta in confessione, quia aliàs tolleretur integritas Sacramenti Pœnitentiæ, qualis iure diuino est satisfactio ipsius pœnitentis. *ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. de Pœnit.*

8. Sed satis probabile est, quòd pœnitens postquam acceptauit pœnitentiam à Sacerdote iniunctam, in punitionem suorum peccatorū, adueniente postea Indulgentia posse liberari ab ea soluenda, quia id, quod præcipitur in Indulgentia, habet locum pœnitentiæ, & sic efficitur Sacramentum integrum. Sed vt pœnitens tuta consciētia posit omittere pœnitentiam iniunctam in confessione, si Indulgentiam consequatur, sufficit quòd sibi de inualiditate confessionis non cōstet, & etiam putet bona fide, esse validam, & fuisse in gratia tempore effectus indulgentiæ, quia certò, & infallibiliter nemo scit, an odio, vel amore dignus sit.

9. Verùm consultissimum est, semper totam pœnitentiam

Sa-

Sacramentalē iniunctam à Sacerdote implere, quia per illa opera pœnitentiæ Sacramentalis in statu gratiæ facta consequitur homo augmentum gratiæ, & gloriæ, per solam verò Indulgentiam pœnæ temporalis fit remissio pœnæ temporalis; plus autem valet vnus gradus gratiæ, quàm magnæ pœnæ remissio. Potest tamen pœnitens grauatus multis Sacramentalibus pœnitentijs exonerari à Confessore illi iniungendo, vt accipiat Indulgentiam, dum subest periculum, vel non implendi, vel malè implendi, quia ad hoc vtilis est Indulgētia, vt nimis grauatus illis, liberetur à tanto onere, ne succumbat.

10. Similiter non conceditur Indulgentia, vel Iubilæum sine vlla pœnitentia, quia Indulgentia, vel Iubilæum non tollit potestatem Confessori, ne pœnitentiam imponat, sed solùm taxatam, & acceptatam relaxet, & remittat. Ità quòd pœnitens post acceptatam pœnitentiam Sacramentalem, illam non adimplet, & Indulgentiam consequitur, non peccat, quia illa pœnitentia est remissa per applicationē Thesauri Ecclesiæ, & concessionem illius supremi pastoris. Et sic Cōfessor potest iniungere pœnitenti loco cuiusque pœnitentiæ non adimpletæ aliquam breuissimā pœnitentiam, quia imponere, & commutare pœnitentiam Sacramentalem est actus iudicij, quod fit à Sacerdote in ipsa Confessione Sacramentali.

11. Verùm Indulgentia est relaxatio tantùm pœnæ temporalis, & non æternæ, quia æterna debetur peccatis mortalibus non dum deletis, & Indulgentia non delet mortalia. Neque per Indulgentiam remittitur pœna debita peccato originali, quia est pœna damni, idest carentia diuinæ visionis, quæ non remittitur per Indulgentiam, per quam sola pœna sensus aufertur. Neq; pœnæ debitæ pro peccatis non dimissis, quia peccatis non deletis per Contritionem, vel per Sacramentum Pœnitentię debetur pœna ęterna, quę per Indulgentiam non remittitur *ita in estrauag. vnigeniti de pænit. & remission.*

12. Similiter Indulgentia nō prodest existenti in mortali nō solùm pro remissione debita mortali, in quo existit, sed nec etiam pro remissione pœnæ debitæ alijs mortalibus, & venialibus aliàs iam dimissis, quia merita Christi, & Sanctorum viuis membris, & non mortuis applicantur. Imò ille faciens omnia requisita ad lucrandam Indulgentiam, si facit Confessionem informem, & postea transacto Iubilæo facit formatam,

tam, vel habet contritionem, non consequitur Indulgẽtiam, quia Thesaurus Ecclesiæ per Indulgentiam pro illo tempore in ea determinato applicatur. Sed benè Papa potest concedere Indulgentiam, dum dicit, *quòd consequatur Indulgentiam in tempore, in quo habuit contritionẽ*, quia tunc Indulgentia conceditur secundùm tenorem concessionis. Sed non modo ordinario, sed extraordinario, quia modo ordinario non consequitur effectum suum Indulgentia post elapsum tempus, etiam recedente fictione.

ARTICVLVS II.

An tantùm Prælatus possit concedere Indulgentias?

1. ℟. Sic, quia Thesaurus Ecclesiæ, non depẽdet à voluntate hominis priuati, sed legitimi Prælati, ad quem spectat distributio.

2. Thesaurus Ecclesiæ est collectio, seu cumulus diuitiarum spiritualiũ ex superabundantia, & accidentali præmio passionum, & satisfactionum Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum, ac bonorum operum cęterorum fidelium ab Abel iusto vsque ad nouissimum iustum, coadunatus in mente, & acceptatione diuina dispẽsandus per Prælatos in Ecclesia militanti pro exoluendis debitis Christi fidelium.

3. Vnde licet homo iustus possit pro seipso, vel pro alijs satisfacere, applicando sibi, vel alijs satisfactionem sui operis pœnalis, non autem dispensare thesauros Ecclesiæ. quia Christus solis Prælatis Ecclesiæ dedit potestatem *iuxta illud Mattei cap. 16. Quodcunq; solueris super terram*. Et sic relaxatio pœnæ non fit merè gratis, sed Papa dispensat per Indulgentias de Thesauro Ecclesiæ, vt Deo satisfaciamus pro pœnis debitis peccatis nostris iam dimissis.

4. Similiter omne opus bonum factum in gratia est meritorium, & satisfactorium. Meritorium, vt est bonum, & quis meretur pro illo augmentum gratiæ, & beatitudinem. Satisfactorium, vt est pœnale, & per illud quis patitur aliquam pœnam, cùm omnis actus virtutis, quãtũuis suauis sit, laboriosus, & difficilis est: *virtus enim circa difficilia versatur*, ex Arist. *lib. 5. Ethic. cap. 3.* & D. Thom. 1. 2. q. 114. *art. 6. & in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 3.*

5. Opus autem bonum iusti, vt meritorium, quo ad præmiũ essẽtiale gloriæ, & augmẽti gratiæ de condigno tantùm transit in personam merentis, cùm tale præmium sit effectus proprius operis meritorij, redundãtis ex Spiritus sancti gra-

tia

tia debitus tãtùm personę merenti. *ità D. Tho. 1.2.q.114.art.6.* Imò nullus, nisi solus Christus, potest alteri mereri æternam felicitatem, & augmẽtum gratiæ de condigno, quia illi data est gratia capitis, & vniuersalis, quę ob sui eminẽtiam in alios tamquam in mẽbra deriuatur. At vt satisfactorium benè transit in alium etiam de cõdigno; quia potest iustus absque vllo sui proprij dispendio, & de cõdigno satisfacere pro alio, dummodo vterque sit in gratia; remissio enim pœnæ debitæ est actus amicitiæ, & non conceditur inimico. *ità D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3.*

6. Hinc est, quòd opera satisfactoria iusti aliquãdo sortiuntur suum effectum; vt quãdo homo iustus egebat talibus operibus ad satisfactionem pro pœna debita proprijs peccatis, vel applicauit illa alteri, qui tali satisfactione indigebat, aliquando verò non sortiuntur suum effectum, quando ipse nõ eget satisfactione, nec illam applicat alteri, vel si applicuit illi, qui non indigebat, & tunc tale opus satisfactorium reponitur in Thesauro Ecclesiæ; quia cõmunicatio bonorum spiritualium quoad vim satisfactoriam requirit specialem intentionem, & applicationem eius, qui communicauit illa bona satisfactoria alteri; sed cum non applicauit nec ipsi, neq; indigenti, ideò reponuntur in Thesauro Ecclesiæ.

7. Verùm participatio ad merẽdum de bonis alterius, nõ semper requirit specialem intentionẽ, vel applicationẽ, quia potest valere ratione vnionis per charitatem, etiam sine speciali intentione, & applicatione facientis, directa ad ipsum participantem iuxta illud Psal. 118. Particeps ego sum omniũ timentium te. Valet ergò communicatio meritorum alicuius personæ, vel cõmunitatis, vel Congregationis ad habendam à Deo gratiã conuersionis, nõ quidem de condigno, sed de cõgruo ad virtutũ profectum, & ad præseruationem à peccatis, à morte, & ab alijs malis spiritualibus, & corporalibus, *vt fit per litteras, per quas secularibus benefactoribus applicantur à Prælatis Religionum suffragia subditorum, & acceptantur in socios talis Religionis.*

8. Et quamuis recipiens ad participationem suorum bonorum operum, vt sunt satisfactoria sua opera, quantum ad meritum non sint recepto minus vtilia, cùm hoc competat personę merenti, & bene operanti, tamẽ quantùm ad remissionem pœnę, sunt recipienti minus vtilia opera illa satisfactoria, quia vt satisfactoria sũt, prosunt ei, pro quo fiunt per

actualem intentionem, vel habitualem suffragan it, nisi talis satisfactio esset maior, quàm exigeret peccata eius, pro quo quis satisfacit, quia tunc habet locum illud David, *Oratio mea in sinu meo cõuertetur*. Et sic Oratio secundùm se, pro aduim impetratoriam, cùm sit infinita, potest pluribꝰ prodesse, ac vni, quia innititur, vt sic, liberalitati, & misericordiæ Dei, pro vt vult. Sed quo ad vim merendi, & satisfaciendi, finitum effectũ habet, & eo minus satisfacit, quo se fundit ad plures, quia meritum hominis, & satisfactio ex orantis studio, & affectu perpenduntur.

9. Ideò Prelati Religionũ, scilicet Generalis in toto Ordine, Prouincialis in sua Prouincia, & Prior localis in suo Conuentu possunt satisfactiones suorum subditorum alijs applicare, quia eo ipso, quo curam habet Congregationis, habet authoritatem dispẽsatiuam communium bonorum superabundantium ipsorum de Congregatione. Sed regulariter Prælatus non potest alijs applicare opera satisfactoria, quæ subditus facit pro satisfactione necessaria suorum peccatorum, quia Prelatus regulariter non potest applicare, nisi ea, quæ cadunt in Thesaurum Ecclesiæ, & communitatis, scilicet quæ supersunt facienti cũ subditus absolutè nõ subijciatur Prelato, nisi in spiritualibus tantùm superabundantibus.

10. Tandem rationabilitèr Prelatus in aliqua graui necessitate potest applicare alijs tale bonũ satisfactoriũ, quo ipse subditus eget, quia subditus licitè potest opus satisfactorium sibi necessarium alteri applicari, ac & Prælatus in graui necessitate, maximè cùm subditus non priuetur præmio essentiali. Sed si subditus sua bona opera satisfactoria applicet vni quo ad vim satisfactorium, & Prælatus alteri, prosunt illi, cui subditus applicatꝰ primò, quia Prælatus non videtur dominus actus merè interni principaliter depẽdentis à voluntate subditi applicantis satisfactiones suas. Et licèt subditus non applicet suum opus satisfactorium sibi superabundans ex negligentia, adhuc sola intentio Prælati non sufficit ad applicandum illud, sed necessariò requiritur intẽtio subditi, saltem generatim applicãtis communitati Religionis, vt prosit ei, cui Prælatꝰ applicuit, quia Superior nõ habet potestatẽ immediatã in illud opus, sed solùm in voluntatẽ à qua procedit obligando subditum. Ita vt si Prælatus præcipiat subdito satisfacere pro aliquo insigni benefactore, subdito renuente, tale opus re vera non satis-

satisfacit pro illo, etiã si opus ex se satisfactoriũ faciet, quia valor moralis talis operis ad satisfaciendum pro hoc, vel illo pendet intrinsecè ex intentione ipsius operantis. Verùm tale opus factum contra voluntatẽ Superioris amittit bonitatem moralem, & consequenter satisfactorium valorẽ, ita vt nec illi prosit, cui vult Prælatus, neq; ipsi operanti, aut alteri, cui ipse donat, quia in hoc tenetur, & debet obedire Superiori.

11. Consequenter si iubet subdito Sacerdoti Superior, vel Episcopus, vel Papa, vt missam pro aliquo applicet, si iste applicet sibi, vel alteri, valet pro quo offert Sacerdos, & non Prælatus, quia applicatio Sacrificij Missæ est actus Ordinis dependens à voluntate libera celebrantis, & non superioris.

12. Sed si semel subditus suas superabundantes satisfactiones in Thesauro Ecclesiæ, vel Religionis quomodocũq; reposuit, non potest postea eas applicare sibi ipsi, etiam quòd maximè indigeat, quia ad Prælatos, Episcopos, vel Papam spectat dispẽsare thesauros Ecclesiæ, & Religionis.

13. Similiter in Thesauro Ecclesiæ reperiuntur merita, & satisfactiones illorum, qui post bona opera ceciderunt, & manent in Inferno, dummodo illa in gratia sint facta, quia ratio satisfactionis, quæ prodest alijs, propter impedimentum, quod ipsi operanti postea aduenit, nõ potest, nec debet infructuosè reddi, cùm Deus nullũ bonum inremuneratum relinquat.

14. Ita opera satisfactoria de congruo manẽt in acceptatione diuina, & alijs prodesse poterunt. Sed opera satisfactoria, & merita damnatorum non manent in Thesauro Ecclesiæ, & acceptatione diuina quo ad effectus proprios, scilicet quo ad vim merendi præmium essentiale; sed remanent quo ad effectus, qui in alios possunt transire secundùm vim impetrandi, & merendi de congruo, quia ob illa membra Ecclesiæ recipiunt à Deo specialia quædam auxilia, & de illis gaudẽt, & laudant Deum, vt nullum remaneat inremuneratum. *ità D. Tho. 3. p. q. 89. art. 6. ad 3.*

15. Sed merita Sanctorum reposita in Thesauro Ecclesiæ sub propria ratione meriti a satisfactione distincta, non applicantur nobis per Indulgentias, quia per Indulgentias applicãtur nobis satisfactiones superabundantes Sanctorum, vt satisfactoriæ sunt, non autem merita Sanctorum sub propria ratione meriti à satisfactione distincta. *ità D. Thom. 2. p. q. 114. art. 6. & 3. p. q. 8. art. 1.* Sed benè de congruo per modum meriti, scilicet per orationes, quæ

fundi possũt ab ipsismet Sãctis in cœlo existentibus, quia Sancti, vt nobis aliquod beneficiũ obtineant, sua merita Deo rępresentant. Item aliquando id fit per priuatas, vel publicas orationes postulationes dum à Deo postulamus, vt propter Sanctorum merita bonum aliquod nobis cõferat. Et sic merita Sanctorum sub propria ratione meriti applicantur nobis per modum meriti de cõgruo, quia congruũ est respectu meriti Sanctorum conferre nobis Deũ talia bona. Sed satisfactiones superabundantes Sanctorũ repositę in Thesauro nobis per Indulgentias applicantur, non vt relaxet debitam pœnam pro peccatis dimissis, sed verè, & propriè applicantur, vt iustæ solutiones, ob quas Deus de iustitia nobis pęnas debitas pro peccatis dimissis relaxet, quia Indulgentię non operantur per modum impetrationis, aut meriti de congruo, sed per modũ absolutionis ex potestate clauium, quæ est in Ecclesia.

16. Verùm non sequitur Sãctos posse dici propriè nostros esse Redemptores, quia oporteret, quòd per satisfactiones valentes de rigore iustitiæ expiasset à seruitute peccati, tàm quo ad culpam, quàm quo ad pœnam, & hoc est proprium Christi. Sed Sancti secundum quid dicuntur nostri Redẽptores, quia liberarę à reatu pœnæ remanentis post remissam culpam per Sacramentum non est redimere simpliciter, sed secũdùm quid.

17. Hinc est, quòd satisfactionibus Christi in Thesauro Ecclesiæ adiuunguntur merita, & satisfactiones Sanctorum, non quasi illa non sufficiunt, sed vt superflua Sãctorum non remaneant coram Deo infructuosa, quia Thesaurus Ecclesiæ constans ex meritis Christi est infinitus, tamen vult Deus, quòd Indulgentiæ concederẽtur ex satisfactione Sãctorum, licèt finitè ad illos honorãdos, & ne remaneant coram Deo infructuosę, & vt membra assimilẽtur suo capiti, qui pro alijs satisfecit. Dum verò per Sacramentum iustificamur, sola Christi satisfactio, & meritum applicatur, quia solus Christus meruit alijs de condigno gratiam iustificantem, augmẽtum gratiæ, & præmiũ vitæ æternæ. Et in hoc Sancti tantùm concurrunt per modum exempli, exhortationis, & deprecationis, vt effectus Sacramẽti fit in nobis efficax absq; impedimento. *ità D. Th. 3. p. q. 84. art. 5.*

DISQVISITIO LIII.

De Iuramentis.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit iuramentum?

1. R. Quòd iuramentum est inuocatio diuini testimonij in dicti alicuius cõfirmationem, quia iurare est Deum testem vocare. *ita D. Th. 2.2. q. 89. art. 1.*

2. Nota, quòd quattuor sũt species iuramenti, scilicèt assertorium, promissorium, commi-natorium, & execratorium. Assertorium est quando negatur, aut affirmatur aliquid præsens, aut præteritum. Promissorium est, in quo affirmatur futurum, aut negatur. Communicatorium est, in quo promittitur malum pœnæ, vt dicere, *Per Deum castigabo te*. Execratoriũ est, in quo affirmatur, vel negatur aliquid sibi apponendo pœnam, vt dicere, *Deus me destruat, nisi hoc ita sit, ità D. Th. loco supra citato ad 3.*

3. Rursus nota, quòd tria requiruntur, vt licitum sit iuramentum, scilicet veritas, iustitia, & iudicium. Veritas, idest vt iurans non leui, sed probabili coniectura, & prudenter arbitretur verum esse, quod iuret. Iustitia vt iuramentum non fiat de re illicita propter irreuerentiam ipsius Dei. Ideò iurans se fornicaturum, grauiter peccat, quia grauem Deo facit iniuriam ipsum adducendo in testem rei cõtrariæ legi, & Deo. Et si iurat se facturum aliquod veniale, vt verbum otiosum, venialiter peccat, quia facit aliquam iniuriam Deo. Iudicium, & iuramentum fiat cum necessitate, & reuerentia. Ideò si fiat sine necessitate, scilicet in re leui, committitur peccatum defectu iudicij, licèt sit veniale, quia est quędam vanitas, & superfluitas. *ita Diu. Tho. 2.2. q. 89. art. 3.*

4. Verùm si quis audiuit aliquid à viro fide digno, potest extra iudicium iurare ita esse, quia res videtur certa, ob testimoniũ viri fide digni. Sed in iudicio nõ potest iurare ita esse, quia in iudicio iuramus ea, quę nouimus de visu, & prudentia. *ita cap. testes 3. q. 9.* Et etiam potest in iudicio testis iurare id, quod audiuit a viro fide digno, dicendo se hoc scire, quia hoc accepit à viro fide di-

digno, cùm sic nullum decepit, nec rem falsam iuramento cõfirmat.

ARTICVLVS II.

An quis teneatur seruare iuramentum factum absque animo iurandi?

1. R. Non coram Deo, quia omnis actus, qui essentialiter requirit intentionem agentis, est inualidus, si ea intentio deest. In foro tamen externo tenetur seruare iuramentum, quia forum externum accepit verba iuxta ipsorum significationem. *ita cap. ex litteris, de sponsalibus*. Item tenetur seruare ratione scandali, quod oriretur ex transgressione iuramenti. Item etiam tenetur, quando iuramẽti adimpletio necessarium est ad impediendum damnum, cuius esset causa iurans, non adimpleto iuramento fictè, & dolosè facto, quia iurans fictè, & dolosè censeretur per suam fictionem causa huius damni, si non haberet iùstam causam iurãdi.

2. Verùm ex iuramento facto animo iurandi, sed cum animo non se obligandi, oritur obligatio ex vi iuramenti, quia dum adducit Deum in testem qualiter adducit habẽs iurandi animũ, subijcitur obligationi implendi illud, velit nolit, nec potest naturalẽ hunc effectum iuramenti impedire propria voluntate, volendo se non obligare, quæ obligatio seruandi iuramentum non solùm obligat in foro iudiciali, sed etiam conscientiæ. Et licèt alij oppositum teneant, quia Deus non acceptat iuramentum, nisi secundùm hominis intentionem. Tamẽ veriùs est, quod diximus, quia hoc valet quo ad id, quod quis iurat, nõ autem quo ad modum obligãdi, vel non obligandi. Sed vouens cum expressa intentione se non obligandi, non tenetur seruare votum, quia non est verum votum, sed simulatio voti, si mens interiùs nolit se obligare. Quamuis alij teneãt oppositum, quia ex voto promissionis cõsequitur obligatio. Sed quia qui non verè promittit, non verè vouit, præcipuè si expresse animum non se obligandi habuerit, ideò non tenetur seruare.

3. Sed ex iuramento facto etiam cum animo non adimplendi, semper oritur obligatio ex vi iuramenti, quia sublato posteriori non tollitur quod prius est, at in iuramento animus non exequendi est posterior animo se obligandi. Similiter vouens animo se obligandi, sed voluntate non adimplẽdi, tenetur ad votum, quia ridiculum est dicere, quod vouens

cum

cum animo se obligandi verè, & non fictè, & apparenter vouet. Imò vouens non considerando, an obligetur, necne, voti nexu, & vinculo tenetur, quia ex ipso voto obligatio fluit, si vouens nolit expressè se voto non obligare. Cœterũ vouens non obstringitur voto, si simul dum vouens expressè nolit se voto obligare, quia sic vouens videtur, eo ipso voluntatem mutare, & à vouendo recedere, ac si vouere nolit.

4. Vnde iurare verum sine intentione iurandi, si rationabiliter cogitur, vel in iudicio fiat, est peccatũ mortale propter scandalum, quia tunc intercedit grauis deceptio, quæ repugnat vsui, & fini iuramenti valdè necessario rebus humanis. Sed non peccat lethaliter, si iniustè, & irrationabiliter cogitur iurare, si iurans iurat verum, quia non facit grauem iniuriam homini, cùm irrationabiliter cogitur: neque Deo, cùm non adducatur in testem falsi. Sed tantùm peccat venialiter, cum ostendit se habere animum iurandi, & re vera nõ habet, quia est mendacium, non tamen perniciosum. Si verò irrationabiliter cogitur iuramẽtum ad rem falsam, & falsè iurat, peccat mortaliter, quia exterior ille latriæ cultus, ad quem iuramentum pertinet, exhibetur materię indebitæ, scilicet rei falsæ. Sed etiam dici potest, quòd iurans falsum irrationabiliter, & iustè cogitur iurare, dum non habet animũ iurandi, & falsitas est occulta, non peccat lethaliter, sed venialiter, quia non intendit in testem falsi Deum vocare, sed tantùm simulat. Neque est eadem ratio de illo, qui fictè externum latriæ cultum idolis exhibet, quia hic peccat mortaliter ratione scandali, etiam quòd nõ habeat animum adorandi. At fictè iurans, & non adest scandalum, cùm falsitas est occulta, & dum non habet animum iurandi, neq; Deum in testem falsi adducit, tantùm venialiter peccat propter fictionem, quia fingit se iurare, cùm non habeat animum iurandi.

5. Similiter nõ peccat mortaliter, qui iniustè cogitur ad iurandum, si falsum sit, quod iurat, & ipse non habet animũ iurandi, aut intẽdit per illa verba aliud mente confirmare, secluso scandalo, quia tunc iuramẽtum non appellatur materię indebitę, & iusta causa coactus iniustè vtitur æquiuocatione. Verùm aliquis coactus per iuramentum, scilicet à latrone, ad dandum illi centum aureos, tenetur illi dare, quia iuramentum, quòd non vergit in dispendium salutis æternę ex parte iurantis metu extortum, obligat. *ità cap. verum & cap. si verò*

verò de iureiurandum & D. Tho. 2.2.q.89. art. 7. ad 3. Sed non tenetur, nec est periurius, si dũ iurat, retinet in mente, si mihi placuerit, quia sic iurando non mentitur, sed dicit verum iuxta mentem propriam.

6. Tandem dubius, an iurauerit, nec ne? vel an habuerit intentionem se obligandi? & & adhuc remanet dubius, non tenetur ad iuramentum, quia in dubio melior est conditio possidentis immunitatem à iuramento obligatorio. Quamuis alij censeant interpretandum esse iuramẽtum, si cum animo vero emissum fuisset, quia in dubijs quantũ fieri potest, pars tutior est eligenda. *ita arg. cap. iuuenis de sponsalibus.* Maximè, vt iuramentum obliget, non requiritur intentio formalis, & actualis iurantis, sed sufficit, vt iurans velit iurare se obligandi, sciẽs naturam iuramenti, quia eo ipso quòd scit naturam iuramenti, censetur se velle obligare, licèt non habeat formalem intentionem non se obligandi. *ità argum. cap. Iuuenis, de sponsalibus.*



ARTICVLVS III.

An in iuramẽto sit licitum vti aequiuocatione, si quis iuret absque necessitate?

1. ℟. Non, quia sine necessitate non debet iurare, & si iurat, sine fraude iurare tenetur, cùm iuramentum fiat ad confirmationem veritatis. Sed si aliquod incommodi, vel iniuriæ sibi impendit, non est illicitum ad mentem personę priuatæ interrogantis æquiuocè iurare, quia adest iusta causa ita loquendi, & non iuridicè postulat persona priuata iuramentum. Imò si necessitas, & vtilitas vtẽdi æquiuocatione cogit, parùm refert, siue rogatus, siue non, etiam spontè quis potest iurare, quia qui verum crimen occultum proximi iniustè detexit, potest se offerre ad famam restituendam amphibologica locutione vtendo.

2. Vnde qui crimen fratris reuelauit, ex quo infamatus est, nisi, aliter possit famam restituere, potest vti æquiuocatione, dicendo se fuisse mẽtitum, & falsum dixisse, quia licèt veritate occulta, sit verũ, tamen veritate publica, non fuit verum. Verùm qui alium diffamauit, non tenetur diffamati famam restituere, si notabi-

tabilem propriç famæ iacturam incurreret, quæ longè maioris momenti, & conditionis sit, quàm illius diffamati, quia iustitia non obligat ad restitutionē cum damno maiori, quàm sit damnum illatum. Benè tamen tenetur cum æquali infamia, dicendo se falsum dixisse, quia infamator tenetur restituere famam secundùm æqualitatem iustitiæ, etiam in eodē genere: & hoc dum aliter fieri non potest, quia potior est cōditio iniustè pacientis, quàm inferentis iniustè.

3. Verum iurans vtendo amphibologicis, non causa occultationis veritatis, sed solùm loci causa, secluso scandalo, & damno, peccat tamen venialiter, quia tunc iuramentum non cadit supra materiam falsam, sed supra rem, quam iurans mente concepit, quæ vera est. Alij verò, & probabiliùs tenēt culpam esse lethalem, sic iurare sine necessitate, quia est cōtra præcipuum iuramenti finē, qui veritatem determinatam testificat. At caret culpa, si id fiat absque iuramento, & causa iustæ recreationis, quia tunc id contingeret in materia leui, & causa recreationis, ac proinde non est mortale.

4. In iudicio verò Iudice legitimè interrogante, & in materia alijs præiudiciali, est peccatum mortale verbis quibusuis ambiguis vti, quia tunc sic iurans ageret contra fidem iuramenti in re graui absque iusta, & rationabili causa. Verùm si à Iudice nō competente, vel si à suo iudice, sed non iuridicè rogatus, vt iuret de dicenda veritate, potest licitè vti verbis ambiguis, vel respondere se nescire, vel non vidisse, etiam si alius sciret, quia non tenetur iniustè, & contra ordinem iuris interrogatus suam explicare amphibologiam. Ita etiā testis iuratus si ex denuntiatione, vel testificatione aliquod notabile damnum sibi, vel suis timet, potest vti æquiuocatione in iudicio sine mendacio, & periurio; quia ex causa excusante, scilicet notabili suo damno, vel suorum, non tenetur iuxta mētem interrogantis respondere, sed iuxta sensum mente conceptum.

5. Item veniens è loco, qui falsò putatur infectus peste, interrogatus cum iuramento, potest æquiuocatione vti, dicendo nō se venire à loco infecto, mente concipiendo, hodiè, vel vbi sit pestis, quia iustam habet causam ęquiuocatione vtendi. Imò si celeriter transit per locum peste infectum sine lęsione, potest iurans dicere se illud non transisse, quia licitè intelligere potest mente, se illuc nō transisse, ita vt pestis ipsum aliqua in parte infeçerit, cùm etiam

etiam hæc videtur intentio interrogantium. Sed Religiosi, & Clerici venietibus ex locis pestilentibus tenentur iurare iuxta mentem custodum Vrbis interrogantium, quia licèt vt Laici nō sint legitimi Superiores, tamen licitè exigunt iuramentum non vi illata, sed ex suppositione, si in Ciuitate ingredi velint, id ab eis petunt.

6. Similiter Clerici, & Religiosi interrogati ab Vrbis custodibus, an ferant aliquid gabellę subditū, possunt vti æquiuocatione iurandi non ferre, quia Clericus, & Religiosus est exemptus. Ita etiam debitor celans necessaria ad substētationem, potest vti æquiuocatione, ne mendicaret iurasse se non celasse. Idem etiam possunt iurare testes coram iudice, scientes ipsum licitè iurasse, quia adest iusta causa vtendi restrictione, vel amphibologia.

7. Item interrogata adultera à marito, an adulterium commiserit? potest iurare se non fregisse matrimonium, quia potest tunc mulier ad vtilitatē propriam vti verbis ambiguis, scilicet vt vir in eo sensu percipiat, vt fidem tori non violarit, & mulier adhuc matrimonium integrum, & stabile perseuerat. Imò potest absolutè negare, illud cōmisisse, etiam cum iuramento, quia potest iurare nō fecisse, intelligendo in mente, vt tibi reuelem. Tamen non potest adultera iurare se adulterij crimine carere, eo, quòd illud Confessori confessa est, quia veniam de adulterio sibi concessam à Deo, ignorat. Et secundùm aliquos prefatam posse iurare se nō habere peccatum adulterij, quia moraliter credit verum esse post factā Confessionem. Sed veriùs, & probabiliùs est, quod diximus, quia nescit homo, vtrùm odio, vel amore dignus sit.

8. Rursus rogatus, vt mutuet pecuniam, potest æquiuocè respondere, iurando se non habere, scilicet vt mutuo det, quia tunc adest iusta causa, & rationabilis vti equiuocatione, scilicet proprium commodū, vel timor alicuius damni imminentis. Sed si res, quæ petitur, est aliquo modo petenti debita, & petitus iurat, debet respondere sub mortali secundùm intentionem petētis, quia facit contra finem iuramēti in materia graui absq; iusta causa. Tamen talis iurando non est periurus, quia non iurat cum mendacio, dum iurat secundū id, quod mente concipit. Neq; peccat mortalitèr, si res debita non est debita petenti, iurando secundùm propriam intentionem, scilicet non habere rem illam, vt det illis, vel accommodet, etiam ex nulla causa, nisi

quia

quia non tenetur, cùm hic non videatur agere contra finem iuramenti in re graui, eo magis non teneri. Benè tamen peccat venialiter, quia materia est leuis, neque tertio præiudicialis.

9. Similiter fœmina, quæ ob occultum impedimentum scit virum non esse suum, si cogitur ad habitandum cum eo, iurando se velle cum illo habitare, potest vti æquiuocatione, dicendo intra se, si id mihi licet, quia non est mens exigentis iuramentum, vt ipsa peccet.

10. Item licet mercatoribus, & emptoribus in venditione, vel emptione mercium alio sensu iurare, quia iuramentum ex natura sua obligat iuxta intentionem iurantis. Neque tales videntur peccare mortaliter; quia per hoc nolunt aliquid iniusti committere, sed iustum pretium obtinere.

11. Item iniquè interrogatus, vt respondeat seclusa omni æquiuocatione, potest adhuc iurando vti æquiuocatione; quia cùm non teneatur respōdere ad formalem æquiuocationem illius, sed ad debitum, illa responsio æquiuoca iuxta mentem suam vera est.

12. Item debitor si nouerit aliam rem ab eodem creditore pecuniam sibi debere, quam ab illo mutuam accepit, iurando se aliquid illi non debere, potest æquiuocatione vti, quia habet iustam causam vtēdi sic, vt sibi iustum debitum reciperet. *ita D. Thom. 2.2.q.89.art.4.* Ita etiam mutuo accipiens cētum, si integrè, vel partem restituerit, & iuridicè interrogatus de toto mutuo soluendo, potest iurando dicere se non accepisse, idest centum, & vti æquiuocatione, quia à iudice solùm rogatur de mutuo, quod deb[illegible]. Idem est etiam si interrogatus de mutuo à iudice, dum pro illo tēpore non tenetur restituere, potest sub æquiuocatione negare se accepisse, idest soluere ante tempus impletum, quia iudex ad eum effectum rogat, vt cogat statim soluere. Et sic etiam debitor in necessitate constitutus non habens vnde soluat.

13. Item promittens mulieri cum iuramento illam accipere in vxorem, potest id negando vti æquiuocatione, si illa post datam fidem fornicata est. Imò cum iuramento negare promissionē, quia in isto casu habet iustam causam vtēdi æquiuocatione ob fornicationem subsequutam post fidem datam.

14. Item non est periurus, qui absolutè negat cùm iuramento se debere centum, cùm re vera debeat tātùm quinquaginta: aut interrogatus de fundo, an sit suus? absolutè negat

suum esse, si sola fundi pars sua sit, quia verum fatetur, cùm falsum sit fundum absolutè suum esse, aut centum debere. Imò talis iniustè cogitur, vt soluat centum, seu maiorem pensionem fundi debitum; nō solùm non est periurus, sed liber ab omni culpa, mente cōcipiendo se non debere centū, & totum fundum non esse suū, quia iniquè interrogatus iustā habet causam vtendi tergiuersione. Verùm talis ex alio capite culpæ reus esse potest, vt si negat centum debere, ne cogatur soluere partem debitam, vel negat fundum esse suum, ne soluat pensionem debitam ex parte fundi, quia hoc esset in præiudicium tertij, quod esset iniustum, & iniquum.

15. Item reus sub iuramento interrogatus à legitimo iudice iuridicè non potest vti amphibologicis, imò peccat mortaliter, & tenetur veritatem aperire. *ita D. Thom. 2.2.q.69.art.1.* Etiam si manifestata veritate damnādus sit ad mortem, quia conseruatio Reipublicæ præualet bono vitæ priuatorum hominum. Imò tenetur si crimen non sit plenè probatum, quia Iudex non potest punire delicta, nisi per Rei confessionem, & testium testimonio cognoscantur; & Reus negando veritatem, peccat mortaliter. *ita 2. quæst. 1. cap. nos in quemquam, & cap. iudex. & D. Tho. loco supra citato.* Neque Religiosi grauissimis delictis notati, & à suis Prælatis interrogati sub iuramento, possunt verbis ambiguis contegere veritatem, quia obedientia, quæ est pars iustitiæ legalis præcipit, vt quis Superiori præcipienti obediat. Secùs tenetur Reus, vel testis iuratus crimen fateri, dum dubitat, an iudex seruato iuris ordine, illum interrogat, quia in dubio fauendum est reo. Sed quando interrogatio iudicis, vel Superioris est tantùm ad impediendū peccatum, tenetur subditus iuratus dicere veritatem, etiam de occultis, quia superior causa impediēdi peccata habet ius interrogandi, & subditus non habet sine peccato iustam causam celandi.

16. Item qui hominem occidit ad sui defensionem sub iuramento interrogatus, an hominem occiderit? potest vtendo æquiuocatione negare se occidisse illum, etiam si de homicidio ab ipso commisso præcesserit infamia, quia iudex requirit de occisione criminosa, qualis non est illa facta ad sui defensionem absq; notabili excessu. Neque qui crimen non committit, si iuratus interrogaretur de circumstantijs, potest sub æquiuocatione respondere, quia quoties iusta de causa æquiuocatio, vel restrictio adhibe-

hibetur, nihil fieri præsumitur cōtra rationabilem iudicis voluntatem.

17. Item Confessor potest absoluere reum legitimè interrogatum, & iuratum, si negat veritatem metu mortis, & iniustè repellit ab absolutione, si nolit illud retractare, quia esset rogare reum ad se prodendum, & præsertim ille, qui liber euasit ex tormentis, & est solutus à carcere. Benè tamen tenetur monere reum, vt sit animo preparato, & voluntate confitendi veritatem, si iterum interrogetur, quamuis sit condemnandus ad mortem; quia quoties est legitimè interrogatus, tenetur dicere veritatem, etiam si sit occidendus. Et si iterum esset interrogandus, tenetur confessor illum cogere ad veritatem aperiendam, & debet illum ab absolutione repellere, si nollet aperire veritatem, quia non habet sufficiens propositum vitādi peccata in futurum.

18. Verùm reus iuratùs, vt teneatur iudici respondere veritatem, necessariū est, vt prius iudex ei notificet cōtra ipsum esse infamiam, vel indicia sufficientia, vel semiplenam probationem, & hoc, vt sciat ipsum iuridicè interrogare, ideò non tenetur reus statim veritatem manifestare, quia debet scire se esse in tali articulo constitutū, quòd tenetur obedire iudici præcipienti, & extorquenti veritatem.

19. Infamia est frequēs vox bonorum, & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine suspectum reddit, & vox discolorum, & hominum infimæ sortis non efficit iudicialē, & legitimam infamiam, quia hæc infamia induci potest absque indicijs, & coniecturis sufficientibus. Et vt infamia verè, & plenè probata sit, saltim duplici teste probari debet, quia id est generale in iure, vt non minùs, quā duo testes probent. Et tales testes debent esse omni exceptione maiores, & deponant se audiuisse à fide dignis, quia fama, vel infamia nihil probat, vt est vox vulgi vana, nisi oriatur à fide dignis. *ita in iure cap. in omni negotio. & cap. qualiter el. 2. de accusation. & cap. in cunctis 11. quæst. 3.*

20. Indicia sunt signa, & circumstantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiliter indicamus de actibus aliorum. Quæ indicia sunt in triplici differentia. Alia sunt leuia, alia grauia, alia probabilia. Indicium leue est illud, cui frequenter contingit abesse veritatem, & tale est reijciendum. Graue est, cui frequenter contingit veritatem adesse. Probabile est medium inter vtrumq; & facit aliqualē suspicionem. Ideò grauia debent esse indicia, vt iudex iuridicè

dicè interroget, & reus teneatur dicere veritatem, quia adeò expressa debent esse indicia, vt vehementer reum indicent antequam ius emergat procedendi contra illum. *ita D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 2.*

21. Semiplena probatio est vnius testis oculati, & aliàs fide dignissimi deponentis cum iuramēto, & hic testis dicitur omni exceptione maior, quia nullus maior testis reperiri potest, quàm testis oculatus, & fide dignus deponens cum iuramento, vel si non cadit sub visu, sed sub auditu, vt crimen hæresis, vel blasphemiæ. Ideò iudex seruato iuris ordine procedit, quando infamia, vel indicia sufficientia, vel semiplena probatio pręcedunt, & ita reus tenetur fateri veritatem, etiam si damnandus esset ad mortem. *ita D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 2.*

22. Vnde denuncians, vel actor non potest facere semiplenam probationem, sed præter ipsum requiritur alius testis de visu omni exceptione maior, quia in iure *l. nullus. ff. de testibus.* habetur, quòd nullus in causa propria est idone⁹ testis.

23. Item iuramentum in materia indifferenti, vel impossibili, vel impeditiua maioris boni, vel contraria diuinis consilijs, non est validum, quia votum de simili materia non obligat, ita nec iuramentum Deo præstitum de his obligabit. *ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* Sed obligat iuramentum præstitum in vtilitatem hominis, etiam si impediat maius bonum, quia iuramentum ducendæ fœminæ ipsi præstitum obligat, licèt impediat maius bonum, cum id iuramētum factum soli Deo sit prorsus irritum. Sed iuramentum de re indifferēti, vt sic secundùm speciem, præstitum Deo, vel homini, non obligat, quia cum indiuiduo non datur actus indifferens, si non est bonus, debet esse malus saltem venialiter, & otiosus. *ita D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 9.* Et iuramentum rei malæ non est obligatorium, neque præstitum Deo, neque homini, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis. *cap. quanto de iureiurando.* Hinc est, quòd iuramentum de re indifferenti præstitū homini, tunc obligat, si in indiuiduo res promissa induat rationem boni, honesti, vtilis, aut delectabilis, quia talis res indifferens, vt sic absque peccato mortali, & veniali impleri potest à iurante, quod est solùm videndum, vt obliget.

24. Vnde iurans transire extra muros Ciuitatis, vel aliud simile, iuramentum seruare non tenetur, quia iuramentum non est vinculum ad otiosum aliquid agendum. Si verò iuret trāsire muros Ciuitatis ad cau-

telam

telam, seu vtilitatem spiritualẽ, vel temporalẽ sui, vel alterius, tunc iuramentum esset obligatoriũ, quia licèt in se talis actus sit indifferens, tamen in indiuiduo, dum sit in vtilitatem proximi, vel sui, est actus bonus, & materia sufficiens iuramenti.

ARTICVLVS IV.

An qui contraxit sponsalia cum iuramento possit ingredi Religionem, si post sponsalia copula sequuta sit?

1. ℞. Non, quia obstat vinculum iustitiæ, cùm sponsus teneatur resarcire iniuriam, quam aliter moraliter resarcire non potest. Etiam sine iuramento post sponsalia cùm virginem defflorauit, vel contraxit sponsalia cum iuramento cum vidua bonæ famæ, cum qua habuit rem, vel promittens alicui fœminæ illam ducere in vxorem, & fuit tanta familiaritas, vt inde oriatur sponsæ magna infamia licitè non potest ingredi Religionẽ, & tenetur ducere; quia obligatio naturalis, quâ tenemur resarcire damnum, & iniuriam, præferẽda est actui Religionis.

2. Similiter priora sponsalia non dissoluuntur per posteriora, etiam si posteriora facta sint cum iuramento, quia secunda sponsalia sunt in præiudicium alterius, & iuramentum non est vinculum iniquitatis. *ita cap. cùm contingat. de iureiurando.* In quo sponsus non tenetur stare secũdis sponsalibus etiam iuratis, contractis eo tempore, quo valida erant priora minimè iurata, etiam si postea illa priora dissoluantur nouo aliquo superuenienti, quia quod ab initio validum non est, tractu tẽporis non conualescit. *ita reg. non firmatur, de regulis iuris in 6.* Sed si priora sponsalia obligauit pro tempore, quo fuerit licitum adimplere secunda sponsalia, vel aliam rem promissam, tunc prima sponsalia, siue cum iuramento, siue non, ob aliquam iustam causam dissoluuntur, secunda sponsalia remanent valida, quia tale iuramentum esset de re licita, & tractum successiuum haberet. Vnde iuramentum rei illicitæ, si postea licita fiat, non est obligatorium pro tempore, quo licita fuerit, quia promissio emissa tempore inhabili non obligat tempore habili.

3. Verùm iurans sponsalia, aliudq; miens de præsenti matrimonium, peccat mortaliter, quia facit contra priorem promissionem in re graui. Tamen soluto matrimonio per mortẽ, nulla obligatio remanet proficiendi, seu adimplendi priora sponsalia, quia per matrimonium de præsenti, sponsalia

de

de futuro extinguntur. *ità cap. quæris de consecrat. dist.* 4. Et non est eadem ratio de matrimonio, & voto, quia sunt obligationes distinctæ rationis, cùm votum sit obligatio facta Deo, ideò non extinguitur, sed suspenditur constante matrimonio, & eo soluto debet impleri. Secùs est de sponsalibus, & matrimonio, cùm sint obligationes factæ homini, ideò nõ suspenduntur, sed extinguntur. Sed si hoc matrimonium, aliquo impedimento dirimente, esset irritum, priorem illam sponsalium promissionẽ adimplere tenetur, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. *ità reg. non præstat. de reg. iuris in 6.* Manet tamen alter sponsus à sponsalium fide liber, quia quando alter tantùm sponsus de futuro à sponsalibus recedit, licèt ab obligatione immunis non sit, alter tamen immunis remanet, eo quòd prior sponsalibus renunciauit.

4. Tandem sponsalia iuramento firmata, si iuramentum sit præstitum in fauorem partis; licitè mutuo consensu dissolui potest, quia iuramẽtum dirigitur in Deum, tamquam in testẽ promissionis factæ homini, ideò remittente homine, remittit etiam ipse Deus. *ità D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2.* Et etiam quando sponsalia iuramẽto firmata sunt in honorem Dei, vt si intuitu pietatis quis iuret fœminæ pauperi se eam ducturum; mutuo consensu dissolui poterunt, quia licèt iuramentum Deo præstitum sit, tamen ipse Deus recipit illud in vtilitatem partis. Sed promissum sub iuramento intuitu pietatis, vt possit remitti ab homine, oportet, quòd tota res promissa per iuramentum cadat in vtilitatem hominis, quia pars condonare potest spõsionem in sui fauorem factam. qua sublata, iuramentum cessat. Sed si tota res promissa nõ cedit in vtilitatem hominis, vt iurare se ingressum Religionem; hoc iuramentum non potest remitti ab homine, quia totum promissum cedit in vtilitatem Dei. *ità D. Thom. loco supra citato.*

ARTICVLVS V.

An iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem sit obligatorium?

1. R. Non, quia iusiurandum non est vinculum iniquitatis. *ita cap. quamuis de pactis in 6. & cap. contingat de iureiurando.* Imò id iuramentũ appositum contractui prohibito per legem ciuilem, principaliter ob publicam vtilitatem relaxatione non indiget, quia rela-

relaxatione non indiget iuramentum, quando est in præiudicium tertij.

2. Consequenter inualidũ est, & non seruandum est iuramẽtum Clerici, quo renunciat fori priuilegium, quia hoc iuramentum est de re illicita, vt quæ reducat in ignominiam Ordinis Ecclesiastici. *ità cap. si diligenti de foro cõpeten.*

3. Verùm iuramentum factum contra legem ciuilem, quæ primariò, & principaliter respicit fauorem, & commodum personæ priuatæ obligat; dummodo non vergat in præiudicium tertij, quia lex illa fauorabilis personæ priuatę nõ intendit ex transgressione laqueum peccati inijcere, sed tantùm actum irritare, & consequenter tenetur seruare iuramentum. Ideò fœmina, quæ iurauit non habere regressum ad bona paterna, tenetur stare iuramento, licèt lex ciuilis irritet promissionem, quia huiusmodi lex respicit immediatè bonum priuatum, sed iuramentum factum contra legem immediatè respicientem bonum priuatum, obligat. Et ita iuramẽtum validũ reddit alienationem immobilium, & magis mobilium factam per minorem absq; curatoris auctoritate, & iudicis decreto, licèt lex ciuilis irritet eam, si non fiat seruato iuris ordine, quia iuramentum, quòd est tantùm cõtra bonos mores ciuiles, nõ tamen naturales, contractum est validum, talis est alienatio minoris cum iuramento.

4. Nota, quòd duobus modis dicitur iuramentum cõtra bonos mores, scilicet contra bonos mores ciuiles, vel contra bonos mores naturales. Iuramentum contra bonos mores ciuiles tantùm, & immediatè respiciens bonum priuatum est obligatorium, quia non est est de re illicita, & peccaminosa, cùm non aduersatur nõ obliganti ad culpam, cùm quilibet iuri suo cedere possit. Iuramentum verò contra bonos mores naturales, est quando res promissa non potest impleri absq; culpa lethali, vel veniali, & hoc non obligare ex iure, *ità reg. non est obligatorium de reg. iuris in 6.* Maximè quando iuramentum præstitum est contra legẽ ciuilem respicientem principaliter bonum publicum, quia cùm hoc iuramentum sit in præiudicium communitatis, impleri non potest absq; culpa. Tunc lex ciuilis primariò respicit bonũ commune, quando ex eius transgressione lęditur bonum commune, & lex ciuilis tunc primariò respicit bonum priuatum, quando ex eius transgressione læditur bonum particulare. Ideò ex transgressione

legis ciuilis principaliter in fauorē priuatæ non læditur Reipublicæ bonum, quia Reipublicæ non multùm interest, vt bona sint vnius potiùs, quam alterius ciuis.

ARTICVLVS VI.

Quidnam sit, iuramentum firmare promissionem, & contractum?

1. R. Quòd est facere, cōtractum, vel promissionem validam, aliàs esset irritus sine iuramento, quia cōtractus, quo vxor consentit in alienationem fundi dotalis, iure positiuo est irritus, & inualidus: *ita cùm contingat. de iure iurand.* Sed cùm iuramento est val idus.

2. Verùm iuramentum nō firmat contractū, si aliqua turpitudo inueniatur in creditore, & sic promissio facta vsurario cum iuramento de soluendis vsuris, non firmatur iuramento, quia aliàs promissio firmata iuramento sequeretur, quòd vsurarius acquireret aliquod ius, sicut acquiritur per cōtractum validum, quod non acquiritur ad actionem sibi illicitam. *ita cap. debitores de iureiur.*

3. Ita etiam promissio, seu contractus per vim, dolum, vel metum exortus non firmatur iuramento, quia turpitudo reperitur ex parte exigentis per huiusmodi iuramentum: tamen ex parte iurantis est seruādum, si sine dispendio salutis æternæ seruari potest, quia aliàs Deus ex parte iurantis videretur adductus in testem falsi. *ita cap. supradicto, & D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.*

4. Vnde aliud est iuramento firmare cōtractum, & aliud est iuramentum esse seruandū, quia quando iuramentum firmat contractum aliàs inualidū, tunc oritur duplex obligatio, vna erga Deum, qua iurans curare debet, ne Deus adductus in testem falsi sit. Altera verò erga hominē, qui acquisiuit ius erga iurantē ob validitatem contractus. Quando autem iuramētum est seruandū, tunc vna obligatio oritur, scilicet erga Deum, & non erga hominem, quia homo in cuius fauorem est præstitum iuramētum, non acquirit ius erga iurantem, cùm iniustè exigat iuramentum. *ita D. Thom. loco supra citato.*

5. Et sic quando iuramentum obligat, & non firmat cōtractum, non mutat contractū, nec facit de inualido validū, quia tunc iuramētum nullum contractui robur addit, sed solùm inducit obligationem in ordine ad Deum. Benè tamen quando iuramentum firmat contractum, quamuis priùs sit irritus, & inualidus, quia

tunc

tunc est duplex obligatio, scilicet Dei, & hominis.

6. Verùm vt iuramentum firmet contractum, & faciat de inualido validum, non sufficit, vt sit iuramentum assertorium de præsenti, quia tale iuramentum, licèt censeatur liberè, & non fictè iurare, tamen non facit contractum, qui iuris prohibitione est irritus, validũ, & irreuocabilem. Sed requiritur, vt iuramentum sit de futuro, idest vt iuret se non contrauenturum contractui, quia aliàs vt sic non seruauerit, erit periurus. Sed apposito iuramẽto de præsenti, non incurrit periurium, quia non promisit se non reuocaturum talem contractum, sed tantùm confirmauit mentem suam esse veram, & non fictam.

7. Similiter iuramentum, vel simplex promissio facta, contra prius iuramentum, vel promissionem, non obligat, quia huiusmodi iuramentum, siue promissio sunt de re mala, cùm adimplere nequeant sine violatione prioris iuramenti, siue promissionis. Gesta tamen cõtra obligationem prioris iuramenti valida sunt, nisi aliundè sint irrita. Ideò reuocatio testamenti facta cõtra iuramẽtum de non reuocando testamento valida est. Ita etiam venditio facta contra promissionem iuratam de non vendẽdo valida est. Item matrimoniũ contra votum simplex castitatis, aut contra sponsalia iurata cum alia, validum est, quia iuramentum, seu prior promissio nõ reddit iurantem inhabilem ad faciendum actũ contrarium, ex se validum. Verùm esset hic periurus, quia ageret contra iuramentum à se primò præstitũ. Sed talia gesta si aliũdè sũt irrita, scilicet ex ꝓhibitione, sũt irrita; quia sũt cõtra prius iusiurandum. Sunt etiam inualida, quia interdicitur à lege fauore ipsius iurãtis. Nec robur accipit à secundo iuramento, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Consequenter contractus non firmatur iuramento, quoties iuramentum est contrariũ alteri priori iuramento, quia iuramentum non obligat ad rem illicitam. Sed quando cõtractus, vel promissio non firmatur iuramento, potest iurans obtinere relaxationẽ iuramenti, vel facta solutione rei promissę repetere rem solutam, quia iuramentum factum est de solutione facienda, & solutio iam est adimpleta, & cùm iurauerit se soluturum, non vero non repetiturũ. *ità cap. debitores de iureiur.*

8. Imò quando ius irritum reddit non solùm contractum, sed etiam iuramentum appositum, tunc iuramentum non

obligat, quia *ita ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 16. de reg.* vbi irritam reddit omnem renũciationẽ, vel dispositionem Nouitij, etiã iuratam, nisi facta cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij ante professionem, & non sortitur, nisi sequuta professione.

9. Item leges ciuiles, & laici legislatores possunt prohibere, ne iusiurandum in cõtractibus humanis, vel pactis interponatur, quia propter iusiurandum res reuoluitur ad forum Ecclesiasticum. *ita cap. final. de foro competenti in 6.* Sed non ad impediendam iurisdictionem Ecclesiasticam, sed ad defendẽdã iurisdictionẽ Regiam. Imò possunt, ne contractus lege ciuili irriti, iuramento firmentur, quia contractus ad forum sæculare spectantes quoad robur, & vim suam subijciunt legibus ciuilibus humanis. Nec obstat, quòd laicus non potest cognoscere de vi, & firmitate iurisiurandi, vel alterius cuiusuis rei spiritualis, quia laicus sua lege ciuili non cognoscit iuramentum directè, & immediatè, vt est vinculum spirituale, quod excedit eius facultatem, sed indirectè, & remotè irritando cõtractum humanũ, antequam ineatur, cuius vis, & robur legi ciuili subijcitur. Et licèt cõtractus humanus spectans ad forum sæculare, non firmetur iuramento ex lege ciuili irritante huiusmodi confirmationem propter bonum Reipublicæ: iuramentum tamẽ est seruandum, quia laicus, & lex ciuilis non potest auferre obligationem iuramenti, quam habet iuramentum ex lege naturali, & diuina. *ita cap. si iudex laicus de sentent. excomm. in 6. & cap. suam de ord. cognit. & cap. lator; qui filij sunt legitimi.* Sed secundùm aliquos probabile est iuramentum non esse seruandum, nec indigere relaxatione, vt illi contractui cum iuramẽto contraueniatur, quia ex iure sublato priori, scilicet, contractu; tollitur posterior, scilicet iuramentum ab illo dependens, cùm materiæ contractus iuramentum erat adiectũ. *ita in cap. cùm Paulus 2. q. 1. & cap. translato, & Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de matrimonio.*

10. Rursus contractus in se validus, sed secluso iuramento infirmus, tamen apposito iuramento fit firmus, & irreuocabilis, & reclamandi facultas per appositionem iuramenti denegatur, quia talis contractus firmatus iuramento est omninò seruandus, idest absq; vlla exceptione, & remedio, dummodo iuramentum non sit interpositum vi, metu, aut dolo. *ita cap. quamuis pactum de pactis in 6.*

11. Nota, quòd priuilegiũ restitutionis in integrum, est be-

beneficium, seu remedium, quo aliquæ personæ læsæ restituuntur à iudice in pristinum ius, & statum, & propter læsionem contractus rescinduntur, & æquatur pretium, si in pretio personæ læsæ, sunt tàm infra, quàm supra dimidium, dummodo læsio sit notabilis, & nõ deuis pro nihilo reputata, aliàs non conceditur restitutio in integrum. Hinc est, quòd tunc venditor decipitur, vel læditur supra, vel vltra dimidium iusti pretij, quando non recipit dimidium iusti pretij: & etiam emptor decipitur vltra dimidiũ iusti pretij, quando soluit verum, & iustum pretium, & propterea plusquam dimidiã partem; ideò tales possunt vti beneficio restitutionis in integrum. *ita instit. de inutilibus stipulationibus §. pupillus, & ex l. 3. & 5. de in integrum restitut. & ex l. ait prætor ff. viginti. 25 anni. ita in cap. quamuis pactum de pactis in 6.*

12. Ita etiam minores, qui nõ compleuerunt vigesimum quintum annum, minores appellantur ex iure, & quando tales contractum celebrarunt in suum incõmodum, possunt rescindere contractũ, tamquã irritum, & non obligantem, quamuis aliàs obligent. *ita instit. de inutilibus stipulationibus §. pupillus.* Imò tales minores possunt vti beneficio restitutionis in integrum; quando se aliquo contractu, licèt valido, & non firmo, læsos deprehendunt tàm infra, quàm supra dimidium iusti pretij, dummodo læsio sit notabilis, & contractus non sit firmatus iuramento, aliàs est irreuocabilis, quia minor efficitur maior ratione iuramenti supplentis defectum minoris ætatis.

13. Sed emptori, vel venditori nõ datur actio in iudicio, quando solùm decepti sunt citra dimidium iusti pretij, quia ista deceptio infra dimidium iusti pretij ægrè, & lubricè potest semper percipi. Benè tamen minoribus datur actio in iudicio, quando infra dimidium iusti pretij sunt decepti, quia *ita in l. rem maioris, & l. si voluntate C. de rescindenda venditione.* Tamen venditor decipiens emptorem infra dimidium iusti pretij peccaret, & teneretur ad restitutionẽ, quia & si dicatur in iure, quòd non datur actio in iudicio, non tamen quòd nõ restituantur pluris iusto pretio in conscientia. *ita l. rem maioris, & l. si voluntate C. de rescindẽda venditione.*



ARTICVLVS VII.

An quando in iuramento adest error, & dolus circa substantiam rei promissæ, teneatur iurans adimplere iuramentum?

1. R. Non, quia quando est error, & dolus in substantia, iurans non intēdit iurare rem illam, sed aliā. Si vero error, & dolus versatur circa rei qualitatem, & aliàs cognita illa qualitate nō iurasset promittens, iuramentum nō obligat, quia Deus acceptat iuramentum secundùm intentionem iurantis, qui bona fide iurat, & non secundùm intentionem eius, qui fraude extorsit illud. Ita vt si talis præuidisset a principio rem esse ita dolo circumuentam, numquam iurasset, non peccat non adimplendo illud iuramentum, siue error, & dolus sit circa substātiam rei iuratæ, aut circa qualitatem, quia iuramentum non obligat extra intētionem illius, qui bona fide iurat, siue in genere, siue in specie iurauerit, cùm mēs iurantis tacitè repugnat tali iuramento. *ita cap. veniens de iureiurand. & cap. humana aures 2.2.quæst.5.*

2. Imò error, & dolus circa substantiam rei iuratæ, etiam non dans causam promissioni, sed etiamsi sit tantùm error cōcomitans, idest etiam si iurans cognito errore iurasset, adhuc tollit obligationem iuramēto, quia ad valorem iuramenti sūt necessaria consensus, & voluntas positiua; at error concomitans, licèt non efficiat actum esse inuoluntarium repugnans voluntati, tamen efficit esse nō voluntarium, & tollit actualē cōsensum in rem illam promissam, circa quam erratur iuxta illud, nihil est volitum, quod non sit præcognitum. *ita D. Th. 1.2.q.6.art.8.*

3. Similiter dolus dans causam iuramento, vel contractui, idest quādo quis supposito dolo inducitur ad contrehendū; & non contracturus, si dolus non adesset; talis dolus tollit obligationem iuramenti, quia mēs iurantis supposito tali dolo tacitè repugnat. *ita cap. veniens de iureiurand.* Et etiam dolus incidens in iuramentum, vel in contractum, idest quando adhuc esset præstitum iuramentum, & adhuc contrahentes contraxisset secluso dolo, tollit etiam obligationem, quia tollit actualem consensum in rem iuratam.

4. Sed si error, & dolus versatur circa accidentalē rei cōditionem, circumstantiam, & qualitatem; non infirmant obligationem iuramenti, si sublato illo errore, vel dolo iuramentū esset

esset quidem præstitum a iurāte, quamuis non ita liberè, & facilè, quia non deest consensus substantialis in rem iuratā, quamuis non ita facilè, & libenter iurasset, si qualitatem rei cognouisset, talis consensus esset sufficiens ad iurandū, vt patet in matrimonio celebrato cum errore circa qualitatem personæ, scilicet si inueniat puellam esse pauperē, vel defloratam. Sed si qualitas, seu circumstantia, quæ est rei quidem accidentalis, & extrinseca; tamen secundùm intentionem iurantis est intrinseca, sine qua non intendit iurare, nisi subsistente tali qualitate in substantia rei, quam iurauit, tunc infirmat obligationem iuramenti, quia actus agentium præsertim obligatorij, non se extendunt vltra eorum intentionem. Verùm error, & dolus circa qualitatem personæ non infirmat matrimonium, quia matrimonium voluntarium simpliciter quo ad substantiam est validum, licèt desit consensus secundùm quid, idest quoad accidentia, scilicet quòd non sit puella sana, sed leprosa. Sed si qualitas personæ, circa quam erratur, fuerit apposita in contractu matrimonij per modum conditionis, tunc matrimonium non est validum, quia deest qualitas, quæ apposita fuit, tamquam conditio validitatis contractus matrimonij.

ARTICVLVS VIII.

An iuramentum per nuntium, & Procuratorem præstari possit?

1. ℞. Sic, quia sicut ex iure matrimonium, quāuis sit actio personalis præstari potest per Procuratorem, ita iuramentum. *ita ex cap. vlt. de iuram. calumnia in 6.*

2. Verùm iuramento ligatur ille, cuius nomine præstatur, non verò nuntius, & Procurator emittens iuramentum nomine alterius, quia nuntius vel Procurator nō emittit iuramentum nomine proprio, sed alieno: & sic pœnis in periuros constitutis mandans falsum iurare afficitur, & non procurator, quia mandans iurare, & non iurans dicitur propriè, & strictè periurus. Sed procurator sciēter falsum iurans, vel dubium, aut certum, peccat peccato periurij, vt cooperator periurio alterius, quia sicut inducēs alterum ad iurandum falsum est reus periurij, ita cooperans ad periurium. Procurator autem si bona fide præstans iuramentum, ac ignorans falsitatem, immunis est à culpa periurij, sed tota refunditur in partē, quia mala fide nō consentit in periurium partis.

3. Vnde

3. Vnde Procurator, vt nomine partis pręstet iuramentũ, exigitur speciale mandatum iurandi illi commissum, quia iuramẽtum est res maximi momenti, & strictè obligat eum, cuius nomine fit. Imò non sufficit speciale mandatum in quacunq; causa mandantis, sed in causa particulari, quia vt matrimonium cõtrahatur, per Procuratorem exigitur speciale mandatum, & quo ad matrimonium, & quo ad personam. *ita cap. final. de procuratoribus 6.* Procurator verò contrahendo debet adhibere ista verba, *Recipio te in vxorem nomine Titij*. Et fœmina respondere debet, *Ego, te mediante, duco Titium in virum. ita ex l. mulierem ff. de ritu nuptiarum*.

4. Similiter matrimonium contractum per epistolam iure antiquo erat validum, & post Concil. Trid. *sess. 24. cap. 1. de matrim.* est etiam validum, si celebratur coram Parocho, & testibus, quia finis Cõcil. Trid. *sess. 24. cap. 1. de matrim.* est irritare matrimonia clãdestina. Imò matrimonium celebratum per litteras, vel Procuratorem nedum est validum, sed etiam est Sacramentum, quia tunc concurrit materia, forma, & intentio ministri, idest contrahentium intendentium recipere Sacramentum, & facere, quod intendit mater Ecclesia. Hinc is, qui generale mandatũ dedit ad contrahendum, & iurandum suo nomine, non tenetur ex vi iuramenti, sed ex vi contractus stare contractibus per Procuratorem factis, quia hoc mandatum generale non est legitimum ad iurandum nomine alterius, licèt sufficiat ad contrahendum.

ARTICVLVS IX.

An iuramentum assertorium de re in se falsa possit cohonestari?

1. ℞. Non, quia ex quacunq; causa res iuramento firmata excusari non potest à mortali: imò iuramentum assertorium in omni materia, etiam leui, est peccatum mortale, quoties iurans credit non esse verum, quod asserit, quia Deum adducere in testẽ mendacem est grauissima iniuria in quacunq; materia. Hinc emittere iuramentum falsum causa ioci est mortale, quia Deo fit magna irreuerentia inducendo illum in testem quasi mendacem. *ita D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2.* Si verò quis ex lapsu linguæ non aduertens, iuret falsum, excusatur a peccato mortali, quia sic non videtur habere intentionem iurandi.

2. Tandem iurans dubium, vt certum, est periurus, & peccat lethaliter, quia mentitur asse-

asserens, tamquã rem certam, de qua est dubius: non tamen est periurus, si rem illam iuret, & asserat tamquam dubiam, quia tunc verum iurat. Et ita iurans rem certam, vt dubiam est periurus peccans lethaliter, quia sicut est reus mortalis mẽdacij, confitens peccatum mortale certum, vt dubium, ita iurans rem certam, vt dubiam.

ARTICVLVS X.

An iuramentum promissorium sit peccatum mortale, dum fit animo non adimplendi?

1. R. Sic, quia iurans, deficiente veritate de præsenti, semper est periurus. Etiam si fiat animo dubio adimplendum, quia ad tale iuramẽtum exigitur animus firmus, & certus adimplẽdi rẽ promissã. Imò si fit credens fore probabiliter, nõ posse impleri, peccat mortaliter, quia sicut certitudo rei, quam quis iuramento assertorio iurat, desideratur ad euitandum periurium, ita in iuramento promissorio.

2. Sed iuramentum promissorium non obligat, si superueniat impossibilitas, vel necessitas, aut magna difficultas, quia *ex iure habetur. ff. de reg. iuris.* quòd impossibilium nulla est obligatio: de necessitate verò, & magna difficultate excusat à periurio, quia etiam ex iure habetur, quòd Deus respicit animũ, non manum. *ita cap. querelam, de iure iurand. & cap. breui eod. tit.*

3. Verùm quicunq; defectus in veritate de futuro facit peccatum mortale, in iuramento promissorio cuiuscunq; materiæ, siue magnæ, siue paruæ totalis, siue partialis materiæ, quia si quis iuret daturum se mille nummos, habens animũ non integrè dandi, sed in modica quantitate deficiendi, lethaliter delinquit. In iuramento autem promissorio duplex veritas exigitur, scilicet veritas de præsenti, scilicet vt sit animus adimplendi, quod promisit; & veritas de futuro, vt res promissa adimpleatur suo tempore, quia Deus in iumento promissorio non solùm adducitur, vt testis veritatis præsentis, sed promittitur rei futuræ promissæ exequutio. *ita D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1.* Probabiliùs tamen est, quòd si exigua materia promissa sit partialis materia iuramenti, esse solùm venialem culpam, quia si quis iurauit dare centũ aureos, si omittat dare obolum, peccat tantũ venialiter. At si materia exigua sit materia totalis iuramẽti promissorij, postea si possit, & non dat, reus erit culpæ lethalis; quia in priori casu non violatur omninò iuramẽti fides, sed

in re minima; in posteriori verò omninò iuramentum violatur. Mitius tamen dicendum venialiter peccare, si res promissa, siue sit tota materia, siue pars tantum iuramenti promissorij, quia parum pro nihilo reputatur, vt iuramentum matrū de dando filijs plorantibus pomum, vel aliquid exiguum.

4. Similiter iuramentum comminatorium emissum ex aliqua passione, vel ira, vel animo vindictæ inordinatæ, non est seruandum, quia iuramentum, vt sic non habet materiam bonam, cùm fiat causa vindictæ. Hinc ablatis his, tenetur iuramentum adimplere, dummodo eius adimpletio non sit impeditiua maioris boni, aut sit sublata causa, aut superueniat ratio non puniendi, quia præstans tale iuramentum de infligenda poena, tacitam hanc habet intentionem.

5. Vnde transgressio in iuramentis comminatorijs facta à parentibus, vel dominis, maximè ad obsequium Dei, necessariò eiusdem adimpletionem, dicēdum est obligare sub mortali, quia tunc materia est grauis. Quoties autem iusta causa excusandi adest, excusatur à mortali, quia paruitas materiæ illos excusat. Ideò parentes comminantes filios grauiter punire, scilicet occidere, vel aliud graue damnum, vel domini seruos cum iuramento, non tenentur adimplere illud, quia videtur deesse veritas præsens. Hinc pueri iurantes accusare alios pueros coram parentibus, vel magistris, nisi id faciant, excusantur à periurio, & à culpa mortali transgrediēdo tale iuramentum; quia paruitas materiæ excusat à peccato.

6. Verùm iurans dare fæminæ pro copulâ data illi, tenetur, sequuta copula, illam soluere, quia est promissio rei licitæ, & debitæ ex iustitia, locauit enim corpus suum in obsequium, & voluptatem alterius, quamuis supponat actionem turpē. At promissio ante patratum crimen nullo pacto est seruanda, sed dissoluenda, etiam iuramento firmata, quia ordinantur ad finem turpem, & vt alter crimen perpetret.

7. Tandem promissio prodiga iuramento firmata non obligat, quo ad partem prodigalitatis, sed quo ad quantitatē, in qua nulla est prodigalitas, quia vt sic est promissio rei licitæ.

AR-

ARTICVLVS XI.

An iurans committere, vel omittere aliquid ad quod tenetur sub mortali, peccet mortaliter?

1. R. Sic, quia magna infertur Deo iniuria, asserendo Deum in testem, perpetrando aliquid contrarium eius legi. Imò bis peccat lethaliter; quia facit contra Religionem ex defectu iustitiæ, & quia habet propositum committendi, quod lethale est.

2. Hinc iurans se facturum aliquid veniale, duplex veniale committit, quia sicut in faciendo eo, culpa tantùm venialis admittitur, sic is, qui se id facturum, voluntate id præstandi, venialis tantùm peccati reus erit: etiã si adimpleat id, quod iurauit, non peccabit mortaliter, quia ex reuerentia iuramẽti Deo præstiti videtur implesse iusiurandum, non autem ex contemptu. Iurans autem se admissurum rem venialem animo non implendi, lethaliter delinquit, quia huic iuramento deest veritas de præsenti, & in iurando sic præstans iuramentum mentitur. Ideò iurans quamcunque iniustitiam, etiã venialem, absq; animo implẽdi, & faciendi, peccat mortaliter, quia deest veritas de presẽti, & maxima iniuria Deo infertur, adducendo illum in testem falsi. Certum tamen est iurantem se facturum aliquam iniustitiam venialem, vel mortalem, nullo pacto obligari ad faciendum, quia iusiurandum non est vinculum iniquitatis.

3. Vnde minus malum est aliquem iurare se facturum rẽ venialem animo exequendi, quàm absque eo animo, quia in priori casu est solùm veniale, in posteriori verò est periurium lethale. E contra minus malum est iurare rem mortalẽ animo non exequendi, quàm animo adimplendi; quia in priori euentu est vnica culpa lethalis, in posteriori verò duplex, scilicet contra iustitiam iuramenti in re graui, & etiam propositũ illud mortale adimplendi. Et licèt hoc secundo modo iurare nõ sit periurium, est tamen iusiurandum temerarium, & incautum.

4. Similiter alteri detrahens, si detractionem confirmat iuramento, peccat duplici peccato, scilicet detractionis, quia materia peccaminosa non est apta materia iuramenti, & etiam grauiter peccat defectu iustitiæ iuramenti, quia irrogat Deo grauem iniuriam, adducẽdo illum in testem rei mortaliter peccaminosæ. Satis namq; probabile est tantùm committi

Bbbb 2 cul-

culpam venialem, dum iuramentum assertorium cadit supra rem leuem, etiam si res sit mortaliter illicita, & peccaminosa, quia hic defectus in iuramento assertorio non euacuat directè finem iuramēti, nec facit Deum testē mendacij. Sed si iuramentum assertorium assumitur, vt iuramentum illius peccati, idest vt augeatur, & probabilior fiat infamia grauis proximo eo iuramento confirmata, tunc est mortale, quia iustitia requisita propriè nō solùm ad rem iuratā spectat, sed etiam ad iurandi causam, quæ est lethaliter peccaminosa.

5. Itē iurans facere aliquid, quod est mortale, vel veniale, peccat iterum illud faciendo, quia eadem est irreuerentia contra Deum in emittendo tale iuramentum, & in implendo malum iuratum ex vi iuramenti formaliter. Nec iuramentū, quo quis promittit opus bonū ad malum finem, est obligatorium, quia impium est aliquid promittere Deo sub iuramento, vt mali aliquid efficiat, quasi Deus fuerit mali, vel sceleris auctor. Ita etiam non est obligatorium iuramentum, nec votum, quando quis iurat opus bonum ad agēdum gratias pro malo obtento, vel ad malum finem obtinendum, quia tunc Deus non acceptat aliquid in gratiarum actione, quasi fuerit actor peccati.

6. Rursus iurans opus bonum ad consequendum bonū consurgēs ex aliquo malo, seu supponens actionem malam, vel opus, quod secundum finē principalem est bonum, sed finis secundarius, seu causa applicandę voluntatis ad iuramētum, seu causa impulsiua ad præstandum tale iuramentum, est mala, tunc validum, & obligatorium est iuramētum, quia tale iuramentum quo ad finem primarium est de re grata, & acceptata Deo, quod sufficit. At non tenetur seruare iuramentum iurans se facturum eleemosynam propter finem malum venialiter, scilicet propter inanem gloriam, quia licèt eleemosyna sit bona, actus tamen sumit speciem ab obiecto, & fine. At ille, qui propter inanem gloriam emittit professionem in aliqua Religione approbata, peccat mortaliter, & professio nulla, quia decipit Religionem in re graui, & fieri potest, vt Religio graue damnum patiatur.

7. Item iurans facere peccatum, peccat iurando, & peccat iuramentum seruando, quia ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator, sed non seruando est opus bonum supererogationis. *ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.* Ideò iuramētum promissorium po-

potest esse à principio licitum, & in impletione fieri illicitum, quia iuramentum Herodis erat licitum puellæ saltanti se daturum, quod petijsset, sed impletio sacrilega, & mala dare caput Ioannis Baptistæ. *ita D. Thom. loco supra citato.*

8. Item iurans se aliquid cõtra consilia Euangelica, & ea, quæ vim præcepti non habent, facere, peccat venialiter, quia incautè iurat, cùm non sit materia apta iuramenti, & leuis irreuerentia erga Deum. Vnde similia iuramenta non sunt seruanda, sed propria authoritate frangenda, quia cùm non sint obligatoria, nulla indigent relaxatione. *ita D. Thom. loco supra citato.* Nec obligatur ad iuramentum iurans se non facturum rem indifferentem, vel impossibilem, sed etiam propria authoritate infringi debet, quia Deus non vult obligare ad aliquod vanum, & otiosum, vel ad aliquod moraliter impossibile, scilicet vt nunquam venialiter peccare.

ARTICVLVS XII.

An obligatio iuramenti transmittatur ad hæredes iurantis?

1. R. Non, quia obligatio iuramenti propria, & per se ex virtute Religionis est omninò personalis. *ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. ad 4.* Ideò si quis iurauerit pro se, suisque successoribus, ex vi iuramenti successores non tenentur: benè tamen potest hæredem obligare temporaliter, non autem spiritualiter, quia licèt honestum sit, vt in spiritualibus obligationibus filius sequatur voluntatem patris, non tamen necessarium. *ita cap. ex litteris de despons. impub.*

2. Vnde Alumni Collegij Angliani Romæ iurantes absolutis studijs in Angliam ituri ad propagandam fidem, non possunt licitè sine dispensatione Religionem ingredi, quia iuramentum, quod in gratiam, vel vtilitatem hominis, vel Ecclesiæ, vel alterius communitatis editum est de opere honesto, semper obligat *ita cap. quamuis pactum de pactis in 6.*

3. Verùm si pars maior alicuius communitatis, vel Capituli sub iura mento se obstrinxit ad aliquid, alijs in minori parte non consentientibus, hi non obligantur ex vi iuramenti, & sub periurio, quia iuramentum est actio personalis voluntaria. *ita D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 2. ad 4.* Sed benè tenetur interdum ex vi pacti, legis, & consuetudinis, quia sic minor pars suffragia maioris sequi tenetur.

4. Hinc est, quòd Episcopus, Canonicus, aut alia dignitas habens annexa multa

iura-

iuramenta, si admittatur ad suũ officium sine iuramento, non tenetur ad iuramenta suorum prædecessorum, sed benè ratione vinculi, statuti, vel contractus seruare, quæ non iurauit, quia vinculum transit ad successores in dignitate, vel officio, non autem vinculum iuramenti, cùm sit personale. At iuramentum ex parte eius, cui præstatur, non est personale, & sic transit in eius hęredes, quia actiones defuncti transeunt in hæredes.

5. Similiter subditus iurans obedientiam alicui Superiori, tenetur ex vi iuramenti obedire successoribus, quia licèt iuramentum ex parte iurantis personale sit, respectu tamen eius, cui iuratum reale est, idest transitorium cum re, scillicet dignitate, hęreditate &c. Sed iuramentum præstitum non ratione dignitatis, sed priuatæ personæ, eo mortuo, vel amoto, cui iuratum est, maximè si iuramentum non est circa rem ad dignitatem pertinentem, non transit ad successores, quia tunc tale iusiurandum non est actus realis, sed personalis. Ideò amoto Prælato, vel priuato Rege à Regno, cessat iuramentum, quia iustè indignus dignitate iudicatus est, nullus tenetur ei amplius obedire. Et ita Ecclesia remouens statuta alicuius Religionis, vel Collegij, qui in illa iurauerunt, vel vouerunt illa seruare, non tenentur amplius ad illa, quia non sunt ampliùs statuta, neq; sub voto, vel iuramento seruãda. Sic etiam iurans constitutus in aliquo officio, vel dignitate, his finitis, remanet liber à iuramento, quia ea iuramenta sunt dignitati, & officio annexa.

6. Et quamuis obligatio iuramenti præcisè nõ transeat ad hæredes, cùm iuramentum sit vinculum personale, tamen obligatio contractus iurati trãsit ad hæredes, quia obligatio contractus est realis, quæ trãsmittitur ad hæredes. Et tales nõ seruantes contractum iuratum à defuncto non peccant peccato periurij contra Religionem, cùm ipsi non teneantur vinculo iuramenti, tamen peccant contra iustitiam, quia obligatio contractus validi est realis transiens ad hęredes. *ita D.Tho. 2.2. q.98. art. 2. ad* 4.

7. Verùm hæredes iurantes se soluturos vsuras vsurario, non tenentur seruare iuramentum quia cùm obligatio sit personalis, non descendit ad hœredes. Sic iurans pecuniam latroni daturum, & ab illo non repetiturum, hœredes non tenentur illas soluere, & solutas possunt repetere, quia iuramẽtum non est confirmatorium promissionis, sed per se stans, & *nulla ex eo* obligatio ad hœredes transit.

Vnde

Vnde heredes iurantis non soluentes, sed repetentes, non peccant peccato periurij cùm obligatio iuramenti non transit ad hœredes; neq; peccato in iustitiæ, quia fuit inualida obligatio, & per iniuriam. *ita D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.*

8. Similiter iuramentum soli Deo præstitum eroganda eleemosynæ, & huiusmodi trāsit ad heredes quoad onus, quia omnia onera, seu obligationes reales secundùm vires hœreditatis editæ in se suscipit hœres. Et hoc acceptat Deus non ob solam iuramenti obligationem, sed etiam in quantum redundat in pauperum vtilitatem, quia non ex vi iuramenti, sed ex vi contractus cum Deo initi.

9. Itē iuramenta vrbanitatis gratia solita præstari in ingressu, vel egressu alicuius loci, nō grauiter peccant iurantes contrauenienda, quia habent tacitam conditionem, scilicet quòd ad me attinet non præcedam.

10. Item iuramenta seruādi statuta alicui⁹ vniuersitatis obligant ad statuta edita, & non edenda in posterum, quia iuramētum ob periculum periurii est strictissimi iuris, & interpretationis. *ita D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 2.* Nec tenetur seruare statuta vsu nō recepta, etiā si in indiuiduo sit petitus, quia non præsumitur iurasse illa tas independenter à statutis, sed dependenter, quatenus statuta obligant. Et si sint statuta tanti momenti, vt obligent sub mortali; obligantur sub mortali ad illa seruanda, quia præcisè iurant seruare, prout continentur in statuto, vel statutum ipsum. Sed si res in statuto seruanda, est leuis, & ad veniale obligans, erit peccatum veniale, quia obligationes metiendæ sunt iuxta statutorum obligationes. Et consequenter si statuta sint seruanda secretò, tunc iuxta materiā iudicanda est culpa; si grauis detectio, erit mortalis; si leuis, erit venialis, quia obligantur iurantes iuxta qualitatem eorum. Vnde si statuta non obligant ad culpam, neq; ad culpā iuramentum obstringit, quia iuramentum iuxta statuti obligationem metiendum est. Et statuta pœnalia non contrahūt culpā, quia obligatio pēsāda est iuxta statuti vinculum.

Imò iurans seruare speciale secretum, non peccat illud non seruando, si illud sit in sui, vel alterius damnum, quia promissio secreti censetur facta cum hac conditione, scilicet modò non noceat mihi, vel alteri grauiter, *ita cap. sicut nostris de iureiurand.* Neq; scholastici non seruantes præcepta iurata Rectoribus Vniuersitatis, vel Academiæ non sunt periurii mortalis, vbi materia

non est grauis, quia in his leuibus non obedire, videtur esse tantùm culpa venialis.

12. Item promittēs aliquid alteri cum iuramento, non tenetur promissioni iuratæ ante illius acceptationem quia iuramētum sequitur naturam promissionis. Sed si promissio facta præsenti, qui tacet, valida est & multò magis si sit iurata, & reuocari non potest, quia in iure quoties de tacētis commodo agitur, censetur tacens in sui fauorem consentire. *ita l. qui tacet ff. de regul. iuris.*

13. Similiter promissio purè mētalis, idest iurata interne, nō obligat, nisi fiat per modum voti, quia promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri, nisi per verba. Neq; promissio etiam iurata facta surdo, & absenti obligat, quia antequam alter acceptet, potest reuocari, *ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1.* Promissio tamen interna facta in gratiam hominis per modum voti est adimplenda, licèt ille, cui facta est promissio, nullum ius acquisierit eam acceptando, dum sit de meliori bono, aut non impeditiua maioris boni, quia Deus intuetur cor, & non est illi acceptum, nisi sit de meliori bono. *ita D. Thom. loco supra citato.*

14. Item qui promittit iurādo matrimonium fœminæ tenetur eam ducere, quia iuramentum homini præstitum seruandum est, quotiescunque sine peccato & sine salutis ęternę dispendio seruari potest. Sed qui iurauit in mente per modū voti ducere fœminā in matrimonium, absolutè non tenetur adimplere tale votum, quia votum matrimonij ineundi nō est de meliori bono, imò impeditiuum, idest cœlibatus. At si vouit ducturum vxorem ob vitandam fornicationem, & peccata carnis, tenetur ad matrimonium; quia meliùs est nubere, quàm vri. Maximè habens concubinam, à qua difficillimè recedere potest (nisi mallet Religionem ingredi) vtique tenetur seruare votum, quia difficillimus recessus à culpa facit quasi maius bonū, quod de se est minus bonum. Vnde iurans mulieri pauperi, vel meretrici se eam ducturam ad subleuandum illius inopiā, & infamiā tenetur eam ducere, quia licet Deo, & non homini est minus grata promissio matrimonij, quā cœlibat⁹, est tamē facta homini, cui est grata. Iurans autem Deo per modum voti ducere pauperem, vel meretricem in honorem eius, non tenetur implere, quia promissio, quæ fit Deo per iuramentum, non obligat, si sit impeditiua maioris boni, licèt obliget, si fiat homini. Probabiliter autē dici potest talem teneri pro-

promissionem adimplere, quia videtur iurasse opus Charitatis, & misericordiæ, & valdè pium. Probabilius tamen est non teneri, quia consummato matrimonio, præcluditur omninò via ad perfectius bonum, scilicet ad statũ continẽtiæ, & Religionis. At iurans Deo sub cõditione, scilicet posito quòd se nubat, tenetur ducere pauperem, vel meretricem; quia melius est in honorem Dei ducere pauperem, vel meretricẽ, quàm aliam. Imò iurans Deo absolutè, & sine conditione ducere pauperem, vel meretricem in honorem Dei, potest, si velit, cum alia contrahere, quia cùm illud iuramentum Deo præstitum sit inualidum, liber manet sic iurans ab obseruantia illius.

15. Tandem iuramentum Deo præstitum de castitate seruanda, vel ingrediendo Religionem, vel non nubendi, factum ab eo, cui salubrius videtur esse matrimonium ob incontinentiã, & frequentem lapsum in res venereas, validum est, quia quamdiu Superior cum eo non dispensat, moraliter certum est statum continentiæ esse meliorem, & Deo gratiorem. Aliàs aperiretur ostium incontinentiæ, cum homines ad illam procliues obcæcati facile existimarent adesse causam, neglecto iuramento continentiæ Deo præstito, aut Religionis transeundi licitè ad nuptias: & ita plurima merita continentiæ, & egregia opera Religionis communitati Ecclesiæ vtilissima impedirentur.

ARTICVLVS XIII.

An iurans non ludere sub pœna, quòd non possit absolui nisi à Papa, transgrediens possit absolui à simplici Sacerdote?

1. R. Sic, quia huiusmodi iuramentum non potest auferre facultatem commissam, seu delegatam simplici Sacerdoti, dummodo eam Episcopus non sibi reseruauit, cõfessori absoluendi: Sed si iurauit sub pœna adire Romam, obtenta absolutione, ab Episcopo, vel ab eo delegato, tenetur adhuc adire Romam, quia iuramentum quo ad hanc partem est de re licita, & possibili.

2. Similiter iurans, vel vouens non cognoscere fœminas, non tenetur ex vi talis iuramenti non vti matrimonio, quia videtur importare tantùm abstinentiam à cognoscenda fœmina concubitu illicito. Ita iurans promisit nuptias fœminæ sanæ, virgini, & bonæ famę, si hæc post iuramentum incidat in infirmitatem, vel fornicationem, non tenetur seruare

iuramentum, quia promissio illa iurata censetur facta cum hac conditione. Sic etiam iurans non offendere inimicum, non erit periurij reus, si hic illi nouam inferat iniuriam, quia promissio intelligitur ratione iniuriæ præteritæ. Idem est etiã promittens cum iuramento dare centum aureos Caio, non tenetur seruare iuramentum, si Caius de amico inimicus fiat, vel de grato ingratus, quia promissio est facta sub conditione tacita, si se inimicum, vel ingratum Caius non præbuerit.

3. Item iurans non cognoscere fœminam, si cognoscit illam sodomiticè, vel pollutione voluntaria absq; desiderio concubitus fœminei, non peccat contra iuramentum, quia id peccatum non est cum fœmina, vt talis est; neq; ista peccata essent cum fœmina. Sed si turpes actus habeat cum illa, peccat contra iuramentum, quia cùm sint via ad concubitum cum fœmina, pertinent ad eandem speciem concubitus cum fœmina. Ita etiam iurans non fornicari, tenetur sub eodem iuramento abstinere ab omnibus venereis extra matrimonium, quia præceptum nõ fornicandi comprehendit omnia venerea extra matrimoniũ.

4. Item iurans non ludere, debet abstinere ab omni ludo illicito, non autẽ licito, recreationis causa, nisi aliter conijciatur de iurantis intentione; quia hęc videtur esse benigna intentio iurantis; tum quia vbi agitur de obligatione contrahenda, stricta interpretatio est facienda. *ita cap. id est de iure iurand. in 6.* Ludus autem illicitus intelligitur ludus in magna quantitate pecuniæ periculo amissionis expositæ. Hæc tamen parua, vel magna quantitate pecuniæ periculo amissionis expositæ. Hæc tamen parua, vel magna quantitas prudẽtis arbitrio mensuranda est penes ludentis facultates. Verùm si constet iurantem voluisse se obligare ad abstinendum ab omni ludo, etiam licito, debet abstinere à ludo, etiam licito; quia licèt ludus honestus sit actus virtutis Eutrapeliæ, tamẽ eius omissio est melior. *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 168. art. 2.* Sed si iurauit abstinere à ludo non solum illicito in magna quantitate, sed etiam licito in parua quantitate, quia cùm hæc sit intentio iurantis debet abstinere à periculo, ita in ludo incalescẽdi, vt magna pecunia prodigatur, & periculo amissionis exponatur. Sed si non adest probabile periculum exponẽdi magnam quantitatem, ludẽdo nõ committit culpam plusquam venialem, quia iuramẽtum promissorium in materia parua nõ obligare, nisi sub culpã

pa veniali sub ratione paruitatis materiæ.

5. Item iurans non ludere ad euitandam iacturam temporis, non potest ludere nomine proprio nec alieno, quia eandem iacturam temporis facit si per se ipsum, siue nomine alieno ludat. Sed potest ludere nomine alieno, si ad euitandam iacturã propriæ pecuniæ, quia intentio iurantis non fertur ad hoc. Si verò finis fuit ad euitãdas rixas, discordias, blasphemias, & similia orta ex iactura pecuniarum, potest etiam ludere nomine alieno, quia tunc non adest causa rixarum, cùm non fit iactura pecuniarum. Sed absolutè iurans non ludere nullo modo potest ludere, quia ludus factus nomine alieno est propriè ludus. Etiam iurans nõ ludere, potest tradere suam pecuniam alteri ad ludendum ipso præsente ad ludum, nisi aliter colligatur de mente & intentione ipsius iurantis, quia tantùm emisit votum de non ludendo, cùm hic verè dicatur non ludere.

6. Item iusiurandum nõ ludendi cum tali persona, in tali domo, vel tali ludo, manente libertate ludendi cum alijs cõmuniter non obligat, quia est de re indifferenti. Sed si finis talis iuramenti fuit ad euitandam iacturam pecuniarum, seu rixarum obligat, quia illæ res promissæ sub iuramento non sunt indifferentes, sed bonæ, & gratæ Deo. Sed iuramentum non fornicandi cum certa persona, etiam relicta libertate cũ alijs, est validum, quia aliquo fine honesto afficitur non fornicari cum certa persona. Sed si abstinentia fornicationis cũ certa persona ordinatur ad vindictam, vel quia est deformis, parumq; voluptatis eius concubitus afferat, tunc videtur iuramentum irritum, quia finis rei promissæ malus est.

7. Similiter iurans non ludere, necessariò tenetur abstinere à ludo, in quo ampla pecunia exponitur ludenda, quia huiusmodi ludus vix vacat à culpa lethali, quæ est legitima iuramenti materia. Ita quòd lusor, qui ludendo exponit se multis mortalibus circumstantijs, scilicet fraudis, rixarum, odij, &c. non potest absolui à confessore, nisi habeat intentionem abstinendi à ludo, quia pœnitens tenetur dolere in Sacramentali confessione de præteritis culpis, & cauere à mortalibus circumstantijs in futurum. Sed laici, etiam si magnã pecuniarum copiam ludo exponant, principaliter propter lucrum, & quæstum, dum absunt prædictæ circumstantiæ mortales, possunt absolui, etiã si abstinendi à tali ludo careãt, quia seclusis circumstantijs, tã-

tùm est veniale ad quæstum, & lucrum, ludere.

8. Mortale tamen est peccatum Clericis in Sacris constitutis, vel habentibus beneficium Ecclesiasticum, vel Monachis ludis prohibitis alearũ, & taxillorum frequenter vacare in notabili quantitate & gratia quæstus, quia his ex Canone infliguntur pœna per peccatũ mortale *ita cap. Clerici 15. de vita, & honest. Cleric. & cap. inter dilectos 11. de excessibus Prælat. & Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de reformat.* Sed non sunt damnandi mortiferi peccati, si semel, bis, vel ter per annum sic luserint sine scandalo, quia jus ponit pœnam frequentantibus similes actus: sed benè Clericis, ac Religiosis est interdictus ludus Laruialis sub mortali, quẽ exercent personati, sub peccato mortali; quia non possunt habitum mutare sine rationabili causa, & Religiosis sub censura *ita cap. 2. ne Clerici, vel Monachi. 16.*

9. Nota, quòd triplex est ludus: Honestus recreationis causa, vt est actus virtutis Eutrapeliæ: Malus venialiter causa lucri, & quæstus absq; fraude, & iniustitia. Et malus mortaliter in magna quantitate pecuniarum, periurijs, blasphemijs, dolis, & fraudibus plenus. Abstinẽtia ab omni triplici ludo est apta materia iuramenti, quia priuatio actus virtutis Eutrapeliæ est melior, cùm inducat animum ad cœlestia: votum autem de cauendo veniali in aliqua peculiari materia, vt non mentiendo, est validum, & etiã est validum iuramentũ fugiendi omnia peccata mortalia.

10. Idem dicimus de susceptoribus lusorum vacantium ludis mortalibus, quia dant cõmoditatem, peccant mortaliter, quia consentire videntur illorum culpæ mortali, & consequenter tales non esse absoluẽdos, quia vltra prohibitionem legis humanæ. *lib. 1. ff. de alea vsu, & aleatorib. & Auth. alearum vsus. C. de Relig. & sumpt. funer.* est etiam culpa grauis. Et si tales sunt conscij fraudis, & iniustitiæ, lusore non restituente, tenentur ad restituendum, quia qui causam damni dat, ipsum damnum dedisse videtur. *ita l. qui occidit. ff. ad legem Aquil.*

11. Tandem iurans, vel vouens Deo nunquam peccandi, nec venialiter, iuramentum nõ est validum, quia videtur iuramentum, & votum esse de re moraliter impossibili. Valet tamen vitandi omnia venialia nõ collectiuè per modũ vnius, sed diuisiuè, quia diuisiuè moraliter est possibile quodlibet mortale in particulari, & independenter ab alio vitare. Sed benè est validum, & obligatorium iuramentum Dei præstitũ

num-

numquam peccandi mortaliter, quia est de bono, & obiecto moraliter possibili per gratiam Dei. Tamen aliqui sustinent iuramentum, & votum factum Deo de numquam peccando mortaliter, & præsertim quantū ad peccata cordis, quæ maximè cum difficultate cognosci possunt, & difficillime cauentur, nō obligare, quia est de re tā difficili, vt nō obliget, & facilè in illo dispēsari potest.

ARTICVLVS XIV.

An Medici non admonentes infirmum, vt confiteatur post tertium diem infirmitatis, peccent peccato periurij?

1. ℟. Sic, quia contrauenniunt statuto Pij V. in motu proprio. Sed non peccant vbi nō est receptum, quia statutum vbi non est receptū, non obligat. Medici verò ad hoc præceptum seruandum tenentur, dum speratur admonitionem profuturam, quia tunc admonitionis ratio cessat. Si verò dubitatur, an sit profutura, obligat, quia in dubio tenetur homo vitare notabile damnum proximi, si potest.

2. Verùm hanc monitionē satis esse, siue fiat per ipsum medicum, siue per alium, quia per Innocentium III. *cap. cùm infirmitas. de pœnit. & remiss.* moderatur, & explicatur à Pio V. in supradicto motu, dicente non esse ita strictum obligans medicum teneri deserere infirmum cum periculo grauioris morbi, quia præceptum humanum non obligat ad faciēdum contra charitatem.

3. Hoc iuramentum, & præceptum obligat medicos ad sui obseruantiam in locis, vbi receptum est, quando morbus est grauis, vel dum periculum est, vt fiat grauis, quia durum videtur obligare medicos in infirmitate leui.

4. Tandem medicus tenetur ad hanc monitionem, etiā cum periculo vitæ, & magno damno bonorum tēporalium, præsertim dum vrget necessitas, & adest spes probabilis fructus, quia ex præcepto Charitatis tenemur vitam spiritualem proximi in extrema necessitate existentis præferre nostræ saluti temporali. *ita D. Thom. in 3. dist. 26. q. 2. art. 4. ad 2.* Sed si adest alius admonens infirmum, vt confiteatur, medicus non tenetur cum periculo vitæ, quia habet, à quo subleuatur. *ita D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3.*



AR-

ARTICVLVS XV.

An habens facultatem ordinariam dispensandi, & commutandi vota, habeat eandem in iuramentis?

1. ℞. Sic, quia cùm arctius sit vinculum voti, quam iuramenti, habens ordinariam potestatem super maius, ac etiam super id, quod èst minus,

2. Imò iuramentum potest irritari à Superioribus erga subditos, à parentibus erga filios, à dominis erga seruos, & à maritis erga vxores, quibus est subiecta materia iuramenti, quia nullus iurare potest in præiudicium alterius. *ita D. Th. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3.* Qui verò non obseruat id, in quod iuramentum fuit commutatum, non facit contra iuramentum, nec dicitur periurus, quia potiùs facit contra pactum, quo rem illam loco materiæ iuratæ acceptauit. Neq; est eadem ratio in commutatione voti, quia Prælatus non cõmutat votum, nisi subditus aliud loco illius suscipiat; vnde remanet obligatio voti sub materia illa subrogata, quod non accidit in iuramento.

3. Etiam tollitur obligatio iuramenti per remissionem illius, in cuius fauorem præstitum est, ... si principaliter præstitum ... in honorem Dei, quia licèt iuramentum sit intuitu honoris Dei, tamen Deus recipit illud in vtilitatem partis, cui debetur, & condonante parte, liber erit à vinculo iuramenti. *ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2.* Ideò iuramentum factum in fauorem hominis nõ potest commutari, nec dispensari, nolente eo, in cuius fauorem præstitum est iuramẽtum; quia Superior non potest tollere ius alterius sine vrgentissima causa. Sed si aliqua præcessit iniuria, aut aliqua turpitudo versatur ex parte recipientis iuramentum, potest relaxari non solùm à Papa, verùm etiam ab Episcopo, quia tunc pars non acquisiuit ius, sed solùm est reuerentia nominis Dei, quam Prælatus gerens vicem nominis eius potest relaxare obligationem. Et sic Episcopus potest dispensare super iuramẽto metu extorto, quia iniuriam passus est, ob violentam iuramenti extorsionem.

4. Verùm ad hoc, vt relaxatio iuramenti valida sit, requiritur iusta causa, quia obseruantia iuramenti non obstringit ex iure humano, in quo sine causa dispensatur, sed ex iure naturali diuino, in quo sine causa, nec Papa validè dispensat. Vnde si quis iurauit pecuniam debitam suo creditori

ditori soluere, quamuis Papa non possit illum absoluere ab illo debito, quin virtute iustitię soluere teneatur, si absq; vlla causa dispensat in iuramento, non tollitur debitori Religionis ratio, & sic non erit liber à periurio, si non soluat, quia remanet vinculum iuramenti, si sine causa illegitimè fiat dispensatio.

5. Sed homo, in cuius fauorem, obsequium, commodum, & lucrum præstitum est iuramentum, non indiget iusta causa, vt huiusmodi iuramenta relaxet, quia iuramentum sibi præstitum in sui gratiam, tamqnam dominus relaxat. Verùm si iusiurandum nõ præstatur homini principaliter in gratiã ipsius, sed in honorem Dei, in cuius obsequiũ res iuramento promissa cedit, non potest relaxare iuramenta, vt promittere Caio in die festo videre sacrum, quia id iuramentum ex principali intento non homini, sed ipsi Deo est præstitũ. Item etiam iurãs alteri homini dare intuitu pietatis eleemosynam, vel alia in honorem Dei cedentia, vt se numquam blasphematurum, si principaliter cultum Dei respicit, & secundariò vt homini rem gratam faceret, non potest homo, cui iuratur, relaxare propter rationem præcedentem. Cæterùm si hæc cedentia in honorẽ Dei non intuitu Religionis iurauit, sed animo fidem suam seruare ratione amicitiæ, potest homo, cui præstitum iuramentum, illud remittere, quia tunc in gratiam hominis, & principaliter intentum est semper spectandum. Tamen iurans absolutè alteri homini cędentia in honorem Dei, si nequit discernere, quem animum, vel intentionem habuerit, vtendus est illa iurasse principaliter in cultum Dei, & intuitu principaliter Religionis, quia ob naturam materiæ in honorem Dei cedentis præsumenda est principalis intentio fuisse in cultum Dei.

6. Imo iuramentum factum in honorem Dei, principaliter tamen in gratiam hominis, nõ potest a Prælato Ecclesiastico, nolente eo, in cuius fauorem præstitum est, dispensari, quia vinculum iuramenti est debitum ei, cui iuratur. Potest tamen commutare, & relaxare iuramẽta in fauorem tertij præstita, dummodo ab eo nõ fuerint acceptata, quia tũc tertius non acquisiuit ius.

7. Similiter iuramenta Castitatis, Religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ, si sint absoluta, regulariter vt plurimum reseruantur Papæ, quia regulariter continent promissionem factã Deo, ac subinde

votum,

votum, cùm vota talia sint reseruata Deo; & consequenter eius Vicario. Sed si talia iuramenta solùm intendsit Deum in testem adducere, & non in obsequium eius, idest nudum propositum, & non promissionem factam Deo, tunc potest Episcopus super his dispensare, quia iuramentum, vt confirmans nudum propositum, est minus vinculum, quàm votum. *ità D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8.* Sed probabilius est oppositum, quia Papa reseruãs sibi aliqua vota per generalem consuetudinem, etiam censentur reseruata iuramenta de eisdē rebus.

8. Item potestas delegata commutandi vota, extenditur etiam ad commutanda iuramenta, etiam si iuramenta per se fiant, & sine voto, & præuia promissione expresè Deo facta, quia in Canone dispositū de vno, censeri debet dispositum de altero, maximè cùm iuramentum, & votum æquiparantur. *ita gloss. cap. si postquā de elect. in 6.*

9. Rursus quando eiusdem rei adsunt expresè vincula voti, & iuramenti, priuilegium commutandi, vel dispensandi in votis concessum per Bullam, vel Iubilæum, extenditur ad vota sic iuramento munita, quia cùm iuramentum sit accessorium voto, quo cessante, cessat iuramentum.

10. Sed si vinculum iuramenti sit independenter à vinculo voti, licèt eiusdem rei, tunc priuilegium commutandi votum per Bullam, vel Iubilæū minimè extenditur ad votum, & iuramētum simul, quia sunt duo vincula diuersæ speciei, nec vnum pendet ab alio, cùm votum iuratum firmius sit non iurato. *ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8. ad 2.* Sed quando adest dubium, an iuramētum sit præstitum ad voti emissi confirmationem, vel independenter ab illo, est credendum iuramentum posterius emissum esse ad solùm confirmandum votum, cùm sic semper soleat præstari: consequenter potestatem delegatam per Bullam, *vel Iubilæum* concessam extendi in eo dubio ad votum simul cum iuramento, quia tunc iuramentum est voto accessorium, quo sublato, ex necessaria cōsequentia cessat iuramentum.

11. Et sic potestas delegata dispensandi in iuramentis, extenditur etiam ad dispensandū in votis, quia iuramentum soli Deo præstitum reputatur tamquam votum. Imò potestas delegata per Bullam, aut Iubilęū ad dispensandum in votis, se extendit etiam ad dispensandū in iuramētis factis in fauorem tertij, si aliqua in illis turpitudo reperitur ex parte recipientis, quia per illa iuramēta nullum ho-

homini illi, cui fiunt ius acquiritur, sed Deo, & sic habet rationem voti. Sed probabiliùs, & veriùs est hanc potestatem non extendi ad relaxationem iuramentorum directè in hominis vtilitatem cedentium, licèt nullum ius acquiratur ob iniuriam illatam, quia & si per illa nullum homini, cui fiunt, ius comparetur; at cùm non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam rationē voti inducunt, sed meræ promissionis humanæ, & nomine votorum non clauduntur. Benè tamen hæc potestas se extendit ad iuramēta facta in fauorem tertij non adhuc acceptantis, quia cùm nullum ius tertio acquiratur, est de illis iudicandum tamquam votis in honorem solius Dei factis.

12. Tandem ipsemet iurās potest à se ipso commutare iuramentum factum in honorem Dei in melius, aut in rem euidenter æquè bonam, quia iuramentum soli Deo præstitum, tamquam votum reputatur; cum soli Deo quæratur ex illo obligatio. Imo iuramentum promissorium præstitum in fauorem causæ piæ, aut certo pauperi, potest in meliùs commutari, quia ex promissione in fauorem causæ pię nullum ius illis acquiritur ante acceptationem. Sed iuramentum factum in fauorem causæ piæ, siue dirigatur in solum Deum, siue in talem Ecclesiā, aut talem pauperem, ante acceptationem potest commutari in meliùs à Superiore Ecclesiastico, aut ab ipsomet iurante propria auctoritate propter rationem dictam. Sed si est acquisitum ius ad rem, vel per instrumentum, vel testamentū, vel promissionem factam coram testibus, & ipse, cui acquiritur ius, scit, & acceptat, non potest tale iuramentum auctoritate propria in meliùs commutare, quia nemo potest alienum alteri donare.

ARTICVLVS XVI.

An promittens sub iuramento aliquid vni, qui promissionem acceptauit, si illud idem alteri tradat, sit valida traditio?

1. R. Sic, quia secundus fit dominus illius rei sibi cū effectu traditæ: sed tradens peccat mortaliter, quia fidem sub iuramēto datam violauit. Verùm si secundo tantū promisit, & non tradidit, tenetur dare primo, cui res fuit promissa; quia secunda promissa fuit inualida. Etiam si secunda promissio facta sit cum iuramento, quia iuramentum nō est vinculū iniquitatis.

2. Vnde promissio simplex

 &nu-

& nuda, idest non aliàs debita, nec firmata iuramento, nec coram Notario; & testibus, sed merè, liberè, & voluntariè fit simplicibus verbis, animo tamen seipsum obligandi, obligat sub mortali promissionem, si paruitas materiæ rei promissæ non excuset, quia solemnitas nõ variat naturam promissionis, sed reddit illam validiorem in iudicio forensi: à parte rei autem non mutat, nec addit maiorem obligationem in cõscientia; cùm in foro animæ obligatio oriatur ex fide verè data alteri. Sed si talis promissor requisitus, vt firmaret promissionem iuramento, & recusat, signum est non habuisse animum obligandi ex iustitia, & sub mortali, sed ex quadam tantum beneuola honestate, talis non obligetur sub mortali seruare promissionem.

3. Verùm qui fictè promittit, idest verbis, & non animo, promittens nõ tenetur ad promissum, quia vbi deficit voluntas se obligandi, deficit & ipsa obligatio; sed tantum tenetur poenitere de simulatione. Et sic promissio ficta, etiam iurata, non obligat ad impletionem, quia tunc iuramentum est accessorium fictæ promissioni. Et talis pro securitate conscientiæ, & reuerentia debita iuramento, petenda est ab Ordinario, vel ab alio potestatem habente, relaxatio à iuramento. Sed probabiliùs est non esse necessariò petendam relaxationem à iuramento, quia ex Canone, quando excommunicatio est inualida, non est petenda necessariò absolutio ab ea. *ita cap. solet. de sent. excomm. 6.*

4. Similiter per simplicem assertionem futuri nullus tenetur adimplere assertionem; quia cùm sit quoddam propositum animi sui non est promissio, & consequẽter vim obligandi nõ inducit. Imò plurimæ promissiones, etiam in re graui excusari possunt à mortali, dum ignorant ex simplici promissione oriri obligationem, quia nil est tàm contrarium consensui, & voluntati se obligandi ex iustitia, & ad mortale, sicut error.

5. Item obligationem, quæ oritur ex morali quadam honestate ex amicitia, vel ex gratitudine, non inducere necessitatem, quia honestas hæc, scilicet moralis amicitia, & gratitudo debet esse spontaneę. Obligationem verò, quæ oritur ex iustitia ciuili, & naturali, necessitatem inducere, quia ratio ciuilis, vel naturalis cogit, vt vnicuique detur, quod suum est. *ita D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 2.* Vnde promissor ex morali honestate, amicitia, vel gratitudine intendens se obligare, non tenetur ad restitutionem damni, benè tamen tenetur ex debita

bita iustitia ad totum damnũ. Secùs ex promissione nõ adimpleta, facta homini ex morali quadam honestate, & amicitia, si nullum damnum sequitur, vt re careat, licèt notabili promissione, tunc tantùm culpam venialem committit, quia frangere hanc fidem non opponitur iustitiæ, sed tantùm virtuti veracitatis.

ARTICVLVS XVII.

An possit absolui per priuilegium, vel Bullam iuramentum homini præstitum, quando aliqua turpitudo, vel iniustitia ex parte recipientis reperitur?

1. ℞. Sic, quia cùm in his iuramentis non acquiritur ius tertio ex illorum relaxatione, vel commutatione, nõ infertur illi preiudicium.

2. Vnde Papa reseruans aliqua vota, etiam censetur reseruare iuramenta de eisdem rebus, quia votorum, & iuramẽtorum quantùm ad hoc, est par ratio. Ideò omnis, qui per Bullam, priuilegium, vel Iubilæum potest dispensare, seu commutare vota, potest etiam, & similia iuramenta facta Deo absq; præiudicio tertij præstita, quia Papa nunquam in præiudiciũ tertij relaxat iuramenta; neque etiam est credendum id alteri concedere.

3. Sed iuramenta absoluta rerum reseruatarum, vt perpetuæ castitatis, Religionis, &c. non possunt per Iubilæum, vel Bullam commutari, quia Bulla, vel Iubilæum nihil expressè concedere solet circa iuramẽtorum commutationẽ, sed ea potestas deducitur ex potestate circa similia vota, quæ non conceduntur. Sed benè potest Episcopus, & quilibet Confessor vi Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi dispensare, quando talia iuramenta sunt pœnalia, vt quando quis iurat non lusurum, & si secus fecerit iurat perpetuam castitatem, religionem, &c. etiam post impletam conditionem, quia tunc iurans non elegit hæc, vt talia sunt ex animo rei promissæ, sed potiùs sibi proponit tãquam odiosa, & in pœnam delicti. Tunc tamen iuramenta conditionata post impletam conditionem, quando tendunt in rem promissam tamquam bonam, & Deo gratam, remanent Papæ reseruata, quia sunt de materia reseruata Papæ. *ita l. potior. ff. qui potiores in pignore.*

4. Sicut etiam talia iuramẽta emissa in pœnam vitij, vel per desperationem reseruantur ipsi Papæ: & sic nec Episcopus, neque Confessor vi Cruciatæ, & Iubilei super his iuramentis dispensare non possunt, quia ista iuramenta rerum reserua-

tarum sunt absoluta, cùm ex nullo futuro euentu pendent, & voluntas iurantis in rem promissam tamquam bonam, & Deo gratam fertur.

5. Sed benè Episcopus, vel Confessor vi Iubilæi, aut Bullæ potest dispensare in votis conditionalibus ante conditionem impletam, quia talia iuramenta non perfectè obligant, sed secundùm quid. Sed benè Papæ est reseruatum post adimpletam conditionem, quia tūc adimpleta conditione, tamquam iuramentum absolutum rerum reseruatarum censendum est.

ARTICVLVS XVIII.

An Confessor electus tempore Iubilæi possit commutare iuramenta?

1. R. Sic, quia eadem est facultas commutādi vota, & iuramenta, cùm sint Deo præstita circa easdem materias. Et licèt obligationes voti, & iuramenti sint specie diuersæ, cùm iuramenti obligatio oriatur ex reuerentia erga Deum, ne adducatur in testem falsi; obligatio vero voti, ex fidelitate, qua quis debet implere, *ita D. Thom. 2.2.q. 88. art. 3. & cap. qua tenemur Deo seruare promissum*. Hę obligationes tamen voti, & iuramenti quoad dispensationem, & commutationem, ęquiparantur omnino, eo quod ambo, fermè similem obligationem erga Deum ex Religionis virtute contineant.

DISQVISITIO LIV.

De Matrimonio.

ARTICVLVS I.

Quotuplex sit impedimentum matrimonij in genere?

1. ℟. Quod est duplex: vnum impediens, & dirimens simul, idest impedit contrahendum, & dirimit cõtractum; ita quòd contrahens cum tali impedimento, non solùm peccat, sed etiam matrimonium sic contractũ est nullum. Alterum est impediens tantùm, idest impedit contrahendum; ita quòd contrahens peccat mortaliter; tamen matrimonium sic contractum nõ annullat. *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 50. art. vnic.*

2. Tunc autem impedimẽtum dirimens dirimit, & annullat matrimonium contractum, quando tale impedimentum præcessit matrimonium. Secus est, si superueniat matrimonio ritè facto, vt affinitas, vel crimen, & huiusmodi, quia sic non dirimit præter vnum sollemne votum: nam quis contrahens per matrimonium cõtractum, non tamen consummatum, potest Religionem ingredi, & sic dirimitur matrimonium, si professionem emittit. *ita D. Thom. loco supra citato.*

3. Impedimenta verò in specie impedientia simùl, & dirimentia, sunt duodecim: *ita D. Thom. loco supra citato*, quæ his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus, disparitas, vis, ordo; ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè cohire nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

ARTICVLVS II.

An matrimonium contractum cum errore personæ, vel circa substantiam personæ, sit validum?

1. ℟. Sic, tàm iure humano, quia patet ex iure *Cap. vnic. 29. q. 1.* quàm etiam iure naturæ, quia non adest consensus circa illam personam, sed circa aliam, quæ mente non concipitur. Et tale matrimonium est inualidum

dum inter fideles, & infideles, quia iuri naturali non solùm fideles, sed etiam infideles subditi sunt, *ita cap. gaudeamus de diuortijs*.

2. Nota, quòd error duplex. Personæ, & fortunæ, seu qualitatis. Error in persona est, quando intendit contrahere cum Antonia, & contrahit cum Lucia, vel cum filio talis Regis, Ducis &c. & cōtrahit cum filio alterius, qui non est Rex, Dux &c. Error in fortuna, seu qualitatibus est quando quis intendit contrahere cum virgine, nobili, diuite, & persona bonę famæ, & tamē est infamis, pauper, ignobilis, & corrupta &c. *ita vnic. 29. quæst. 1*.

3. Vnde matrimonium cōtractum cum errore qualitatis personæ, est validum, quia matrimonium cum tali errore est voluntarium quo ad naturam, & substantiam rei, licèt non voluntariū quo ad accidentia *ita D. Thom. 3. p. in addit. qu. 51. art. 2. ad 1*.

ARTICVLVS III.

An matrimonium cum errore conditionis personæ, sit validum?

1. ℞. Non, quando conditio errantis sit deterior, vt liber contrahens cum serua, quam credebat liberam, quia hoc impedimentum fuit inductum ab Ecclesia ad tollēdam inæqualitatem, & ne fieret iniuria alteri cōtrahenti. Sed est validum, quando liber cōtrahit cum serua sciēs, vel opinans, vel probabiliter dubitans esse seruam, quia in hoc contrahenti non fit iniuria, cùm inæqualitas videatur esse volūtaria. *ita D. Tho. 3. p. in addit. q. 52. art. 1. ad. 5*. Ita etiam est validum contractum cum errore conditionis personæ, scilicet seruitutis: quando persona, cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis, vt seruus cōtrahit cum serua, quam credebat esse liberam, vel cum libera, quam credebat esse seruam, quia nulla est inæqualitas, vel iniuria, cùm sit æqualis, vel melioris conditionis. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 52. art. 1. ad 5*. Benè tamen est nullum matrimonium contractum à libero cum serua, si ignoret esse seruam, & postea si sciret esse seruā, adhuc contraheret, quia ad validitatem matrimonij non sufficit consensus negatiuus, & in præparatione animi, sed voluntarius positiuè, & de præsenti requiritur.

2. Verùm seruus potest valide, etiam inuito domino contrahere matrimonium cum serua, vel cum libera, dummodò seruitus sit nota personæ liberæ, quia fuit concessum à iure na-

naturali, & diuino in remediũ concupiscentię & propagationis. Hoc autem ius seruis non potest auferri à dominis, aliàs peccarent, quia faciunt contra ius tributum seruis à natura. Et sic error conditionis seruilis solo iure Ecclesiastico reddit irritum matrimonium, non autem in re naturali, quia matrimonium initum inter fideles cum errore conditionis seruilis valet. *ita D. Thom. loco supra citato ad 2.*

3. At serui de licentia dominorum contrahentes, non possunt vendi in locis distantibus, quia sicut non possunt positiuè impedire, ne contrahant, ita neque possunt facere, ne vtantur matrimonio cõtracto, & consequenter vendere in locis distantibus. *ita D. Thom. loco supra citato art. 2. ad 4.* Secus est, si malitia, & delicta serui exigunt, vt in partes longinquas venderentur, quia consensus domini, & ius serui contrahendi non habere locum in hoc, in quo delicta serui, & necessitas domini sibi cõsulendi, cogunt ad venditionem extra locum, in quo manet alter coniux. *ita D. Thom loco supra citato ad 4.*

4. Verùm seruus contrahẽs absq; licentia domini, tenetur magis domino de obsequio, quàm coniugi de redditione debiti, sed dominus peccaret, si absque graui necessitate seruũ distraheret in partes remotas, in quibus ob distantiam debiti petitio, & redditio impediretur, quia saltem lex Charitatis constringit dominum, ne absque necessitate vtatur in grauissimum salutis detrimentum longiùs distrahere.

ARTICVLVS IV.

An votum Castitatis in professione emissum, sit impedimentum dirimens matrimonium, siue ratum, siue consũmatum sit?

1. R. Sic, quia est de fide definitum in Concil. Viennensi *Clementina vnica de consanguinit.* & in Concil. Trid. *sess. 24. can. 9.* Imò professio facta in approbata Religione dirimit matrimonium celebratũ ante ipsam professionẽ, dummodò sit tantùm ratum, & non cõsummatum, quia ipsius matrimonium dissoluitur per subsequentem professionem. *ita ex Concil. Trid. sess. 24. can. 6.* Sed consummatum ante professionem nõ dirimitur per subsequẽtem professionem, quia coniuges per consummationem matrimonij facti sunt vna caro, quæ nõ est separanda, nisi post mortem alterius. *ita 17. quæst. 2. cap. si quis coniugatus.* Verùm matrimonium factum post ipsam

sam professionem, etiam consummatum iure naturę dirimitur, quia professio est quædam mors spiritualis potens dissoluere suapte natura vinculum spirituale, vt est matrimonij vinculum. *ita D.Th in 4.dist.22. q.1.art.3.quæstiunc.2.* Ac etiam ex priuilegio diuino, quod Ecclesia accepit per Apostolos, quia ex ordinatione diuina tractus matrimonij videtur habere hanc tacitam conditionē, nisi ad Religionem ante consummationem contulerat.

2. Nota, quòd votum, vt impedimentum dirimens matrimonium, est duplex. Simplex, & solemne. Simplex est, quod fit ad libitum cuiuscunq; & non dirimit matrimonium, sed tantùm impedit, ne cotrahatur; ideò qui vouit castitatem, Religionem, vel Sacros Ordines validè contrahit, licèt grauiter peccet. Sollemne est, quod emittitur in susceptione Sacrorum Ordinum, vel in professione expressa, vel tacita alicuius Religionis approbatæ, & talis contrahens matrimoniū nedum peccat mortaliter, sed est excommunicatus, & matrimonium nullum. *ex Clement. 1. de consanguinit. & affinit.*

3. Vnde matrimonium ratū non dissoluitur ꝑ susceptionem Sacrorum Ordinum, quia ita definitū est à Ioanne XXII. *extrauag. antiqua voto.* Neque per ordinationem Episcopalē, quia ius ex Cōcil. Trid. *sess. 24. can. 6. de matrim.* hoc statuit de solemni professione. Sed contractum post Sacros Ordines est inualidum, quia *ita ex Cōcil. Trid. loco supra citato.* Et de facto est excommunicatus, quia *ita etiam in prædictá Clementina.* Et est irregularis, quia ita habetur *in cap. quotquot. 27. q. 1.* Et huiusmodi criminis cognitio ad Tribunal Sancti Officij pertinet, quia videtur esse de hęresi suspectus, cùm malè sentiat de sollemni voto Castitatis.

4. Nota, quòd dispensatio in votis Castitatis, vel Religionis duplex est. Totalis, aut partialis, & restricta. Totalis est, quando absolutè, & absque limitatione aliqua conceditur. Partialis, & restricta est, quādo conceditur quo ad actum determinatum, vel respectu personæ determinandæ. Dispensatio quo ad actum est, quando dispensatur ad matrimonium ineundum. Dispensatio quo ad personas est, quando ad matrimonium cum certa persona ineundum, dispensatur. Dicitur dispensatio partialis, cùm non sit integra, quia talis dispensatus ad contrahendum, si fornicaretur, reus esset voti Castitatis violati. Et in voto Religionis est etiam partialis, quia dispēsatus ob vehemētes carnis ten-

tẽtationes, aliamue causã; cui solo matrimonio subuenitur, non potest ille virtute dispẽsationis manere in sęculo absq; coniugio.

5. Verùm ad validitatem dispensationis non requiritur, vt causa sit vera, quando litteræ mittuntur Romam, quia sufficit, quòd causa narrata subsistat, dum Papa committit, vel concedit dispensationem. Alij dicunt esse subreptitiam, quia tunc tẽporis, scilicet missionis fuit falsa, licèt vera sit tempore concessionis, cùm dolus alicui suffragari non debet. Sed firmius, & securiùs est dicendum, quòd ad dispensationis valorem exigitur, vt causa in eius litteris signata verificetur eo tempore, quo præponitur Papæ, & etiam tempore, quo examinata precũ veritate, ordinarius, vel Confessor dispensationem exequitur, quia dum est in fieri, & non consummata, cessante causa finali, cessat. cũ dispensatio non habeat vim veræ dispensationis, donec Ordinarius, vel Confessor dispenset. *ita cap. si pauper de præbendis in 6.* Et si accidat, vt tempore quidem exequendæ subsistat dispensationis causa, sed non tempore impetrationis, vel datarum litterarum, potest dispẽsatio, & priuilegium, vel viua voce, vel in scripto concedi; nõ tamen potest dispensatio fieri a Commissario, vel exequutore, quia non firmatur tractu tẽporis, quod de iure ab initio non subsistit.

6. Similiter ad validitatem dispensationis requiritur tempus, quo consummanda est, & consequens suum vltimum finem indiuisibilem, non cessauit omninò eius causa finalis, quia dispensatio censetur concessa sub hac tacita cõditione, si causa subsistat; quando dispensatio mãdatur exequutioni; nam in vtroq; casu militat eadem ratio, per quam superior sub tali conditione dispensauit. Sed probabiliter dici potest, quòd si causa dispensandi eo tempore subsistat, & dispensatio ab Ordinario, vel Commissario facta, cõsequuta est intrinsecum effectum superueniente facto, quia in iure in regulis iuris habetur: factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari. *ita ex regulis iuris 73. in 6.*

7. Sed dispensationes, quæ tractum successiuum habent, & earum effectus commodè diuidi potest, cessante causa finali, pariter cessant, quia numquam præsumendum est peccatum; peccasset autem Papa, si aliquẽ ab obseruatione legis cõmunis exẽptũ voluisset, etiã eo euentu, quo omnis causa exemptionis penitus cessauit.

8. Item dispensatio rei indiuisibilis semel obtenta, etiam exequutioni mandata, non cessat, cessante causa, ob quam fuerat concessa, quia alias ex concessa dispensatione grauia incommoda exorirentur. Maximè quando dispensatio deducta est ad vltimatum effectũ, nec commodè diuidi, aut partim reuocari potest, quia talis videtur esse in iure optimo p̃sumitur mens dispensantis, & hoc valet de dispensatione rei indiuisibilis, non autem diuisibilis.

9. Nota, quòd effectus dispẽsationis, idest opus ad quod faciendum conceditur dispensatio, duplex est: indiuisibilis, & diuisibilis. Indiuisibilis est talis naturæ, vt quamuis ex pluribus constet partibus, & sit opus successiuum, & commodè diuidi non potest, vt est matrimonium quod non potest commodè diuidi, vt is, cum quo dispẽsatur ad illud ineundum pro aliquo tempore vtatur matrimonio, & pro alio nõ vtatur. Opus diuisibile est, q̃ commodè diuidi potest, vt dispensatio ad edendas carnes, vel non ieiunandum in quadragesima, vel nõ recitandum Officium diuinũ, nam cessante causa dispensationis, commodè potest dispensatus abstinere à carnibus, ieiunare, & pensum diuinum persoluere.

10. Et sic non cessat dispensatio in irregularitate respectu illius, qui ratione paupertatis parentum dispensationem ad Ordines obtinuit, si Ordinibus iam susceptis, cessat paupertas, quæ fuit causa finalis dispensationis, quia est dispensatio rei indiuisibilis deducta ad vltimũ effectum, etiam exequutioni mandata. Ideò irregularis si ex iusta dispẽsatione ad omnes Ordines obtenta recipit Subdiaconatum, cessante causa dispensationis, potest ascendere ad vlteriores Ordines, quia assumptio omnium Ordinum videtur res indiuisibilis. Nam Ordines Sacri commodè ad inuicem diuidi non possunt. Similiter Superior ob causam temporalem, quam sufficientẽ putat ad dispensationem perpetuam concedendam, potest absolutè dispensare non solùm in his, quæ sunt de iure humano, sed etiam in his, quæ sunt de iure diuino; quia absolutè, & absq; restrictione cum volente dispensatum est, & gratia absolutè concessa non perit, deficiente causa, ex qua concessa est.

11. Tandem conditio contraria substantiæ matrimonij, aut bonis eius, reddit illud irritum, quia *ita cap. final. de condit. opposita*. Conditio contra bonum matrimonij, & cõtra substantiam eius, tunc est, quãdo quis

quis contrahit contra prolem, contra fidelitatem, vel contra indissolubilitatem, quia *ex iure cap. tua nos de sponsal.* substantia matrimonij cõsistit in consensu ad societatem coniugalem, sub quo tacitè includitur consensus ad perpetuam societatẽ, ad fidem sibi seruandam mutuò, & prolem suscipiendam, quę sunt tria bona matrimonij. *ita cap. omne 27. q. 1. & D. Tho. in 4. dist. 31. q. 1. art. 3.*

ARTICVLVS V.

An matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ sit iure naturæ irritum?

1. R. Sic, quia omnes lumine naturæ prediti nuptias inter parentes, & filios, nefandas existimant, *ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* Sed Deus in hoc potest dispensare, quia licet impediat, nõ tamen tollit omnino finem matrimonij, cùm ex eo coniugio nasci possint filij, & educari. Imò in casu extremæ indigentiæ, vt si in mundo solus filius, & mater superassent, tale matrimonium liceret propter cõseruationem vniuersi, quia malum hoc priuatum potest cohonestari, vt bono communi consulatur.

2. Nota, quod cognatio est triplex. Vna naturalis, seu carnalis dicta consanguinitas, & est vinculum personarum ex eodem stipite descendentium carnali propagine contractum. Secunda spiritualis dicta compaternitas, & est attinentia duarum personarum, quæ ex statuto Ecclesiæ per Baptismi, vel cõfirmationis administrationẽ oritur. Tertia legalis dicta adoptio, & est propinquitas ex adoptione alicuius in filium, vel filiam proueniens.

3. Vnde inualidum saltem iure Ecclesiastico matrimoniũ celebratum inter personas cõsanguineas intra quartum gradum inclusiuè, tàm in linea recta, quàm in linea transuersali; quia ita habetur *cap. non debet de consanguin. & affin.* Imò iure antiquo ad septimum vsq; gradum impedimentũ hoc extendebatur. *ita 35. quest. 5. ad fidem.*

4. Nota, quòd linea, series, seu collectio personarum in cõsãguinitatè est duplex. Vna dicitur recta, altera transuersa, seu collateralis. Linea recta est multas personas descendere ab vno stipite mediatè, vel immediatè, vt vna sit genita ab altera, vt filius à patre, nepos à filio, pronepos à nepote. Linea collateralis, & transuersa est multas personas procedere ab vno stipite immediatè, & mediatè, ipsæ tamen personæ à se inuicem non descendunt. Vnde filij Francisci, qui sunt fra-

tres inter se, cōstituunt lineam collateralem, quia vnus frater non descendit ab alio fratre, sed ambo ab eodem patre immediatè procedunt. Item filij vnius fratris, scilicet Caij, & filij alterius fratris, scilicet Titij, si comparentur ad inuicem, sunt in linea transuersa, quia mediatè descēdunt ab eodem stipite, scilicet Mutio patre illorum duorum priorum fratrum Caij, & Titij, & à se inuicem non procedunt.

Item linea recta adhuc est duplex. Alia ascendentium, & est, quæ progreditur à genitis ad genitores quærendo illorum stipitem, numerando patrem, auum, proauum, abauū. Et alia descendentium est, quæ progreditur à genitoribus ad genitos, scilicet à patre ad filium, nepotem, & pronepotem.

6. Rursus in linea recta ascendentium, & descendentiū, tot sunt gradus consanguinitatis, quot sunt personæ, dempta vna persona, scilicet stipite, *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 54. art. 2.* Propterea cùm pater, & filius sint duæ personæ, si stipes demitur, idest pater, & filius erūt in primo gradu, quia dempto stipite, remanet vna persona. Similiter pater, & nepos sunt in secundo gradu, quia dempta vna, scilicet stipite, remanebūt duæ, *ita D. Thom. loco supra citato.*

7. Rursus consanguinei in linea transuersali, seu collaterali, eo gradu distant inter se, quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite, & dempto stipite, quot personæ remanent tot sunt gradus inter se, quia remotior gradus trahit ad se minus remotum, & sic minus remotus est in eodem gradu cum magis remoto, in quo gradu est ipse magis remotus cum stipite, non autem est in eo gradu, in quo minus remotus est cum stipite. *ita D. Thom. loco supra citato.*

8. Verùm auus, & cæteri ascendētes non sunt principium nepotum per se, sed per accidens, quia ad rationem filij, vt filius, solùm desideratur, vt à parentibus originem trahat, ac per accidens est, vt ille pater alium patrē habuerit, quia filij Adam carentes auo, ita fuerūt veri filij, sicut cæteri filij auum habentes, Ideò inter parentes, & filios, quorum est per se, & immediata cognatio iure naturæ, matrimonium si contraheretur, esset irritum, non autem esset irritum iure naturæ inter auos, & nepotes, quia non est inter eos per se, & immediatè cognatio, *ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.*

9. Et licèt in alijs gradibus consanguinitatis vltra primum lineæ rectæ, nō prohibetur matrimonium iure naturæ irritante, est tamen aliquo modo cōtra

tra ius naturæ quādo nō adest aliqua iusta causa cohonestās illud, quia copula coniugalis pugnat cum reuerentia debita consanguineis in alijs gradibus lineæ rectæ vsque ad quartum inclusiuè.

10. Similiter matrimonium infidelium venientium ad fidē cum quocunque ascendente, demptis patre, & matre, dummodò non inierint contra leges suas, aut consuetudines irritantes illud matrimonium nō est dissoluendum, quia conuersi ad fidem non sunt separandi à matrimonio non irrito contra ius naturæ irritans illud, *ita cap. gaudemus de diuortijs.*

11. Tandem in nullo gradu lineæ transuersæ consanguinitatis est iure naturæ matrimonium irritum, & solo iure naturæ validum est matrimonium inter fratres, & sorores, quia cum frater, & soror non sint directè vni altero, vt sunt pater, & filius, nec inter ipsos repugnat æqualitas, nec sit mutua reuerentia debita, cùm neuter sit superior, non videtur aduersari substantiæ coniugij, *ita D. Tho. 2. 2. q. 154 art. 9. ad 3.* Tamen satis probabile est in primo gradu lineæ transuersæ, vt inter fratres, & sorores, esse interdictū, & irritum iure naturæ matrimonium, quia Innocentius III. *cap. gaudemus de diuortijs*, decernit infideles conuersos ad fidē non esse separandos à matrimonio tēpore infidelitatis inito, excepto in primo gradu, in quo numquam Ecclesia dispēsauit, cùm aliquando à Papa petitum est, eo quòd talis gradus iure naturæ videtur irritare matrimonium.

ARTICVLVS VI.

An simplex crimen homicidij dirimat matrimonium?

R. Non, quia in iure est, quòd qui occidit coniugem suum, vt possit contrahere cū aliquo, qui non fuit particeps homicidij, nec adulterium cum homicida cōmisit, validū si post occisionē contraheret matrimonium, *ita cap. super hoc, & cap. significasti de eo qui duxit.*

Tunc verò crimen homicidij inducit impedimentū dirimens, quando vnus coniugum conuenit cum altero, vt occidat alterum coniugem, vt possint inter se contrahere, siue occidat per se immediatè, siue per alium, siue ambo machinantes in mortem alterius coniugis occidant, siue ferro, siue veneno, quia *ita in iure supradicto.* Et non desideratur adulterium, vt crimen homicidij inducat impedimentum di-

rimens

rimens, sed sufficit, quòd vterq; matrimonio copulari volens, cooperatus sit ad mortem alteri coniugi inferendam, vt cum superstite contrahant, quia ratio huius impedimenti est, ne ob matrimonij spem detur ansa interficiendi alterum coniugem.

3. Vnde ratihabitio homicidij non inducit hoc impedimẽtum, quia non influit in homicidium, cùm sit eo posterior. Item qui dedit mandatum occidendi, & postea reuocans mandatum innotuit mandatario ante mortem coniugis, non impedit. Neque qui dedit consilium, quod nihil influxit, quia homicidiũ non imputatur mãdanti, vel consulenti in dictis casibus. Imò requiritur, vt machinatio homicidij sit facta ad finem contrahendi, quia finis huius legis est, ne coniux coniugem vita orbaret, ne matrimonium migraret cum persona, quam deamat. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 60. art. 2.* Ad hoc impedimentum inducendum requiritur, vt mors sequatur; quia in iure colligitur requiri effectum consumatum. *ita cap. si quis viuente. 31. q. 1.*

4. Verùm si ante homicidiũ pręcessit adulterium cum intẽtione contrahendi, tunc non requiritur, vt vterque adulter cooperetur morti coniugis, sed sufficit, vt vnus sit conscius homicidij, quamuis alter non sit concors, qa in hoc distinguitur crimen adulterij cum homicidio à crimine solius homicidij, quod in crimine solius homicidij requiritur, vt vterque contrahens fuerit particeps homicidij sequuti: in crimine verò adulterij cum homicidio sufficit, vt alter eorum occidat cũ intentione contrahendi, inscio altero adultero, cum quo contractutus est. Sed vt crimen adulterij mixtũ homicidio inducat impedimentum dirimẽs, requiritur, vt vterque adulter norit adulterium formaliter, aliàs validè contrahit, quia copula respectu Bertæ non fuit adulterium formaliter, sed tantùm materialiter, eo quòd ipsa ignorauerit Martinum esse cõiugatum cùm respectu coniugis interfecti nullum adulteriũ commisit illa, vt potè coniugij illius ignara.

5. Et is, qui occidit propriã vxorem, vt contrahat matrimonium cum adultera potest cũ alia validè contrahere, licèt nõ validè cum adultera, quia hoc impedimentum inductum est, ne matrimonium validè contrahatur cum persona adultera, non verò cum alia. Tamẽ veriùs est occidentem propriã coniugem incurrere impedimentum impediens matrimonium cum quacunq; persona. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 60 art. 2.*

5. Neque potest esse matrimonium in æternum, si adulterans promittat adulteræ accipere in suam vxorem, mortuo suo viro, vel è conuerso, siue præcedat, siue sequatur adulteriū huiusmodi promissio, quia talis promissio dat occasionem captandæ mortis coniugis, ad quam vitandam inductum est hoc impedimentum. *ita cap. si quis vxore viuente.* Et vt adulterium sub fide futuri matrimonij impediat ipsum, requiritur, vt vterque sciat superstitem esse coniugem alterius, quia hoc impedimentum inducitur ex adulterio formali vtriusque. Non ergò sufficeret, si vterque esset coniugatus, & nesset proprium coniugium, si neuter alterius coniugium nouit, quia *ita cap. propositum de eo, qui duxit.*

6. Similiter si promissio facta fuit animo decipiēdi, adulterium cum fide & promissione futuri matrimonij, nō inducit impedimentum dirimens, quia ficta promissio non est promissio, licèt in foro solo externo videtur incurri propter cōsensus præsumptionem. Tamen satis probabile est contrarium, quia etiam ficta promissio dat occasionem captandæ mortis coniugis, & hoc impedimentum inductum est ab Ecclesia ad hanc vitandum. Neque talis promissio requirit esse mutua, quia iura non requirūt hanc reciprocam promissionē, *ita cap. significasti. de eo, qui duxit.* Quamuis alij teneant requiri mutuam, quia promittens, altero non promittente, non videtur oriri hoc impedimentum. Verùm requiritur, quòd sit expressa aliquo signo externo, quia absque signo externo nō habet adiunctum periculum machinandæ mortis alterius, adquam præcauendam ius duxit hoc impedimentū. Imò debet esse acceptata, quia ante acceptationem nō est propriè promissio, sed pollicitatio.

7. Nota, quòd pollicitatio est solius offerentis promissio, antequam ab altero acceptetur. Promissio verò est datio fidei deliberata vera, & spontanea de re licita, & possibili. Ideo dicitur fides data, quatenus promissio est acceptata; & sic ad inducendum impedimentum non sufficit pollicitatio, sed requiritur promissio, fides data, & acceptata. *ita cap. de eo, qui duxit.*

8. Vnde vt promissio futuri matrimonij adiūcta adulterio, sit impedimentum dirimens, non sufficit taciturnitas eius, cui promittitur; quia tacens nō censetur consentire in sui incommodum, & maximè animæ nocumentum. Taciturnitas tamē esset sufficiens, vt promissio facta præsenti, & tacenti obliget, quādo cedit promissum

sum in promissarij commodū, quia quoties de tacentis commodo agitur, censetur tacens in sui fauorem consentire. Aliter non est impedimentum dirimens dicere; *nisi matrimonio ligatus essem, te ducerem*, quia non est promissio, sed voluntas imperfecta, quā Theologi velleitatem appellant.

9. Neque est impedimentū dirimēs, si Caius promisit nuptias Luciæ mortua sua vxore, si ea mortua contraxit cum Agatha, & viuente Agatha cognouit Luciam absque noua promissione, sic validè mortua Agatha poterit cōtrahere cum Lucia, quia vt sit impedimentum dirimens requiritur promissio, & adulterium fiat durāte eodem matrimonio.

10. Imò peccat mortaliter promittens matrimonium post obitum coniugis ineundum, quia datur ansa captandę mortis coniugis; & talis promissio irrita est, quia nō valet promissio vacaturi beneficij *ex tute in cap. nulla Ecclesia de conceß. prabend.* neque promissio matrimonij vacaturi. Sed si pœnitētia ducti resilierunt à tali promissione, non contrahitur hoc impedimentum, quia non concurrit adulterium cum promissione, cū fides antea data, soluta, & extincta sit ante sequutā copulā. Si verò resiliant à promissione, sequuta promissione, & copula iterum, remanent inhabiles ad contrahēdum, quia per adulterium, & promissionē iam inductum est impedimentum dirimens.

11. Similiter est impedimētum dirimens, si durante priori matrimonio, adulter dat fidem adulteræ, etiam fraudolenter de contrahendo cum persona, quam tertius quidam ab adultera signatus destinauit, quia idem est, ac si fides adulteræ daretur, nec fraus patrocinari debet. *ita cap. aduersus. de immunita Ecclesiæ.* Sed satis est, siue fidē dans, siue acceptans probabiliter existimet, vt tertius illo consulet matrimonium inter illos adulteros, quia fraus ex parte illius interuenit. Non solùm fides data futuri matrimonij cū adulterio cognito, inducit impedimentum, sed etiam oritur ex matrimonio de præsenti, siue publicè, siue clandestinè contracto concurrente cum illo adulterio, quia inter istos adulteros, qui de facto coniuges se fecerunt, stante altero eorum ligato in priore matrimonio, numquam potest esse coniugium. *ita cap. significauit. & cap. si quis de eo, qui.* Sed benè est necesse, vt vterque contrahens sciat copulam, quam habet, esse adulterium, quia vt sit impedimētum dirimens requiritur formale adulterium. *ita cap. propositum.* Et si scientia

postea

postea habetur, tunc ipsi non resilendo à matrimonio de facto vnito, & à copula incidunt in impedimentũ dirimens, quia post scientiam censetur quasi matrimonium contractum, & ansa præbetur machinando in mortem coniugis.

12. Tandem si duo ambo coniugati scientes proprium, & non alterius coniugium, inter se copulam haberent, & post illam de præsenti matrimonium contraherent, licèt tale matrimonium sit nullum, nõ induceret impedimentum, & si vidui remanerent, benè contraherent, quia ambo ignorantes coniugium alterius, non inferunt iniuriam eidem matrimonio. Sed si postea habita scientia accedat copula, oritur impedimentum dirimens, quia per copulam non solùm fides promissa remittitur, sed matrimonium confirmatur. Imò si copula fuit ante scientiam, & post scientiam datur fides, adhuc est impedimentũ dirimens absque noua copula, quia licèt copula illa præcedens ante scientiam non inferat iniuriam matrimonio, tamen fides data intuitu illius copulæ infert iniuriã matrimonio, & impedit.



ARTICVLVS VII.

An ratione disparitatis cultus sit inualidum matrimonium?

1. ℟. Sic, quia licèt non sit textus expressus iuris irritans illud, tamen ex receptissimo Ecclesiæ vsu vim legis obtinet, & traditione Apostolorum habetur. Disparitas cultus est inter fidelem, & infidelem, & inter baptizatum, & non baptizatum, & etiam Catechumenum, idest carentem Baptismo, qui est ianua Sacramentorum. *ita D. Tho. 3 p. in addit. q. 59. art. 1. ad 5.* Imò inualidũ est matrimoniũ inter hęreticũ aut Apostatã à fide, & inter infidelem, & non baptizatum, quia tales cum sint verè baptizati subduntur legibus Ecclesiæ matrimonium hoc irritantibus.

2. Benè tamen Papa inter hos supradictos potest dispensare, vt sit validum, quia potest super omne ius Ecclesiasticũ. Etiam absque vrgẽtissima causa, quia in iure Ecclesiastico dispensatio sine legitima causa non frustratur suo valore. Imò iure Pontificio secluso, stando in mero iure naturali, & diuino, non est inter illos inualidũ matrimonium, quia ex Sancto Augustino *lib. 9. conf. ss. cap. 9.* Sancta Monacha pagano nupsit,

sit, & fuit validum. Tamen esset illicitum iure diuino, & naturali, si absque vrgentissima causa fieret, quia ius diuinum naturale dictat vitandum, ne ob mutuum amorem sit periculum peruersionis coniugis. *ita D. Tho. 3. p. in addit q. 59 art. 1.*

3. Sed cōiuges infideles cōuersi ad fidem non tenētur nouum contrahere, quia inter eos verū fuit matrimonium. *ita D. Tho. loco supra citato.* Nec opus, vt iterum coram Parocho, & testibus contrahant, quia Concil. Trid. *sess. 24. cap. 1. de matrim.* eam formam præscripsit pro nuptijs inter fideles denuò cōtractis. Verùm Princeps eorū potest apponere impedimentū dirimens matrimonium infidelium sibi subditorum, quia matrimonium apud infideles non habet rationem Sacramēti, sed contractus, super quem Princeps habet potestatem. Ita quòd si infideles cum tali impedimento contraxissent, postea conuersi ad fidem, essent separandi, quia eorum matrimonium non erat legitimum. Et quamuis Principes fideles ratione contractus possint constituere impedimēta matrimonij inter fideles, tamen iure optimo ab Ecclesia hæc potestas est ablata; quia matrimonium fidelium non est contractus, sed res spiritualis. *ita Concil. Trident. sess. 24. can. 12. de matrim. & cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. de constit.*

4. Similiter si solum ius diuinum, & naturale attēdamus, Episcop⁹ potest in sua diœcesi impedimēta dirimētia ponere, sicut Papa in vniuersa Ecclesia, quia Episcopus est pastor ordinarius in sua diœcesi, sicut Papa in toto Orbe, licèt sit ipse subiectus. Hodiè Episcopi hoc minimè possunt, quia constat ex generali Ecclesiæ consuetudine id Papæ reseruatum esse.

5. Rursus matrimonium in lege veteri, & naturæ non fuit Sacramētum, quia Conc. Trid. *sess. 24. can. 1. de Sacram. matrimon.* asserit matrimonium esse Sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum. Alij dicunt posse dici Sacramentū, quia aliquo modo figurabat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Ideò post legē Euangelicam matrimonium infidelium non est Sacramentum, quia Baptismus est ianua Sacramentorum. *ita Concil. Florēt. de Sacram. Baptis.* Neque esset Sacramentum, si fidelis contraheret cum infideli, stante etiam dispensatione Papæ, quia non potest esse Sacramentum, vbi est carentia Baptismi in infideli, cùm matrimonium in vtroque coniuge est vnū numero.

6. Verùm infidelium matrimonium, cùm ambo baptizantur, fit Sacramentum, & efficitur

tur

tur insolubile, quia in Concil. Triden. *loco supra citato*, dicitur Christum Dominum in lege noua instituisse matrimoniū, quod iam erat institutum, vt eueniret Sacramentum indissolubile; eiq; confert gratiam, si non est obex, quia *ita ex D. Tho. 3. p. in addit. q. 59. art. 2. ad 1.* Benè tamen requiritur nouus consensus, vel antiquus verbis, & nutibus vel copula maritali approbatus, quia requiritur nouus consensus contrahentium, qui est materia, & forma Sacramenti matrimonij. Sed probabiliter dici potest non requiri talem consensum, quia ex D. Thom. *loco supra citato*, habetur matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, cùm non contrahant in fide Ecclesiæ, sed habitu, & statim ac baptizantur, fiet absque nouo alio consensu Sacramentū.

7. Similiter matrimonium inter infideles, licèt sit verum, non tamen est ratum, quia potest dissolui ex iure *cap. quanto de diuortijs*. Sed inter fideles est verum & ratum, quia Sacramentum fidei, scilicet Baptismus, quo fit ꝓfessio fidei, quo semel est admissum numquam amittitur. Et sic matrimonium infideliū dissoluitur, si vnus cōuertatur ad fidē, altero in infidelitate ꝑtinax, qa *ita Ioā: III. cap. supradicto*, & *cap. gaudemus de diuort.* Sed nō dissoluitur ex iure Pontificio, quia matrimonium consummatum non potest iure Pōtificio dissolui, quāuis in infidelitate initum sit, cum Christus *dixit Matth. 16. quos Deus coniunxit, homo non separet.* indistinctè loquitur. Sed ex priuilegio Christi dissolui potest in fauorem fidei, quia non potest habitare absque Creatoris contumelia. Hinc est quòd tempore primitiuæ Ecclesię licebat coniugi fideli cōuerso habitare cum sua coniuge infideli, hodiè illicitum est, quia tunc in tyronibus erat efficax gratia, vt non esset formidanda peruersio, modò refrigescente Charitate, non licet ob periculum peruersionis. *ita D. Thom 3. p. in addit. q. 59. art. 3. ad 2*, & *Concil. Toletan. IV. cap. 26.* & *cap. Iudæi. 28. q. 1.*

8. Sed si alter coniux nolēs habitare sine contumelia Creatoris, absoluit alterum coniugem a vinculo non ducendi aliam, tale vinculum soluitur per sequens matrimonium cum fideli; & si infidelis conuerteretur ad fidem, antequam fidelis iam cōuersus aliud matrimonium contraheret, tunc non est integrum, fideli prius conuerso, ad alias nuptias migrare, sed in primo matrimonio eum permanere debere cū priori coniuge iam conuerso, quia *ita declarauit Innocentius III. cap. supradicto*. Imò si ante ma-

Ffff 2 tri-

trimonium à fideli contractũ, transeat infidelis ad alias nuptias, eas fore irritas; & ita si postmodum ad fidem conuerteretur, esse ab illis eum separandum, & reddendum coniugi prius conuerso; quia hoc priuilegium dissoluẽdi matrimonium prius, per alias nuptias sequentes non est concessum a Christo Domino infideli, sed fideli in fauorem fidei. *ita cap. quanto de diuortijs, & cap. final. 28. q. 2.* Ac etiam fidelis est compellẽdus ad receptionẽ coniugis iam conuersi, quia perseuerat vinculum prioris matrimonij. Si verò iam migrauit fidelis ad secũdum matrimonium, hoc soluto per mortem, non est compellendus admittere priorem coniugem iam conuersum ad fidem, quia iam prius matrimonium est omnino solutum, posteriori contracto.

9. Item infidelis persistens in infidelitate potest cum alio contrahere, quando vxor conuersa dissoluit prius matrimonium contrahendo cum alio fideli, quia tunc dissolutum manet ex parte vtriusq; sed verè dissoluitur per matrimoniũ fidelis cum alia fideli. *ita D. Th. loco supra citato.* Verum vt fidelis conuersus de nouo ad fidem prius matrimonium dissoluere possit, & ad aliud trãsire, oportet præcedere monitionem infidelis, aut interrogationem, an velit conuerti, vel an velit habitare sine Creatoris contumelia, nec ad peccatum pertrahere: quoties infidelis adeò distat, vt hoc commodè fieri possit, quia necesse est constare de voluntate infidelis. Sed moraliter loquendo sufficit certitudo moralis obstinationis. *ita cap. iudei q. 1. & D. Thom. loco supra citato.*

10. Imò coniugi conuerso ad fidem licet transire ad Religionem, vel Ordines Sacros suscipere, aut votum simplex Castitatis emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, etiã quòd habitare velit absq; Creatoris contumelia, & sine pertractatione ad peccatum; quia ex D. Thom. *3. p. in addit. q. 59. art. 3. ad 1. & Concil. Tolet. IV. cap. 62. & in cap. Iudæi 28. q. 1.* dicitur, quòd coniugi legitimè diuortium facienti, potest hæc efficere. Quamuis matrimonij vinculum nedum ratum, sed etiam consummatum perseueret, quia matrimonium etiam consummatum tempore infidelitatis non est Sacramentum, ac & solubile. Et sic infidelis conuersus, si sacris initiatus, & ingressus in Religionem, etiam professus; nõ est restituẽdus alteri coniugi, si conuertatur, sed sibi imputet tardam conuersionem, quia is status post admonitionem

nem infidelis est assumptus, & fidelis est in statu, qui vsui matrimonij repugnat, & tunc vinculum matrimonij est solutũ. Tamen si non dum professus est cogendus redire ad coniugem conuersam, quia non est in statu repugnante, sed in probatione, & in via ad alium statum. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 59. art. 5. ad 7.* Alij tenent contrarium, quia cùm legitimè post admonitionem alterius coniugis sit ingressus Religionem, non debet Nouitiatus tẽpore extrahi. Sed affirmatiua verior, quia infidelitas non est causa diuortij perpetui, sed tantum dum ea durat.

11. Similiter matrimonium personæ fidelis cum hæretica, vel Apostata à fide, validum est, quia ad necessitatem Sacramenti matrimonij solum petit paritatem Baptismi in cõtrahentibus. Sed sponsalia sunt irrita, quia promissio rei turpis, est ipso iure nulla. *ita D. Thom. 3 p. q. 59. art. 1. ad 5.* Et contrahens de presenti validè contrahit, sed peccat mortaliter, quia est prohibitio Ecclesiæ *in cap. non ita oportet & cap. caue 28. q. 1.* & est periculum peruersionis. *ita D. Thom. loco supra citato.* Verùm in Germania, Gallia, & Polonia ex consuetudine sunt recepta, & tolerata à Pontifice, quia consuetudo moribus vtẽtium recepta, vim habet contra leges. Et his in locis licitè cõtrahere possunt cùm hæreticis, quia ibi canon nõ est receptus. Sed si adesset periculum scandali, & peruersionis, tunc nullo pacto licita sunt, quia ius diuinum naturale dictat peccandi, & scandali periculum totis viribus cauendum esse.

12. Nota, quod minister essentialis Sacramenti matrimonij sunt ipsi contrahentes conficientes ipsum Sacramentum, & ante Concil. Trid. matrimonium Clandestinum verum erat Sacramentum, quia is est minister Sacramenti, qui formam applicat, & ipsi contrahentes, applicantes verba, & consensus, sunt sibi inuicem pro materia, & forma. Parochus verò assistens est tantùm minister accidentarius, quatenus iungit ex officio, dans benedictionem contrahentibus.

13. Quamuis non possint administrari Sacramenta peccatori publico, siue publicè, siue priuatè petenti, quia amisit ius exigendi, nisi publicè pœniteat. (Publicum autem est, quòd per sententiam, vel Confessionem propriam, aut per rei euidentiam celari non potest. *vt D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6.*) Et minister administrans tali indigno petenti grauiter peccet, quia in re grauissima contra suam obligationem delinquit. *vt D. Thom. loco supra citato.*

14. Ta-

14. Tamē Sacerdos assistēs Sacramēto matrimonij Catholici contrahentes cum hœretica in Gallia, Germania, & Polonia, non peccat prophanando Sacramentum matrimonij, dum illud personæ hœreticæ administrat, quia minister hui' Sacramenti matrimonij non est Sacerdos, sed ipsimet contrahentes, & vsu id receptum est, neq; ibi adest scandalum, & est spes conuersionis ad fidē eiusdem. Ideò Papa licitè potest dispensare & dispensat, vt Catholicus cōtrahat matrimonium cum hœretica, dum non adest scandalū, neq; periculum peruersionis, & spes conuersionis alterius ad fidem, quia tunc adest sufficiens, & rationabilis causa dispensandi, & hoc non est cooperari peccato alterius, sed tantum permittere.

ARTICVLVS VIII.

An matrimonium celebratum per metum grauem, vel cadentem in constantem virum, sit validum iure Ecclesiastico?

1. ℞. Non, quia Ecclesia discrimen ponit inter matrimonium, & alios cōtractus, quia hi si causa metus facti possunt per exceptionem, vel iudicis sentētiam rescindi. At matrimonium semel validè contractum numquam rescindi potest. *ita cap. significasti de eo, & cap. venient el. 2. de sponsalibus*. Ideò celebratum per metum grauem, idest injustè incussum à causa libera ad extorquendum consensum, vel in constantem virum, est irritum, ex iure. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 49. art. 3.*

2. Nota, quòd metus duplex, Grauis, seu probabilis, & metus leuis. Metus grauis cadens in constantem virum est, qui illatus cogit eligere minus malum, vt maius malum probabiliter imminens euitetur, vt qui iacturam patrimonij, contumeliam sustinet, ac mortem, & pœnam capitis subire cogatur; aut qui sint se potius occidi, quàm peccare venialiter, quia maius damnum est quodcunq; peccatum, etiam veniale, quàm quodcunq; corporis incommodum. *ita in cap. sacris, de his, qui vi*. Ad hunc etiam reducitur metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, vel exilij diurni, seruitutis, stupri; amissionis status honorifici, vel omnium bonorum, vel saltem magnæ partis, aut rei magnæ, & notabilis, vel infamiæ iuris, vel facti, cùm melius sit nomen bonū, quàm diuitiæ multæ. Metus leuis nō cadens in constantem virum est, quo quis maius malum,

vel

vel inconueniens admittit ad fugiendum minus malum, & inconueniens, vt qui peccat, ne substantiam temporalem, aut vitam perdet. Et hic metus per se non irritum reddit matrimonium, quia nullus textus extat illud irritans ob talem leuem metum, nec ius naturæ illud irritat. Tamen in foro conscientiæ quoties tollit omnino consensum, inualidum reddit matrimonium, quia ad validitatem eius requiritur cōsensus.

3. Rursus metus grauis duplex. Quidam est incussus ab ab intrinseco, & à causis naturalibus, vt à morbo, tempestate, feris animalibus &c. Alter est incussus ab extrinseco, & à causa libera, vt dum quis incidit in latrones mortem comminantes.

4. Item incussus ab extrinseco, & à causa libera duplex: Quidam incussus à causa libera, sed non gratia extorquendi matrimonium, sed alia de causa. Alter verò incussus causa extorquendi matrimonium.

5. Iterum hic potest incuti dupliciter, scilicet iustè, vt dum minans comminatur malum, quod iustè inferri potest, scilicet iustam apud iudicem delicti accusationem. Vel iniustè, vt si malum aliquid iniustè inferre minetur, vt si Titius comminaretur propria authoritate Caium necare.

6. Iterum metus, qui iustè incutitur ob vnum finem non semper licitè, & iustè incutitur ob alium finem, vt quis habet ius accusandi aliquem ob iniuriam sibi illatam per contumeliam, vel per furtum, vel per homicidium. Modò licèt ille metus accusationis possit esse iustus ob alios fines, est tamen iniustus ob finem extorquendi matrimonium, quia iste metus repugnat libertati matrimonij, & est iniuriosus Sacramento.

7. Vnde metus incussus à causa naturali, licèt grauissimus, non reddit irritum matrimonium, quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium, sed à seipso, & nullus exigit matrimoniū, sed voluntariò contrahit, tamquam medium ad euitandum periculum animæ, vel corporis. *ita cap. sicut nobis de regularibus.* Ita vt si medicus dicat aliquem obiturum ob humoris abundantiam, nisi ducat vxorem, valeret matrimonium, quia metus est ab intrinseca causa naturali incussus.

8. Similiter metus incussus ab extrinseco à causa libera, licèt grauissimus, non reddit inualidum matrimonium, si non est incussus ad extorquendum matrimonium, vt si parētes interficere vellent aliquem in stupro inuentum, & ipse sua sponte, & à nemine exactus, offe-

offerat matrimonium cum stuprata, vt mortem vitet, quia spontè, vel aliundè obiectus, vel in periculo mortis constitutus eligit, vel cognoscit id medium esse ad mortem euitandam, cùm matrimonium sit modus, & medela euitandi periculum mortis. Sed solo iure Ecclesiastico reddit irritum matrimonium extortum metu graui iniustè incusso à causa libera, quia iuramētum requirit libertatem, & tamen extortum metu graui, etiam obligat propter ius Ecclesiasticum. *ita cap. si verò & cap. verum de iureiurando.*

9. Similiter omnes contractus celebrati per metum grauem, aut leuem validi sunt iure naturæ, quia metus grauis, aut leuis nō tollit voluntarium simpliciter. *ita ex Arist. 3. Eth. cap. 1.* Sed solùm facit inuolūtarium mixtum, cum quo inuoluntario, sicut stat consensus sufficiens ad peccandum, ita etiam stat consensus sufficiens ad contrahendum. *ita l. obligationum substantia ff. de act. & oblig. & l. si mulier §. si metu coactus cl. 2. ff de eo quod metus causa.* Imò tales contractus sunt validi iure positiuo, quia nullum ius irritat talem contractū, sed tantùm rescindit. *ita l. vltim. C. de qui vi.* Nec obstat quod dicitur *l. vltima C. de his quæ vi.* emptionem factam per metum esse irritam, quia Glossa declarat non esse de facto irritam, sed irritandam.

10. Casus verò, in quibus contractus celebrati per metū grauem iniustè incussum ad extorquendum consensus, redduntur inualidi, sunt sequentes, scilicet, contractus matrimonij, quia Ecclesia vult, vt matrimonium sit voluntarium, sed etiam plenè voluntarium. *ita ab Alexandro, & Honorio III. cap. consulationi, de sponsalib. & matrimonijs.* Item dos promissa, vel soluta per metum non tenet, quia matrimonium per metum non tenet, neque dos, cùm accessoria sit ad matrimonium. *ita l. si mulier §. si dos ff. quod met. caus.* Item votum, siue simplex, siue sollemne per metum est inualidum, saltem iure Ecclesiastico, quia *ita in cap. 1. de his, quæ vi, metusq; causa, & cap. dilectus, de his, quæ vi.* Item renunciatio beneficij per metum est inualida, quia *ita in Clement. multorum de denit. §. considerantes.* Item electio Prælati per metum grauem facta. *ita in cap. vbi periculum §. cæterùm, de elect. in 6.* Item absolutio ab excommunicatione per metum extorta, quia *ita in cap. vnic. de his, quæ vi, metusue causa fiunt 6* Imò huic additur, quòd non solū à priori excommunicatione non soluitur, sed etiam in pœnam, nouam excommunicationem incur-

currit. Item quando testes sunt adhibiti per metum in testamētis, eorum testimonium non valet, quia *ita l. qui testamento. ff. de testamentis*. Item traditio rerū Ecclesiasticarum facta per metum etiam cum iuramento, est nulla, quia *in cap. de diligentia, de foro competent.* dicitur, quòd si spontè Prælatus res Ecclesiæ traderet, non tenet traditio sine sollemnitate, multò minus facta cum metu.

11. Circa electionem metu extortam est opinio communis illam non valere, quia *ita in cap. vbi periculum. §. caeterùm. de elect. in 6.* Tamen quando electores non coguntur certam personam eligere, sed vnam ex certo genere personarum, tunc esse validam, quia substantia electionis est libera, cùm liberè possit eligi hæc, vel illa persona. Secus valet si communitas, collegium, vel Conuentus cogatur certam aliquam vnam personam deligere, quia non saluatur substantia electionis, cùm liberè nō possit eligi hæc, vel illa persona. Sed valet electio, si sit futura inter duos, & metu cogantur electores alterutrum ex illis eligere, quia præacceptatio est vnius respectu alterius. Quamuis alij nullam tunc esse electionem asserant.

12. Item iurisdictio per metum extorta nō transfertur, qualis est electio Prælati, quia *ita in cap. supradicto*. Item prorogatio iurisdictionis per metū extorta, vel prorogatur à partibus litigantibus, iudici alicui, cui aliàs nō sunt subiectæ, qui metù hoc ab illis extorquetur, quia *l. 2. ff. de iudicijs* dicitur quod collatio illa est irrita, & gesta ex illa non valēt. Et in hoc casu tantū loquitur textus, ideò non debet extēdi casus ille specialis ad alios, nisi aliter in iure sit expressus, & sic iurisdictio metu extorta regulariter non est valida, nisi à casibus in iure expressis. *Ita resoluit Gloss. solemnis in cap. Abbas de his, quæ vi*.

13. Item donatio, vt remissio debiti, legatum, vel testamentum, non sunt valida, etiā in foro conscientiæ, si fiant per metum; quia donatio nihil aliud est, quam liberalis datio alicuius rei. Item eleemosyna metu extorta, rata, & firma non est, quia etiam suapte natura postulat, vt gratis, & liberaliter fiat.

14. Item sponsalia metu grauī celebrata sunt irrita; quia *ita in cap. ex litteris, de dispensatione impuberum*. Consequenter sponsalia celebrata per metum grauem non inducunt impedimentum publicæ honestatis, quia hoc impedimentum inducitur ex sponsalibus validis, etiam si in similibus sponsalibus addatur iuramentum, quia dum sponsalia per metum sunt

nulla, etiam est nullum iuramentum, quod est accessoriū. Verùm secūdùm aliquos sponsalia, & alij contractus per metum extorti, licèt non sint omninò irriti, possunt tamen in foro conscientiæ rescindi, & in irritū reuocari pro arbitrio eius, qui metum passus est, si metus iniustè iniustus est ad contractum extorquendum, quia qui metum iniustè incussit, iniuriam alteri intulit.

15. Item est validum secundùm aliquos matrimonium illius, qui metu graui cogitur ducere vnam ex duabus mulieribus, quia electio metu facta non certæ personæ, sed alterius ex duabus, valida est, eo quòd cùm inter duos sit futura, libera censetur. Sed veriùs dicendum, esse inualidum, quia iste propter metum sibi incussum tunc contrahit, aliàs cum nulla alia fœmina esset contracturus.

16. Verùm validum absolutè est matrimonium celebratum per metum grauem, & cadentem in constantē virum, iustè incussum, vt stuprator Virginis sub promissione futuri matrimonij, quia hic metus iustè incutitur ob causam, propter quam stuprator iure licito compelli potest ad contrahendum matrimonium. Sed si Virgo voluntariè consentit in stuprum absq; promissione futuri matrimonij, non est validum, contractum cum metu accusationis, quia tūc iniustè talis metus incuteretur ad contrahendum cum voluntarie consensit. At stuprator in stupro comprehēsus, si ex metu mortis cogitur ducere defloratam, non validè contrahit, quia publica iudicis authoritate, & non priuata parētum est compellendum eam ducere. At si puella inuoluntariè violata est, & pater illius minatur accusationem stupratori, nisi ducat propriam filiam, validum esset matrimonium, qa hic iustè incutitur ob causam propriam, ob quam stuprator iure licito compelli potest ad contrahendum matrimonium in foro exteriori per sententiam criminis, vel vt dotet eam. Sed satis probabile est metu non reddere irritum matrimonium, quando iustè incutitur siue lege, siue sine lege incussus est, quia licèt priuata persona nullus possit cogere, tamen metus ex iusta causa potest auferre, & cedere iuri accusandi petito certo pretio ex stupro, vice cuius perit matrimonium.

17. Consequenter stuprator Virginis liberè consentientis, si nullum dolum, vim, aut iniustè metus incussionem adhibuit, nullam vel ipsi, vel parentibus eius restitutionem damni in foro

foro conscientiæ facere tenetur, quia damnum corporis filiæ volẽti illatum non redundat in patrem, cùm filia liberũ sui corporis vsum habeat. Sed si factum deducitur ad forum contẽtiosum post condemnationem iudicis stuprator tenetur pœnam subire, vti iudex iudicauerit, quia Virgo semper præsumitur seducta, & decepta, cum si non essent hominis insidiæ, tantum facinus nõ perpetraretur. *ita D.Thom. 2. 2. q. 154. art. 6. ad 3.* Imò si stuprator negat eam Virginem fuisse, non est audiẽdus, quia ex quo habetur pro Virgine, præsumitur Virgo, & imputatur stupratori, qui ea abusus est. Ita etiam stuprator occultus, licèt Virginis volentis, ad nil tenetur; tamen si postea ipse factum manifestet, tenetur damnum resarcire, quia violator postea infamando puellam est causa damni: quod illa patitur vel parentes. Et compensatio à violatore Virginis per sententiam iudicis debet rependi matrimonio, vel damni æstimatione, quia damnum tunc per iniuriam illatum est: & tenetur dare quanti pluris valebat spes nuptiarum, quam adhuc integra habebat, quia iure naturæ ad amplius non tenetur. *ita cap. de adulteris.* Verũ stuprãs vi, vel dolo, si stuprata ante nuptias nullum damnum passa sit, post illos tamen contractus molestaretur à marito, tunc tenetur restituere totum damnũ, quod intulit Virgini, & parentibus eius secundùm arbitrium prudentis, & boni viri, quia per accidens est, quòd ita benè nupserit, ac si Virgo fuisset. Sed stuprans in foro externo, non potest cogi eam ducere in vxorem, sed post sententiam criminis ad vtrumq; à iudice condemnari potest, vel eam ducere in vxorem, vel eam dotare, quia sic diffinitum est à iure *cap. 1. & 2. de adulterijs.* Quando verò stuprator est diues, & stuprata paupercula, licèt illa liberè consenserit, tenetur iudicio prudentum ad aliquam restitutionem faciẽdam pecunia pro dote, vel pro parte dotis, quia inter huiusmodi personas meritò iudicatur aliquod pactum implicitum, & interpretatiuũ interuenisse, quia tales Virgines iudicant, quòd tales diuites dotabunt illas.

18. Similiter stuprator Virginis, fictè illam ducere promittens, tenetur ad promissionem, licèt fictam, ducere eam, quam vitiauit, quia hæc promissio facta est ad modum cõtractus. Sed stuprator si longè nobilior sit, sufficit tantùm damnum resarcire Virgini scienti nobilitatem, & opulentiam stupratoris, quantum magis opus habet ad adipiscendum maritum,

qualem si non esset sic vitiata adipisceretur; quia licèt non præsumatur decepta, tamen promissio, & fides data sibi ducendi eam vim habet importunarum precum. Verùm si Virgo ignorans nobilitatem, & conditionem stupratoris, non habuit causã suscipiendæ fraudis, tenetur diues eam ducere, quia tenetur ex parte sua contractum complere, ne ipsa detrimentum patiatur. Sed probabilius dicendum posse cũ pecunia satisfacere arbitrio prudentum, etiam si promisit ex intentione animi ducẽdi eam; quia sufficit ad iustitiam, vt cõtractus reducatur ad æqualitatem. Neq; stuprator, siue fictè, siue verè promittens ducere puellam, tenetur id facere, etiam si sint pares, dum ex tali matrimonio timet magnũ scandalum, & rixas, quia sic contrahere esset lethalis culpa propter rixas parentum.

19. Item vir promittẽs puellæ dicendi se esse Virginem, nuptias, vt ea potiretur, & postea deprehendat non esse Virginem, non tenetur stare promissis, nec ad vllam restitutionẽ, quia fœmina sua deceptione causa fuit, vt ab obligatione eximatur. Imò cognoscens puellam, sciens illam esse corruptam, tamen fictè promittit illam ducere, adhuc non tenetur, quia promissio fuit nulla, & ficta, solùm tenetur iudicio prudentis compensare copulã per talẽ fictionem iniuriosam obtentam. Quamuis alij oppositum teneant, si alioquin conditione sint pares, & aliundè impedimentũ non est, quia huiusmodi copula est quasi quidam contractus innominatus. Maximè si iterum, vel pluries cognouerit carnaliter, eam tenebitur ducere, quia sponsalia valida per copulam subsequentem confirmantur. Sed si cum aliquo tertio fornicationem commisit, non tenetur, quia sufficiens est causa viro resiliendi à sponsalibus. At si vir conscius fornicationis cũ hoc tertio, & adhuc carnaliter cognoscit, non potest ratione illius prioris causæ resilere à sponsalibus, quia conscij fornicationis habitæ post matrimonium se cognoscẽtes, amittũt ius petẽdi diuortiũ. *ita D.Th. in 4. dist. 35. q. vnic. art. 1. in corp.*

20. Sed cognoscẽs vi, vel fraude puellã ab alio vitiatam, sed opinione habitam, vt Virginẽ, tenetur ad aliquam satisfactionem arbitrio boni viri, nõ quidem ratione integritatis, sed ratione infamiæ, quia re vera detrimentum patitur, ita vt nõ possit ita commodè nubere. Si verò non vitiauit, sed ita sollicitauit, vt infamia sit notata, tamquam corrupta, si liberè consentiens sollicitata est, sollicitãs

non

non tenetur ad aliquam restitutionem, quia puella sponte consensit sollicitationi, & sibi imputare debet infamiam. Si tamen vi, metu, fraude, vel mendacijs sollicitata est, tenetur ad restitutionem damni.

21. Rursus promittens Virgini, vel sic æstimatæ matrimonium sub conditione, quòd sit Virgo, si virgo non sit, inualida est promissio, quia promissio nuptiarum defectu cõditionis est nulla, ac & talia sponsalia. Tamen sponsalia à principio nulla, fiunt valida, si conscius nullitatis sponsalium, adhuc est copula carnalis & animum habet manẽdi in prioribus illis spõsalibus, quia modò accidit ex parte spõsi nouus cõsẽsus signo externo manifestatus: scilicet copula. Maximè si spõsus cõsci⁹ nullitatis illorũ se tacitè per copulam subsequentem illi ratificari; nec contrarium consensum habet, adhuc sponsam carnaliter cognoscit, quia sponsalia infantium ante vsum rationis nulla sunt, tamen conualescunt adueniente legitima ætate si velint priora illa spõsalia ratificare. Verùm si priora sponsalia nulla, & ignorat per actum copulæ ratificari, vel habuit dissensum per copulam subsequentem, non manet valida, quia ratificationem exigitur scientia nullitatis actus, & eius ratificationis per sequentem actum, cùm ea ratificatio fuit ex errore ideò est necessarius nouus contractus. Et sic habens sufficientem causam dissoluendi sponsalia, eo quòd fornicata est, si carnaliter postea post dissolutionem illam cognoscit, non censetur sibi sponsam reconciliare, quia tantum per copulã subsequentem cõualescit matrimonium in diuortio celebrato, non tamen in sponsalibus dissolutis remanet obligatio in illis permanendi. *ita D. Tho. in 4. dist. 35. q. vnic. art. 1. in corp.*

22. Item contrahẽs sponsalia sub hac conditione, scilicet. *Ducam tecum, si te Virginem inuenero*, si sit intellecta in sensu honesto idest, *si te Virginem inuenero per complexam feminam inhonestatum*, contrahuntur sponsalia conditionalia, quæ confirmantur per impletionẽ conditionis, quia cùm sit conditio honesta illa adimpleta confirmantur sponsalia. Si verò talis conditio sit intellecta in sensu inhonesto, scilicet per concubitum & copulam tunc ab Ecclesia in foro externo, tãquam pura sponsalia, & non conditionalia censentur contracta, quia talis conditio, vt inhonesta habetur pro non apposita, *ita cap. is, qui fidem de sponsalibus.* Et contrahentes sponsalia sub conditione turpi, *vt contrahant te, si per fornicariam copulam te*

Vir.

Virginem inueniam, non teneri ad huiusmodi conditionem implendam, quia turpe est, & peccatũ illam implere. Tamen illa adimpleta, astringuntur ad seruandam fidem, quia præcessit promissio de re, quæ possibilis est, & honesta, postquã patratum fuerit peccatũ, licèt supponatur aliquod inhonestum. Verùm hæc sponsalia cum conditione turpi in foro conscientiæ non sunt valida ante conditionis euentum, maximè si intẽtio illorum solùm dependet ab illa conditione, quia obligatio vim habet ab intentione contrahentium, cõsequenter illa conditio dum non completur, non consurgit impedimentum publicę honestatis; benè tamen in foro externo, quia in foro Ecclesiæ conditio turpis in sponsalibus habetur pro non apposita. Et cùm in foro externo sponsalia censentur valida, ac si celebrata fuissent, purè, & absolutè, ideò in foro Ecclesiæ inducũt ĩpedimẽtũ publicę honestatis.

23. Item si coram Parocho, & testibus diceret de presenti. *Duco te in vxorem, si te Virginem repetero, idest per inspectionem honestarum fœminarum*, tunc non erit matrimonium conditionale, sed sponsalia, quia conditio de futuro adiecta verba de pręsenti in sensu honesto accepta, non reicitur à contractu, sed facit consensum in virtute de futuro, tamquam sponsalia conditionalia, nam impleta conditione, non transeunt in matrimonium, nisi denuò, & nouo consensu, de præsenti coram curato, & testibus contrahatur. Si verò sub ista conditione intellexit de exploratione virginitatis per copulam futuram carnalem effectu fornicatorio habendam, tunc esset purum matrimoniũ quo ad Ecclesiam, quia conditio de futuro, tamquam turpis in fauorem matrimonij reicitur, & habetur pro non apposita. *ita cap. final. de conditionibus appositis.* Ac etiam quoad Ecclesiam validum fiet matrimonium, si per copulam affectu maritali secũ habẽdam intellexit, quia post Conc Trid. illa conditio etiam turpis de facto, & de facto impossibilis reputatur, habetur pro non adiecta, consequenter quo ad Ecclesiam validum. Si coram Deo, & in foro conscientiæ protulit hæc verba, & habuit animũ suspendendi consensum matrimonij vsq; ad impleram conditionem coitus, etiam si illa verba protulit coram testibus, & Parocho sub conditione de futuro, etiam post coitum habitum, modò post Concil. Trid. validum non cõficit matrimoniũ, quia conditio apposita de futuro adiecta verbis de præsenti

ex-

exprimit consensum in virtute de futuro; & ad conficiendum verum matrimonium requiritur coram Parocho, & testibus verus, & legitimus consensus de præsenti. Et si dixerit corā Parocho, & testibus, *Contraho tecum*, apposita aliqua conditione de futuro in foro conscientiæ non contrahit matrimonium, sed tantum coram Deo sponsalia conditionalia, quæ per impletionem conditionis confirmantur, quia conditio de futuro facit consensum in virtute de futuro, cū defectu cōditionis sponsalia frustātur.

24. Tandem conditio turpis de præsenti, vel præterito ex iure non reicitur, itaut vbi apponitur valet matrimonium, ita *cap. supradicto*. Secus autem non, quia ad Ecclesiam de futuro pro nō apposita habetur, cùm ad peccādum incitat, sed de præsenti, & de præterito nō incitat ad malum, sed factum supponit. Sed conditio turpis, quæ non est contraria substantiæ matrimonij, an habeatur pro non adiecta, vel pro apposita in foro conscientiæ? standum est intentioni contrahentis, & dubio de intentione standum est præsumptioni fori externi, & definitioni Ecclesiæ, idest haberi pro non adiecta, quia *ita cap. final. de conditione apposita*. Et quia cōmuniter conditiones turpes apponūtur animo implendi, ideò his nō adimpletis, nec sponsalia, nec matrimonium in foro conscientiæ obligabunt. In foro tamen externo certum est conditionem turpem, sicut & impossibilem adiectam matrimonio haberi pro non apposita, & matrimonium, & sponsalia manere pura, quia ita diffinitum est *cap. final. de conditione apposita*.

ARTICVLVS IX.

An Ordines Sacri impediant matrimonium?

1. R. Sic, quia ita diffiniuit Ioannes XXII. *in sua extrau. & Concil. Trid. sess. 24. de matrim. can. 9. & D. Thom. 3. p. in addit. q. 53. art. 3.*

2. Nota, quòd *Ordo est potestas ad exercendum aliquem specialem actum in ordine ad Eucharistiā. Vel est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi Domini.*

3. Potestas, quę per ordines confertur ad Eucharistiam duplex est. Mediata, & immediata. Potestas immediata est in ordine Sacerdotali, qui immediatè conficit Eucharistiam. Potestas verò mediata est, per quam exercetur aliquod ministerium, quod dirigitur, & ordinatur ad Eucharistiam tamquam in finem.

4. Ordines sunt septem, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Accolitatus, Subdiaconatus, Diaconat⁹, & Presbiteratus. Omnes Ordines, vt referuntur ad Eucharistiam, & dicunt respectum ad Sacerdotium, quod est Sacramentum præcipuum, dici potest omnes Ordines simul sumptos esse vnum Sacramentum completum, vel sunt vnum potentiale, quia tota plenitudo huius Sacramenti est in vno Sacerdotio, quod potest omnia, quæ inferiores, & non è contra. *ita D. Tho. 3. p in addit. q. 37. art. 2.*

5. Rursus Ordo diuiditur in sacrum, & non sacrum ex parte materiæ, circa quam habet actum, & sic sunt tres Ordines Sacri, scilicet Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia versantur circa materiam consecratam. Vel maiores Ordines dicuntur Sacri, non quia minores non sint sacri, sed quia maiores habent annexum votum Castitatis, propter quod homo dicitur dicatus, & sacratus Deo peculiari quadam ratione. At ordines minores etiã dicuntur sacri, quia propriùs accedunt ad Eucharistiam, quæ maximum, & augustissimum Sacramẽtum appellatur. *ita D. Thom. loco supra citato art. 3.*

6. Vnde Ordines minores non impediunt matrimonium, quia Ordo ex sua natura non repugnat matrimonio, nisi causa voti annexi, quod solis ordinibus maioribus, qui sacri dicantur, Ecclesia annexuit. Imò si clericus insignitus prima Tõsura, vel minoribus ordinibus ducit vxorem, etiam viduam, nulla est culpa, quia ex rationabili causa vtitur iure suo, nec recedit à statu perfecto; sed ab initio est via ad perfectum ordinis statum, sicut Nouitiatus ad professionem. Benè tamen Ordines sacri validè, & sine metu suscepti dirimunt matrimoniũ, vt diximus. Secus, inualidè, & nulliter suscepti propter aliquem defectum essentialem, vt ordo collatus ab non Episcopo, vel suscipiens Ordines habuit intentionem non suscipiendi, quia destructo ordine inualidè suscepto, destruitur etiam votum, & consequẽter nullum impedimentum dirimens. *ita D. Thom. loco supra citato.* Benè tamen obligat ad votum castitatis, & annullat matrimonium contractum ab eo, qui Ordines sacros suscipit, nesciens illis annexum esse votum castitatis, quia qui vult statum aliquem, vult etiam ea, quæ sunt illi statui annexa. Imò suscipiens Ordines sacros cum intentione positiua ad vouendi castitatem, tenetur seruare castitatem nõ ratione voti præcisè; sed ratione præcepti suscipienti Ordines sacros etiã no-

nolente vouere, illumq; inhabilem facit ad matrimonium.

7. Ideò Ordines sacri dirimunt matrimonium contractũ non iure naturali, sed Ecclesiastico, quia castitas ex constitutione Ecclesiastica est annexa ordinibus sacris. *ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. in corp.* Imò tàm Latinus, quàm Græcus post susceptos Ordines est ipso iure nullum matrimoniũ, & differt Græcus à Latino: Græcis enim est licitum post coniugium ad sacros Ordines ascendere, & vti matrimonio contracto, quod Latinis est interdictum.

8. Similiter Ordines sacri suscepti per metum grauem incussum a causa libera non dirimunt matrimonium, quia Ecclesia tantùm obligat voluntariè suscipientes, & votũ emissum per metum talem est inualidum; vnde talis benè suscipit Characterem, quia etiam his ordo imprimit Characterẽ indelebilem. *ita cap. maiores de Baptismo*. Non tamen tenetur continere, & contrahens matrimonium est validum, quia votum nullum ad nihil obligat. *ita cap. 1. de his, quæ vi, metuq; causa sunt*. Et nolens vti ordinibus non tenetur ad Officiũ canonicum, quia onus est adiunctum Ordini spõtè assumpto. At talis continere nolens, non fruitur priuilegijs clericalibus transeundo ad nuptias, quia æquum non est, vt qui onus sentire recusat, sentiat cõmodum. Clericus verò coniugatus contrahẽs cum Virgine, deferens habitum, & tonsurã; & ex mandato Episcopi inseruit alicui Ecclesiæ, gaudebit priuilegijs clericalibus ex indulto speciali. Verùm tenetur continere, & non transire ad nuptias, si post metum ratificet ordinationem verbo, vel facto, vel ordines exerceat, qui videtur eligere in ordine permanere, & ad eius onera obligari. Et etiam requiritur quòd talis sciat, quòd ordo per metum non obligat ad continentiam, & tamen spontè ratificat suam ordinationem, quia numquam fit ratificatio actus nulli, si ignoratur actum fuisse nullum; nihil enim volitum, quin præcognitum.

9. Similiter infans carẽs vsu rationis suscipiens Ordines est verè ordinatus, quia omnis masculus baptizatus est subiectũ capax ordinis, cùm potestati, quæ est prior actu, sufficiat capacitas. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 39. art. 2.* Et talis licèt characterem recipiat, non tenetur seruare castitatem, itaut contrahens sit inualidum, quia Ecclesia ratificanti obligat, & votum voluntariè promittenti, quod ante vsum rationis non potest. Ideò si ordinibus susceptis vti voluerit, nec illos

verbo, vel facto ratificauerit in legitima ætate, validè contrahit, quia dū Ordines susceptos non ratificat, neq; Castitas impedit. Ratificans verò post vsum rationis ante pubertatē, vel ante sextum decimum annum tenetur seruare Castitatē, & non potest amplius contrahere, quia Ecclesia non vult continentiam esse annexam sacris ordinibus, nisi quo ad eos, qui in tali ætate ratificant. Quamuis alij hanc legitimam ætatem esse existimant post pubertatem, scilicet post annum sextum decimum completum non obligat. Sed veriùs, & probabiliùs legitimam ętatem post vsum rationis, quia in iure aliter sancitum est de professione, & aliter de susceptione sacrorum Ordinum.

ARTICVLVS X.

An ligatus vinculo prioris matrimonij inualidet posterius?

1. ℟. Sic, quia *ita in cap. 13. & vltimo, de sponsa duorum*. Imò tali grauis pœna imprimitur, quia præsumitur malè sentire de fide circa Sacramenta, & ob id in Concil. Trid. *sess. 24. de matrim. can. 2.* excommunicantur, qui dixerint licere christianis simul plures habere vxores.

2. Et polygamia, idest vt vnus vir habeat simul plures vxores, non solùm iure Ecclesiastico est prohibita, sed etiam iure naturæ, quia repugnat quieti, & paci domus, ac familiæ, & vt euitentur incommoda. Imò iure diuino, quia si dimittens vxorem, & aliam ducens, mœchatur, multò magis mœchatur ducendo aliam retenta prima *ita Concil. Trid. loco supra citato*.

3. Vnde infidelis habēs plures vxores, si conuertatur ad fidem, debet tantùm permanere cum prima, si ipsa voluerit cū eo permanere absque Saluatoris iniuria. Imò si omnes vxores, quas vir habebat, conuertantur ad fidem præter primam nolentem cum ipso permanere, aut volentem, sed cum iniuria Creatoris, vir non tenetur vllam ex cōuersis ducere, quia in rigore nulla ex ipsis est eius coniux, excepta prima. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 59. art. 3. ad 4.* Ita etiam pluralitas virorum respectu vnius vxoris iure naturæ est interdicta, quia primario matrimonij fini aduersatur, cum prolis procreatio impediatur per commixtionem seminum, vel si proles nasceretur, non benè educabitur propter illius incertitudinem. *ita D. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 7.* Et licèt pluralitas vxorum non aduersetur primario matrimonij fini, cùm vnus vir sit sufficiens

ciens fœcundare multas, tamē ei aduersatur secundario, quia tranquillæ, & pacificæ cohabitationi coniugum est cōtraria. Et sicut Papa non potest dispēsare super pluralitate vxorum, cùm sit lege naturali, & Christi interdictum. *ita D. Thom. loco supra citato art. 2.* Multo minus super pluralitate virorum, quia repugnat primario matrimonij fini. Et talis dispensatio, *vt asserit Innocentius III. cap. Gaudemus, de diuortijs,* non fuit Patriarchis, & Patribus antiquæ legis concessa externa aliqua scripta, aut loquutione, sed inspiratione. *ita D. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. in corpore.*

4. Ideò ad euitandam polygamiam requiritur certitudo moralis, seu tantum, quantum iudicio prudentis sufficit credere mortē coniugis, vt superstes possit cum alio matrimonium inire, quia aliàs se exponit periculo adulterij. Et sic vxor non potest cum alio contrahere, quando ipsius vir per multos annos abfuit, quia *cap. in præsentia nostra de sponsalibus, & matrimonijs.* extat quod mulieres, quæ viros suos causa captiuitatis, vel peregrinationis absentes vltra septennium prestulatæ sunt, non possunt ad aliorum consortium canonicè cōuolare, nec authoritate Ecclesiæ contrahere permittitur, donec certum nuntium recipiat de morte virorum.

5. Tandem sola fama mortis coniugis non sufficit contrahere cum alio, quia fama solet oriri ex authore incerto, & fallaci. Sufficit tamen, si alijs adminiculis adiuuetur iudicio prudentis viri dijudicandis, vt fama perijsse in bello, aut per litteras eorum, qui fuerunt in prelio, quia tunc fama cum istis adminiculis censetur certitudo moralis de morte alterius coniugis. Caueat ergò Parochus, ne coniungat in tali casu absq; ordinarij facultate, apud quem fieri solent consimiles probationes. Et non sufficit vnus testis affirmans, quia *cap. veniens, de testibus, & attestationibus dicitur*: vox vnius, vox nullius. Tamen testis vnius affirmans aliquando sufficit, si adsint aliæ coniuncturæ, vel si sit mortuus in loco ita distante, vt non facilè haberi possint aliæ probationes, maximè considerata qualitate personæ, quod iudicis iudicio, & arbitrio committitur, quia quando probatio integra, & plena haberi non potest, satis est per coniecturas. *ita l. non omnes §. à Barbaris, de re militari. & cap. in præsentia de sponsalibus, & matrimonijs.*



ARTICVLVS XI.

An matrimonium cum consanguineis alterius sponsi, sit impedimentum publicæ honestatis?

1. ℞. Sic, quia *ita cap. vnicum de sponsalibus, & matrimonijs*. Secus cum affinibus, quia Ecclesia tātùm coercet cum consanguineis. Et tale impedimentum ex sponsalibus consurgens, extendebatur vsq; ad quartum gradum, modò in primo gradu, & non vltra, si tamen sponsalia contracta fuerunt valida, quia *ita in Concil. Triden. sess. 24. de matrim. cap. 3.*

2. Nota, quòd *impedimentū publicæ honestatis est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter honestatem eius*. Dicitur *propinquitas*, vt denotetur conuenientia, quam habet cum affinitate. Dicitur *ex sponsalibus proueniens*, quia in hoc distinguitur ab affinitate, quæ oritur ex copula carnali. Dicitur *robur trahens ab Ecclesiæ institutione*, quia ex iure Ecclesiastico introductum est. Dicitur *propter eius honestatem*, quia consonum honestati Ecclesiæ est, vt propter inchoationē matrimonij, scilicet sponsalia, vt consanguineis alterutriusq; interdicatur matrimonium cum altero. *ita D. Thom. in 4. dist. 41. q. vnic. art. 1. quæst. 4.*

3. Vnde hoc impedimentū contractum ex sponsalibus validis, & certis non cessat, si spōsalia dissoluuntur mutuo contrahentiū consensu, quia sicut impedimenta matrimonij non dependent à voluntate eorum, sed ab Ecclesia, ita etiam & sponsalia. *ita in cap. vnic. de sponsalibus, & matrimonijs. in 6.* At ex sponsalibus conditionalibus de futuro non oritur impedimentum publicæ honestatis, & matrimonium initum cum sorore eius sponsæ erit validum, conditione nondum extante, quia sponsalia antequam conditio adimpleatur, non sunt valida, cùm conditio suspendat consensum. Ita etiam si contractis sponsalibus sub conditione cū Caia, ineatur postea sponsalia absoluta cum eius sorore Titia, conditione nondum extante, ex posterioribus sponsalibus initis non inducitur impedimētum publicæ honestatis, quia ista posteriora sponsalia sunt irrita, cum sint contra primam promissionem, nam pendente conditione, non potest licitè aliud matrimoniū inire, & hoc quando conditio est de futuro. At quādo conditio est de præsenti, aut præterito, oritur statim impedimētum publicæ honestatis, si conditiones eæ verè extant, quia conditio de præsenti,

senti, & præterito non suspendunt consensum.

4. Similiter impedimentum publicæ honestatis, non solùm surgit ex sponsalibus, sed etiam ex matrimonio rato, & non dũ consummato, quia si consurgit ex sponsalibus, multo magis ex matrimonio rato. Et hoc impedimentum non consurgit ex matrimonio rato ratione veræ affinitatis, quia ante consummatum non oritur affinitas; sed ratione matrimonij rati, vt est initium actus coniugalis inchoatiuè. Item tale impedimentum extenditur vsque ad quartum gradum, sicut erat ante Concil. Trid. quia ita statuit Pius V. *in motu proprio*. Imò ex matrimonio rato, etiam inualido consurgit impedimentum publicæ honestatis; dummodò non sit inualidum defectu consensus quia ita est decisum iure antiquo, & non aliter decernitur iure nouo. Et licèt ex Concil. Trid. *loco supra citato*, non consurgat impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus inualidis, benè tamen ex matrimonio rato, quia Pius V. aliter sanciuit in sponsalibus inualidis, & aliter in matrimonio rato inualido.

ARTICVLVS XII.

An affinitas impediat matrimonium?

1. ℞. Sic, quia ita sancitum in Cōcil. Trid. *sess. 24. de matrim. cap. 4.*

2. Nota, quòd affinitas est vinculũ, seu propinquitas, vel attinentia quarundam personarum procedens ex carnali copula licita, vel illicita, quia quando duo sese carnaliter cognoscunt, fiunt affines cum consanguineis alterius in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei inter se. Vt si Titius copulam habeat cum Caia, fit affinis cum consanguineis Caiæ; & idem dicendum est de consanguineis Titij respectu Caiæ. Non autem consanguinei Titij, & consanguinei ipsius Caiæ fiunt affines inter se. Vnde duo fratres possunt ducere duas vxores, & filius illam, cuius matrem pater eius duxit. *ita cap. quòd super his de consanguinitate, & affinit.*

3. Rursus affinitas duplex, Alia in linea recta, & æquali, & alia in linea transuersali. In linea recta affinitatis constituuntur ascendentes, & descendentes illius personæ, cum qua copula fuit habita. In linea transuersali constituuntur consanguinei in linea transuersa illius

lius, cum qua copula habita fuit. Vt Martinus cognoscit Franciscam coniugem suam habentem fratres, & sorores, patrem, & matrem; frater, & soror Franciscæ fiunt affines Martini in linea transuersa; pater verò, & mater Franciscæ fiunt affines in linea recta, quia in affinitate compensandi sunt gradus eodem modo, quo in consanguinitate. Vnde Martinus, qui duxit Franciscam in vxorem, potest, ea mortua, ducere illam, quæ fuit vxor fratris Franciscæ iam mortui, quia Martinus per copulam habitã cum Frãcisca factus est affinis consanguineis Franciscæ, non verò affinibus illius: affinitas enim non generat affinitatem. *ita cap. supradicto*. Et stipes in affinitate sunt duæ illæ personæ, quæ carnaliter cognoscũt, & illę duæ personæ non dicuntur affines, sed principium affinitatis consurgens ex ipsorum copula.

4. Verùm affinitas est impedimentum dirimens matrimonium, siue consurgat ex copula licita, siue illicita; cum hac differentia, quòd ex licita oritur impedimentum vsque ad quartum gradum, ex illicita verò tantùm vsq; ad secundum gradum, quia *ita ex Cõcil. Trid. sess. 24. de matrim. cap. 4.* Item affinitas in primo gradu lineæ rectæ iure naturæ dirimit matrimonium, quia eodem modo abstinendum est ab affinibus, sicut & à cõsanguineis, cùm isti per copulam facti sint vna caro. Sed probabilior est opinio negantium talem affinitatem dirimere matrimoniũ, quia matrimonium in nullo gradu affinitatis initum opponitur primario, aut secundario ipsius matrimonij fini. *ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* Et in hoc potest Papa, quamuis rarò dispensare, quia Papa potest super ius Ecclesiasticum positiuum. *ita cap. fraternitatis vestræ 35. q. 10.* Benè tamen rarò, & extante graui, & rationabili causa exercet hanc potestatẽ, quia generaliter semper expedit, cùm licitè fieri possit in re contrauersa inire possessionem sui iuris. Bonum publicum, & non priuatum est iusta causa dispẽsandi in primo gradu affinitatis, quia etiam professo dispensatur ad contrahendum ex tali causa. In linea verò transuersa affinitatem non dirimere matrimonium in nullo gradu, etiam primo iure naturæ, & diuino, consequenter vxor potest, mortuo viro, ducere fratrem viri mortui cum Papæ dispensatione, quia non apparet in hoc iure naturæ tãta indecentia. & Diuus Ioãnes Baptista increpauit Herodem, quia ipse, adhuc viuente Philippo fratre suo, contra om-

omne ius duxit vxorem eius.

5. Similiter ad inducendum impedimentũ affinitatis requiritur copula cum seminis emissione intra claustrum fœminæ, quia aliàs vir, & fœmina non efficiuntur vna caro. Siue recipiatur arte humana, siue Diabolica, siue violatione claustri, siue sine, siue spontè, siue casu, & quacunq; arte, quia inde sequi potest generatio, quãuis aliquando impediatur. Et non oritur affinitas, quando sola fœmina semẽ emittit, quia illius semen non est sufficiens ad generationem, & seminis commistionem. Benè tamen emissio seminis virilis, quia sufficit ad generationem, cum memoriæ proditum sit aliquas fœminas concepisse sine congressu, & coitu viri. Neque oritur affinitas ex actu præpostero extra vas debitum, neque ex pollutione extra illud, neq; ex congressu spadonum, quia spadones non emittunt semen aptum ad generationem. Et in foro externo copulam habentibus, sed negantibus semini effusionem fides non habetur, quia ex ea copula præsumitur seminis effusio; in foro verò conscientiæ standum est illis. *ita in iure cap. extraordinarijs. 35. quæst. 35.*

6. Pœna excommunicationis ipso facto incurrenda est constituta ijs, qui sine dispensatione contrahunt matrimonium scienter cum affinibus, vel consanguineis in gradibus prohibitis, quia *ita in Clement. de consanguin. & affinit.* Item cõtrahentes cum monialibus, & è contra Religiosos, & moniales, atq; Clericos sacris initiatos, quia *in Clement. supradicta.* Scito, quòd triplex conditio requiritur, vt dictę Clemẽtinæ excommunicatio incurratur. Prima, vt contrahatur matrimonium. Secunda, cum impedimẽto consanguinitatis, vel affinitatis in gradibus lege canonica interdictis, vel Religionis, vel ordinis sacri. Tertia, vt scienter id matrimonium ineatur. Incurritur tamen hæc censura, licèt matrimonium non sit consummatum, quia non punit copulam incestuosam, sed talem matrimonij cõtractum, cuius essentia perfecta est ante consumationem per copulam, vt videre est in ipsa Clement.

7. Verùm hæc excommunicatio per cõtractum sponsalium de futuro non contrahitur. Neq; per matrimonium contractum cum alijs impedimentis dirimentibus, quia dicta Clementina solùm de his mentionem facit, & cum sit pœnalis, non est extendenda. At minimè incurritur, vbi ignorãter initum est matrimonium, quia in dicta expressit

verbis his, scilicet, *scienter contrahi &c.* Imò si alter contrahēs sciuit, alter ignorauit impedimentum, sciens tamen, & non ignorans incurrit, quia in sciēte reperiuntur omnes cōditiones petitæ in dicta Clement. nō autem in ignorante. Et excusat ab excommunicatione ignorantia probabilis facti, & non affectata, vt scire gradum affinitatis, & consangninitatis. Secus si esset ignorantia iuris, scilicet scire gradum, sed nescire in eo interdici matrimoniū, quia in iure ignorantia facti, & nō iuris excusat, *ita regula ignorantiæ de regul. iuris in 6.* Satis etiam probabiliter dici potest excusari in tali casu ab excōmunicatione ignorantiam etiā crassam iuris, vel facti, dummodò non sit affectata, quia vbi non est dolus excusat quanis ignorantia, modò non sit affectata, vel ingens temeritas.

8. Affinitas superueniēs matrimonio contracto parit hunc effectum, vt non possit incestuosus petere ab vxore debitum, si rem habuit cum consanguinea alterius coniugis in primo, vel secundo gradu, reddere tamen debitum coniugi innocenti tenetur, quia innocens non priuatur iure suo ob delictum alterius, *ita in cap. 1. de eo, qui cognouit consanguin.* Et vterque coniux priuatur iure petendi debitū, quando vterq; copulam habuit cum alterius cōsanguineis, aut quādo vnus habuit cum consensu alterius, quia iūs reliquit potestatem petendi debitum tantummodò coniugi innocenti. Et quando non malitiosè, nec animo defraudandi alterum debito, copulam habuit cum consanguineis alterius coniugis, non solùm priuantur ambo iure petendi, sed etiam licitè reddendi debitū, quia vbi neuter coniux est innocens, non est vnde hęc redditio excusetur à culpa *ita cap. discretionem & cap. penult. de eo, qui cognouit cōsanguineā.* Sed si vterq; coniux malitiose defraudauit torum maritale, tenetur reddere alteri petenti, quamuis à iure petendi cadat, & petendo delinquat, quia fraus non debet illi patrocinari, sed fraus illi patrocinaretur acquirendo libertatem a reddēdo debitum, cùm ius in hoc casu restringat suam prohibitionem. *ita cap. sua fraternitatis de eo, qui cognouit consanguineam.*

9. Tandem stante ignorantia iuris, vel facti adhuc oritur affinitas, quia ad hanc affinitatem contrahendam sufficit copula, ex qua sequi possit generatio, & commistio sanguinis. Imò oritur affinitas ex copula habita cum fœmina omninò inuita, vel ignorante, vel dormiente, vel insana, vel ebria propter rationem illatam. *ita cap.*

cap. discretionem de eo, qui cognouit consanguin.

ARTICVLVS XIII.

An impotentia perpetua ad copulam reddat irritum matrimonium?

1. R. Sic, quia *ita l. impossibilium ff. de regul. iuris & cap. nemo ad impossibile de regul. iuris in 6. & cap. de frigid. & malef.* habetur, quòd impossibiliũ nulla potest esse obligatio. Impotentia verò tẽporalis non dirimit matrimoniũ subsequens, quia qui in præsenti nõ est soluendo, tamen cùm sit spes fore in futurum, potest ad soluẽdum obligari.

2. Nota, quòd impotentia coeundi duplex. Temporalis, & Perpetua. Tẽporalis est, quæ tantùm præter miraculum per opus humanum absque corporali vitæ periculo, remoueri potest, *ita cap. fraternitatis tua de frigidis, & maleficatis.* Perpetua, quę nec arte humana, vel absq; probabili vitæ periculo remoueri potest, sed solo miraculo, quia arte humana remoueri non potest. Vnde mulier nimis arcta, inhabilis naturaliter ad copulam per miraculum aperiretur, potest tunc alteri nubere, cùm prius matrimonium fuerit irritum, quia natura matrimonij non pendet ex miraculo.

3. Rursus de ratione miraculi duo sũt, scilicet, vt sit opus insolitum, & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo, & vt opus sit tale, quod per naturales causas fieri non potest, & sic iustificatiò impij, licèt sit opus supernaturale, non est verum miraculum, quia non est insolitum, & fit secundùm constitutum modum, & ordinarium. *ita D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 2. in corp.*

4. Vnde inualidum est matrimonium contractum cum impotente perpetuo, etiam si miraculosè fiat potens, quia impotentia perpetua antecedens matrimonium dirimit illud. Verùm impotentia coeundi, quæ remoueri non potest arte humana, non irritat matrimonium, si per orationes, & exorcismos Ecclesiæ remoueri potest, quia tunc non miraculosè, licèt inconsueto modo, & vt quid supernaturalis virtutis remoueatur impedimẽtum. Sed irritat impotentia, quæ absq; arte magica, vel peccato vel maleficio auferri non potest, & censetur perpetua, quia licitè per opus humanum remoueri non potest, iuxta illud, scilicet, *Illud non possumus, quod iure non possumus.* At non vera impotentia, sed tantùm maxima difficultas, & periculum ægritudinis non irritat. *ita in cap. de coniug. lepros, & cap. frater-*

ernitatis de frig. & malef. quia ex iure matrimonium contractum cum leproso est validum. Et etiā mulier arcta reddi potest apta copulæ per incisionē absq; mortis periculo, & tamen in vtroq; euentu est maxima difficultas.

5. Rursus ad valorem matrimonij non satis est potentia vas fœmineum penetrandi, sed etiam seminandi intra illud, quare si perpetuò intra illud nullo modo seminat, vel præ nimio calore præproperè, vt vas expectare nequeat, est incapax matrimonij, quia non efficitur vna caro per commestionem sanguinis. *ita cap. laudabilem de frig. & malef.* Et sufficit, quod fœmina sit capax recipiēdi seminis virilis, quamuis sit ea impotens ad seminādum, quia cum sit imperfectū, non est necessariò requisitum ad generationem, & ad conceptum. *ita D. Thom. 3 p. q. 3 v. art. 5. ad 3.* Sed si talis vir ita debilis, & frigidus, aut calidus, vt non possit emittere semen intra vas, & mulier nimis arcta, & semen semper foras fundat, nisi aliqua arte viri penetret, & sit receptum intra vas, vel semen tantùm attrahitur à matrice, & hoc est immedicabile, nullum est matrimonium, quia verificatur virum istum impotentem ad seminandum intra vas.

6. Similiter Eunuchi perfecti, & spadones, qui vno tantùm testiculo carent, validè cōtrahunt, quia testiculus ille ministeriū generationi necessarium exercere potest. Secus carentes vtroq; testiculo, vel habentes vtrumq; contusum, quia isti, licèt erigant virgam, & aquosam materiam emittāt, tamen non est verum semen, nec eiusdem rationis cum vero semine. Et Sixtus V. *in sua constitutione edita* 1587. decernit huiusmodi esse impotentes ad matrimonium ineundum, quia finis secundarius matrimonij non est remediū concupiscentiæ habitum per quamcunque copulam, sed per copulam seminis prolifici.

7. Nec obstat sterelitas valori matrimonij, quia licèt frustratur fine primario, tamen satisfecit secundo concupiscētiæ vera copula apta per se ad prolis generationem. Neque senes decrepiti, quia aliquando natura, vel saltem medicinæ arte adductus potest ad coitum valere, maximè cùm Ecclesia nullos senes ad matrimonium reijciat. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 58. art. 1. ad 3.* Tamē si erigunt virgam, & coire, & non intra vas seminare, est nullum, quia non solùm requiritur potētia penetrandi vas, sed etiam seminandi intra illud. Et sic senex vir adeò exhaustus vt

iudi-

judicio Medicorum, nec arte, nec medicamento humano iuuari possit, est incapax ad cōtrahendum; quia is non potest ad copulam obligari, vtpotè sibi impossibilem. Item fœmina decrepita dummodo pati possit ingressum viri ad claustrum pudoris, benè contrahit, quia in concubitu est patiens, neq; frigiditas eius hoc impedit. Itē valet etiam, quando vxor potest reddere debitum, sed cum grauissimo sanitatis periculo, vel parere non potest sine tali periculo, & etiam si credit fore filios mortuos in lucem edi, quia impotentia pariendi absq; periculo vitæ vtriusq; est quid posterius ipsa matrimonij essētia; ideò nequit reddere irritū. Item est validum, dum iudicio Medicorum impedimentum impotētiæ medicabile sit absq; corporali periculo, vt quando est arcta, & per incisionem fit apta, quamuis ipsa renuat incisionem, quia valor matrimonij non ex voluntate fœminæ pendet, sed ex natura sua impedimentum per opus humanum auferri potest. Et ipsa tenetur pati talem incisionem, etiam cum graui dolore, quia hoc videtur necessariū ad copulam, cuius potestatem, & ius contulit in virum. Non tamen tenetur huiusmodi incisionem cum grauissimo morbi incommodo, quia non videtur obliganda ad reddendum debitum cum suo tanto incommodo. Sed matrimonium adhuc est validum, quia non est impotētia perpetua. Secus, vt citra periculum mortis arbitrio Medicorum curari non possit, reputatur impedimētum perpetuū, ac dirimēs matrimonium, quia impotentia coeundi, quæ absq; probabili mortis periculo remoueri non potest, censetur perpetua, *ita cap. fraternitatis de frigid. & malef.* Maximè si Medici dubitāt, an immineat mortis periculum ex incisione illa, tunc subesse mortis periculum judicatur, & sic matrimonium erit nullum, quia impotentia coeundi esset perpetua, cùm absq; periculo mortis remoueri non possit. Et quamuis mulier velit id periculum subire, vt apta reddatur viro, non tenetur vir expectare, sed potest dissolutionem petere, & ad alias nuptias transire, quia tunc est impedimētum perpetuum, cùm absq; mortis periculo cessare nequeat. Si suscepto medicamine habilis efficitur, & experientia ipsa docuit nulli periculo corporali fuisse eam expositam, & deceptos esse medicos, matrimonium absque dubio validum fuit, quia impedimentum impotentiæ cessauit absq; periculo mortis, & miraculo. Sed si constat experiētia mortis periculum fuisse, & me-

dicos non esse deceptos, sed benè attestantes hoc, tunc irritum fuit matrimonium, quia impedimentum, quod absque periculo vitæ auferri non potest, est perpetuum, & est dirimens matrimonium, *ita cap. supradicto*.

8. Similiter vir ita debilis, aut senex, qui Virgineum vas penetrare nequit, potẽs tamẽ cognoscere corruptam, si viri imbecillitas iuuari potest ope medicinæ valet matrimonium, quia impedimentum est temporale, dum absq; periculo vitæ auferri potest, *ita cap. supradicto*. Verùm mulier nupta viro non valenti eam deflorare, si alteri nubẽs per dissolutionem, & ipsa redditur per posterioris viri concubitum, non est reddenda priori, cui non poterat reddi apta per artem medicinæ absq; vitæ periculo, quia inualidum fuit prius illud matrimonium propter impotentiã perpetuã, validum autem posterius, irritum cum primo. Et Ecclesia potest huiusmodi impotentiam constare per testimonium virorum honestorum ex parte viri, & mulierum honestarum ex parte mulieris, quia stat mulierem esse tàm arctam, & virum tàm pinguem, vt illius membrum penetrare nequeat vas illius fœminæ. Ita vt vir ille cum aliјs sit idoneus, & mulier cum alijs viris reddatur apta, & sic potest dari impotentia naturalis respectu vnius, & nõ respectu alterius.

9. Ideò impotentia perpetua potest oriri ex triplici capite. Primò, ex improportione naturali, vt diximus. Secundò, ex frigiditate viri, qui consummare, & emittere semen nequit. Tertiò, ex maleficio perpetuo ad impediendum ingressum, & copulam maritalem, cum Dœmon possit calorem minuere, & spiritus impedire, viam illis præcludens *ita D. Th. 3. p. in addit. q. 58. art. 2*.

10. Et non solum viri, sed etiam fœminæ possunt maleficijs impotentes ad copulam reddi, quia Dœmon potest efficere speciem in fantasia mulieris, vt virile appareat improportionatæ magnitudinis, vt nõ sinat se cognosci. *Maleficium enim est ars nocendi alijs Dæmonis potestate, vel per eius inuocationem. Magia verò est inordinata potestas faciendi, vel exornandi, quod supra naturam est*. Et dicitur maleficium perpetuum impedimentum dirimens matrimonium, quando coniuges per experiẽtiam triennalem non poterunt copulam habere præmissis precibus, & alijs licitis remedijs pro maleficio amouendo, quia Dœmon, permittente Deo, impedire potest copulam. Et quãdo maleficium perpetuum est factum tãtum respectu coniugum

gum præsentium, & non aliorum, tunc possunt facto diuortio contrahere cum alijs, quia respectu aliorum nō censetur impotentia perpetua. Et censetur etiam perpetuum maleficium, si non possit auferri per opus humanum, nisi per aliud maleficium, quia impedimentum cēsetur perpetuum, quod absq; peccato remoueri nequit, & maleficium maleficio tollere grauissimum est scelus. *ita D. Thom. in 4. dist. 34. q. vnic. art. 3. ad 3.* Item maleficium est etiam perpetuum, quamuis tolli possit per miraculum; secus si per orationes, & Ecclesiæ exorcismos, quia non censetur miraculum per Ecclesiæ exorcismos maleficium tolli. *ita cap. final. 33. q. 2.* Numquam licet maleficium alio maleficio tollere, etiam quòd maleficius sit paratus ad hoc facinus perpetrandum, quia maleficium secundùm se est malum. Potest tamen eum rogare, & pecuniam dare, vt maleficij ligaturas, quas habet sepultas, aut suspensas, aut alicubi reseruatas inde dimoueat, aut dissoluat, quia id non est maleficio vti, sed quod factum est destruere. Et si maleficus nosset ad soluēdum maleficium plura media licita, & illicita, ab eo possemus petere, vt maleficiū solueret, quia petitur à malefico solutio maleficij, quam potest medio licito facere; quod si modo illicito faciat, sibi tribuendum est. Quando dubium est, an maleficus scierit medium licitum ad dissoluendum, nec ne? Tunc quærendum ab eo, quæ media nouit, quod si renuit explicare, vehemens suspicio contra eum, quia vti medicina vana, & superstitiosa est intrinsecè malum.

11. Similiter coniuges, quibus constat impedimentum perpetuum, & dirimens, si hoc antecessit matrimonium, non possunt licitè petere debitum, nec delectari, nec laxiuè se amplexari, nec impudicè tangere, nec carnaliter osculari, quia hęc non possunt exerceri, existēte matrimonio inualido. At cognita potentia post contractum, si continenter viuere volunt, & cohabitare instar fratris, & sororis id possunt facere, & hoc iudex Ecclesiasticus debet concedere, quia canon id expressè concedit. *ita cap. consultationi, & cap. laudabilis de frig. & malef.* Aliter separari licitum est, quando incontinenter viuunt, aut in eodem lecto dormiunt, quia periculosa habitatio. *ita Sixtus V. in motu proprio edito 1587.* Et tales incontinentes proclamare debēt, vt dissoluatur matrimonium, cùm aliter absque scandalo separari nequeant: stante

præ-

præsumptione matrimonij in foro Ecclesiæ. Quod si cessante scandalo separari possent, ad id non tenerentur, quia tunc cessaret causa ad proclamandum, & possunt tunc propria auctoritate separatim viuere. Imò tales cognoscentes ante matrimonium impotentiam perpetuam, possunt contrahere ad mutua obsequia, dummodò periculum incontinentiæ non subsit, quia cùm possint alios contractus ciuiles inter se inire, poterunt, & hunc.

12. Item licet coniugibus habere copulam, & vti actibus coniugalibus per triennium, quando dubitatur de impotẽtia perpetua, quia experientia triennalis iudicatur adesse impotentiam perpetuam. Idem permittitur senibus per triennium per contractum, si subest aliqua spes intus seminandi, quia ita etiam concedit ius supradictum. Alias non licebit copula cũ certo periculo fundendi semen extra vas, quia vbi hæc est difficilis, & impossibilis, tunc non licebit. Et vbi non constat de impotentia perpetua, potest senex, siue iuuenis deposita conscientia accedere ad vxorem, & nisi ad copulam, vt fortè præ voluptate membrum erigat, & vas penetrare, & intra semen effundere, quia *ita in cap. laudab. & cap. consultationi de frig. & malef.* Neque debet prohiberi vsus coniugij, quando fœmina nõ potest intra vas retinere semẽ, etiam quòd non sit spes retinendi, quia illa perfecta copula coniugalis, dum intra vas recipitur, & per accidens est expulsio. Nec senibus decrepitis, qui alias validè contraxerunt, licèt desperatum sit, quòd intra vas seminent, quia constans matrimonium, finis eius secundarius obtinetur, scilicet ardorem concupiscentiæ sedare. Idem dicẽdum est de Eunucho post matrimonium, si virgam erigat, licèt seminare nõ possit, si caret vtroque testiculo, quia impotentia perpetua reddit hominem inhabilem ad nuptias contrahendas, & non contractas.

13. Idem autẽ tempus triennalis, scilicet experientiæ in senibus non est expectandum, sed tempus arbitrio prudentis seruandum, quia in senibus debilior natura redditur, ac vires deficiunt. Sed si vir bona fide legitimè congredi cum vxore conatur, festinãtius fortasè extra vas semen emittit, non est vitio dandum, quia illud festinationi naturæ adscribendum est, non voluntatis congredientis. At si constat Medicorum, vel obstetricum iudicio, cum vnius, vel vtriusq; impotentia antecedenti perpetua fuisse contractum, & ideò esse

esse irritum, hi statim separandi sunt à toro, dummodò abstineant ab omni voluptate carnali, quia est permissum *cap. laudabile, & cap. consultationi de frigid. & malef.* Sed si non constat, an sit perpetua, an temporalis, debet dari triennale tempus, & interim licitum est ad copulam, etiam si per accidēs pollutio extra vas eueniat, quia dant operam rei licitæ iure cōcessæ, & præter intentionē accidit pollutio extra vas. Elapso triennio, & nulla sequuta emēdatione, toro separari debēt, & præmissa licentia coniugi petenti, vel vtrique, si vtrumque erga alias personas potentem præsumi possit, & hoc cum auctoritate Ecclesiæ ad euitandum scandalum, & peritia Medici ad erroris periculum, quia est irritum matrimonium, cum sit impedimentum perpetuum. Dummodò post triennium Virgo adhuc inueniatur per inspectionem honestarum mulierum Virgo, quia honestis matronis id asserentibus, & testificationibus adhibēda est fides. *ita cap. proposuisti*. Si verò fœmina, quæ diuortium petit, erat corrupta, & negat viri potentiam ad consummandam copulam, & vir iurat se carnaliter cognouisse, viri iuramento in fauorem matrimonij stādum est, quia vir est caput fœminæ. *ita cap. si quis 33. q. 1. & cap. de frig. & malef.* Si ambo negant cōsumasse matrimonium, & res hæc probari nequit, amborum iuramento standum est, *ita cap. de frig. & malef.* Quādo verò dubitatur, an impotētia præcesserit, an subsequuta sit matrimonium, tunc si impotentia est naturalis, præsumitur præcessisse, & matrimonium irritum, quia naturalia sunt perpetua, & qualitatem, quæ à natura est, semper in esse præsumitur. Si verò impotentia est accidentalis, & non constat, an precessit, præsumitur præcessisse, & etiam inualidum, quia *ex regula quod grati. de regul. iuris in 6.* iudicandum est in fauorē matrimonij, quādo matrimonium potest sortiri suum effectum; scilicet procreationem, & cum maleficio non stat procreatio, & generatio.

14. Verùm quādo dubium est, an impotentia perpetua præcesserit contractum matrimonij, nec ne? Præsumendū est pro valore matrimonij, nec illud semel vnitum potest dissolui, quia quilibet naturaliter supponitur potens, quando oppositum apertè nō constat. Hinc est, quòd dubius, an sit potens ad copulam, nec ne? Non licitè contrahit matrimonium, quia Ecclesia non concedit triennium, vt in dubio contrahatur, sed vt constet, an ma-

matrimonium contractum sit dissoluendum. Et dissoluto matrimonio ab Ecclesia ob impotentiam perpetuam falsò putatam, & vir transierit ad secundas nuptias, & si postea error iudicis cõpertus est, quod impotentia temporalis, & non perpetua fuit, scilicet arctitudo fœminæ, non cùm periculo vitæ, sed facili incisione aptata est ad copulam, tunc prius matrimonium debet reintegrari, & posterius putatitium dissolui, quia per impotentiam perpetuam potest dissolui matrimonium. *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 58. art. 1.* Sed non statim præsumendum est prius matrimonium malè separatum fuisse, cùm ob disparitatem virorum illa arctitudo potuerit esse vera impotentia respectu prioris, nõ tamẽ respectu posterioris, quia viri contrahentes cum illa possũt esse dissimiles, scilicet prior senex, & debilis, vel defectum habens in virili membro, & posterior iuuenis, robustior, & sine defectu, & sic in priori erit impotentia perpetua, & in posteriori temporalis.

15. Similiter vir ingrediens Religionem ob dissolutionem matrimonij, si comprehenditur impotentiam nõ fuisse perpetuam, sed temporalem, si talis professus sit ante cõsummatum matrimonium, non debet redire ad vxorem, quia matrimonium ratum dissoluitur per professionem. *ita cap. ex publico de conuers. coniug.* Si verò post consummatum matrimonium vterq; coniux professus est, & postea compertus est error ille, scilicet non esse perpetuam, sed temporalem, separatio nulla, & matrimonium validum, quia consummatum matrimonium non dissoluitur per professionem. *ita in cap. supradicto.* Et si vnus coniugũ inijt secundas nuptias, & alter professionem emisit, tali errore cõperto post professionem, inualidæ sunt nuptiæ, & professio, quia adhuc perseuerat vinculum prioris matrimonij cõsummati. Et si matrimonium non erat consummatum, & coniux transit ad secundas nuptias ante professionem alterius, sunt inualidæ, nisi sit nouus consensus post professionẽ coniugis, quia matrimonium ratum non per ingressum Religionis, sed per professionem dissoluitur. Et si alter coniux remanens in sæculo, potuit post alterius coniugis professionem validè cum secundo matrimonium celebrare, quia ratum dissolutum fuit per professionem alterius.

16. Similiter qui ex præsumptione impotentiæ perpetuæ sacris est iniatus, dum experitur impotẽtiam fuisse temporalem, restituendus vxori pe-

petenti, quia matrimonium ratum dissoluitur per susceptionem sacrorum Ordinum, licèt per professionem dissoluatur. Vir tamen talis non potest repetere vxorem, si mulier virum non repetat, & repetitus non potest exigere debitum, quia quantùm in se est sollemnizauit votum, & sibi præiudicauit. Alij oppositum tenent, quia ex illa falsa existimatione solutionis vinculi coniugalis ad Ordines ascendit, votoque se adstrinxit. Tamē veriùs, & probabiliùs est, quòd diximus, quia ille error non fuit causa finalis susceptionis Ordinis, sed impulsiua: causa enim finalis est seruire Deo in illo sacro statu. Post verò consummatum matrimonium ex errore soluti, & professi in Religione, si mutua licentia non obtenta, aut altero ignorante, inualida erit vtriusque professio, quia coniux cōstante matrimonio, & consummato, dominium sui corporis non habet. Imò potest è Religione propria auctoritate exire, quia nullius roboris fuit votum Religionis. Et coniux, qui sine ipsius licentia professus est, potest repetere, quia habet dominium supra corpus sui coniugis. Et talis repetitus post obitum coniugis non tenetur redire ad Religionem, quia ex iure votum illud absque licentia fuit prorsus irritum. Quidquid dicant alij.

17. Verum votum Castitatis in professione inualida emissum, si ipse habuit intentionē obligandi se independēter à professionis valore, habet vim voti simplicis, & obligat coniugem in quantum se obligare potuit, scilicet vt abstineat à debiti exatione, & eo mortuo ab alio matrimonio ineundo, & ab alijs, quæ Castitati pręmissæ aduersantur, quia votum obligat iuxta intētionem vouentis. Si verò dependenter à Religione, semel reuocatus, ad nihil manet obligatus, quia in tali desideratur intētio obligādi se independēter à professionis valore. Et si non constat de eius intentione, an dependenter, vel independenter à professionis valore emiserit illud, ius presumit, quòd independenter à professionis valore voto castitatis se obstrinxerit, quia *ita cap. quidam, & cap. placet de conuentione coniugorum & cap. vnic. de sponsal. impub. in 6.* Ita dicimus, quòd si talis dubitat de sua intentione, an dependenter, vel an independenter à professionis valore emiserit illud, tunc etiam dicendum esse independenter, quia cùm non constet oppositus vouentis animus, standum est præsumptioni Ecclesiæ, *ita cap. quidam & cap. placet. de conuers.*

uers. coniug. Et talis irritus professus si non reuocetur à Religione, non obligatur ad sollēne, sed ad simplex votum Castitatis, quia talis si esset reuocatus, tenetur reddere, & non petere: signum est, quòd non reuocatus, remanet ligatus voto simplici. *ita cap. supradicto.*

18. Nota, quòd in hoc differunt votum Castitatis, & votum Religionis; nam votum Castitatis, licèt suapte natura obligat ad abstinendum ab illicito concubitu, & coniugali, & à matrimonio ineundi, tamē commodam diuisionem patitur, scilicet partim obligat quatenus emittens tale votum in sui præiudicium se obligare potuit, & partim non obligat quatenus vertit in prędiudicium coniugis. Ideò reuocatus à Religione potest reddere, sed nō petere debitum, & dissoluto matrimonio per mortem, obligat coniugem superstitem quò ad omnes effectus voti simplicis Castitatis. At votum Religionis est obligatio indiuidua, tendens ad vnicum vsum permanēdi ex tunc in perpetuum in Religione, ideò si tunc temporis hæc obligatio induci nō potuit, est omninò irrita, neq; quo ad tempora diuidi poterit, quia obligare se Religioni de præsenti non claudit temporū distinctionem, & si semel inualida tractu temporis non conualescit, scilicet nullum inducit ligamen solemnis voti, nec voti simplicis Religionis.

19. Vnde professio emissa absque licentia alterius coniugis non conualescit, si iste postea præstet consensum, quia tunc nullam obligandi vim obtinuit, nisi professus ille denuò eam ratificet. Et talis nō reuocatus in vita ab altero coniuge, potest hoc mortuo, vel etiam superstite, egredi à Religione, & secluso scandalo, propria auctoritate ab ea fugere; si post mortem coniugis sciens nullitatem professionis non ratificauit, quia nulliter professus, non manet aliquo Religionis voto astrictus. Imò coniux in sæculo relictus, altero absq; licentia illius professo, non potest ingredi Religionem, quia delictum professi nō est ex his, ob quæ licitum est diuortium.

20. Similiter si licentia fuit extorta per coniugem professum, metu graui cadentem in constantem virum, professio nulla, & ab altero coniuge potest repeti. *ita cap. accedens de conuers. coniug.* Et hic reuocatus non tenetur redire ad Religionem post mortem reuocātis, quia in vtroque casu votò Religionis nō tenetur. Verùm hic coniux reuocatus non potest petere debitum, quia votū Castitatis in illa irrita professione

ne obligauit illum in quantum potuit in sui præiudicium, & non alterius coniugis. Secus si coniux ille emitteret votum Castitatis in ea professione dependenter ab illa, & ex fine immediato permanendi in Religione, quia tunc licitè potest petere. Imò nedum repetitus potest licitè exire, sed propria auctoritate exiens non peccat, quia vbi obligatio non est transgressio, nullam culpam inducit. Etiam si non reuocetur, altero coniuge viuente, valet post eius obitum, exire, quia eius professio nulla fuit, nec habuit vim voti simplicis Religionis. Imò ineundo matrimonium post obitum primi coniugis validum esset id matrimonium, peccaret tamen contra simplex votum Castitatis, quod emisit in professione, quia votum Castitatis in illa irrita professione emissum, vim habet obligandi, vt votum simplex, & consequenter impedit matrimonium, & si contrahat tali voto obstrictus, peccat mortaliter, & à petitione debiti arceatur.

21. Item licentia ab altero coniuge dolo exorta, potest coniux remanens in sæculo reuocare professum, quia dum licentiam spontaneè non præstitit, non cedit iuri suo. *ita L. si per errorem ff. de iur. omn. iudic. & cap. veniens de conuersat. coniug.* Et professio emissa cum licentia ab altero coniuge dolo extorta est etiam nulla, quia talis licentia nulla; nulla & professio. Imò professus cum licentia dolo extortus, si non reuocetur in vita alterius, potest etiã, eo defuncto, exire, quia cùm ea professio fuerit irrita, tãtum habet vim voti simplicis Castitatis, arcens à debiti petitione, & ab alio matrimonio ineundo post mortem alterius. Et si de facto iniret matrimonium, licèt peccet, validum est; quia votum simplex Castitatis impedit matrimonium contrahẽdum, & non contractum.

22. Similiter si coniux relictus in seculo, nec consensum, nec dissensum præstitit, sed sciẽs alterius ingressum tacuit, & dissimulauit, integrum est ei professum reuocare, quia licẽtia requiritur, vt coniux iure suo reuocandi alterum priuetur, at dissimulatio non est talis licentia. Si coniux dissimulans, & tacens alterius ingressum, si in vita reuocet professum, talis professus remanet de obligatus à voto Religionis, quia illa professio post reuocationem vim habet simplicis voti Castitatis. Si verò toto vitæ suæ spatio coniux in sæculo relictus dissimulauit, cùm posset reclamare, rata efficitur professio, quia per illam dissimulationem, & silentium vsque ad

ad mortem videtur cōsentisse. Sed tamen non efficitur rata professio sola morte coniugis, nisi noua ratificatio accesserit, quia dissimulatio non est licētia, ideò nisi noua ratificatio accedat, non fiet valida.

23. Hinc est, quòd coniux professus absq; licentia alterius, translacto quocunq; tempore, si suam professionem non ratificauit, cessante scandalo, omissa reclamatione, nec deductis causis coram Ordinario, & superiore in foro conscientiæ, potest fugam arripere, nec tenetur redire ad monasterium, nec est Apostata, quia in foro conscientiæ non est vera professio, & nullo vinculo est astrictus Religioni. Dubius tamen, an professionem ratificauerit, non potest è Religione exire, quia in dubio pro Religione iudicandum est.

24. Et Prælatus Religionis veritate sibi constante non ratificatæ professionis licitè potest occultè hunc professum trāsacto iam quinquennio, de quo agit Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 19.* dimittere, quia Superiori constat non habere ius Religionis in talem professum, & dimittens illum, nulli irrogat iniuriam.

25. Et sic coniugatus sine licentia valida alterius coniugis professus durante coniugio non comprehenditur sub decreto Concil. Trid. vt supra, præscribente quinquennium ad reclamandum contra professionem, sed eo durante, datur semper locus reclamationi, quia stante illa inhabilitate, & durante coniugio, semper potest reclamare.

26. Nota, quòd impedimēta quædam sunt perpetuò reddentia inhabilem quemquam ad profitendum: & quædam, quæ inhabilitant, sed non perpetuò, nam amoueri possunt, aut cursu temporis, aut defectu ætatis, aut cessatione causæ extrinsecæ, vt metus, qui cessat cessante illum inferente.

27. Modò decretum Concil. Trid. vt supra non intelligitur de laborātibus impedimēto perpetuo, quia aliàs hoc cederet in graue Religionis detrimentum, si elapso quinquēnio laborātes impedimēto perpetuo non possunt reclamare, nec Religio posset illos eijcere. Neq; tale decretum intelligitur de laborantibus impedimēto temporali, si toto illo quinquennio post professionem permansit, cùm talis transacto quinquennio possit reclamare, & audiri debeat remedio ordinario, quia illud decretum fundatur in præsumptione ratificationis irritæ professionis, quæ per illud quinquennium induci præsumitur. Et si impedimentum durat toto quinquen-

quennio, & eo transacto cessat, hic potest reclamare post elapsum quinquennium. Tamen si post illud quinquenniũ elapsum non reclamat, non est concedendum aliud quinquennium post ablatum impedimentum, sed tempus arbitrio boni viri sufficiens datur, vt possit reclamare; & si tunc non reclamat, censetur saltem in foro conscientiæ suam professionem ratificare, quia alias tunc præsumitur professio tacita. Et si intra quinquennium signatum cessat impedimẽtum, & arbitrio boni viri sufficiens ad reclamandum, non est amplius indulgendum, sed sufficit quinquennium statutum, quia Concil. Trid. vt supra statuens quinquennium expressit professionem metu, & ante ætatem tactam; quia moraliter loquendo non potest statim cessare.

28. Dies verò, à qua numerandum est quinquennium, incipit in professione expressa à die ipsa professionis; in tacita verò à die, qua transacto nouitiatus anno inducitur professio tacita per delationẽ habitus. *ita in cap. vidua de Regul.* Et quando Concil. Trid. vt supra dicit dimittentem habitum intra quinquennium non est audiendum, sic limitandum est, scilicet nisi aliter fieri possit, quia Concil. temerariam dimissionem habitus intendit punire, sed non hos, qui remedio iure concesso vti possunt, id efficiũt. Etiam si is professus temerè dimittat habitum, illo resumpto audiri poterit, quia inhumanum est denegare perpetuò iustam causam reclamãdi, eo quòd temerè dimiserit habitum. Hæc autem reclamatio fieri debet coram Superiore, & Ordinario, idest coram Episcopo loci, in quo professus reperitur, & Vicario Generali eius, & Capituli Sede vacante, quia hos quoque Ordinarios esse, & vt sic ab omnibus censentur.

ARTICVLVS XIV.

An inter raptorem, & raptam possit esse matrimonium, dum manet in potestate raptoris?

1. R. Non, quia est defectus plenæ potestatis, dum non est in tuto loco posita, vt liberè, & voluntariè consentiat. Neque sponsalia, quia eadem vtriusque prohibitionis reperitur causa: *ita Concil. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6.*

2. Nota, quòd tunc committitur raptus puellæ, siue ea sit soluta, siue coniugata, aut vidua, quando ea de loco ad locum causa libidinis exercendæ,

dæ, vel matrimonij contrahendi per vim iniustam abducitur.

3. Duplex est species raptus. Prima, si vis iniusta arceatur in ipsam puellam, quæ inuita & repugnans abducitur. Secũda, si talis vis committatur erga parentes, & tutores, siue inscios, siue scientes, & contradicentes, quamuis ipsa raptum consentiat. *ita cap. raptoribus 36. q. 1.* Et licet iniuria illis inferatur, non tamen propriè est vis; quare non dicitur verè raptus, quia raptus, sicut & rapina violentiam continet.

4. Raptores, & omnes illis consilium, auxilium, & fauorem prębentes sunt excommunicati, sed non excommunicatione reseruata iure cõmuni, cùm in Concil. Trid. *cap. supradicto* non fiat mentio huius reseruationis. Item pœna, si eam non duxerit, dotandi decenter raptam, & hoc post sententiam Iudicis. Item pœna depositionis Clerici de proprio gradu, & hoc non incurritur ipso facto ante sentẽtiam Iudicis, cùm requirat aliquam actionem ad sui exequutionẽ. Item pœna infamiæ, & incapacitatis dignitatum ipso facto ante sententiam Iudicis incurritur, cùm ista pœna non requirat aliquam actionẽ ad sui exequutionem. Quamuis alij teneant eam non obligare, nisi post sententiam Iudicis.

5. Verùm non est locus his pœnis, si puella consentiens, ignorantibus tamen parentibus, abducatur, quia tunc nõ est propriè raptus. Sed incurritur, si parẽtibus scientibus, contradicentibus, & inuitis fœmina volens extrahatur, quia tunc esset verè raptus. Quamuis alij probabiliter partem negatiuam teneant, quia Concil. Trid. intendit libertati matrimonij fauere, ad quam sufficit voluntas fœminæ.

6. Similiter in eo decreto cõprehẽduntur raptores causa contrahendi, & non eos, qui ad exercendam libidinem vi abducunt fœminas de loco ad locum, quia Concilij verba sunt de matrimonio contrahẽdo inter raptorem, & raptam. Neque est locus in eo, si fœmina virum rapiat nolentem, vt secum ineat matrimonium, quia de solo viro raptore verba facit. Oppositum alij tenent, quia fortè fœmina robusta potest rapere virum meticulosũ.

ARTICVLVS XV.

Quænam ætas requiratur ad validitatem matrimonij?

1. R. Quòd in masculo annus decimusquartus completus; in fœmina verò duodecimus, quia *ita in cap. continebatur, & cap. attestationes, & cap.*

& cap. vlt. de despensat. impuberum, & cap. puberes eodem. Et sic ante hunc annum completum sunt inhabiles ad contrahendum, quia præsumuntur inhabiles ad copulam. Censentur tamen moraliter completi, si duo, vel tres dies deficiāt, quia in fauorem matrimonij sufficit, quòd illa ætas sic sit moraliter completa.

2. Verùm quando malitia supplet ætatem, idest adest potentia generandi, & sufficiens discretio ad se obligandum, validè cōtrahunt matrimoniū ante dictam ætatem, non solùm iure naturæ, sed etiam Ecclesiastico, quia quando hæc antea adesse constat, cedet præsumptio veritati. *ita cap. de illis el. 2. & cap. puberes, & cap. final. de desponsat. impub.* Sed, si hæc dubitatur, præsumendum est non supplere; quia sub dubio non potest matrimonium celebrari; præsumitur enim carere potentia. *ita cap. puberes de desponsat. impub.* At habilis ætate, quamuis inhabilis sit ad coitum, nec apparet de perpetuo impedimento, validè contrahit; quia ius in ea ętate cōpleta præsumit esse potētiam necessariā ad matrimonij valorem. Si verò post legitimam ætatem cōpletam matrimonium contrahant, & ad eius vsum ob naturæ imbecillitatem inhabiles reperiantur, tunc plenæ pubertatis ætas expectanda est, quæ à iure in masculo censetur anno decimooctauo, & in fœmina decimoquarto, & eo tempore conceditur spatium triennij ad experiendum, vtrum sit impotentia perpetua, necne? quia tunc cessat præsumptio fragilitatis ætatis, & incipit dubiū de impedimēto perpetuo, ideò debet numerari triēnium iure præscriptum. *ita L. adrogato ff. de adoptionibus & L. Mela ff. de alimen. legat.*

3. Tandem probatur malitiam supplere ætatem, idest adesse potētiam generādi ante pubertatem, si fœmina impubes ab alio fuerit cognita, vel puer impubes aliam fœminam cognouerit. Item Iudex dijudicare potest malitiam supplere ætatem inspecta qualitate personæ, membrorum dispositione, ac valitudine bona, si puer aptus sit ad seminis effusionem, præsumitur quoque aptus ad matrimonium.

ARTICVLVS XVI.

An Papa possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium iure humano?

1. R. Sic, quia supremam habet in terris potestatem in lege sua, & inferiorum sibi subditorum dispensare. Secus iure naturali, quia in

in iure non cõstat hanc facultatem Papæ concessam esse. *ita cap. litteras 8. sanè in fine de restit. spoliatorum.*

2. Nota, quòd vndecim sunt impedimenta impedientia matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum. Primum est interdictum Ecclesiasticum, scilicet ob iustam causã, vt de obiecti impedimenti veritate cognoscatur, quia *ita cap. pen. de sponsa duorum.* Secundum est votum Castitatis, aut Riligionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi, quia cum tali voto illicitè, licèt validè cõtrahitur matrimonium. Tertium est sponsalium, quia spõsalia legitimè contracta, nisi iustè dissoluantur, impediunt contractum cum alia. Quartum est Catechismus, idest instructio fidei, quæ fit ante ianuam Ecclesię super baptizando, dum patrinus respondet Sacerdoti interroganti pro persona baptizanda, quia impedit, sed non dirimit, idest non licitè contrahendum, sed contractum valet. *ita in cap. de cognat. spiritual. in 6.* Quintum est incestus cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhuc viuẽtis intra secundum gradum, post Concilii Trid. *sess. 24. cap. 4. de reform. matrim.* Non autem demortuæ, quia Ecclesia hoc impedimentum introduxit in pœnam criminis. Quamuis alij teneant demortuam impedire. Sed incestus cum proprijs consanguineis non impedit, quia licèt sit in se grauior, tamen non ita offendit matrimonium, cum non impediat vsum illius. Sextum est vxoricidiam, quia est frequens, *ita cap. admonere 33. q. 2.* Secus viricidium, quia cum rarò, nullus textus statuit hoc. Septimũ est raptus alienæ sponsæ, siue sit de futuro, siue de præsenti, quia talis non potest contrahere cum rapta, neque cum alia. Octauum est susceptio proprij filij, vel filij alterius coniugis in Baptismo, vel in Confirmatione, aut illum malo animo, vt contrahat cognationẽ cum altero coniuge, ne debitum reddat, quia hic contrahit impedimentum impediens matrimonium, & sic mortuo priori coniuge, non potest licitè cum alio vnire. Nonum est Presbytericidium. *ita cap. qui Presbyterum de pœnitentijs, & remissionibus.* Sed hic debet esse de crimine in iudicio conuictus. Decimus est solemnis pœnitentia, *ita cap. de ijs, 33. q. 2.* Sed quãdiu pœnitentia illa durat, quia deducerent nuptias tempore luctus. Vndecimum est contractus coniugij cum sãctimoniali scienter, *ita cap. hi ergò 27. quæst. 1.* quia delinquens in matrimonium spõsæ Christi indi-

indignus est matrimonio, sed si cotrahat, factum tenet.

3. Verùm exceptis tribus primis, nullius culpæ sunt rei, qui affecti aliquo ex alijs imimpedimentis impedientibus absque dispẽsatione matrimonium ineunt, quia consuetudo in contrarium inualuit.

4. Vnde Episcopus potest dispensare in impedimentis nõ dirimẽtibus, excepto voto Castitatis, & Religionis, quia licèt in lege Superioris non possit, tamen consuetudinis vsu receptum est. Item potest dispẽsare in matrimonio iam contracto cum impedimento dirimente occulto, vt iterum celebrari possit, tamen cum circũstantijs, scilicet vt matrimoniũ sit publicum in facie Ecclesiæ celebratum: impedimentum autem dirimens occultum, vt sit scandalum in separatione, nec facilis pateat aditus ad Papam, inopia, vel alia iusta causa impediente, quia quamuis regulariter non possit, tamen potest in casu vrgentis necessitatis. Sed in hoc desideratur bona fides in contrahentibus, quia mens legislatoris non prohibet Episcopum non posse dispẽsare, sed quãdo est mala fide contractum, cum mens Papæ nequeat iniquitati fauere. Contrahere autem mala fide, non est satis cognitio speculatiua, scilicet scire illam esse suam consanguineã, cum qua vult contrahere, nisi adsit cognitio, & scientia practica, quia scit, inde oriri impedimentum dirimens matrimoniũ contrahendũ, quia nisi cognitio speculatiua coniungatur cum scientia, & cognitione practica, non constituit malam fidem; Neque excluditur hæc bona fides, quamuis procedat ex ignorantia culpabili, quia non dicitur verè quis scienter aliquid facere, quando ex ignorantia crassa, & vincibili facit. Imò Episcopus potest dispensare in casu necessitatis, etiam si alter solus ex contrahẽtibus ineat matrimonium bona fide, alter verò mala, quia aliàs puniretur innocens, contrahens bona fide ob delictum alterius. Et etiam si contrahentes essent diuites, tamen est vrgens necessitas, scilicet longa distantia Romæ, & tamdiu expectare incontinentiæ periculum, quia si potest cum paupere ratione inopiæ, etiam & cum diuite in vrgente hac necessitate. Similiter potest, si impedimentum esset ex parte fœminę, quę non potest impedimentum detegere absque famæ, & vitæ periculo, neque absque scandalo reparari, quia in tali casu est vrgens, & maxima necessitas dispensandi, cum non sit commodus recursus ad Põtifi-

DISQVISITIO LV.

De Recto Regimine, & Custodia Monialium.

ARTICVLVS I.

An sit vniuersaliter interdictus tàm viris, quam fœminis accessus ad Monasteria Monialium?

1. R. Sic iure communi; quia ad perfectam Monialium clausuram non parum conducit non ingredi, nec accedere ad ipsarum Monasteria. *ità cap. Periculoso de statu Regularium in 6.*

2. Et licèt in dicto cap. non imponatur pœna, tamen contra Laicos sine rationabili causa frequentantes, excommunicatio comminatoria ab Ordinario loci ferri debet. Et si post monitionem nolint ab accessu desistere, tamquàm excommunicati declarentur. *ità cap. Monasteria de vita, & honest. Cleric.* Contra Clericos verò post monitionem frequentantes, ferenda est pœna suspensionis. *ità cap. loco citato.* Imò posse excommunicari, & deponi. *ità cap. Vt Clericorum de vita, & honest. Cleric.* Nomine Clericorum non comprahenduntur Religiosi, nec Clerici in aliqua dignitate constituti, nec Canonici Ecclesiæ Cathedralis; quia in omnibus his peculiaris qualitas, in clericis cōmunibus non existens reperitur.

3. Per frequentiam adeundi Monasteria, binum aditum esse frequentiam; quia in criminibus duabus vicibus inducitur frequentia. *ità Gloss. in cap. ità nos.* Tùm quia remissionis criminis bìs imputatur consuetudini. *ità cap. Episcopali audientia.* Alij arbitrantur esse frefrequentiam, si ter quis tribus diebus continuis alloqueretur, & frequentaret Monasteria Monialium. Alij semel singulis mensibus. Alij quater in eadem hebdomada, aut semel singulis hebdomadis. Secùs si quater in anno, semel singulis tribus mensibus. Sed in hac re frequentia quandò dicatur, prudentis arbitrio relinquendum est.

4. Nomine autem Monasteriorum intelligi tam ipsas

Moniales, quam etiam ipsamet Monasteria materialiter; quia in ipsorum quoq; frequentia & accessu periculũ est. Sed verius dicendum nomine Monasteriorum intelligi ipsas Moniales, causa loquẽdi vel aspectus actiui, vel passiui. *itá Cap. Periculoso de statu Regular. in 6.* Ideo nõ interdicitur frequentia, nec accessus ad Monasteria causa audiendi sacra, vel alia licita, nec causa intuendi exteriorem Monasterij pompam; quia nomine Monasterij accipitur contentũ pro cõtinente; *& itá est benigna mens Pontificum.*

5. Religiosi accedentes ad Monasteria Monialium, siuè domus quarumcunq; Monialium, vel sororum siue sui, siuè alterius cuiuscunque Ordinis ad colloquendum, seù tractandum cum eis absq; licentia sacræ Congregationis Regulariũ sub pœna priuationis officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda. *ita in Decreto Sacræ Congreg. Regular. iussu Sixti V. edito* 1590. Modò concessum est Episcopis, vt licentiam dare valeant Religiosis alloquendi Moniales, quę sibi in primo, & secundo gradu tantùm consanguinitatis sunt cõiunctæ; seruatis certis regulis, & cõditionibus in Decreto Sacræ Congregationis notatis. *ita Vrbanus VIII. in Decreto edito* 1623. Imò vltra pœnas supradictas peccant mortaliter; quia lex pœnalis grauem pœnam imponens, obligat sub mortali. *ita Decretum Sacræ Congregationis editum* 1606.

6. De mandato tamèn sui superioris, Regulares possunt accedere ad prædicandum verbum Dei, vel celebrandas missas in ipsarum Monialium sibi subditarum, seù sororum Ecclesijs. Prohibetur verò, nè dicti Religiosi isto, vel vllo quæsito colore Moniales, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint sub eisdem pœnis. *itá Sixtus V. in supradicto Decreto.* Verùm probabiliùs est ad præfatas pœnas incurrendas exigi sententiam iudicis condemnatoriam, seù declaratoriam commissi criminis; quia pœna, qua quis priuatur re sua possessa, non debetur ante sententiam.

7. Rursùs Religiosi non exempti accedentes ad Monasteria Monialium sine licentia Episcopi afficiuntur cẽsuris ab Episcopo impositis, vltrà pœnas à Sacra Congregatione supracitatas; quia iure communi subditi sunt iurisdictioni, & potestati Episcopi. Religiosi verò exẽpti non afficiuntur; quia excommunicatio fertur in subditos. Tamèn Religiosos hoc tempore alloquẽtes Moniales absq; licentia, etiam si alloquãtur

tur

tur in Monasterio Regularibus subiecto, puniri posse ab Episcopo, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, si deliquerint circa personas intra secta Monasterij degentes, aut circa clausuram. *ita in Constitut. Gregorij XV. & sacra Congregatio censuit, & etiam Vrbanus VIII. anno 1634. approbauit.*

8. Rursùs non est interdictum vniuersalitèr iure communi, litteras ad Moniales scribere, aut mittere. Verùm in aliquibus Diœcesibus iure speciali vetitum est. Et etiam Gregorius XIII. præcepit quibusdã Regularibus sub excommunicatione latæ sententiæ, nè scriberent Monialibus sui Ordinis. Neq; pœnas impositas contra scribentes Monialibus litteras incurri, nisi litteras ad illas perueniant, quia hæc videtur mẽs, & intentio superioris scribere prohibentis; parum enim refert characteres componere, & litteras scribere, nisi perueniant. Neq; scribens Monialibus litteras, quæ ad ipsas non peruenerunt, pœnis afficiatur impositis contra scribentes. Si aliquis Monialibus ore detulerit, quæ in litteris continebantur; quia hoc non est verè peruenire litteras, sed quoddam illarum nuncium.

9. Rursus Religiosus, qui obtenta à suo Superiore licentia accedendi ad Monasterium Monialium causa concionis, aut celebrationis, si pauca verba loquitur cum Moniali, aut si facultatem habet loquendi cũ vna, eadẽ occasione, quasi per accidens, vrbanitatis causa, cõpendiosis verbis aliam alloquitur, non incidit in pœnas supra citatas; quia in isto casu ex materiæ leuitate excusaretur à culpa lethali. Tamen Religiosus sine licentia sacræ Congregationis, vel Ordinarij loci, vnico accessu accedit ad Monasteria Monialium, grauiter peccaret, & pęnas incurreret, quia Decretum supradictum Sixti V. est contra accedentes, non verò solũ contra frequentãtes.

10. Tandem semel, vel bis ad cœnobia Monialium accedere non est Clericis, vel Laicis culpa lethalis; quia ex materię leuitate excusat illos à culpa lethali. Sed sine iusta causa, & legitima licentia frequentare illa, est illis culpa lethalis; quia non fit absq; scandalo, & rarissimè deficit finis aliquis malus. Verùm seclusis circumstantijs extrinsecis scandali aut mali finis, non est eis culpa lethalis; quia contra tales debet præcedere monitio, aliàs pœnas non afficere. *ita cap. Monasteria. de vita, & honest. Cleric.* Post monitionem verò Episcopi, peccarent mortaliter; quia sic prædictum caput statuit. Tacita tamen

tamèn licentia superioris sufficit, vt quando Prælatus videt, & potens contradicere, tacet, excusantur isti à culpa lethali, seclusis extrinsecis circumstãtijs scandali, aut mali finis; quia taciturnitas Prçlati potentis cõtradicere videtur sufficiẽs præstiti consensus.

ARTICVLVS II.

An omnes ingredientes claustra Monialium sine iusta causa, & sine superioris licentia, non tamen ad malum finem; pœnam excommunicationis incurrant?

1. ℞. Sic, quia *ita Concil. Trid. sess. 25, cap. 5. de Regularibus*. Quæ pœna à suo Parocho, vel simplici Confessore potest absolui; quia dùm conditor legis non reseruauit, intelligitur alteri potẽti à mortalibus absoluere, posse etiam à quacunque excommunicatione maiori nulli reseruata, non quidem authoritate propria, sed ex commissione, quæ intelligitur facta per Papam, eo ipso, quòd sibi, vel alteri absolutionem non reseruat.

2. Verùm violatio clausuræ Monialium ad malum finem, est casus Papæ reseruatus; quia *ita praxis sacræ Pœnitentiariæ, ex Decreto sacræ Congregationis ex iussu Clementis VIII. edito 1602.* Quando talis violatio est omninò occulta, potest Episcopus absoluere suos subditos; quia vi Concil. Trid. *sess. 23. cap. 6. de Reform.* habet hanc facultatem indefinitam absoluendi subditos ab omnibus cẽsuris occultis Sedi Apostolicæ reseruatis.

3. Rursus omnes mulieres cuiuscunque gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis ingredientes claustra Monachorũ, seù Religiosorum Regularium virtute indulti Apostolicarum facultatum, & licentiarum, etiã si non ad malum finem, incidũt in excommunicationem Papæ reseruatam; quia Pius V. *in sua Extrauag.* has licentias reuocauit. Prælati verò, Abbates, superiores vtriusq; sexus Ordinis Mendicantium, & non Mendicantium introducentes, ingredi facientes, vel permittentes prætextu prædictarum facultatum à diuinis sunt suspensi, & officijs, quæ in præsentia obtinent, ipso iure priuantur, & inhabiles in posterum ad illa, & omnia alia obtinenda. *ita Pius V. in Constit. citata.* Imò tales incidunt in excommunicationẽ Papæ reseruatam. *ita Gregorius XIII. in sua Extrauag.*

4. Nomine Officiorum intelliguntur omnia officia, quæ Superiorum propria sunt, & superioritatem quandam continent, vt est Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, officium Visitatoris, Commissarij Generalis,

ralis, Vicarij Monachorum, seu Monialium, &c. Non autē officia Concionatoris, Confessoris, Lectoris, Bacchalauriatus, & Magisterij, quia tantùm illa, quæ superioritatē sibi coniunctam habent, sunt subiecta.

5. Et quamuis probabile sit ingredientes Monasteria Monialium, siuè viri, siuè fœminæ sint. Et mulieres ingredientes clausuram Religiosorum, non tamen prætextu huiusmodi facultatum non incidere in istas excommunicationes Papæ reseruatas à Pio V. & Gregorio VIII. editas; quia in materia pœnali non est facienda extensio, vltra propriam verborum significationem; cùm ad abolendum huiusmodi facultatum vsum editæ sint. Tamen probabilius est, & tutius hanc censuram afficere, & ligare non solùm ingredientes, introducentes, vel permittentes viros in claustra, & facultatum ante concessarum, sed etiam in eos, vel eas, quos, vel quas, siuè propria authoritate, siuè quocunq; alio prætextu huiusmodi inordinatum ingressum, etiam non ad malum finem; ita Pius V. & Gregorius XIII. declarant suā mentem, *& ita seruatur in stylo, & praxi Sacræ Pœnitentiariæ*. Imò etiam ligantur hac excommunicatione, & pœnis non solùm superiores Monialium, & Religiosorum, sed etiam inferiores Religiosi, & Moniales subditæ contrafacientes; quia in textu non solùm sunt expressi Superiores, verum etiam aliæ personæ quouis nomine vocētur. *ita Gregorius XIII. in motu proprio*.

6. Verùm fœminæ ingredientes Monasteria Religiosorum Regularium bona fide absque vllo licentiarum prætextu, vel ob ignorantiam crassam, & supinam excusantur à præfata excommunicatione; quia quoties textus vtitur verbis, *Præsumant, vel Audeant*, excusat bonus finis, & ignorantia crassa, nisi adeò crassa esset, vt meritò diceretur ingens temeritas. Sed non excusantur per ignorantiam crassam & supinam Superiores Monasteriorum, & Conuentuum à pœnis contrafacientes, scilicet, ingredi inuitantes, aut permittentes, nisi alias esset ignorantia probabilis, & inuincibilis; quia ex officio debent scire.

7. Rursus nomine Monasterij virorum intelligitur, & comprehenduntur omnia cōtenta intra septa Monasterij, quæ vna clausura clauduntur. Nō autem domus, prædia, horti, & alia loca Religiosorum, quæ intra clausuram non sunt; quia ibi nō viuunt forma Collegij & Conuentus. Sed horti, qui recreationi Monialium, vel Religiosorum manendo intra clau-

clausuram deseruiunt, nomine Monasterij comprehendũtur; quia *ita declarauit Gregorius XIII. in suo motu proprio*. Chorus in Ecclesia nõ est obnoxius clausuræ; quia est pars Ecclesiæ, nec intra septa Monasterij continetur. Item Sacristia, ad quam non patet aditus, nisi per clausuram Monasterij, subijcitur clausuræ. Secùs si ianua tãtùm in Ecclesia existit. Sed si Sacristia duas portas habeat, vnam in Ecclesia, alteram in Claustro Religiosorũ, probabiliùs est nomine clausuræ Monasterij comprehendi; quia cùm non sit pars Ecclesiæ, & tamèn vergat ad Monasteriũ, censetur pars Monasterij, ad quod vergit. Itèm infirmariæ in Ciuitate constitutæ ad Religiosos, tamquàm Hospites recipiendos, vel vt in eis ad valetudinem pristinam restituantur, nomine Monasterij non comprehenduntur; quia nec Conuentum, nec Ecclesiam habent. Nec Monasteria Religiosorum, seù loca, quæ sunt in fieri, vel dum fabricantur; quia adhùc Conuentus ad ibi morandum non est introductus. *ita declarauit Sacra Congregatio Concil. Trid. anno* 1584.

8. Nota, quòd facere ingredi, seù introducere ille dicitur iuxta communẽ loquendi vsũ, qui sua actione positiua in causa est, cur alter ingrediatur, vt si alicui ianuam aperiat, aut iubeat, aut consulat ingredi. Permittere verò ingredi est ingredientem nõ impedire; dùm commodè potest impedire. Admittere directè est inuitare ad ingressum, vel aliquo positiuo modo facere illam personam ingredi, quia tunc directè admitteret ad ingressum. Admittere indirectè est posse non admittere, & teneri non admittere, & tamen admittit; quia ad hoc sufficit; quòd concurrat quasi quædam negatiua actio. Verùm ex officio tenẽtur impedire Prælati, & Prælatæ Monasteriorũ, & hæ Moniales, vel Religiosi, qui ianuæ custodiendæ pręficiuntur.

9. Rursus priuatæ Moniales, & priuati Religiosi permittentes ingredi in sua Monasteria personas prohibitas, ad quas, vel ad quos ex officio non pertinet impedire, vel admittere huiusmodi ingressum, & si possunt, & non obstant, vel non resistant illis, non incurrũt talem excommunicationem; quia nec directè, nec indirectè cooperantur ad illam. Secùs si inuitent, vel aliquo modo faciant ingredi; quia iàm directè tunc admittit. Sed Moniales priuatæ, & Religiosi priuati, quibus ex officio non incumbit mandantes, & consulentes, vt personam prohibitam ingredi permittat, non afficiuntur

poena

pœna excommunicationis Papæ reseruata; quia tales tunc iuxta cōmunem loquendi modum non dicuntur admittere, sed remotè cooperari ingressui, nam regula generalis est quòd censuræ latæ in faciētes; non ligāt mandantes, vel consulentes, nisi exprimantur, & in motu proprio Gregorij XIII. nulla de illis fit mentio. Sed benè incurrūt Superiores Monasteriorum, & Conuentuum, & illæ priuatæ personæ, quibus ex officio tenentur impedire, si mandent, aut consulent inordinatum ingressum; quia directè cooperantur ad illum.

10. Similiter Moniales priuatæ, & Religiosi priuati alloquentes, & comitantes iam ingressam personam, si sua loquutione, vel comitatu, in causa nō sint, vt ingressus diutiùs immoretur, non incidunt in pœnas; quia non cooperantur ingressui in fieri, nec in facto esse. Sed benè incidunt in pœnas, si sua loquutione, & comitatu diutiùs in illo immorentur; quia non solùm is dicitur admittere, qui introducit, seu cooperatur ingressum in fieri, sed etiā qui cooperatur ingressui in facto esse. Quamuis probabile sit, per hoc non incurrere pœnas, nisi colloquio illo, aut comitatu cooperentur ad eum ingressum; quia vt hi incurrant, exigitur aliqua positiua cooperatio respectu ingressus in Monasterium. Imò Superiores, & quibus ex officio incumbit, incurrunt pœnas præfatas, si eas nō expellunt, cùm commodè possint; quia aliàs videntur illas admittere, cùm ex officio ad id sint obligati: etiam totus Cōuentus incurrit pœnas has, si consentit. Nomine autem Conuentus intelliguntur Religiosi congregati in vnum capitulum, qui consensum ingressui præstiterunt, aut non contradixerunt, dùm commodè poterant; quia ex officio omnibus sic congregatis conuenit.

11. Rursus ab hac excommunicatione incursa, præcipuè si factum sit occultum, Superiores Regulares, scilicèt, Generales, Prouinciales, & Priores locales communicantes in Priuilegijs concessis, & concedendis Mendicantibus, & nō Mēdicantibus per seipsos possunt absoluere suos subditos; quia possunt Episcopi vi Concil. Trid. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* ac & Superiores tales Regularium, cum Pius V. concessit hoc Superioribus Ordinis Prædicatorum. Imò etiam possunt dispensare suos subditos in priuatione officiorum, & inhabilitatis ad illa, & ad alia contracta ob factum occultū; quia hoc habent Superiores

Regularium ex cōmunicatione Priuilegiorum, maximè quia hæ pœnæ sunt contra ingredientes, & non contra admittentes, vt videre est in Concil. Trid. *loco citato cap.* 5. Cùm hoc tamèn, quòd Superiores Ordinum Mendicantium hāc facultatem delegare nequeūt; quia ex Priuilegio Pij V. constat, quòd per se ipsos possint.

12. Similiter suspensio à diuinis, quam statuit Pius V. cōtra Religiosos introducētes, & admittentes fœminas in sua Monasteria, non est Papæ reseruata; quia patet legenti prædictum motum propriū. Ideò Episcopus potest absoluere ab hac suspēsione Religiosos nō exemptos. Imò potest Confessor approbatus vi Bullę Cruciatæ, vel Iubilæi; quia dùm habent potestatem absoluendi ab omnibus censuris, & suspēsio à diuinis est censura, *cap. Quærenti de verb. significatione.* Ità etiam Superiores Mendicantiū suos subditos, etiam si factum deductum sit ad forum cōtentiosum; quia Priuilegia Mendicantium in hoc sunt sine restrictione, quin etiā, & quilibet Cōfessor expositus vi Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi in foro conscientiæ, cum absolutio talis non prosit pro foro exteriori; quia cum tales facultates sint sine restrictione, à nobis limitandæ non sunt.

13. Rursus ingrediētes Monasteria Monialium cum licētia verbis solùm obtenta, grauitèr peccant, & excommunicatione Concil. Trid. afficiuntur; quia licèt scriptura non sit de essentia legis, & Priuilegij in genere loquendo, tamen scriptura est de essentia, quādo Superior scripturam requirit. Secus in casibus repentinis, in quibus periculum est in mora, imò in consimilibus licentia oretenùs nec opus esset; quia mens textus est, vbi necessitas non cogit ad vtrum omittendum. Et si quis habeat licentiam in scriptis, non tamèn fuit ex iusta causa concessa, idest, in casibus necessarijs; quia Cōcil. Trid. *sess.* 25. citatum dicit innouare Decretum cap. *Periculoso*, vbi adhunc ingressum rationabilis, & manifesta causa desideratur.

14. Similiter Superior absēs sua potestate concedit licentiā extra casum necessitatis, isque abusus ingredientem non latuit, incidit in excommunicationem ingrediens; quia Verbum *licentia*, non liberam voluntatem, sed prudentiæ arbitrio consonam importat. Et si tempore concessionis licentiæ adfuit causa iusta, & tempore ingressus cessaret, ingrediens incurrit; quia sicuti cessante omninò causa dispensationis, cessat dispensatio, ità simi-

similiter. Et si tempore concessionis nulla erat causa, & tempore ingressus aderat, adhùc incurrit; quia causa legitima superueniens, non efficit eam valere, cùm per eam concessa non sit.

15. Tandèm Prælati sæculares, etiam si Cardinalatu, & quacunque alia dignitate præditi sint, ingredientes in cœnobia sibi subiecta extra casus necessitatis: pro prima vice, qua contrafecerint, sunt ipso facto ingressu Ecclesiæ interdicti: pro secunda vice, munere Pontificali, & à diuinis sunt suspēsi, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicati existāt; *ita Gregorius XIII. in suo motu proprio*, Prælati verò Regulares ingredientes prçter casus necessitatis in Monasteria Monialium sibi subiecta, omni officio, ac ministerio sūt priuati, & subiacent similitèr excommunicationi; *ita idem Gregorius XIII. in motu proprio citato*. Et ipsi incurrunt quacunque vice ingrediuntur, siuè prima, siuè secunda, siuè tertia, in qualcunque pœnas; quia Papa non meminit primi, & secundi ingressus Prælatorū Regularium, sicut fecerat de Episcopis, sed absolutè imponit Prælatis Regularium. Et licèt hæ censuræ, & pœnæ non reseruentur ab eodem, tamen suspensio à diuinis, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ imposita, ipso facto contrahuntur ante omnem iudicis sententiā; quia iuxta communem vsum sic afficiunt. Pœna verò priuatiua Officiorum, ac ministeriorum iàm obtentorum, ante omnem iudicis sententiam, saltèm criminis declaratoriam non incurritur; quia cùm sit pœna egens ad sui exequutionem aliqua hominis actione, exigit aliquā iudicis sentētiam. De quibus cēsuris possūt Episcopi, Superiores Mendicantiū, ac, & Confessores approbati vi Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi absoluere; quia non sunt reseruatæ. Verum Prælati, tàm sæculares, quā Regulares ingrediētes Monasteria Monialium sibi subdita in casibus necessitatis debēt comitari cum paucis, ijsq; senioribus, & Religiosis personis; *ita Gregòrius XIII. in motu proprio*. Contrafacientes non afficiuntur pœnis in motu proprio constitutis; quia pœnæ illæ extenduntur solum ad ingrediendum in casibus non necessarijs.

†



ARTICVLVS III.

Quis possit facultatem ingrediendi Monasteria Monialium concedere in casibus necessitatis?

1. ℟. Qui præest authoritate Ordinaria; quia Concil. Trid. *sess. 25. de Reformat. cap. 5. confirmat cap. Periculoso de statu Regular. in 6.* ita statuens.

2. Vnde Episcopus loci suis sibi subditis authoritate ordinaria, & immediatè subiectis Sedi Apostolicæ delegata concedere potest. Et quæ Regularibus subiecta sunt, Generali, Prouinciali, vel alio immediato Conuentus, seu Monasterij Prælato; quia *ità colligitur ex cap. Periculoso supra citato.* Itèm Vicarius Generalis Episcopi respectu Monasteriorum Episcopo subiectorum; quia hic vnam, & eandem iurisdictionē habet cum Episcopo. Itèm Vicarij Generales Capituli Sede Vacante; quia hos nomine ordinarij comprehendi vsu receptum est. Etiam subiectis immediatè Sedi Apostolicæ, nè absq; Prælato, ad quem confugiant in casibus necessitatis; *ità in cap. Periculoso, & est mens Cōcil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 9.* Non autem Vicarij Generales Episcopi; quia commissa sunt Episcopo non authoritate ordinaria, sed delegata.

3. Rursus Prælatus Conuētualis potest concedere hanc licentiam, nisi à Superioribus immediatis, vel constitutionibus ablata sit; quia textus Cōcil. Trid. & cap. *Periculoso* absolutè, & generalitèr dicunt ad Superiorem pertinere. Imò si authoritate Pōtificia alicui soli peculiari Prælato conuentuali aliquod Monasterium esset subiectum, non potest Generalis, aut Prouincialis talem licentiā concedere, sed ad illum peculiarem Prælatum pertineret: quamuis Generalis, & Prouincialis in actu Visitationis inquirere potest, an Prælatus ille iustè vsus fuerit hac facultate, quia in hoc nullam in Monasterium illud iurisdictionem exercet.

4. Verùm Abbatissæ, vel Priorissæ non possunt eam ingrediendi licentiam cōcedere, cùm Concil. Trid. *sess. 25. citat.* vtitur dictione exclusiua. Tamèn Superiores dare possunt licentiam generalem eis, & Confessarijs, vt in casibus necessarijs huius ingressus impartiantur; quia cum Moniales aliorum operum sæpissimè indigeant, nec facilis ad Superiores pateat aditus, iure optimo debet concedi, si ità expedire iudicauerint.

5. Tandèm Superiores quibus

bus incumbit ad hunc ingressum licentiam concedere, possunt absq; alicuius licentia ingredi in Monasteria in casibus necessitatis, in quibus iustè alijs eam licentiam concedere valeant; quia hos habere ex officio facultatem vtendi licentia, quam possunt alijs concedere; *ita Gregorius XIII. in motu proprio edito* 1581. Imò hac facultate vti possunt, qui delegatam huius licentiæ cõcedendæ potestatem habent, nõ limitatam in specie ad certas personas; quia his quoq; fas est, secum dispensare eodem modo, quo cum alijs possunt. Sed si limitata est licentia, non ad certas personas, sed ad officium, scilicèt, Confessoris, vel alterius, potest ea Confessor vti; quia non est peioris conditionis, quàm cæteri. Secùs si licentia est limitata ad peculiares Confessores, scilicèt, ordinarios Monialium, & ipse nõ esset de illis.

ARTICVLVS IV.

An sit iusta causa ingressus in Monasteria Confessoris excipere Confessionem Monialis grauitèr morbi pressa?

1. R. Sic; quia iusta, & rationabilis causa est. Imò potest dum Confessionem absque ingressu commodè excipere non potest. Et non solùm dùm Monialis ex præcepto confiteri tenetur, verùm etiam dum id facit ex præscripto Regulæ, vel ex peculiari deuotione, vel consolatione; quia ex frequenti Sacramentorum vsu magna vtilitas percipitur, quæ cum morali necessitate confertur.

2. Similiter etiam causa administrandorum Sacramentorum non solùm quando morbi periculum ad confessionem obligat, sed etiam ipso morbi initio; quia sæpè contingit infirmum inopinato phrenesi arrepi, incapacemq; horum Sacramentorum reddi. *ita cap. cũ infirmitas. de Pœnit. & Remiss. & Pius V. in quoddam motu proprio.* Imò quoties infirma petierit; quia iustum est, tristitiam infirmæ tàm salutari medicina leuari. Tùm etiam, dum Monialis proximæ morti est constituta; quia potest occurrere tunc aliqua animi perturbatio, aut scrupulus, ad quæ sedanda, sit opus confessore.

3. Socius est permissus Cõfessori Sacerdoti sæculari, quãdò sacrum facturus est in sacello valetudinarij, vt Moniales infirmæ, aut quæ nondum firmam sanitatem recuperauerunt, & illinc egredi non valẽt, dùm missæ auditio est in præcepto; quia indecens est, & à

more

more Ecclesiastico alienum, fœminā huic Ministerio proximè inseruire. Non autem Eucharistiam, aut Extremam vnctionem ministraturus; quia ad hæc Sacramenta ministranda non indiget ministerio Socij. Verùm Regularis Confessor Monialiū cum vnico socio comitat⁹, ad omnia Sacramēta ministrāda ingredi potest Monasterium; quia & consuetudo, & decentia Religiosa postulat. Et non est necessaria peculiaris pro socio licentia; quia socius in Priuilegio cōprehenditur. *ita cap. Licet. de Priuilegijs. in 6.* Prælati verò, tàm sæculares, quam Regulares, quibus in casibus necessitatis ingredi licet in Monasteria Monialium sibi subiecta, ingredi poterunt comitati iuxta decentiam Monasteriorum, non tamen iuxta decentiam personalem, scilicèt, cum paucis, Senioribus, Religiosis viris, & bonæ famæ. *ita Gregorius XIV. in motu proprio.*

4. Rursus non est rationabilis causa ad ingressum, vt superior quicunq; sit, capiat Monialium suffragia, in electione Abbatissæ, seu Priorissæ, sed ante cancellorū fenestellam sunt ea accipienda. *ita deciditur in Cōcil. Trid. seß. 25. de Reform. cap. 7.* Nisi aliquæ circumstantiæ peculiares in electione concurrerent: vt si in electione esset magna subornationis suspicio, aut Monialium inquietitudo; quia nondùm est credendum in casu tantæ necessitatis Concil. Trid. ingressum negare. Et quamuis liceat ingredi, quando Superiores visitationē Monasterij inchoare volunt, tamē non videtur manifesta necessitas, cum totum hoc fieri possit in cancellaris ad fenestellam, vel in loco consueto, in quo consueuerunt Moniales audire Verbum Dei; quia ità obseruatur in Monasterijs, in quibus viget obseruantia Regularis. Post autem auditas Moniales in visitatione, potest Superior cum comitatu præscripto à Gregorio XIII. ingredi, ad Capitulū Conuentuale habendum, & culparum Monialium correctionem. Insuper causa visitandi officinas conuentus, cellas Monialium, & supellectilem, Dormitorijq; decentiā, & clausuram inspiciendā; quia *sic Praxi est receptum.* Cæterum non licere pro benedictione, & cōsecratione Monialium, vulgo. *Per dare il velo.* Neque Episcopis ad Sacramentum Confirmationis ministrandum; quia hæc omnia cōmodè ministrari possunt per fenestrellam, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt. Sed si Monialis infirma ad Sacramētum Confirmationis recipiendum, ad fenestrellam accedere non posset, & periculum esset decedendi

absque

absque illo Sacramento, tunc licitus est ingressus.

5. Rursùs Malefactori licet ingressus in Monasterium Monialium, si fores apertas reperiret, vt periculum insequentis Iudicis euadat, qui meritò, & probabiliter timeret, vt ab Ecclesia extrahatur; quia ius tuẽdi vitam, vel graue corporis dãnum, ipsum excusat à peccato. Monialibus autem illum recipere non licere; quia non decet earum statum, malefactorem intra clausuram tueri. Item licet ingressus virorum ad expellendum malefactorem, dũ exire non vult; quia Moniales non sunt potentes illum expellere. Et in hoc casu non est opus ad Superiores longè absentes recurrere, cùm periculum sit in mora; sed sufficit tũc consensus Abbatissæ, seu Priorissæ, vel Discretarum. Sed si nõ dùm exploratum sit, & manifestum malefectorem illum, an gaudere possit immunitate Ecclesiastica, non potest iudex sæcularis ingredi, vt Reum capiat, examinet, vel in carcerem inijciat; quia adhùc putatur gaudere immunitate Ecclesiæ. Poterit tamen ingredi iudex cũ alijs solùm ad eijciẽdum illum è claustro, vt sit in alio exteriori Monasterij loco, vel spacio gaudente Ecclesiæ immunitate. Et si manifestum sit malefactorem non gaudere, cognito primùm per ipsum Episcopum, seù ab eo deputatum per illa commissa crimina non gaudere, tunc poterit iudex sæcularis cum licentia expressa Episcopi, eiusque officialis, idest, eius Vicarij, cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ingredi ad capiendum malefactorem; quia ita statuit Gregorius XIV. *in sua Bulla*.

6. Malefactores non gaudẽtes Ecclesiastica immunitate. Primò sunt publici latrones, qui viatores ex insidijs aggrediuntur. *ita cap. Inter alia de Immunitate. & Gregorius XIV. in Constitutione edita* 1591. Secũdò agrorum depopulatores, idest, qui segetes, aut fructus surripiunt, seu agros, seù vineas vastant; *ità cap. citato loco, & Gregorius XIV. eodem.* Tertiò, homicidia, & membrorum mutilationes in Ecclesijs, eorumque Cœmiterijs committẽtes; quia par non est, vt immunitate Ecclesiæ fruantur, qui in Ecclesia delinquunt; *ita cap. finali. de immunitate. & Gregorius XIV. eodem.* Quartò, proditoriè proximum occidentes, idest, qui amicitiã simulantes cum eo, quem occidunt; seù qui dolosè aliquem seducit, vt occidat; seù qui hominem interfecit nihil tale præuidentem. *ita Gregorius XIV. eodem*. Quinto, assassini, idest, qui pecunia, vel aliquo precio accepto, vel conducti præuio mã-

dato

dato occidunt homines incautos, seù nihil tale ab eis præcognoscentes. *ita cap. de Homicidio in 6.* Sextò, Heretici, qui cum pertinacia sentiunt contra fidē. Septimò, Rei lesæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis. *ita Gregorius XIV. eodem.* Itâ quòd Prælati cognoscētes malefactorem non gaudere priuilegio immunitatis, tenētur cōsignare Curiæ sæculari eos requirenti. *itâ Gregorius XIV. eodem, definit.* Imò Episcopo recusante, potest Iudex sæcularis huiusmodi malefactores à loco sacro extrahere, & extractos Episcopo cōsignare, vt cognoscat, an gaudeant; quia *ita Praxis Neapolitana.*

7. Iure antiquo contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ imposita erat excommunicationis pœna comminatoria, & sub conditione, si violator non satisfaciat, & Reum non restituat; *itâ cap. diffiniuit, & cap. quisquis, & cap. si quis contumax 17. quæst. 4.* Iure verò nouo excommunicationem ipso facto incurrunt; *ita Gregorius XIV. loco supra citato.*

8. Violatores autem libertatis, iuris, & immunitatis per sacros Canones promulgatos, sunt subsequentes, scilicèt, *capientes, extrahentes, incarcerantes, extractos non restituētes, non procurantes eorum restitutionem, & impedientes cognitionem criminis, an sint de exceptis in Bulla.* Clerici verò in aliquo ex dictis casibus delinquentes, nullo prætextu possunt à Curia sæculari extrahi à locis sacris, sed tātùm Laici cum cōditionibus supradictis à Gregorio XIV. in Cōstitutione statutis. Nec Laici possunt capi, & extrahi à Curia sæculari è loco sacro, si sint hęretici; quia cognitio hęresis omninò ad forum Ecclesiasticum pertinet.

9. Et quamuis absolutio ab hac censura non sit reseruata a Gregorio XIV. tamē à Clemēte VIII. *in Decreto edito 1601.* videtur reseruata. Et cùm non sit casus reseruatus in Bulla Cœnæ Domini videtur posse absolui ab Episcopo, facta prius restitutione, & satisfactione ab eo, qui in excommunicationem inciderat, dummodò eam exhibere possit; quia in Bulla Cœnæ Domini solùm excommunicari videntur statuentes contra libertatem Ecclesiasticam, & non omnes facientes contra Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem.

10. Ex dictis patet, quòd post Bullā Gregorij XIV. gaudent immunitate Ecclesiastica committentes in Ecclesijs stupra, sodomias, monetam falsā, & similia; quia Gregorius XIV. tātùm excepit homicidium, & membrorum mutilationem in ipsis Ecclesijs, earumue Cœmiterijs

terijs commissam. Similiter cōmitens extra Ecclesiam alia, crimina, etiam maiora, & grauiora his, quæ excipiuntur à Gregorio XIV. si confugiant ad loca sacra, gaudent immunitate, & non possunt indè extrahi, & tradi curiæ sæculari, inconsulto Romano Pontifice, & de consensu illius; quia priuatio immunitatis non est trahenda ad casus in Bulla Gregorij XIV. non expressos, vt videre est in ipsa Bulla.

11. Similitèr Clerici post aliquod delictum patratum confugientes ad Ecclesiā, gaudent immunitate, & sic à ministris Ecclesiæ extrahi nō possunt in illis casibus, in quibus Laici extrahi non possunt; quia non est deterioris cōditionis, quàm Laicus; *ita diffinitum est à Sacra Congregatione Cōcil. Trid. & Episcoporum, & Regularium.* Regulares verò non gaudent in proprijs Ecclesijs, & Monasterijs; quia aliàs Religiosi numquam possent detrudi in carcare a Prælatis suis. Benè tamēn Regulares gaudent immunitate, committentes similia delicta, extra sua Monasteria in alijs locis, Monasterijs, & domibus immunibus, & si in illis confugiant, non possunt extrahi, nec capi a suis Superioribus; quia talis facultas, & iurisdictio non videtur concessa Superioribus Regularibus.

12. Causa ergò moralitèr necessaria iusta, & rationabilis liciti ingressus in Monasteria Monialium erit, quando ministerium exercēdum concernit moralem cœnobij necessitatem, nec per moniales commodè exerceri potest absque Monasterij ingressu. Ideò Chirurgo, Barbitonsori, Medico, alijsq; ad medendum Monialium morbo necessarijs, licitus est ingressus; quia per Moniales non cōmodè exerceri possūt necessaria pro ægrotis Monialibus. Itèm baiulus iustam ingressus causam habet, dùm aliquod onus in Monasterium transferendum est; quia tunc adest moralis necessitas. Itèm Hortolanus; quia sic vsu receptum est. Itèm Pharmacopolus, vt Moniales instruat ad Pharmaca condienda, & componenda; quia hæc etiam est quædam moralis necessitas. Secùs ad præbendam medicinam Moniali; quia hoc fieri potest per Moniales. Neq; sutoribus calceorum licitum est; quia mensura eorū cognosci potest, etiam si non egrediantur. Idem etiā nec Sartoribus, qui vestes Monialium faciunt; quia mensuram vestium ex alijs vestibus earum capere potest.

13. Similiter licet Monialibus habere famulas sæculares in obsequium, & famulatum Monialium, quoties non sunt

conuersæ professæ, quæ inseruiant, vt Moniales diuinis vacent. Verùm non est licitum illis fœminis sæcularibus pro suo libito ingredi, & egredi è Monasterio; quia *ità declarauit Sacra Cõgregatio*. Imò licet Monialibus particularibus habere famulas istas sæculares, dùm exigit necessitas alicuius particularis Monialis parua vtentis valetudine, aut graue senectute laborantis, aut sui status decentiam alicuius sæcularis famulæ opera indigentis, vt si cæteris nobilitate longè antecellat, nec ei per Conuersas commodè inseruiri possit; quia sunt iustę, & sufficientes causę.

14. Similiter ingrediẽs Monialium cœnobia ex iusta causa, & cum licentia Superioris, si finito ministerio, breui spatio temporis immoretur, & statim non egreditur, nec peccat cõtra obligationem clausurę, nec censuris afficitur; quia paruitas materię à mortali excusat. Imò à veniali, si aliquantisper quis immoretur in visendis officinis; quia censuræ latæ sunt contra ingredientes sine iusta causa, & sine licentia. Probabile est etiam, talem, si finito negotio, ibi diutiùs, & corrupta mente, & intentione immoretur, incidere in excommunicationem Papæ reseruatam; quia hic diceretur violator clausuræ ob malum finem; *cùm ità est Decretum Sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. editum 1602.*

15. Tandèm transgrediens clausuram in Monasterijs Monialium modico ingressu, excusatur à culpa lethali, & à cẽsuris transgressoribus latis; quia paruitas materiæ ab his excusari solet. Sed modicus ingressus non est, per duos solos pedes ingrediẽs intra portæ clausuram; quia hic videtur verus ingressus intra clausuram. Modicus igitur est, quandò hic ingressus non est perfectus, & consummatus, scilicèt, pars corporis est intrà, pars autem altera extrà; nec refert, an maior pars corporis sit intrà, aut extrà; quia dùm totum corpus non est intrà, aut extrà, non est perfectus ingressus, aut egressus. Si verò totum corpus est intra clausuram Monasterij, tunc est perfectus ingressus, & esset culpa lethalis, & tunc censuræ contraherentur.

ARTICVLVS V.

Quis possit facultatem exeundi è Monasteria Monialibus concedere?

1. R. Qui præest authoritate ordinaria, vt Episcopus, seù loci ordinarius, & eius Vicarius Generalis, etiã de Monasterijs immediatè Sedi

Apo-

Apostolicæ subiectis. In Monasterijs verò Regularium Superior Ordinis, scilicèt, Generalis, Prouincialis, vel alius Prælatus immediatus; *ità Côcil. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 5. & Pius V. in motu proprio*.

2. Vnde omnes, & singulæ Moniales cuiusq; ordinis sint post professionem tacitam, vel expressam in aliqua approbata Religione, onere clausuræ tenentur, dummodò in congregatione viuant, siuè conuersæ, siuè tertiariæ sint; *ità sancitum est in Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 5. & cap. 22.* Oblatæ verò Turris Speculorum Vrbis onere clausuræ non tenentur, sicut cęterę verę Moniales, etiam si in sancta illa Congregatione emitterēt simplicia vota Paupertatis, Obediētiæ, & Castitatis, non autem solemnitèr; quia tamquàm congregatio, non autem pro vera Religione à Sede Apostolica approbata est. Et istæ, & similes oblatæ validè contraherent matrimonium, quamuis illicitè contra simplex votum Castitatis; quia istæ propriè nō sunt Religiosæ.

3. Moniales clausuram violantes egrediendo è Monasterio, ipso facto excommunicationem incurrunt, candemq; contrahunt concedentes licētiam egrediendi. Itèm tàm Moniales, quàm Superiores incurrunt priuationem dignitatum, administrationum, officiorum, & inhabiles ad illa, & ad alia in futurum obtinenda efficiuntur. *ità Pius V. in motu proprio*. Prædictis etiam ligati comitātes, aut recipientes Moniales iniustè egressas; siuè comitantes, aut recipientes sint Religiosi, siuè sæculares, qui suo comitatu, vel receptione cooperantur egressui, vel perseuerantiæ in egressu; *ita in supradicto motu Proprio Pij V.* Excusantur verò ab his pœnis cognati, qui nulla necessitate ducti, sed sola causa vitandi opprobrium, vel inurbanitatem, vel causa amicitiæ, aut cognationis id efficerent, dummodò non faueant egressui, vel perseuerantiæ in illo; quia solùm illicitè receptantes, aut comitantes Moniales incurrunt; *ità Pius V. loco supra citato*. Etiam si paruo spacio extra ianuam Monasterij procedat, sat est, quòd totum corpus Monialis sit extra clausuram; quia tunc est perfectus egressus è Monasterio. Verùm Nouitias cuiuscunque Religionis approbatæ non teneri ad clausulam; quia omnes textus illam indicentes, de solis tacitis, & expresè professis loquuntur. Ideò non incurrere excommunicationem quomodocunque receptantes, aut comitantes Moniāles Nouitias egressas; quia Pius V.

de solo egressu professorum loquitur.

4. Rursùs absolutionem ab hac excommunicatione à solo Pontifice concedi posse; quia Papa eam sibi reseruat. Quòd si occulta est excommunicatio, potest vtique Episcopus ab ea absoluere; quia de occultis conceditur à Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. cap. 6.* Tamen Prælati Regulares suos subditos absoluere possunt ab hac excommunicatione, etiam si sit publica, & deducta ad forũ contentiosum; quia priuilegia exceptis à contentis in Bulla Cœnæ Domini absoluere conceditur. Sed Moniales legitimè egressæ è Monasterio, si statim finita egressus causa, nõ redeunt via recta ad Monasterium, sed diù demorantur aliò deuagantes, nõ afficiuntur excommunicatione; quia textus Pij V. non generalitèr loquitur contra eius constitutionis violatores, sed strictè contra solas Moniales illicitè exeuntes, & eis fauentes, vt videre est.

5. Cùm sit, quòd vt Monialis è Monasterio licitè egredi possit, requiritur facultas legitimi Superioris cum iusta, & graui causa approbata, *vt patet ex cap. Periculoso de statu Regular. in 6 & ex Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 5. & ex Constitut. Pij V.* Tamen dantur, & sunt tres causæ potissimæ, quibus facultas Monialibus è Monasterio exeundi, concedi potest, scilicet, magni incendij, vel infirmitatis lepræ, vel Epidimiæ, idest morbi contagiosi, *ità Pius V. in motu proprio.* Secùs si periculo incendij, & contagionis Monialium possit occurri, si Moniales ad aliam partem Monasterij absque vitę periculo incendium euadere, & absq; aliarum infectione curari possint; quia tũc cessaret iusta causa è Monasterio exeundi. Ideò Superiores non sola morbi, vel periculi probatione contenti esse debent, sed simul probanda est incommoditas Monasterij ad medendum, & euadendum absq; periculo vitæ, & infectionis aliarum. Nec iustè concedi potest licentia Moniali è Claustro egrediendi causa medendi morbo ità periculoso, vt disperetur salus, ea non egressa; quia Carthusiani ob commune bonum Religionis possunt obligari ad abstinentiam carnis, etiam si Medici illius vsum ad salutem corporis necessarium esse duxerint, ità & Monialis exitus, etiã si sit necessarius ad salutẽ corporis, egredi non cẽseatur.

6. Tandèm integrum esse, & licere Moniali è Monasterio egredi ad vitam tuendam, si quis ipsam inuadendo esset interfecturus, quia maius homi-

nis

nis ius ad impediendum huiusmodi genus mortis inesse videtur. Itâ etiam iusta causa est egressus Monialium è Monasterio timor belli imminentis gesti ab hęreticis, aut infidelibus; quia innititur ratio consulendi bono communi honori, & decori totius Monasterij.

ARTICVLVS VI.

An aliquãdò licitus sit personæ prohibitæ ingressus in Monasteria?

1. R. Sic, ex Priuilegio Papæ obtento post Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. quia eius est legem relaxare, cuius est condere, præcisis tamen circumstantijs extrinsecis alicuius mali.

2. Imò instante graui necessitate Religiosorum, vt gratia medendi infirmo, aut eũ lactãdi, dũ nec alio lacte posse morbo illi succurri, nec infirmus posset tutò è claustro ad id extrahi licere, tunc fœminas honestas, & suspicione carentes, ad hunc effectum Religiosorũ Monasterij claustra ingredi; quia Pius V. interdicit præsumentibus, at in casu necessitatis nulla est præsumptio.

3. Itèm licere fœminis in claustra, & ea Religiosorum loca ingredi, dũm aliquis admittitur ad suscipiendum habitum Religiosum, vel ad emittendam suam solemnem professionem. Itèm causa Processionis, Missæ, quæ in aliqua Capella in Claustro Monasterij existente celebratur. Funeris, dũm aliquis in claustro sepelitur, vel alterius diuini officij, vt dũm celebrantur Anniuersaria, vel pro mortuis suffragia fiunt, vel etiam causa Concionis audiendæ. Vel dũm tantus est populi concursus, & sic Ecclesia populi multitudine est plena, vt fœminæ per portã Ecclesiæ principalem commodè ingredi, vel egredi nequeũt, quàm per Claustra, vel aliqua Religiosorũ loca, (dummodo in officinas internas non egrediantur,) excusantur à culpa, & pœnis latis contra fœminas ingrediẽtes Monasteria Religiosorum; quia ita ex declaratione Pij V. attestante Card. Cribello edita 1568.

4. Rursùs fœminæ, quæ licitè, & bono fine ingressæ sunt in Monasteria Religiosorum in casibus prædictis excusantur ab excommunicatione: etiam si postquam ingressæ sint, ad vlteriora Monasterij loca, seù in Officinas internas Monasterij progrediuntur; quia licèt peccent vlterius progredientes, tamen non dicitur ingredi, sed Monasterium perlustrare, visitare, & percurrere, maximè cũ excommunicatio Pij V. sit cõtra

tra præsumentes ingredi, non tamen contra diutiùs immorātes, & vlterius progredientes.

5. Itèm fœminæ licitè possunt ingredi Monasteria Religiosorum, dùm recitantur in aliquo Claustri Sacello horæ canonicæ, officium Beatæ Virginis, vel Defunctorum, aut fit solemnis benedictio Candelarum, vel adoratio Crucis cum orationibus ab Ecclesia institutis, aut in Capitulo, dùm celebratur lotio pedum, dummodò ibi publicè legatur Euangelium, aut aliqua oratio solemnitèr recitetur, aut aliæ similes orationes, & cœremoniæ, quæ solemnitèr fiunt ex institutione Christi, vel Ecclesiæ; quia dum Pius V. concedit licitum ingressum fœminis causa diuinorum Officiorum, vel ob aliquod pium opus in Monasteria Religiosorum, intelligēdus est de his diuinis officijs communibus, ad quæ alij solent admitti, dùm solemnitèr celebrātur.

6. Verùm Prælati Religiosorum indicentes supplicationes, & Processiones extraordinarias, vt fœminæ ingredi possint, & licèt ipsæ ingrediendo non peccent, nec contrahant excommunicationem; quia tunc iure suo vtuntur; tamèn tales Prælati peccant, quia abutuntur sua potestate. Et sic pœna aliqua extraordinaria essent puniendi, non tamèn afficiuntur pœnis statutis à Pio V; quia tunc non admittunt in Monasterium fœminas illicitè ingredientes. Sed satis probabile est cōtrauenire motui proprio Pij V. & illius pœnas incurrere; quia Pius V. concedit fœminis ingressum rationi cōsentaneū, non tamèn ad clausuram Religiosorum relaxandam.

7. Rursùs admittens puellas nondùm vsum rationis adeptas intra Religiosorum claustra, nō contrahunt prædictas pœnas, & censuram; quia finis prohibitionis est, nè viri Religiosi incitentur ad peccandum. Nec pueros ante vsū rationis adeptos intra Monialium claustra; quia etiam finis prohibitionis est, ne pax Monialium perturbetur, & incitentur ad peccandum. Et licèt quod dictum est, sit probabile, tamèn veriùs, & tutiùs dicimus pueros, & puellas has intra septa Monasterij introducentes, & admittentes excommunicationem Gregorij XIII. incurrere; quia cùm à voluntate excommunicātis vires sumat excommunicatio, & mens Papæ fuit, vt omnis materia prolapsionis in malum Religiosis, viris, & mulieribus subtraheretur, quòd sic introducentes, hæc materia non tollitur, sed innumerabilibus obscœnitatibus inquietarentur. *Tum quia sic responsum fuit à Clemente*

mente VIII. Alphonso Paleotto Bononiæ Archiepiscopo, & alijs Episcopis à maiore Pœnitentiario.

8. Tandem certum est admittentes, seù introducentes pueros, vel puellas amentes puberes intra septa Monasterij grauiter peccant, & faciunt cōtra leges ingressus personæ prohibitæ in Monasteria; quia facilè sequi potest incitatio ad peccandum, & perturbatio Religiosa, loquendo turpia, & alia plurima perpetrando, quæ honestati, & decentiæ Religionis essent valdè dissona.

DISQVISITIO LVI.

De Ordine.

ARTICVLVS I.

Quid sit Ordo?

1. ℟. *Quod est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato, cum quadam præeminentia ad conficiendum Corpus Christi; ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 34. art. 2.* Est optima diffinitio; quia constat ex genere, & differentia; nàm ly *signum, &c.* stat loco generis, & ly *per quod spiritualis, &c.* loco differentiæ.

2. Ordines sunt septem, scilicet, Ostiariatus, Lectoratus, Accolitatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; quia potestas ordinis ad consecrationē Eucharistiæ est vna sola competens Sacerdoti, potestas autem, ad aliquod Ministerium ordinatum ad Sacramentum Eucharistiæ est sextuplex. *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. & D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 37. art. 2.*

3. Verùm Episcopatus est culmē dignitatum, & maximus ordo, cuius officiū consistit in Confectione Chrismatis, Chrismatione fontis, collatione ordinum, consecratione Ecclesiarum, & Altarium. *ita cap. Quia periculosum de Sent. excomun. in 6.* Sed non est ordo distinctus à Sacerdotio; quia vnus ordo nō dependet à præcedenti, cùm nullus possit recipere Episcopalem potestatē, nisi priùs habeat Sacerdotalem. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 40. art. 5.* Tamē si ly *nomen Ordinis* significat gradum, Episcopatus est distinctus à Sacerdotio, *& ita est secundùm*

Cano-

Canonistas. Sed si ly *nomẽ Ordinis* significat potestatẽ ad Eucharistiam consecrandam, non est distinctus; & ita *est secundùm Theologos.* Ideò cõsecratio Episcopi non est verè, & propriè Sacramentum Ordinis distinctũ ab ordine Sacerdotij; quia in ordinatione Episcopali supponit potentiam conficiendi Eucharistiam. Vnde in consecratione Episcopali non superadditur nouus Character, sed idem extenditur, & noua perfectio eiusdem Characteris Sacerdotis, & modus quidam illius indelebilis, & non iterabilis; quia non est sola deputatio moralis, sed physica, & realis ordinatio. Et sic ordo superior non includit, nec supponit essentialiter ordinem inferiorem, excepto Episcopatu; quia cũ sit excellentissimum complemẽtum ordinis Præsbyteratus, illum omninò supponit. Ideò si aliquis per saltum ordinatus, tantùm ordo, qui prætermissus est, confertur. *ita praxis Ecclesia, & in cap. solitudo. dist. 52.*

4. Similitèr Episcopatus nõ potest conferri, vt valeat, infanti ante vsum rationis; quia non potest suscipere curam animarum personalem. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 2.* Et si fiat, est nulla, quia vsus rationis nõ tantùm est de necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, & talis suscipit extentionẽ Sacerdotalis Characteris, non tamen curam animarum, donèc consentiat.

5. Item Episcopi Titulares, verùm recipiunt ordinem Episcopalem in cõsecratione; quia habent potestatem gubernandi illas Ciuitates, si conuertantur ad fidem. Ideò nullam esse cõsecrationem Episcopalem, nisi signetur ei Ciuitas, vel populus, super quem habeat iurisdictionem; quia licèt iurisdictio non sit de essentia consecrationis, tamen est conditio necessaria, vt verè fiat consecratio. Sed veriùs dicendum, esse validam, etiam si nunquam signetur Ciuitas; quia dimittens authoritate Papæ Ecclesiam, remanet propriè, & verè Episcopus, & Papa potest Episcopos creare sine certæ Ecclesiæ titulo. *ita cap. inter corporalia.*

6. Prima Tonsura est fundamentum ordinis, dispositio, & præambulum ad ordinem, non tamen est ordo; quia in eius collatione, non fit mentio de aliqua potestate data; *ità D. Thom. 3. p. in Addit. quæst. 40. art. 2.* Et quando in cap. *cùm contingat*, dicitur, quòd sit ordo, intelliguntur largo modo, quatenus est dispositio ad ordinem.

7. Ordo Sacerdotalis est verè, & propriè Sacramentum; quia eius ordinatio cõfert gratiam ex opere operato, *ità Concil. Trid. sess. 7. can. 8.* Et oppositum

situm

situm asserere est heresis; quia de fide est, ordinem esse vnum ex septem Sacramentis; *ità Concil. Trid. sess. 23 cap. 3.*

8. Item Diaconatus est verè, & propriè Sacramentum, & oppositum est errori proximũ; quia est communis sententia inter Theologos. Et Subdiaconatus est verè, & propriè Sacramentum; quia est communis sententia inter Theologos, & est authoritas Ecclesiæ, ac & vsus inter Ordines Sacros esse connumeratum, cum compellitur ad recitanda officia, & à matrimonio cõtrahendo prohibetur.

9. Item alij Ordines minores sunt Sacramenta; quia in ipsis repetitur materia, & forma; *ità Concil. Florent. in tract. de Sacramentis, & Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. & D. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. & 3. p. in addit. q. 37. art. 2.* Numerantur tamen omnes ordines, tanquam vnum; quia singuli habent respectum ad Sacerdotium; *ità D. Thom 3. p. in addit. quæst. 37. art. 1. ad 2.* Et ordines tàm maiores, quàm minores sunt Sacramenta, & ordinationes speciè distinctæ; quia habent eandem materiam & formam. Et tamen omnes Ordines sunt vnum Sacramentum; quia sunt Sacramentum ordinationis, & referuntur ad eundem finem principalem, scilicet ad conficiendum Corpus Christi. Et licèt quilibet sit verè Sacramentum, non tamen totale, & completum, sed quasi partiale; quia quilibet est pars integralis Ordinis completi resultantis ex omnibus ordinibus ad eũdem finem principalem, scilicèt, ad conficiendum Corpus Christi.

10. Tandem omnes Ordines tàm minores, quàm maiores sũt instituti à Christo; quia ità fides docet, & diffinitum in Concil. Trid. *sess. 7. can. 1.*

ARTICVLVS II.

Quænam sit materia proxima, & remota Ordinis?

1. R. Quòd materia remota est res, quæ traditur suscipiẽti Ordines, proxima est traditio materię remotæ, quia Sacramentum Ordinis conficitur re, quæ traditur, & traditione rei; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 34. art. 5.*

2. Forma Sacramenti Ordinis sunt verba, quæ proferuntur ab Episcopo imperatiuo modo, cum expressione potestatis, quæ confertur; ita determinatur expressè in Concil. Florẽt. *in Decreto Eugenij* ità cõmunis consensus fidelium; & traditio Apostolica. Et imperatiuo modo; quia ordinatur ad bonum commune, vt qui ordinatur, alios sanctificet, &

recipiat ad hoc potestatem; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 34. art. 4.* Similiter inuocatio Trinitatis non est de essentia formæ, huius Sacramenti; quia sine illa non mutatur substantialiter sensus formæ illius. Sed ex quadam congruentia, & eam omittere, est grauis culpa; quia faceret contra communem vsum Ecclesiæ.

3. Rursus materia proxima Presbyteratus est traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane; quia actus principalis Sacerdotis est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 37. art. 5.* Similiter in Ordinatione Sacerdotis bis confertur gratia Sacramentalis, scilicèt, quando porrigitur Calix cum vino, & Patena cum Hostia, & quando imponitur manus Episcopi super Ordinato proferentis: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retēta erunt*; quia excellentia Ordinis Sacerdotalis est, vt non tantùm conferat gratiam, dùm perficitur, sed etiam quando integratur, cùm dicitur. *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Verùm Ordinatio Sacerdotalis perficitur in prolatione primæ formæ; dicendo, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis, & pro defunctis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et secunda forma dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* non est de essentia Ordinationis Sacerdotalis, sed quasi integrātia ordinationem Sacerdotis, vel quasi declaratoria eius potestatis antè datæ. Vndè si aliquo casu, scilicèt morbo, vel morte Episcopus est impeditus, & tamen dat primam formam, scilicèt, *Accipe potestatem &c.* & non secundā, adhuc est verus Sacerdos habens potestatem, & quantùm est ex parte Ordinis, & etiam remittendi peccata; quia Characteri Sacerdotali annexa est: indiuiduaq; potestas remittendi peccata; *ità colligitur ex Concil. Florent. in Instructione Armenorum.*

4. Similiter Sacerdotium, quod cōferebatur ab Apostolis, non erat alterius rationis ab eo, quod nunc confertur; quia vnitas materiæ formalitèr erat idem, licèt non materialiter, cùm ex institutione Christi ordinabatur ad idem causādum, & significandum. Ideò ordinatus debet tangere instrumēta, in quibus ei confertur potestas, vt maneat ordinatus; quia aliàs verba formæ non verificentur; *ita D. Thom. 3 p. in addit. quæst. 34. art. 5. ad 3.* Et quando non tangit materiam physicè, & realitèr, Sacramentum est iterandum sub cōditione; quia aliàs se exponeret periculo faciendi multa sacrilegia; *ità D. Tho.*

Th. loc. sup. cit. Sed nō est necesse in Ordinatione Sacerdotij tangere immediatè hostiam, & vinum; quia attingendo calicē, & patenam, moralitèr attingit vinum, & hostiam. Sed benè est necesse, quòd ordinandus attingat Calicem simul & Patenam; quia qui tangit Calicem, censetur tangere vinum, quod est intus, ità & Hostiam, quæ est supra Patenam. Et si tangat vna manu Calicem, & altera Patenam, tunc est validum Sacramentum; quia sic est in consuetudine. Et si ex obliuione tradatur vas cum vna tantùm specie, scilicèt, calix sine vino, & Patena sine Hostia, tunc probabilitèr dici potest conferri Sacramentum; quia potestas cōsecrādi vtrāq; speciem, non traditur diuisim, sed qui potest vnam speciem consecrare, potest & aliam; cùm Christi Corpus coniunctum sit cùm sanguine, & sanguis cum corpore. Et si solùm physicè tangit Calicem, cui superposita est Patena cum Hostia, non tangendo Patenam realitèr, probabile est esse Sacramentum; quia qui physicè tangit Calicem, cēsetur tangere vinum, quod intus est, ità & morali æstimatione censetur tangere Patenam, & Hostiam, quæ Calici superposita est. Quamuis aliqui dicant iterandum, vt nullus remaneat scrupulus. Neque est necesse tangere materiam, quando proferuntur verba, ità vt sint simul contractus, & verba, sed sufficit, quòd sint simul moralitèr, idest sine mora interposita; quia ad verificandum ly *Accipe potestatem &c.* nō exigitur ex vi significationis, vt antequam præcipiens mandatum proferat, alter adimpleat, sed sufficit, quòd statim adimpleat. Itē valida est ordinatio, quando plures initiantur ordine Sacerdotali, & Episcopus, prolata semel vnica forma in plurali, præbet pluribus materiam successiuè tangendam; quia materia, & forma tunc censentur esse simul moralitèr, *sic etiam fuit Romæ in quadam Congregatione decisum.*

5. Similitèr materia remota Ordinis Diaconatus est liber Euangeliorum, & traditio illius in ipsa Ordinatione est materia proxima. Et ipsa traditione imprimitur Character Diaconatus in illis verbis, *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis; in nomine Domini.* Forma illius sunt verba, quæ proferuntur ab Episcopo imperatiuo modo cū expressione potestatis Officium eius est publicè legere Euangelium in Ecclesia, assistere, & ministrare in Sacrificijs; *ità Concil. Florent. in tract. de Sacra.* In traditio-

ne libri Euangeliorũ, & ex verbis Epiſcopi imprimitur Character; *ità Concil. Florent. loco citato.* Et non in impoſitione manuum imprimitur Character, & conficitur Sacramentum; *ità in cap. Presbyter.* Quamuis tempore Apoſtolorum in impoſitione manuum conferebatur Ordo Diaconatus, adhibendo aliam materiam, per quam alterius miniſterium, & alia Officio Diaconi ſignificarentur. Forma autem tunc temporis fuerunt verba, quæ cum huiuſmodi materialibus ſymbolis proferebantur; quia hoc fuit conceſſum Apoſtolis ex peculiari facultate Chriſti, cùm nondum editum eſſet Euangelium.

6. Similiter materia Subdiaconatus eſt propriè calix vacuus cum patena, quia Subdiaconatus præcipuè deſeruit ſacrificio Miſſę per Calicem, & patenam, in quibus Sacrificium Miſſæ celebrandum eſt. Forma verò ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur, ſcilicèt, *Accipe librum Epiſtolarum, & habeas poteſtatem legendi in Eccleſia Sancta Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Officiũ eius eſt proximè aſſiſtere Diacono, illique miniſtrare in Sacrificio Miſſæ, deferendo Calicem, & Patenam ad Altare; *ità Concil. Florent. in Decreto Eugenij.* Verùm Character non confertur in traditione libri Epiſtolarum, ſed in traditione Calicis, & Patenæ vacuæ; quia vſus eius præcipuè deſeruit Sacrificio Miſſæ, *ita D. Thom. 3. p. quæſt. 37. art. 5. ad 5. & ex cap. Subdiaconus diſt. 23. & Concil. Florẽt. in tractatu de Sacramentis.*

7. Similitèr materia remota Accolytatus ſunt vrceoli, proxima eorum traditio. Forma ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, ſcilicèt, *Accipe vrceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam in Eucharistia, & ſanguinis Chriſti Sacramentum*; in cuius traditione imprimitur Character; quia per traditionem vrceolorum, & eorũ vſum in ordine ad Euchariſtiam Accolytus propinquiùs accedit ad Miſſæ Sacrificium; *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæſt. 37. art. 5. ad 6.* Accolytus idem ſignificat, quòd Ceroferarius, cuius duo ſunt Officia, ſcilicèt, deportare cereos, quãdo legitur Euangelium, & quãdo offertur Sacrificium; ac etiã preparare Subdiacono vrceolos cum vino, & aqua ad ipsũ Sacramentum conficiendum. In traditione vrceolorũ imprimitur Character, tamquam principalius Officium, quam deferre cereos; quia præparatio

ssio materiæ in ordine ad Eucharistiā, est principalior actus in hoc Sacramento. *ita D. Tho. loco citato*.

8 Similiter materia remota Exorcistatus est liber Exorcismorum, proxima est eius traditio. Forma sunt verba, quæ proferuntur ab Episcopo imperatiuo modo, scilicet, *Accipe potestatem ad fugandos Dæmones, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue cathecumenos*, & hoc conficitur Sacramentum, & imprimitur Character. Officium est imponere manus super energumenos, illisque Exorcismos legere ad fugandos Dæmones. Verùm imponere manus super energumenos est quid altiùs, & digniùs secundùm quid, quàm ministrare, & præparare Subdiacono urceolos cum vino, & aqua; quia officium Accolyti exercent etiam non ordinati, non tamen officium Exorcistæ. Cæterum officium Accolyti excellentiùs, & digniùs est simpliciter officio Exorcistæ; quia magis accedit ad Sacramentum Eucharistiæ; cùm ordines sint digniores ex eo, quod propinquiùs accedunt, & ministrant in Sacrificio Missæ.

9. Similitèr materia remota ordinis Lectoratus est liber lectionum, proxima est traditio illius. Forma sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo modo cum expressione potestatis dicendo, *Accipe potestatem, & esto verbi Dei Relator*. Character imprimitur in traditione libri simul cum verbis. Officium eius est legere Prophetias, & Scripturas in Ecclesia.

10. Tādem materia remota ordinis Hostiariatus est cymbalum, & claues; proxima est traditio eorum. Forma sunt verba, quæ in traditione dicūtur, scilicet, *Accipe potestatem aperiendi Ecclesiam, & Sacrarium fidelibus, & claudendi infidelibus, porrigendo claues, &c.* In fine traditionis, & prolationis perficitur Sacramentum, & imprimitur Character, & confertur gratia. Officium eius est conuocare fideles ad sacrificium Missæ, & illis portas aperire, & claudere, vt non ingrediantur infideles, & indigni, vt excommunicati non tollerati ab Ecclesia.

ARTICVLVS III.

An tantùm Episcopus Sacramentum Ordinis conferre possit?

1. ℞. Sic; quia ordo est perfectior Cōfirmatione, & tamen confirmatio solus Episcopus confert; cum in sacris litteris multotiès legatur, quòd Episcopi ordinabant, nūquam tamen Sacerdotes conficiant

ciant hoc Sacramentum. *ita Concil.Triden.sess.23.can.7. & D. Thom.3.p.in addit. quæst.38. art.1.* Et hæc potestas ordinandi residet penes Episcopos excommunicatos, suspensos, & interdictos, etiam si sint denunciati tales; quia ad conferendum ordines sufficit in ordinâte potestas ordinis Episcopalis per indelebilem potestatem. Exequutionem tamen ordinis cõferre non possunt, quia eam nõ habent. *ita cap.Gratia.& cap.Statuimus 1.quæst.1.& D.Thom. 3.p. in addit.quæst.38.art. 2.* Et quamuis Episcopus talis non possit absoluere à peccatis, habet tamen potestatem conferẽdi ordines; quia ad validè absoluẽdum, non solùm requiritur potestas Ordinis, sed etiam iurisdictionis; ad ordinandum verò, sufficit potestas ordinis per indelebilem characterem. Ita quod ordinatus quis ab Episcopo excommunicato, interdicto, suspenso etiam hæretico, non tamen speciatim denunciato, vel notorio clericorum percussore, nedùm characterẽ ordinis, sed etiam eius vsum, & functionem recipit; quia *in Cõcil. Constantiense, & in Extrauag. Martini V. ad euitanda scandala fuit diffinitum*; quod Episcopus talis non iure diuino, sed Ecclesiastico est priuatus, & hoc per sententiam iudicis denunciatus.

2. Verùm, qui promouentur scientèr ab Episcopis hæreticis, Schismaticis, Degradatis, Simoniacis, excommunicatis, interdictis, vel suspensis à diuinis, non toleratis recipiũt quidem ordinem, non tamen vsũ, & exequutionem, & sunt ipso iure suspensi, nec possunt ab ipsa suspensione absolui, nisi à Papa. *ita habetur in cap.1.& 2.de Scismaticis, & cap. 1. de Ordinatis ab Episcopo; ita D.Thom. 3. p. in addit.quæst. 38. art. 2.* nàm tales, licèt habeant characterem indelebilem Episcopalem, & sint Episcopi ordinati, carent tamẽ exequutione ordinum. Sed ordinati per ignorantiam probabilem, dummodò non sit ignorantia crassa ab istis Episcopis, debent abstinere ab vsu ordinum; quia talis non propter culpam, quam committit, sed in vituperium collatoris, non potest exequi, nec vti ordinibus susceptis. Et suspensio, quę incurritur ab ordinato p ignorantiam probabilem inuincibilitèr ab ipsis Episcopis, non est vera censura; quia suspensio, quæ est vera censura, non incurritur, nisi propter culpam.

3. Similitèr Episcopus, qui tantùm loco renunciauit, rogatus ab aliquo Episcopo, potest omnes ordines conferre; quia cum nullus habeat subditos, nõ potest ordinare alienos, nisi consensu illius, cuius sunt subditi

diti. *ita Alexander III. cap. 1.* Qui verò locum simul, & dignitatem renunciauit, potest rogatus ordines minores conferre; quia huiusmodi ordines à non Episcopis quandoque conferuntur. *ita in cap. supradicto.* Ideò qui ordinantur sacris ordinibus cum licentia sui Superioris ab Episcopo, qui tantùm loco, & diœcesi renunciauit, non tamē dignitati Episcopali, non est suspensus ab ordinibus susceptis, etiam sacris; quia talis quantùm ad locum, non autem quantùm ad dignitatem renunciauit Episcopatū. *ita ex cap. Requisiuit.* Sed recipiēs ordines Sacros ab Episcopo, qui non solùm renunciauit loco, sed etiam dignitati, remanet suspensus, etiam si recipiēs fortè ob ignorantiam non peccauerit; quia renunciauit dignitati, non habet exequutionem Ordinis. Et suspensus ordinatus recipiēs ordines sacros ab Episcopo, qui dignitati renunciauit cum licentia sui superioris, ignoranter tamen, non ignorantia crassa, sed inuincibili, potest absolui à suspensione contracta, seù ab hac inhabilitate à proprio Episcopo. Scienter autem, seù cum ignorantia crassa à solo Papa potest absolui; quia *ita deciditur ab Alexandro III. cap. 1.*

4. Vnde nunquam licet recipere Ordines ab Episcopo non tolerato, quamuis ille sit paratus ad consecrandum; vnde suscipientes peccant mortalitèr, & manent suspensi; quia cum istis indiuinis communicare non possumus, nisi ratione grauissimæ necessitatis; scilicèt, in articulo mortis Sacramentum Pœnitentiæ. Si tamē toleratus, licitum est recipere ordines ab illo, quando est paratus ad conferendum, vt ad generales ordinationes; quia fideles per Bullam Martini V. Ad euitanda, non sunt impediti ad communicandum cum excommunicatis tolleratis, etiā in diuinis. Tamen si ordinandi possunt commodè cum bono ministro ordines suscipere; peccant contra Charitatem, si recipiunt à malo ministro etiam parato; quia in Bulla Martini V. habetur. Per hoc priuilegiū nullus fit fauor ipsis excommunicatis tolleratis.

5. Verū subditus licitè potest petere ordines ab Episcopo tollerato, etiam non parato, dùm petenti sequitur vtilitas, & commodum, quia Episcopus talis requisitus tunc non peccat, dùm internè conteritur. Aliàs si non sequitur commoditas non licitè petit, & peccat petens; quia facit contra charitatem, moraliter exponendo se in periculo cooperandi peccato alterius. Et in isto casu Episcopus, vt licitè conferat ordi-

ordines, debet se excutare quãtum potest, vel debet tunc procurare absolutionem, antequã ordinet, vel debet conferre facultatem, vt ab alio ordinetur, & si hæc non sufficiunt, tunc licitè potest ordinare, internè conterendo; quia si subditus licitè petit, licitum erit Ordinario conferre ordines. Sed talis non potest habere ordinationẽ generalem, scilicèt ordinare subditos, & non subditos, petentes & non petentes; quia hoc est se exponere ad ordinãdos alios non rogatus. Similitèr Episcopus, qui non est Sacerdos, non potest validè conferre ordines; quia fundamentum consecrationis Episcopalis est Sacerdotium. Verùm Episcopus consecratus, si non est minoribus ordinibus initiatus, sed per saltum presbyter, & Episcopus ordinatus potest ordines maiores, & minores validè conferre; quia ordo Sacerdotalis; & consecratio Episcopalis non dependet essentialitèr ab alijs ordinibus inferioribus. *ita D. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3.*

6. Similitèr simplex Sacerdos nõ Episcopus ex commissione Papæ potest conferre ordines minores; non autem, si non Sacerdos; quia potestas Ordinis supponit potestatem supra corpus Christi verum. *ita cap. ex litteris, & ex D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 38. art. 1. ad 3.* colligitur, quod consuetudo est, q presbyteri Cardinales conferunt de facto ordines minores, etiam quòd Episcopi non sint. Secùs est de ordinibus Sacris, etiam de consensu Papæ; quia iure diuino determinatus est minister sacrorum ordinũ esse Episcopum Sacerdotem. *ita D. Thom. loco citato.*

7. Nota, quòd duo fuerunt genera Corepiscoporum, *vt constat ex Epistola D. Damasi Papæ*, quorum vnum est eorum, qui non vt Episcopi à tribus Episcopis, sed vno tantùm, vt præsbyteri ordinati sunt, & his Episcopalia munera exercere omnimodè interdictum est, & hi fuerunt Episcoporum Vicarij ruri constituti, & hodiè Vicarij rurales vocantur. Aliud eorum est, qui manuum impositionẽ plurium Episcoporum percipiebant, & vt Episcopi ordinabantur, & hi sunt similes Episcopis, qui Tutelares, & Episcoporum suffraganei hodiè appellantur. *De his mentionẽ faciunt Concil. Antiochenum cap. 10. Neocesariense can. 13. Ancyranum cap. 13. D. Damasus Papæ Epistol. 5.* De Corepiscopis secundi generis ex commissione Papæ, imò de licentia ordinarij loci possunt ordinare Diaconos, & Præsbiteros; quia hi verè fuerunt ordinati Episcopi, sicut hodie faciunt Episcopi Titu-

Titulares; *ità Concil. Antiochens cap.* 10. Corepiscopis verò primi generis non committi possunt; quia non erant veri Episcopi, & Episcopalia munera interdictum; *ità D. Thom. in 4. dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3.

8. Hoc priuilegium non constat, nec est in vsu concessum Abbatibus Ordinis Cisterciensis, scilicet potestatem conferendi Ordines Sacros ab Innocentio III. quia iure diuino videtur determinatus Episcopus; *ita D. Thom. loco citato.* Neque Episcopus committere potest Ordinationem, etiam minorum, simplici Sacerdoti, qui non est Episcopus; *quia ità deciditur in cap. Aqua de consecrat. Ecclesiæ, & Altaris.* Benè tamen Abbates habentes ius mitræ, & baculi possunt cōferre Ordines minores suis subditis Regularibus, & etiam iure antiquo Laicis sibi subditis; *ità in cap Quoniam dist.* 69. *& cap. cùm contingat de ætate.* Sed iure nouo Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. solis suis subditis Regularibus, & nō Laicis decisum est. Quāuis habeant litteras dimissorias generaliter à suo Episcopo; qa requiritur specialis dimissoria, in qua ordinare volunt. Alias talis ordinatio nulla, & inualida; quia limites suæ commissionis ordinando excedunt.

9. Verùm, quilibet Episcopus validè, & non licitè sibi nō subditis sine licētia proprij ordinarij ordinandorum confert ordines; quia non ex commissione Papæ, sed ex sua ordinatione, & consecratione accipiunt. Quod non sit licitum, patet *in cap. Eos. de temp. in* 6. Abbates verò iure antiquo, nec licitè, nec validè sibi non subditis sine licentia proprij ordinarij Ordines minores conferre possunt; quia excederent limites suæ concessionis; *ita glos. in d. cap. Abbates de Priuilegijs in* 6. *Verbo quasi Episcopalem.* Nec Nouitijs sibi subditis infra annum; quia hæc concessio reuocata fuit à Concil. Trid. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 10. Nec Monachos eiusdem Religionis alterius Monasterij, etiam rogatus ab Abbate illius, quia adhùc excedunt limites suæ concessionis.

10. Tandem primæ Tonsuræ collatio, itèm Ecclesiarum, Altarium, Sacrorum vasorum, virginum consecrationes ab Episcopo heretico, degradato, aut excommunicato non tollerato, ità validæ sunt, vt nihil repetere opus sit; quia potestas, & Character Episcopalis, quam habent, est immutabilis, & independens ex bona dispositione ordinantis, ex institutione Christi; & cum sint quædam sacramentalia ab Ecclesia instituta, attamen non solet, quin potius vult validam esse,

& non repetendam eiusmodi tonsuræ collationem, ac & Ecclesiarum, Altarium &c. consecrationes.

ARTICVLVS IV.

An omnis verè consecratus Episcopus, quemuis Ordinis capacem validè ordinare possit?

1. ℞. Sic; quia sufficit in ordinante potestas Episcopalis. *ita Concil. Trid. sess. 23. can. 7.*

2. Nota, quòd Episcopus, qui licitè, & validè Ordines conferre potest, qui dicitur Episcopus proprius, est triplex, scilicèt, Episcopus originis, domicilij, & beneficij; *ita cap. cùm nullus in 6.* Episcopus originis est Episcopus loci, cuius quis dicitur oriundus, non vbi fortuitò natus est, sed vbi parentes habebant domicilium; quia & si ad tempus, ratione negotij aliò recesserint, tamen censentur ibi semper mãsisse. Episcopus domicilij est Episcopus loci, in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo ibi semper manendi; quia animo manendi per aliquod tempus non sufficit ad contrahendum domicilium. Sed ad contrahendum domicilium nõ sufficit animus manendi in aliquo loco, sed simul actualis habitatio; quia domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione; *ità in L. Domicilium. ff. ad municipialem.* Ideò ad contrahendum domicilium non est opus decennio habitasse, sed statim, ac quis incipit habitare, animo perpetuò ibi manendi, acquirit domicilium; quia momentanea cum animo perpetuò ibi habitandi est actualis habitatio; *ita L. Ciues. 7. C. de Incolis.* Episcopus beneficij est Episcopus loci, vbi quis habet beneficium residentiale, idest requirens residentiam, quamuis tenue, licèt fortè non resideat ex dispensatione. Dummodò sit sufficiens ad victum, quamuis tenue; *quia in cap. cùm nullus in 6.* generalitèr loquitur. Et beneficium sit Ecclesiasticum; *ita in cap. supra citato.*

3. Vndè in arbitrio ipsius positum est Ordines, vel dimissorias petere ab Episcopo Originis, vel ab Episcopo domicilij paterni; quia manens cum patre sortitur domicilium patris, neque illud suo discessu amittit, si animum alibi habet domicilium figere. Potest vero filius familias domicilium statuere, si pubes sit, non autem si impubes. *ita L. placet. ff. ad mancipalem.* Ideò omnes Episcopi verè cõsecrati validè ordinare possunt, sed non omnes licitè, nisi sit proprius Episcopus,

pus, vel originis, vel domicilij, vel beneficij, vel ab ipsorum ordinario licentiam, vel literas dimissorias acceperit, vt ab alio Episcopo non proprio ordinetur; *ità Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. & colligitur ex cap. cùm nullus in 6. & D. Thom. 3. p. in addit. q. 38. art. 1.*

4. Similiter Episcopus potest familiarem suum non subditum, qui per triennium commoratus cum illo, ordinare, & etiam dare dimissorias ad Ordines suscipiendos à quocunq; alio Episcopo verè cōsecrato, *ità Concil. Trid. sess. 23. cap. 23. cap. 9.* Dummodò sufficiens Patrimonium, vel Pensionem habeat; quia *ità censuit Sacra Congregatio super cap. 9. Concil. Trid. sess. 23.* Etiam si triennium incepit, antequàm fuisset Episcopus; ità Concil. Trid. loquitur de familiari triennali, non restringendo ad familiarem triennalem sui Episcopatus. Et hoc non cum quocunque familiari, sed in eo, qui astitit suis obsequijs: vnde inseruiens Episcopo in remota regione, non gaudet hoc priuilegio; licèt alatur expensis Episcopi; quia requiritur commensalitas continua, *ita colligitur ex Concil. Trid. sess. 14. cap 2.* Sed hoc procedit in Episcopis ordinarijs, non autem Titularibus; quia Titulares non habent diœcesim, in qua ordinandus acquirit domicilium. Et talis familiaris, cui ordinās si nō statim beneficium conferat, non erit capax beneficij, nisi priùs collatio sit approbata à Papa, vel à suo proprio Ordinario; quia non est collatum secundum decretum Concil. Trid. *loco citato.*

5. Similiter collatio Ordinum facta ab Episcopo alieno suo triennali familiari, est valida, si ei beneficium non confert iuxta statutum Cōcil. Trid. quia non potest iterari. Sed est illicita; quia debet statim conferre beneficium iuxta Concil. Trid. Neq; & licita prima Tonsura; quia licet non sit Ordo sacer, verbum tamen ordo generaliter prolatum comprehēdit primam Tonsuram. Neque cum eo illegitimo valet dispēsare, etiam ad Ordines minores; quia non subditum nemo potest soluere, & ligare, cum legitimare, est a pœna iuris absoluere. Sed benè Episcopus suum subditum legitimare, seù dispensare potest ad minores Ordines tantùm, & ad beneficium simplex sine cura, non autē ad Ordines maiores, nec ad beneficium Curatum, nec ad Personatum, aut Dignitatē; quia sic, *in cap. Is, qui de filijs Presbyterorum*, dicitur. Similiter ordinatus prima Tonsura, siuè minoribus, non est capax Beneficij, & Pensionis Cleri-

calis, nec gaudet priuilegio Clericali fori, & Canonis, si absque litteris iustis dimissorijs proprij Episcopi, vt ab alieno Episcopo Ordinetur; *ità in cap. Illud 1. & cap. 3. si quis ausus dist. 71.*

6. Similiter ordinatus prima Tonsura, siue minoribus ab Episcopo excõmunicato, suspenso à diuinis, interdicto, hæretico, schismatico, & simoniaco ab Ecclesia non tollerato, non est capax, & habilis ad obtinenda Beneficia, & Pensiones Clericales, nec gaudet priuilegio Clericali fori, & Canonis; quia talis Episcopus non obtinet gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ.

7. Similitèr Ordinatus prima Tonsura, siuè minoribus ab alieno Episcopo sine dimissorijs proprij Episcopi, peccat mortalitèr; quia id est contra Sacros Canones, & contra debitam subordinationem, & iurisdictionem proprij Episcopi. Et licèt sit suspensus quò ad effectum, ne licitè possit his vti, & inhabilis ad beneficium, & Pensionem Clericalem, nec gaudet priuilegio fori, & Canonis, tamen non incidit in irregularitatem; quia expressio vnius, alterius est exclusio, & Pius II. *in extrauag.* expressè loquitur de Sacris Ordinibus. Et quòd talis sic ordinatus, vt sit capax, sufficit, vt proprius Episcopus certior factus de tali Ordinatione, ratum habeat factum; *quia in glossa in cap. Illud dist. 71. Verbo Ordinatio dicitur quod huiusmodi Ordinatio non rata, & irrita, & non quasi nihil sit actũ per eam, sed quòd suspenditur quò ad vsum, & priuilegium.* Quam suspensionem Episcopus tollere potest; quia nusquam Romano Pontifici reseruatur. Dicitur autem Episcopus proprius habere ratam talem ordinationem; quia consentit in illam, volendo illam valere, ac si à se facta esset. Imò etiam maior Pęnitentiarius Papæ potest in foro conscientiæ ratum habere hoc, & exoneratur onere petẽdi ratificationem à suo Ordinario; quia habet plenariã potestatem Papæ.

8. Similiter Episcopus potest non solùm per seipsum Ordines conferre, verùm etiam potest alteri Episcopo dare facultatem conferendi Ordines suis subditis; *ità Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. & in cap. cùm nullus de temporibus Ordinat. 6.*

9. Similiter Prælati Regularium exempti possunt dare Regularibus suis litteras dimissorias, vt à quocunque Catholico Episcopo ordinari possũt; quia *extant priuilegia Leonis X. & Pauli III.* Nec sunt sublata talia priuilegia per Cõcil. Trid. quia *ità declarat Decretum Clementis*

mentis VIII. & etiam hoc apertè colligitur ex ipso Cōc. Trid. *sess. 23. cap. 10.* Dummodò diœcesanus absuerit, vel non esset Ordinationes habiturus; & tũc potest mittere ad quemcunq; alium Episcopum, & tenetur exprimere causã absentiæ diœcesani, vel Ordinationum ab eo non habendarum; quòd si non fecerit, pœnam priuationis officij, & dignitatis, ac vocis actiuæ incurrit; *ità in Decreto Congregationis Concilij de mandato Clementis VIII. 1596.*

10. Rursus iure antiquo Capitulum, Sede Vacante, absolutè litteras dimissorias concedere poterat; vt quis ab alieno Episcopo Ordines acciperet; *ità in cap. cùm nullus, de temporibus ordinat. in 6.* Modò post Cōcil. Trident. in duobus casibus concedere potest, scilicèt, quando Episcopus vacat per annũ, & quando quis perderet beneficium receptum, vel recipiendum, & illud beneficium talem Ordinem requirit; *ità definit Concil. Trid. sess. 7. cap. 10.* quia Capitulum succedit Episcopo regulariter in omnibus, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, præterquàm in casibus expressè exceptis. Imò Capitulum dispensare cum illegitimo potest ad minores Ordines, vt possit simplex beneficium obtinere; quia hæc pertinet ad iurisdictionẽ ordinariã Episcoporum. Verùm infra annum concedere potest litteras testimoniales, sed non dimissorias; quia illæ tantùm de vita, & moribus sunt litteræ. Benè tamen post annum vacationis, valet etiam non arctatis dimissorias ad Ordines suscipiendos concedere; quia succedit in omnẽ iurisdictionem Episcopalem per se, vel per alium ad id idoneum exercendum; *ita habetur per cap. si Episcopus in 6.* Et si initiatus, & ordinatus minoribus à capitulo infra annum sine arctatione beneficij, non gaudet priuilegijs clericalibus, sed priuandi sunt per sententiam. Maioribus verò ordinibus ordinati, sint ipso iure suspensi; *ità Cōcil. Trid. sess. 7. cap. 10.*

11. Similiter obtinens à Papa Breue, quo possit à quolibet Episcopo Ordinari, non indiget dimissorijs, sed testimonialibus litteris Ordinarij, & si ordinatur sine testimonialibus, remanet suspensus ab exequutione ordinũ susceptorum, quandiù proprio ordinario videbitur expedire. Et Ordinans incurrit suspensionem à collatione ordinum per annum; *ità statuit Concil. Trid. sess. 23. cap. 38.* Et Episcopus Ordinans in aliena diœcesi sine licentia Ordinarij, est suspẽsus per annum ab exercitio Pontificalium, scilicèt, ordinare, Chrisma conficere, Clericos

de-

deponere, Virgines benedicere, Ecclesias, Altaria consecrare, & similia, & non quæ ad iurisdictionem; *ità Concil. Trid. sess. 14 cap. 2.* Episcopus tamen suspensus à Pontificalibus, si posteà celebret, non est irregularis; quia huiusmodi ornamenta, diuina Officia non sunt. Et suspensus, vt irregularis fiat, officia diuina assequi debet. *Argumentum cap. 1. de sentent. & re iudic. in 6.* quia illa ornamenta non sunt de substantia Ordinis Episcopalis, & sine eis munus, & officium Episcopale quò ad substãtiam exerceri potest. Tamen si per Pontificalia accipitur ordinare, baptizare &c. talis suspensus est irregularis; quia talis diuina facit ex officio, & ordine; *ità in cap. cùm medicinalis de sentent. excomm. in 6. §. caueant.*

12. Item Episcopus potest conferre primam Tonsuram subditis suis extra diœcesim; quia prima Tonsura non videtur ad actus Pontificales pertinere, cùm priuatim conferre possit. Sed si confert non subdito sine dimissorijs sui Ordinarij, etiam in sua diœcesi, suspenditur per annum ab eius collatione; *ita habetur in cap. Nullus Episcopus &c. in 6.* Talis tamen prima Tonsura esset valida quo ad substantiam, inualida quò ad obtinenda beneficia; quia *ità est praxis Sacræ Rotæ.* Et si confert primam Tonsuram illiterato, à collatione primæ Tonsuræ, est suspensus, non autem à collatione aliorum Ordinum; quia suspenditur in eo, in quo peccauit; *ità Bonifacius VIII. in c. Nullus &c.*

13. Item qui furtiuè suscipit Ordines incurrit suspensionẽ; quia *ità Celestinus III. cap. Veniens ad nos.* Quamuis esset verè ordinatus; quia intentio applicata huic ab Ordinante, satis est ad valorẽ ordinis. Esset irrita, si Episcopus ordinãs actualitèr, non intendat ordinare sic accedentem ad ordinationem; quia ad validitatem Sacramẽti requiritur saltèm virtualis intentio illud conferentis. Et si sub pęna excommunicationis latæ sententiæ imposita est cõtra suscipientes Ordines furtiuè, non incurrit irregularitatẽ; quia tunc incurrit, si post illam actionem, ob quam contrahit excommunicationem, suscipiat alios Ordines, vel illos exerceat. Et hæc excommunicatio lata cõtra accedentes ad Ordines suscipiendos contra ipsius prohibitionem, non solũ cadere in subditos ipsius Episcopi, verùm etiam in exẽptos; quia ordinandi alias exempti, videntur in hac re subditi Ordinario, à quo suscepturi sunt Ordines. Verũ Episcopus examini subijcere non tenetur ordinandum, qui ad ipsum accedit

dit cū dimissorijs proprij Episcopi; quia iàm probati, & examinati sunt à proprijs Ordinarijs; *ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 3.* Hodiè tamen non promouentur, nisi per examen; quia ità vsu receptum est.

14. Similiter ligatus excommunicatione maiori, vel minori Ordines maiores suscipiendo, non incurrit irregularitatē, sed suspensionem, quia *in cap. cùm illorum de sentent. excommunicat.* habeantur verba potiùs accommodata suspēsioni, quàm irregularitati. Benè tamen talis ligatus excommunicatione, suspensione, & interdicto, etiā si sit occultus, & tolleratus, incurrit irregularitatem Sacros Ordines exercendo, si scientèr, vel scire debens, id præstet. Idq; de suspenso colligitur *ex cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.* De interdicto habetur *in cap. Is, qui de &c. in 6.* De excommunicato excommunicatione maiori colligi potest *ex cap. si quis Episcopus 2. 11. quæst. 3.* Tamen talis solemni exercitio minorum Ordinum, non contrahit irregularitatem; quia talis actus exercetur ex consuetudine à Laicis, etiam sollemnitèr. Benè tamen contrahit irregularitatem, qui suspensus, vel interdictus est ab Ordinum suspensione, vel interdicto simplicitèr; quia iura sic simplicitèr, & absolutè loquuntur.

15. Verùm suspēsus ab Ordine inferiori, est suspensus à Superiori; quia quòd non licet, quod est minùs, nec etiam quod est maiùs; *ità in Argumēto cap. cùm illorum de sent. excom.* Non autem è contra; quia inferior nō fundatur in Superiori. Sed suspēsus ab ordine absq; vlla moderatione, intelligitur suspētus ab omni ordine; quia nomen, Ordo, absolutè prolatum dicitur de quolibet Ordine. Non tamen est suspensus ab actu primæ Tonsuræ; quia prima Tonsura propriè non est ordo, & in collatione illius non imprimitur Character. Est tamen professio vitę spiritualis, per quam homo numeratur in Clerum; quia fit capax iurisdictionis Ecclesiasticę, beneficiorum, & priuilegiorum.

16. Similitèr suspensus ab ordine, non est eò ipso suspensus à iurisdictione, sed potest eam exercere; quia non est adnexus necessariò iurisdictioni. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 22. art. 3.* Tamen suspensus ab officio, ab omnibus officijs, quæ vel ratione ordinis, vel iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ competunt, est suspensus; quia nomine officij intelligitur potestas Ecclesiastica alicuius rei Ecclesiasticæ ab ordine, vel iurisdictione, vel ab Ecclesiastica administratione proficiscens, seu pendens. *ita in*

in cap. Perfectis dist. 25. de iurisdict. Itá quòd suspensus ab officio, non potest Sacramenta ministrare; quia Sacramentorum ministratio & diuinorum exercitium sunt munera clericalia, & suspẽsio afficit clericos, quatenùs clerici sunt. Benè tamen potest Sacramenta suscipere; quia non est actus officij neq; iurisdictionis. Non tamen Sacramentum Ordinis recipere potest; quia cùm vetitum est, functiones Ordinum exercere, videtur etiam vetitum recipere ordines. Quamuis alij dicant talem posse recipere ordines; quia receptio ordinum non est actus officij, nec iurisdictionis.

17. Similitèr suspensus à diuinis officijs, non potest exercere diuina, scilicèt actiuè per actũ suo ordini specialitèr deputatum; quia suspensus à diuinis prohibetur in officio suo agere, sicut priùs, & officium suum exercere, sicut priùs. *ita in cap. 1. de sentent. & re indicata. in 6.* quia suspensus à diuinis incurrit irregularitatem, quando exercet actum ordini suo deputatum, & sibi per suspensionem prohibitum. *ita Innocẽtius. cap. finali, de excessibus Prælati. & in cap. 1. de sentent. & re indicata. cũ æterni. in 6. §. Scitutus.* Tamen suspensus passiuè potest, vt posset Laicus confiteri, communicare, & Missam audire; quia cùm suspensio sit pœna Ecclesiastica prohibetur exercitium sui offic.j: Non tamen potest diuina officia persoluere ex officio; quia suspẽsio efficit, ne Clerici possint cũ alijs officiare, vt clerici in choro, & ex officio. Persoluere potest, tamquam Laicus, & vt sic, potest canere in Choro, inseruire Missæ, cantare Epistolam; quia omnia hæc simplex Laicus efficere potest. Verùm suspensus à diuinis officijs, ex officio exercet functiones ordinum minorum non contrahit irregularitatem; quia eorũ exercitium etiam cum sollemnitate à Laicis exerceri solet.

18. Similitèr ligatus censuris, si ordines minores suscipit, irregularitatem incurrit; quia *cap. cùm illorum. de sent. excomm.* absolutè loquitur de suscipiẽtibus Ecclesiasticos ordines, hos statuit esse irregulares. Ligatus tamẽ excommunicatione minori, suscipiendo ordines, siuè maiores, siuè minores, non incurrit irregularitatem; quia sicut celebrãs cum minori excommunicatione, peccat quidem lethalitèr, non tamen cõtrahit irregularitatem. *ita ex cap. si celebrat. & cap. similitèr.* Neque ligatus excommunicatione maiori accipiens primam Tonsuram, non contrahit aliquam irregularitatem; quia prima Tonsura, non est ordo, sed præambulum. *ita D. Thom.*

3. p.

3.p.in addit.quæst.40.art.2.& cap. cùm illorum de sent. excomm. Neque talis contrahit inhabilitatẽ ad beneficia; quia cùm non contrahit irregularitatem, neq; inhabilitatem. Imò licentia concessa tali excommunicato suscipiendi primam Tonsurã, & ordines minores est valida; quia nulla pœna ipso iure incurritur. Et exercens actum iurisdictionis in excommunicatione, nõ fit irregularis; quia aliud est actus iurisdictionis, & aliud est actus ordinis sacri exercere.

19. Verùm ligatus censuris, si suscipit Præsbyteratum, fit irregularis ex delicto malè suscipiendi Ecclesiasticos ordines, nõ tamẽ ex delicto malè exercendi ordinem sacrum; quia illa celebratio consecrationis non facit, tamquàm sacrum, sed primam Missam illam esse existimat, quam quis sacro ordine presbyteratus initiatus per se ipsum postea celebrare posset.

ARTICVLVS V.

An Fœmina sit subiectum capax Ordinis?

1. ℞. Non; quia per sexus infirmitatem non permittitur. *ita D.Tho.3.p.in addit.quæst.39.art.1.* Et oppositum asserere est hæresis; quia Christus tantùm ordinauit viros, & non fœminas, & ex D.Tho. *loco citato* colligitur, quòd Apostolis tantùm dedit potestatem absoluendi. Neque est capax ordinum minorum, & oppositũ asserere est temerarium, & proximum errori; quia minores ordines licèt non imprimant characterem, tamen sunt in ordine ad Sacerdotium, cuius nõ est capax mulier. Ità vt Papa per dispensationem non potest, vt mulier prima Tonsura validè initietur; quia prima Tonsura est consecratio personę ad eum statum, ex quo ad Ecclesiasticos Ordines, & gradus ascendi possit, cuius ascẽsus mulier est incapax. *ita D. Thom.3. p.in addit.quæst.40. art.2.* Et licèt mulieres possint esse Prophetissæ, non autem Clericæ; quia per donum Prophetiæ non cõstituitur homo in officio, aut statu Ecclesiæ eminenti, sicut Clerici.

2. Nota, quòd Propheta dicitur ille, qui ea cognoscit, & annunciat, quæ procul sunt à Viatorum notitia, cum quibus ipse habitat. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 7. art.8.* Ideò Christus fuit verè Propheta, quia plurima cognouit, & annunciauit, cùm fuerit Viator secundùm corpus passibile, licèt secundũ partem superiorem sit comprehensor. Prophetia enim est cognitio, & annunciatio eorum,

quæ longè distant à sensibus hominum, & ab ordinaria cognitione Viatorum. *ita D. Tho. loco citato, & 2. 2. quæst. 171. art. 3.* dicit, quòd ad Prophetiam propriissimè pertinet reuelatio euentum futurorum. Verùm Prophetia non solùm est futurorum contingentium, sed etiã de præterito, ac etiam de præsenti; quia Prophetia est de his, quæ procul sunt à cognitione, vel de his, quæ omninò ab ordinaria cognitione Viatorum sunt, vel de his, quæ longè distant à sensibus Viatorum. *ita D. Thom. loco citato.*

3. Similitèr ad Prophetiam requiritur lumen intellectuale, excedens lumen naturalis rationis; quia pertinet ad cognitionem, quæ supra naturalem rationem existit, & ex D. Tho. *loco citato* colligitur, quòd est de his, quæ procul à nostra cognitione sunt. Tamen Prophetia non est habitus; quia non agit, cùm voluerit. *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 3.* Excepto Christo propter coniunctionẽ humanitatis ad Verbum fuit Prophetia permanenter, & prophetabat, quando volebat. Vnde si Deus, vel aliquis Beatus reuelaret, & manifestaret nobis futura, vel ea, quæ procul sũt à sensibus, non essent Prophetæ; quia de ratione Prophetiæ est, quòd Propheta habeat cõuictum cum illis, cum quibus prophetat. *ità D. Thom. 3. p. q. 7. art. 8.* Neque de essentia prophetiæ est cognitio obscura, & Ænigmatica, sed per accidẽs illi coniungitur ratione subiecti; quia sicut non est de essentia Theologiæ, quòd innitatur principijs fidei, in Beatis verò in principijs euidentèr cognitis; ità Prophetia in nobis obscurè, in Christo euidentèr; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 7. art. 8. ad 1.*

4. Similiter aliqua Prophetia est à Dœmonibus, qua possunt cognoscere naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus reuelare; *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 172. art. 5.* Sed prophetia à Dœmine est secundum quid; cum propriè, & simpliciter prophetia sit diuina reuelatio; *ita D. Thom. loco citato.*

5. Rursus Prophetia propriè, & simplicitèr illa est, quæ se extendit ad ea, quæ soli Deo nota sunt, & fit per solam diuinam reuelationem; *ità D. Tho. 2. 2. quæst. 172. art. 5.* Et talis fit cum illuminatione intellectus; quia hæc per solam diuinam reuelationem sciri possunt; *ità D. Thom. loco citato.* Et hæc nunquàm est falsa; quia est signum euentus immobili veritate denuncians; *ità D. Thom loco citato: & 2. 2. quæst. 171. art. 6.* Ideò prophetia, quæ à Dœmone non

non est prophetia propriè, & simpliciter; quia peruersitas Dęmonum non habet ordinare ad Deum, sed magis ab Ordine diuino abducere; *ita D. Tho. p. p. quæst. 109. art. 3.* & aliquando est falsa. Quamuis aliquando prædicit verum; quia Prophetæ falsitatis non semper loquuntur ex Dœmonum reuelatione; sed interdum ex inspiratione diuina; *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 172. art. 6.* Vnde veri Prophetæ, quorum mens illustratur diuinitus, perfectè cognoscunt ea, quæ prophetant; quia maius est lumen prophetiæ, quam lumen naturalis rationis, quod scit per rationem. Veri etiam Prophetæ, licet nō perfecti, quandoq; non cognoscunt omnia, quæ in eorum visis, aut factis Spiritus Sanctus intendit, sicut Caiphas prophetauit. Similiter Spiritus sanctus mouet aliquando mentem alicuius ad aliquid faciendum, sed non intelligit, quid per illud factum Spiritus sanctus intendat, sicut milites diuidentes vestimenta Christi. Similiter cùm mens humana mouetur à Spiritu sancto ad aliqua verba exprimenda, sed non intelligit quid Spiritus sanctus per illa verba intendat. Sicut etiam mouet ad aliquid faciendum, & non intelligit, quid Spiritus sanctus intendat. Et tunc in isto non est perfecta prophetia, sed quidā instinctus propheticus; quia ad prophetiā propriè pertinet, quòd aliquis cognoscat se moueri à Spiritu sancto ad aliquid existimandum, vel significandum verbo, vel facto; *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 173. art. 4. 6.* Omnis ergò masculus baptizatus potest suscipere Ordines, etiam si vsu rationis careat, aut puer, aut insanus, vel etiam si sit hæreticus; quia *ità patet in cap. vnic.* & ex D. Th. *3. p. in addit. quæst. 39. art. 2.* colligitur, quòd vsus rationis requiritur in suscipiente Sacramentum, nisi quādo Sacramentum consistit in aliquo casu; vt matrimoniū, quod fit per mutuū consensum, non autem vbi per Sacramentum datur potestas aliqua, quæ est prior actu, vt in Baptismo datur potentia ad suscipienda Sacramenta, & Ordines, & in Ordine datur potentia ad eadem administrāda. Clarum est, quòd vsus rationis nō est de necessitate Sacramēti ad suscipiendos Ordines. Neq; expresè, & per se est de necessitate præcepti, si loquamur de ordinibus minoribus; quia tanta posset ingruere necessitas, quæ primitiuæ Ecclesiæ in vsu erat, vt posteà puer nōdum lumen rationis ingressus, minores Ordines suscipere; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 2.* Sed hoc non est in vsu, nec vllam admittere necessita-

Qqqq 2 tem,

tem, & modò est necessitas præcepti; *ità D. Thom. loco cit.*

7. Verùm amentibus; qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, non validè conferri possunt Ordines, vt illos nullo modo priùs expetierant; quia isti habitualitèr noluerũt suscipere Ordines. Sicut non est validus Ordo datus dormiẽti; quia adultus, qui non consentit saltem virtualiter Ordini suscipiendo, virtualitèr contradicit; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 68. art. 7. & in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2.* Sed si priùs consenserit tàm amentes, quàm dormientes possunt; quia Sacramenta tribus constare, scilicèt, materia, forma, & intentione ministri, & ex parte suscipientis voluntas saltèm virtualis; *ità Concil. Florent. & D. Thom. 3. p. quæst. 68. art. 7.* Verùm vsus rationis ad maiores Ordines suscipiendos, licèt non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti Ecclesiæ; quia dùm suscipiens non contradicit, nec formaliter, nec virtualiter est validum Sacramentum, & Sacris Ordinibus est annexum ab Ecclesia votũ Castitatis.

8. Rursus Hermaphroditus est, qui habet vtrumq; sexum, virilem, & fœmineum, & indicatur vir', aut fœmina iuxta sexum in ipso præualentem. Sed si vterq; est æqualis, tunc equè vir, & fœmina iudicandus est; quia nulla ratio viget, cur potius vir, aut fœmina censeatur. Ideò si equè, aut magis participat fœmineum, quàm virilẽ sexum, non potest validè ordinibus initiari; quia subiectum Ordinis est masculus, & maximè dedecet fœminam ad ordinem promoueri. Sed si præualet sexus virilis, validè Ordinari potest; quia tunc dicitur masculus. Tamen illicitè ordinaretur ratione scandali; quia est monstrum, & consequenter irregularis, de qua solus Papa dispensat. Ac etiam illicitè talis susciperet primam Tonsurã; quia irregularis simpliciter ad Ordines, irregularis ad primam Tonsuram, quæ est præambulum ad Ordines, & consequentèr illicitè. Et suscipiendo primam Tonsuram, peccaret mortalitèr; quia licèt non sit Sacramentum, est tamen valdè grauis, cũ sit dispositio ad Ordines.

9. Similiter Character Ordinis, & omne Sacramentùm presupponit Characterẽ baptismalem; quia per eum efficitur homo receptiuus aliorum Sacramentorum, & alterius cuiuscumque Characteris cum sit ianua aliorum Sacramentorũ; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 35. art. 3.* Ità vt si quis etiam ex ignorantia inuincibili ordinetur sine Baptismo, nullum recipit

pit Sacramentum Ordinis, neq; Characterem, & si postea veritas cognoscatur, debet priùs baptizari, & posteà ordinari sine aliqua conditione; quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum.

10. Tandem Character Ordinis non præsupponit de necessitate Sacramenti Characterem Confirmationis; quia iàm ante Confirmationē homo per Characterē baptismalem præsupponitur susceptiuus aliorū Sacramentorum. Tamen de cōgruitate præsupponitur; quia qui Sacramentum Ordinis suscipiunt, sunt aliorum confirmatores, assumuntur enim ad Sacramenta alijs fidelibus tradenda; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 35. art. 4.* Verùm accedere ad Sacramentum Ordinis sine Confirmatione, peccatum mortale est; quia Sacrilegium est ex genere suo, recipere Sacramenta sine debita congruitate; *ità D. Thom. loco citato, & Concil. Trid. sess. 23. cap. 4.* Ita etiam suscepturus Ordines, debet esse initiatus prima Tonsura; quia est quædam dispositio ad Ordines, sicut Nouitiatus ad Religionem. Valida tamen esset ordinatio ante primam Tōsuram; quia ex nullo iure colligitur, necessariò requiri illam, ad validam Ordinis susceptionem.

ARTICVLVS VI.

An Bigami à susceptione Sacramenti Ordinis impediantur?

1. ℟. Sic; quia quomodocunq; sunt irregulares; *ità cap. 1. 2. & 3. de Bigamis, & Concil. Trid. sess. 23. cap. 17.*

2. Nota, quòd *Bigamia est defectus ex secundis nuptijs proueniens, vel est irregularitas ex defectu Sacramenti proueniens.* Item Bigamia triplex est, vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera, est status, qui habuit, & cognouit duas vxores, vnam mortua altera. Interpretatiua est illa, quam incurrit, qui fingitur duas habuisse vxores, & est ille, qui contraxit viduam, vel corruptam ex alio; vel cōtraxit cum Virgine, & eam cognouit, postquàm cum alio adulterium commisit. Similitudinaria est illa, quam incurrit quis Ordine Sacro insignit⁹, vel voto sollemni astrictus, cū aliqua contrahens, & consumans. Dicitur Bigamiæ irregularitas oriri ex defectu Sacramenti, scilicèt, matrimonij, cū Christus cū Ecclesia est vnius cum vna, quod tollit Bigamus. *ita traditur à Celestino III. cap. Debitum de Bigamis.* Et irregularitas interpretatiua congruè dicitur orta ex defectu Sacramēti; quia talis carnem suam in plu-

plures diuisisse, non tanquam Christus cum Ecclesia. Et irregularitas similitudinaria est ille, qui post votum sollemne castitatis emissum in Religione, vel in sacris ordinibus, de facto cum vidua, vel ab alio corrupta, vel cum Virgine cōtrahit, & eam cognouit, dicitur Bigamus Bigamia similitudinaria, ideo irregularis. *ita in cap. Quotquot. 27. quaest. 1.* Cum ius interpretetur duo matrimonia contraxisse, scilicet, priùs cum Christo, & posteriùs cum fœmina. Et hæc irregularitas non oritur ex significationis defectu, sed ex delicto; quia caro non diuiditur in plures, cùm nullum sit matrimonium, consequentèr non ex defectu significationis, sed ex delicto.

3. Verùm ad Bigamiam cōthahendam duo requiruntur, scilicèt, vt matrimonium cum duabus contrahatur verè, aut interpretatiuè, aut similitudinariè; secundo requiritur copula actualis; quia matrimonium ratum, & non consummatum non dicitur carnem suam diuidere in plures. *ita D. Thom. in 4. dist. 27. quaest. 3. art. 1. quaestiunc. 1. ad 3.* Secùs contrahere hanc Bigamiæ irregularitatem, solutum, qui ducit vxorē voto sollemni castitatis astrictam, quia *in cap. Quotquot. 27. quaest. 1.* loquitur de contrahentibus post votum emissum, non autem de contrahente cum fœmina vo-tata.

4. Similiter Bigamia non oritur ex matrimonio non cōsummato; quia hic carnem suam nō diuisit in plures. Ideò ducens viduam non cognitam à priori viro, nec ab altero, nō censetur carnem suam in plures diuidisse; quia *ita statuitur in cap. debitam. de Bigamis*. Ita etiā non est Bigamus, qui corruptam duxit, si ea mortua ante carnis copulam, posteà aliam Virginem duxit, & carnalitèr eam cognouit; quia carnem suam in plures non diuisit, nec cum corrupta consummauit. *ita cap. loco citato*. Neque esse Bigamum, qui fœminam, quā ipse prius per violationem violauit, in vxorem duxit, & eam denuò cognoscit; quia hic nō diuisit carnem suam in plures, nec illa in duos, cùm ab vno tantùm cognita sit. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quaest. 66. art. 3. ad 2.* Cùm in hoc matrimonio saluetur ratio Sacramētalis significationis, cùm sit vnius cum vnica.

5. Similitèr cōtrahens duo matrimonia irrita, siuè simul, siuè successiuè, & vtranque carnalitèr cognoscit, est Bigamus, & irregularis; quia quantùm in se ipso fuit, duas fœminas sibi matrimonialitèr coniunxit. *ita Innocentius III. cap. Nuper de Bigamis*. Et tales non sunt

sunt Bigami propter Sacramēti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto; quia cùm sint irrita, fuit aliqua similitudo, & interpretatio duorum matrimoniorum. Ità etiam est Bigamus, qui plures duxit vxores, vnam legitimè, aliam de facto, easq; cognouit; quia licèt non sint duo matrimonia, tamen ius canonicum statuit, vt tamquā duo matrimonia consummata habeantur. *ita Innocentius III.* Item esse Bigamum, & irregularem, qui priori legitimo matrimonio dissoluto, contraxit aliud de facto, idest, irritum, & inualidum; quia textus Innocentij III. non ponderat affectum delinquendi, sed affectū duplicis matrimonij ineundi cum subsequuto de facto, & consummato. Sed non contrahitur irregularitas ex matrimonio vnico cum vidua, vel corrupta, irrito tamen ob aliquod impedimentum; quia minimè præstat impedimentū, quod de iure non sortitur effectum. *ita de Regulis iuris in 6.*

6. Ducens tamen in vxorē Virginem, si postquam adulterata est, illā carnaliter cognoscit, hanc Bigamiæ irregularitatem incurrit; quia tale matrimonium non est aptum ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 66. art. 3. ad 4.* Ita etiā cognoscens vxorem adulteram, Ecclesia præcipiente, vel eo, quòd lis pendeat, vel quia nequit adulteriū probare, incurrit Bigamiæ irregularitatem; quia ad hanc cōtrahendā non requiritur, quod sit culpa aliqua, sed sufficit significationis defectus. *ita D. Thom. loco citato.* Tùm quia Bigamia hæc non inducit rationem punitionis, & pœnæ, imò aliquando meritum, & præmium; & tamen absque delicto incurritur, vt iudex mortē reo. Item est Bigamus, qui post separationem cum sua vxore adultera, reconciliationem cū ea inijt, eamque post reconciliationem cognoscit; quia reperitur defectus significationis, consurgens ex diuisione carnis fœminæ cum pluribus.

7. Verùm ex copula nefanda non contrahitur hæc Bigamiæ irregularitas; quia non fit vna caro cū cōmixtione sāguinum. Neq; si se recōciliat cum vxore adultera, solùm quò ad domum, & non quò ad thorum; quia sine copula carnali nunquā contrahitur Bigamia.

8. Bigamiæ autem irregularitatis dici solet ex defectu Sacramenti; quia matrimonium cum vxore secunda, vel corrupta, non perfectè significat vnionem Christi cum Ecclesia, quæ est vnius cum vna incorrupta. Sed vt matrimoniū

dica-

dicatur consummatum, non sat est, vt vir penetret vas fœmineum. sed etiam semen virile vas sponsæ penetret; quia aliàs non efficitur vna caro. *ita D. Thom. in 4. dist. 41. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1. ita cap. lex. Benedicti Papæ. 27. quæst. 2.* Censetur tamen matrimonium consummatũ, si solus vir intra vas fœminæ seminat, fœmina non seminante; quia semen fœmineũ ad generationem necessarium non est. *ita Aristotiles lib. 2. de generat. animalium. cap. 1. & D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 31. art. 3. ad 3.* Ideò Beata Virgo non fuit necesse semen seminasse, vt sit vera, & naturalis Mater Dei; quia Corpus Christi ex castissimis, & purissimis sanguinibus illius est formatum virtute Spiritus sancti. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 31. art. 5. & fides Catholica docet.*

9. Vnde vir quando deflorauit fœminam post matrimonium ratum, non tamen seminauit, potest religionem ingredi, & valida est professio; quia vtendo iure sibi concesso, à sacris Canonibus, scilicèt per bimestre non consummare matrimonium, non peccat. Secùs si dolosè sponsam defloret, nõ licitè potest ingredi Religionẽ post deflorationem spõsæ, absque tamen seminis effusione; quia ratione iniuriæ de facto illatæ, non potest licitè ingredi Religionem. Tamen si bona fide sponsus accessit ad sponsã animo, scilicèt consummandi, & non potuit propter debilitatem, vel aliquod impedimentum superueniens, vel in ipso actu Spiritus sanctus Religionẽ inspirauit, validè, & licitè, tunc Religionẽ ingredi potuit; quia nihil tunc sponsus fraudulentèr egit, nec delicti reus est, & iure suo vtitur.

10. Rursùs si plures vxores habuerit ante Baptismum, vel vnam antè, & alteram post, Ecclesiasticos Ordines absque dispensatione recipere nõ valet; quia Ecclesia hunc facit irregularem ob indicium incontinentiæ eò quòd contraxit bis matrimonium; *& ex D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 66. art. 4.* colligitur, quòd Baptismᵘ verè soluit culpas, & non coniugia. At irregularis non erit conuersus ad fidem, qui ante Baptismum iustè, vel iniustè hominem occidit; quia homo post Baptismum, quasi in alterum virum mutatur, *& ex cap. si quis viduam dist. 50. & cap. Aliquando, & cap. si quis post Baptismũ dist. 51.* colligitur, quòd iura non imponunt irregularitatem homicidij, nisi propter homicidium patratum post Baptismum.

11. Item per Religionis professionem tollitur irregularitas, q̃ prouenit ex defectu natalium quò ad Ordines suscipiendos,

sed

ſed non quò ad dignitates, & prælaturas, & præter iſtam, quæ oritur ex defectu natalium, nulla alia irregularitas deletur per Religionis ingreſſum; quia in iure eſt expreſſum; *ita in cap. de Filijs Presby.* Papa autem in omni ſpecie Bigamiæ diſpẽſare poteſt, ad omnes Ordines, etiam Pontificales; quia poteſt in omnibus Papa, quæ ſunt de iure canonico; *ità cap. Lector diſt. 34. & ibi gloſſa. ità D. Thom. 3. p. in addit. quæſt. 66. art. 5.* Nec obſtat quod Bigamiæ defectus eſt de iure Diuino, iuſta dictũ D. Pauli *prima ad Thimot. cap. 3.* dicentis Epiſcopum debere eſſe vnius vxoris virum; quia D. Paulus fecit hoc præceptũ, vt Epiſcopus particularis, ſed non vt præceptum conditum à Deo. Et Papa poteſt diſpenſare in legibus latis ab Epiſcopis, vel Apoſtolis, tamquàm Epiſcopis particularibus; *ità D. Tho. loco citato.* Nec in diſpẽſatione Bigamiæ eſt opus mẽtionem facere ternarum, vel quaternarum Nuptiarum, ſed ſat eſt ſolam Bigamiam explicare; quia ideo Bigamus eſt irregularis, & inhabilis ad Ordines, nam habet ineptitudinẽ ad ſignificandam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia vnica ſua ſponſa; *ita D. Thom. in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3.*

12. Verum diſpenſatio impetrata ſuper irregularitate cõtracta ex vno homicidio iniuſto, non extenditur ad irregularitatem contractam ex alio ſimili homicidio, ſi ſecundum homicidium non fuit expreſſum in impetratione diſpenſationis; quia ſecundum homicidium inducit aliam nouam irregularitatem. Imò in ſecunda petitione diſpenſationis tenetur mentionem facere de prima diſpenſatione; *ità lib. 3. cap. de Epiſcopali audientia.* At in hac tenetur mentionem facere, an Bigamia ſit vera, vel interpretatiua, vel ſimilitudinaria; quia iſtæ ſunt diuerſæ ſpecies Bigamiæ. Item facienda eſt mentio, ſi ſimul concurrãt Bigamia vera, & interpretatiua, & ſi duo quiſquam inijt matrimonia valida, & alterum cum corrupta; quia Bigamia vera, & interpretatiua ſunt diuerſæ Bigamiæ ſpecies.

13. Rurſus Bigamus, qui ordinibus ſacris fuit iniatus abſq; diſpenſatione, gaudet priuilegijs Clericorum; quia talis eò ipſo, quò eſt Sacris Ordinibus initiatus, non poteſt viuere vt Laicus. Sed ſi eſt initiatus ordinibus minoribus; hic eſt priuatus priuilegio Clericorũ; *ita in cap. vnic. de Bigamis. 6.* Religioſus etiam profeſſus Bigamus, etiã ſi non ſit in Sacris cõſtitutus, gaudet priuilegio clericali; quia non poteſt ſtatum ſuum Religioſum dimittere,

quo meretur priuilegium clericale. Etiam Nouitius Religiosus Regularis gaudet priuilegio clericali; quia talis gaudet priuilegio Canonis, & fori; *ita in cap. Religioso de sent. excommunic. in 6.*

14. Item Episcopi, cum Bigamis dispensare non valet ad Sacros Ordines suscipiendos; quia ipsi non possunt dispensare in iure communi, nisi quatenus illi conceditur à Sede Apostolica. Sed benè ad exequendum, & suscipiendos Ordines minores; quia per minores homo non ligatur simpliciter diuino cultui. Sed sacris mancipatur, est namque illis ordinibus adnexum votum Castitatis: *ita D. Thom. 3. p. in addit. q. 66. art. 5.* Neq; in Bigamia similitudinaria potest Episcopus dispensare; quia in isto est defectus Sacramenti, sicut in Bigamis veris; *ita gloss. in cap. Nuper. de Bigamis.*

15. Tandèm Prælatus Regularis potest cum suis subditis Bigamis dispensare ad Ordines minores suscipiendos, & cum eisdem potest dispēsare, si post professionem contraxerunt cū aliqua Virgine; quia tales habent potestatem, & iurisdictionē Episcopalem cum suis subditis. Sicut Episcopus cum Clericis. *ita cap. sanè de Cleric. coniug.*

ARTICVLVS VII.

An corpore Vitiati, à susceptione Sacramenti Ordinis impediantur?

1. R. Sic; quia *ità ex toto titulo de Corpore Vitiato & cap. de Clerico ægrotante. ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 6.*

2. Nota, quòd corpore Vitiati in hac materia dicuntur illi, qui debilitati sunt, vel mutilati. Debilitatus est ille, qui habet quidem membra, sed tamen aut vnum, vel plura sunt inutilia, vt manus arida, & similia. Mutilatus verò est, qui aliquo corporali mēbro ad vsum Ordinum caret, *vt manu, oculo &c.* Isti arcēdi sunt, tamquàm irregulares à susceptione Ordinum, & beneficijs obtinendis; quia in ordinandis non solùm requiritur claritas morum, sed integritas, & sanitas membrorum, etiam sine deformitate, nàm aliàs scandalum, & horrorem gigneret. *& ex cap. vlt. de Rescrip. 6. & ex D. Thom. loco citato.* colligitur, quòd beneficium datur propter officium clericale. Ideò habens corporis defectum impedientē vsum Sacerdotij, non potest ad reliquos Ordines promoueri; quia talis est irregularis habens impedimentum Canonis; *ità cap.*

Il-

Illiteratus dist. 36. Quamuis probabile sit hunc posse admitti ad minores Ordines; quia deformitas est ad celebrandum, & non ad vsum aliorum ordinum.

3. Verum non est eadem ratio de habentibus defectum corporis, quò ad Ordines suscipiendos, & quò ad exercitiũ actus in ordinibus receptis, antequam talis defectus corporis contigerit: quia ille est inhabilis ad promouendum, iste quãuis non possit celebrare Missã, poterit tamen omnia alia ministeria exercere, vt confessiones audire, actus Diaconi, & Subdiaconi facere; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 10.* Qui verò caret *oculo*, irregularis est; quia oculus est membrum. Sed carens lumine, & vsu oculi dexteri, non est irregularis; nec incapax ad suscipiendos Ordines; quia defectus talis non impedit vsum ordinum, nec horrorem, vel deformitatem. At carens vsu, & lumine oculi sinistri, idest, *oculi Canonis*, est irregularis, & incapax; quia conuersio illa ad populum inter legẽdum notabilem deformitatem inducit. Secus, si oculo dextero Canonem, & alia legere potest sine vlla indecentia, & deformitate; quia tunc cessat ratio irregularitatis.

4. Similiter *naso* carentes, vel mutilato, irregulares sunt, & incapaces; quia eius priuatio magnam inducit deformitatem. Et à solo Papa dispensatur. Nõ autem habentes nasum destortum, vel nimis grandem, vel breuẽ; quia hoc iudicio Episcopi relinquitur. Sed mutilator *nasi* dici non potest irregularis; quia illa Cartilago, licèt sit Sensorio adiumentum, non tamen sentiendi actionem exercet.

5. Sed carens *auriculis*, idest, illa externa Cartilagine, irregularis est; quia licèt non sit membrum, tamen inducit deformitatem. At si talis potest celare capillorum velamine, non est irregularis, & incapax; quia non apparet deformitas. Neq; est irregularis, qui *auriculam* alteri amputauit; quia Cartilago illa nõ est membrũ, cum non sit necessaria auditui. Verũ satis probabile est, quòd qui amputauit *nasum, vel auriculam* alteri, irregularem esse, & incapacem; quia est grauis diminutio principalium mẽbrorum, quod ad mutilationem satis est. *Et hæc sententia est conformior Sacris Canonibus.*

6. Verùm *sanguinis effusio*, quantumuis copiosa, & cum multis vulneribus, non sufficit ad mutilationem, quæ inducit ad irregularitatem, & incapacitatem; quia mutilare significat propriè, mẽbrum aliquod abscindere. Membrum autem

est organum, seù pars principalis corporis, peculiarem in corpore functionem faciēs distinctum ab alijs partibus, *vt manus tangendi, pes ambulandi &c.* pro quorum abscissione incurritur irregularitas; non verò partes aliquæ talium membrorum, *vt digitus manus*; quia non est mēbrum, sed pars membri. *ità cap. Exposuisti de corp. Vitiat.* Tum quia abscissio *digiti, dentium, cartilaginis, nasus*, non sunt propriè membra, sed potius dicenda accessoria ad membra. Et sic abscindentes alteri *vt mentum, barbam, capillos*, non sunt propter hoc irregulares; quia huiusmodi non sunt membra, sed tantùm sunt ad decorem corporis.

7. Secùs tamen est, si abscindens sibi partē digiti, aut seipsū castrans, aut in abscissionem testiculorum consentiens; aut culpabiliter causam abscissionis præbens, etiam ex indignatione, vel impacientia, tunc est irregularis, & incapax; *ità in cap. Qui partem digiti dist. 55. & in cap. si quis abscindit. dist. 55.* Ità etiam qui dat operam rei illicitæ, membrum, aut partem membri amittit; *ità cap. 1. de Corp. Vitiat. ab Alexandro III. deciditur.* Non autem dans operam rei licitæ, si partem digiti minimi amittit; quia non habet notabilem deformitatem, neq; ex delicto est irregularis. Sed amittens vngulam pollicis dans operam rei illicitæ, est irregularis; quia culpa sua in talem modicam deformitatem incidit; cùm sit notoria in celebratione; *ità ex cap. eodem titulo colligitur.* Tamen priuatus membro occulto notabilem deformitatem exterius non generante absq; sua culpa, neq; est impedimentū exercitij Ordinum, non est irregularis; quia in iure non est expressum, irregularitatem incurri, quando priuatio mēbri contingit absq; sua culpa; *ità cap. Is, qui in 6.* Si verò propria culpa irregularitatem inducit, quāuis ea mēbri priuatio nō impediat vsum Ordinis, neq; notabilem afferat deformitatē; quia *ità ex c. Qui partem dist. 55. & etiam cap. de Corp. Vitiat.* Hinc est, quòd pueri, qui inuiti castrati sunt à parentibus causa cantus, vel ab hostib⁹ per insidias, & per vim, aut si sic nati sunt, aut in cunabulis virilium amiserunt, non sunt irregulares, & incapaces; quia hi non spontè, neq; ex indignatione, vel impacientia carent virilibus, & huiusmodi defectus non est patens deformitatem generans; *ità cap. ex parte de Corp. Vitiat. §. sanè & §. Præsertim.*

8. Benè tamen est irregularis, & incapax qui caret tribus digitis, scilicèt, *pollice, indice, & medio*; quia habet deformitatem

tem

tem notabilem ad celebrandũ. Item si caret *pollice, & indice*; quia minùs hostiam posset frãgere; *ità c. vlt. de Corp. Vitiat.* Sed si caret præter *pollicem, vel indicem* aliquo alio digito; nec notabilem deformitatem induceret, nõ esset irregularis; quia non adest difficultas cõtractãdi hostiam, vel frangendi, aut tenendi calicem; *ità in cap. Lator præsentium dist.* 55. Qui verò vnguibus in totum caret, iudicio ordinantis Episcopi est remittendus, an sit inhabilis ad frangendum, & consequentèr irregularis; quia vngues non sunt membra, sed quoddam membri ornamentum; *ità ex cap. Thomas Monachus de Corp. Vitiat.* Ideò carens vngula pollicis, vel indicis non est irregularis; quia per hoc digitus non efficitur debilis; *ita cap. vlt. de Corp. Vitiat.* Si tamen ex indignatione, & impacientia quis auferret à se vngulam *pollicis, vel indicis* censetur irregularis; quia valdè atrocior culpa est, in se ipsum ferrum sumere, quàm pugnare cum aliquo in rixa iniusta, & amittere partem digiti, in quo indiget dispensatione, vt ascendat ad Superiores Ordines, *ità cap.* 1 *de Corp. Vitiat.* Et nõ est eadẽ ratio de abscissione vnius dentis per indignationẽ & abscissione vngulæ *pollicis, vel indicis*; quia illa non inducit deformitatẽ, sicut ista.

9. Rursùs qui abscindit maiorem partem mẽbri, scilicèt, *manus*, fit irregularis, quando pars, quæ remanet, est exigua, & minor abscissa; quia moralitèr loquendo, censetur membrum abscissum. Sed mutilans digitos, quibus hostia contrectatur, *vt pollex, & index*, non est irregularis; quia mutilator propriè dicitur, qui membrum alteri abscindit, at digiti non sunt membrum, & ius est contra mutilantes membrum. Quãuis aliqui censeant esse irregularem; quia mutilatus patitur iniuriam irregularitatis, multò magis mutilator. Vnde datur casus, in quo abscindens, non est irregularis, vt infligere vulnus in facie, vel abscindire pollicem, vel indicem; quia non est mutilator, nec abscindens membrum. Sed benè mutilatus; fit incapax ad debitum Altaris ministerium. Et è conuerso est casus, in quo abscissus non est irregularis, dùm ab alio abscinditur virile; quia absque sua culpa, & nõ inducit deformitatem. Sed benè abscindens; quia propriè dicitur mẽbrum abscindere; *ita in capit. ex parte de Corp. Vitiat.* Sicut etiam abscindere mamillam fœminæ, quia habet officium per se distinctum. Non autem mamillam viri, quia nõ habet actum proprium, sed est ad ornatum hominis.

11. Item

10. Item est irregularis mutilans membrum viuum, etiam debilitatum; quia hic mutilat corpus humanum, & in iure nihil aliud postulatur, & accidentarium est, quod membrũ supponatur impeditum. Dummodo mutilans non sit Chirurgus, vel Medicus; quia facit ex præscripto artis in salutem mutilati. Secùs est, si membrum est aridum, & mortuum; quia iàm desijt informari anima hominis. Sicut est mutilans cadauer; quia non est anima rationali informatum. Ad hanc tamen irregularitatem incurrẽdam sufficit mutilatio hominis, cuiscunq; conditionis etiã Saraceni, vel Pagani, Banniti, vel excommunicati; *ità cap. Petitio tua de homicidio, sic deciditur.*

11. Similiter est irregularis *surdus*, qui nullo modo audire potest, non autem altera tantùm aure, nec surdaster difficultèr audiens; quia nullo iure deciditur hunc esse irregularẽ. Sed si defectus surditatis in vtraq; parte contingat post Sacerdotium, potest omnia munia exequi, quibus auditus nõ est necessarius, & essentialis. Et sic potest Missam submissè celebrare, non tamen solemnem Missam; quia instat periculum, risum excitandi in populo, faciendo aliquid extra tempus. Qui verò sua culpa priuatus vna tantùm aure, idest, sensorio auditus vnius auris, est irregularis; quia sua culpa est mẽbro corporis diminutus. Secùs per vim ab hostibus priuatus in vnius auris sensorio; *ità cap. ex parte de Corp. Vitiat. decisum est.*

12. Similitèr est irregularis, qui habet penitùs *labia corrosa*; quia magna laborat deformitate ad celebrandum. Item qui defectum linguæ ità patitur, vt verbum integrũ vix possit exprimere; quia est ineptus ad functionem Ordinis, & horrorem gigneret. Sed carens in totum *dentibus*, non est irregularis; quia dentes in iure non videntur membra; *ita Innocentius cap Significauit. & cap. Exposuistis. de Corp. Vitiat.* Verùm si auulsio dentium magnam deformitatem inducit; iudicet Episcopus Ordinans. Ideò qui alteri dentes in totum excussit, non est irregularis; quia Innocentius *loco citato* dicit dentes non esse membra. Neque qui sibi dentes per indignationem, vel impacietiam excussit; quia non sunt membra. Neq; *Blæsi, neq; Balbi*, qui impeditoris sunt linguæ, nisi fortè notabilem difficultatem in loquendo haberent; quia hi vsu linguæ dicerentur priuati, & notabilitèr impedirentur à consecratione; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 82. art. 10. ad 3.*

13. Similiter est irregularis, & inhabilis, qui aliquo caret

pede;

pede; quia caret membro patente. Item *claudus*, qui non potest accedere ad Altare, & functiones facere sine baculo; *ità in cap. Nullus Episcopus de Cõsecr. dist. 1. & cap. Si quis in infirmit. dist. 55.* Item cui necessarius est *pes ligneus* ad Altare, etiam si non careat vero pede; quia est magna indecentia. Sed non est irregularis *claudus*, qui sine baculo Altari potest assistere, & non notabilitèr, ac sine sua culpa est talis. Secùs aliàs, *ità cap. si quis dist. 55.* Neq; qui habet *crura distorta*; quia vestibus talaris corporis vitium cõmodè tegere potest.

14. Similiter sunt irregulares *Gibbosi*, qui non valent se erigere, aut stare recto capite; quia tunc est coniuncta deformitas, & debilitas. Quòd si non est talis deformitas, & debilitas, relinquitur arbitrio Ordinãtis, vt iudicet, an similes defectus debeant repelli ab Ordinibus suscipiendis.

15. Similitèr *Æthiopes, Pygmei, vel Gigantes* non sunt repellendi ab Ordinibus suscipiendis, maximè apud proprios populos; quamuis sint apud nos irregulares; quia habent notabilem deformitatem.

16. Similitèr Mõstruosi omnes; scilicèt, habentes plura *capita, manus, pedes &c.* Sunt irregulares; quia monstruositas magnam deformitatem generat. Item qui habent nimiam talium membrorum imparitatem, *vt ingens caput corporis minimo coniunctum, bracchium nimis longum &c.* quia & si tales monstrua non sint, deformitatem tamen inferunt. Sed habens *sex digitos, vt duplicatum pollicem, vel indicem, vel auriculare, siuè in manibus, siuè in pedibus*, non est repellendus à susceptione Ordinum; dummodò non sit impedimentum membri; quia superfluitas hæc digitorum nullam inducit monstruositatem; ità quòd habens sex digitos, citra periculũ potest sibi abscindere superfluum, vel præscindere prolixiorem si habeat alijs grandiorem, & prolixiorem, absq; eo, quòd contrahat irregularitatem; quia digitus ille superfluus non est membrum.

17. Tandem defectus corporis inducens notabilem deformitatem, solus Papa dispensare potest; quia *ità colligitur ex cap. Significauit. de Corp. Vitiat.* vbi Innocentius III. authoritate prestita Episcopis committit dispensationem. Sed benè ad Episcopum pertinet iudicare, an defectus corporis, vel deformitas sit nimia, inducens irregularitatem; quia *patet ex cap. 2. de Corp. Vitiat.* Ipsius est Episcopi dispensare cum spontè mutilato, quantùm ad membrum occultum, etiam si mutilatus fuerit in culpa suæ vitiationis,

&

& mutilationis, si factum sit occultum; quia Concil. Triden. *sess. 24. de Reform. cap. 6.* concedit facultatem Episcopis posse in irregularitatibus occultis dispensare, excepto homicidio voluntario.

ARTICVLVS VIII.

An infirmitas corporis efficiat hominem esse irregularem, & inhabilem ad ordines suscipiendos.

1. ℞. Regulam esse communem, scilicèt, dum horrorem, deformitatem, vel scandalum generat, promotionem impedit, & executionem Ordinum; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 82. art. vlt. ad 3. & in 4. senten. dist. 9. quæst. vnic. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3. ità etiam colligitur ex cap. Tua nos de Cleric. ægrotante.*

2. Vnde laborantes *febri continua, & vehementi* iure naturali sunt impediti ad Ordines suscipiendos; quia illa durante alienationem inducit. Secùs *febris leuis, siuè quartana*, quæ habet quietis interualla; quia hora, & die vacantiæ liberum vsum corporis permittit. Tamē in his arbitrio Episcopi relinquitur. Item laborantes morbo *Gallico, lepra, scabie, tussi, aut peste*, si deformitatem, horrorem, scandalum, & periculum inducit, quandiù durat, sunt irregulares, & ea sublata cessat; quia infirmitas, quę curari potest, nō vocatur in iure vitium corporis. Sed capillis in capite, & barba carens, si hoc contingat ex aliquo facto infami, scilicèt, *lasciuia, & libidine*, est irregularis; quia infames iure Canonico sunt irregulares. Sed non est repellendus, dummodò non inducat notabilem deformitatem, scandalum, aut horrorē, & arbitrio Episcopi relinquitur.

3. Similiter *Dæmoniaci*, vel qui semel fuerunt *obsessi*, sunt repellendi ad suscipiendos Ordines; *ità cap. Maritum, & cap. communitèr, & cap. Clerici dist. 35.* Sed obsessus post susceptos Ordines, & liberatus, & per annum non fuisse vexatum, ex dispensatione Episcopi, potest exercere promotos, & ad alios promoueri; *ita cap. communiter. dist. 33.* Idem dicimus de Religiosis iam obsessis, & liberatis, à suo Superiore dispensari potest; quia virtute priuilegiorū habent potestatem Episcopalē, & dispensare possunt in omnibus irregularitatibus excepto homicidio voluntario, & Bigamia.

4. Similitèr laborantes *morbo caduco* sunt irregulares, etiam si semel passus est; quia adest periculum reincidētię, & horroris; *ita cap. Maritum dist. 33.* Et tales liberati tali morbo, vel si

non

non dum plenè liberati, possunt celebrare, socio Sacerdote sibi adiuncto, vt dato casu, possit perficere sacrificium; *ita colligitur ex cap. Nuper. quæst. 2.* Verum ad Episcopum pertinet iudicium ferre cum consilio Medicorum, & facta obseruatione triginta dierum; *ita cap. loco citato decernitur.* Et si talis est Parochus, qui incidit in talem morbum, vel alium, non est priuandus beneficio; sed dari ei Coadiutor, assignata ei congrua substẽtatione; *ita cap. de Rectoribus de Clerico ægroto.* Et si beneficiũ est ità tenue, quod vtriq; non sufficiat, Parochus præferendus est, & ad prouidẽdum Coadiutori compelli debent Parochiani, *ita cap. omnis Christianus dist. 1 de Consecrat.*

5. Similiter est irregularis, & & incapax *Abstemius*, idest qui vinum bibere, vel retinere non valet; quia adest periculum vomitus in suscipiendis speciebus vini. Et Papa cum tali potest dispensare ad omnes Ordines, præter Sacerdotium; quia hoc impedimẽtum tantùm ad Sacerdotium se extendit. Neq; ad Sacerdotium possit dispensare, vt sub vna specie, scilicèt, panis, fiat consecratio in Missa; quia aliàs Sacrificium Missę nõ esset perfectũ, & integrũ, cũ non represẽtat perfectè cõmemorationẽ Christi, ideò Papa non potest dispensare.

ARTICVLVS IX.

An illegitimè nati, debeant ab Ordinibus suscipiendis impediri?

1. R. Sic; quia claritas requisita ad Ordines non parum ex origine vitiosa obscuratur; quia tales sequuntur incontinentiam Patris, & sunt malè morigerati; *ità cap. si gens dist. 56. & cap. cùm inconctis & cap. Innotuit de electi. & cap. de filijs Presby. & D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 5.*

2. Nota, quòd illegitimi sunt omnes, qui extra legitimum matrimonium procreantur, qui sunt in quattuor species, scilicèt, *Naturales, Nothi, Spurij, & Manzeres.* Ex iure Cęsareo *Naturales* sunt, qui ex vnica Concubina Domi loco vxoris retenta gignuntur; iure verò Canonico sunt omnes, qui tẽpore Conceptionis, vel natiuitatis illorum nullum esset impedimẽtum, quod irritum reddere posset matrimonium; quia omnes dicuntur naturales, qui nati sunt ex soluto, & soluta. *Nothi* sunt, qui nati sunt ex viro coniugato, & fœmina soluta, & dicuntur *Nothi*, *idest*, à *Nota*, scilicèt, infamia, quia multũ infamat hominem natum esse ex adulterio. *Spurij* sunt, qui incertum Patrem habent, vel qui ex coitu damnato nascuntur

ex aliqua lege, vt nati ex Stupro, ex raptu, ex Sacrilegio, incestu, vel fœmina coniugata, & dicuntur *Spurtÿ à spurcilia incontinentia.* Tandē *Manzeres* dicuntur, qui ex viro soluto, & scorto, seu Meretrice, vel alià fœmina fornicaria nascuntur. Ideo illegitime nati sunt irregulares.

3. Verùm filij censentur legitimi; quando matrimonium est inualidum ob impedimentum occultum; quia ius Canonicum in fauorem Matrimonij durante ignorantia vnius, vel vtriusq; coniugis pro legitimis habet filios; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 68. art. 1. ad 2.* Et si tales nescientes impedimentū, contrahant in occulto, non excusantur, & filij eorum erunt illegitimi; quia talis ignorantia videtur affectata, *ità D. Thom. loco citato.*

4. Similiter illegitimus fit legitimus, & habilis ad omnia per subsequēs matrimonium; quia purgat omnes defectus præcedentes; *ità Sixtus V. in Bulla Postquàm.* Imò talis absq; vlla dispēsatione potest ad Ordines promoueri; quia fauor matrimonij debet ampliari, & non restringi; *ità Gloss. cap. Tanta verb. legitimum, est cap. Innotuit, verb. coniugata de Elect.* Neq; indiget dispensatione, si ante matrimonium subsequens promoueatur ad Ordines, si postea parentes cōtrahant matrimoniū, vt celebrare possit in ordinibus susceptis, aut ascendere ad Superiores; quia solum peccauit mortaliter, recipiendo sine dispensatione, dum erat illegitimus; cum non sit in iure expressum. *Cap. Is, qui de sent. Excōm. in 6.* Ideò illegitimus promotus ad Ordines, si celebrat, non incidit in nouam irregularitatem, quia non est textus id exprimens. Neq; eo ipso, quòd est Ordinatus absq; præuia dispensatione, manet suspensus; quia nō est in iure expressum. Sed peccat mortaliter, si promoueatur, & etiam si in susceptis ministret; quia illegitimus est, & irregularis remanet absq; dispensatione, cùm irregularitas sit impedimentum ad suscipiendum, & ad vsum Ordinum susceptorum.

5. Similiter filij expositi eo ipso, quòd expositi sūt, sunt irregulares, & incapaces; quia legitimi nō solēt exponi. Quāuis sit probabile expositos propter inopiam, & parentum ignauiā, non esse irregulares; quia in pœnis, & odijs benignior pars est sequenda. Ideò expositus, si de eius parentibus constiterit, ex sola expositione, nullam irregularitatem incurrit; quia nullo iure hęc irregularitas expressa est; *ità cap. Is, qui, de sent. excōm. in 6.* Item probabile est, expositum, bona fide ordinatum,

tum, si parentes omninò ignorantur, non esse censendum irregularem; quia in dubijs melior est cōditio possidētis. Imò posse bona fide ordinari; quia expositus potest in conscientia conformari opinioni Doctorū asserentium expositum non esse irregularem.

6. Similiter Natalium defectus occultus, etiam si filius publicè pro legitimo habeatur, inducit ad irregularitatem, & incapacitatem; quia hi adhùc sunt imitatores paternæ incontinentiæ, & malè morigerati.

7. Tandē Papa quò ad omnem Ordinem cum illegitimis dispensare valet; quia est supra ius Canonicum. Episcopus verò tantùm ad Ordines minores, & ad vnum beneficium simplex; *ità cap. 1. de filijs Presbyt. 6.*

ARTICVLVS X.

An serui à susceptione Ordinum impediantur?

1. R. Sic; quia Dominus debet seruari indēnis, quod non potest seruus, cum debet seruire etiam Domino carnali. Sed si ad Ordines promoueantur, Ordines susciperent; quia libertas non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti; cùm non impediat potestatem, sed actum tantum. *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 3.* Idem serui, Domino sciente, & non contradicente ad Ordines maiores, vel minores promoti, eo ipso liberi manent. *ità cap. si seruus dist. 54. & D. Thom. loco citato ad 4.* Si Domino ignorāte, vel cōtradicente ordinetur minoribus ordinibus, tenetur seruire Domino, etiam in actibus temporalibus exercendis, sicut priùs; *ità cap. Nullus, & cap. ex antiquis dist. 54.* Si Ordinibus Sacris, ignorante etiam Episcopo, tenetur se redimere, si habuerit peculium, si verò non habet, nec alius ipsum redemit, manet sub seruitute, & potestate Domini, vt seruiat illi in actibus, & obsequijs spiritualibus, nō autem inhonestis, & indecentibus, vt si est Sacerdos celebrando pro Domino: si verò Diaconus, vel Subdiaconus, horas, vel alias preces pro eo dicendo; *ità cap. Frequens dist. 54.*

2. Vnde Episcopus, qui sine consensu Domini, scientèr seruum ordinauit, peccauit mortalitèr; quia grauem iniuriam intulit Domino serui. Et tenetur duplicatum restituere pretium; *ita cap. si seruus dist. 54. & D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 3. ad 5.* Si verò Episcopus ordinandum, seruum esse nescierit, qui testimonium perhibēt, aut supplicauerint seruum ordinari, simili redditione tenentur

obnoxij; *ita cap. citato.* Et Dominus poteſt illum repetere infra annum, & non vltra, & annus computãdus eſt à tempore ſcientiæ Domini; *ita Gloſſ. cap. citato verb. vnius anni.* Et reſtitutus, non licebit Domino manus inijcere; quia gaudet priuilegio canonis. *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4.*

3. Similiter obligati ad ratiocinia publica, vel priuata, ad Ordines nõ debent admitti, niſi finito officio, & reddita ratione; quia tales ex defectu propriæ libertatis habent, ſicut ſerui in iure, & ſunt valdè impediti ad Eccleſiaſtica miniſteria; *ita cap. vnico de obligatis ad ratiocinia lib. 3. & ita Gloſſ.* ... Secus impedit adminiſtratio rerum temporalium circa bona Eccleſiaſtica; quia hæc potius cenſetur ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, quàm ſæcularis; *ita cap. Neque Clerici.* Et illi obligati ad ratiocinia potiùs dicuntur impediti ad Ordines ſuſcipiendos, quã irregulares; quia irregularitas ex natura ſua quodammodò eſt perpetua, & per modum habitus, obligatio autem eſt tẽporanea. Exceptis tamen illis, qui perſonarum miſerabilium, ſcilicet viduarum, pupillorum, pauperum, & Eccleſiarum, aut cauſarum piarum negotium in ſe ſuſcepe͂runt, etiam adminiſtratione pẽdente admoueri poſſunt; quia hæc potiùs eſt adminiſtratio ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, quàm ſæcularis. Neq; qui obligati ſunt Reipublicæ, aut priuatæ perſonæ ſine vlla adminiſtratione vt ex mutuo, ex conducto, ex depoſito, emptione, aut huiuſmodi cõtractibus sũt impediti ex hoc capite; quia hi, dum non habent alienam adminiſtrationem, non videntur nimis impediti à miniſterio ſpirituali; *ità Gloſſ. in cap. Præterea verb. functionibus.*

4. Iudices autem, Aduocati, Tabelliones ſæcularibus negotijs inſeruie͂tes, quandiù huiuſmodi Officia ſæcularia exercuerint, promoueri prohibentur; quia tales ſic implicati, à miniſterio Eccleſiaſtico ſpirituali impedirentur. Dummodò cauſas tantùm ciuiles tractauerint; quòd ſi cauſas criminales exercuerint, ſequuto effectu mortis, vel mutilationis, etiã ſi liberati fuerint in curia, promoueri non poſſunt; quia hi remanent irregulares ex defectu lenitatis perfectæ. Ideò Curiales, qui in curia Principis miniſtri ſunt in cauſis ſanguinis, quomodocunque ad illas cooperentur, ſunt irregulares; *ita cap. 1. 2. & 3. diſt. 51.* Sed ſi tales ſuo tempore officij nunquam cooperati ſunt in cauſa ſanguinis, quæ habuerit effectum deformationis hominis, & munus deponunt, & nõ eſt aliud impedimentum, poſſunt

abſq;

absq; dispensatione ad Ordines promoueri; *ità ex cap. 1. dist. 51. & cap. 2. dist. 51. ità exponit Gloss. verb. administrauerit. ità ex cap. Osius. dist. 61.* Exceptis Curialibus, qui curię Episcopali inseruiunt, non impediuntur ab ordinibus suscipiendis; quia non deseruiunt curijs Principum sæcularium.

5. Similiter sunt capaces ordinum, qui aulas Principum sæcularium, & curias sequuntur, obsequij, & famulatus gratia, absq; vlla obligatione; quia hi habent integram, & perfectā libertatem. Secus qui officia turpia, & inhoneste in curia exercuerint, vt *Histriones, Mimi, Cithare di, saltatores*; quia hi tamquàm infames, irregulares sūt; *ità cap. Clericum dist. 46.*

6. Tandem propter debitū pecuniarum, nō impeditur ab ordinibus suscipiendis; quia huiusmodi impedimentū non est in iure expressum; *ità cap. Is, qui de sent. excōm. in 6.* Secùs *feudatarij*, idest, qui homagium, vel iuramētū fidelitatis de seruitio personali Domino pręstitio; quia impedit Ecclesiæ ministeriū. Excepto Emphyteuta, qui rem certā quandā Pensionem reddit ex eo immobilia acceptā, Domino directò; quia talis non emittit iuramentum fidelitatis de seruitio personali, sed Pensionem soluit.

ARTICVLVS XI.

An homines ex defectu ætatis, ab Ordinibus suscipiendis excludantur?

1. R. Sic; quia ad primam Tōsuram, & minores Ordines requiruntur *septem anni* completi. Ad Subdiaconatum *viginti duo* inchoati. Ad Diaconatū *viginti tres* inchoati. Ad Presbyteratum *viginti quinque*, etiam si per medium tantùm diem inchoati sint; *ità cap. Nullus Episcopus in 6. & ibi Gloss. verb. infanti. ità Concil. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 12.* Ad Beneficium simplex obtinendum requiritur ætas *quatordecim* annorum; *ità Concil. Trid. loco citato cap. 6.* Et satis est annum esse inceptum *ex declaratione Cardinalium*.

2. Vnde ordinatus ante legitimam ętatem Sacro Ordine, vel ab alieno Episcopo sine dimissorijs proprij Ordininarij, vel extra tempora iure statuta, est ipso facto suspensus; *ita Pius V. in Bulla Cùm ex Sacrorum.* Vel si celebret, vel scientèr actum Ordinis in suspēsione exercet, incidit in irregularitatem; quia è directo violat censuras.

3. Hinc est quòd prima Tonsura conferri potest quolibet die; *ità cap. Quod die dist. 75.* Ordines verò, tàm minores, quàm

quàm maiores, & Sacros in sabbatis quatuor temporum, vel in Sabbatis ante Dominicam Passionis, vel in Sabbato Sancto. Licitum tamē est Episcopis, Dominicis, vel alijs festiuis diebus vnum, aut duos Ordines minores tantùm promouere; *ita cap. 3. de eo autem in 6.* Et temporum interstitia sunt seruanda, non solum in Sacris Ordinibus, sed etiam in minoribus; quia post vltimum Ordinem minorem debet expectare per annum, donec ad Sacros promoueatur; & ad alios sacros etiam per annum expectare debet, nisi alitèr Episcopo videbitur expedire. *ità Concil. Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 14.*

4. Ætas pro prima Tonsura decernitur infanti septem annorum completorum. *ita cap. Nullus Episcopus. in 6. & ibi Gloss. verb. infanti.* Pro minoribus ordinibus non decernitur ætas, sed relinquitur arbitrio Episcopi, dummodò linguam latinam intelligant. *ita Concil. Trid. sess. 23. de Reformat. cap. 11.* Ad Episcopatum requiruntur triginta anni completi: *ita cap. cū in cunctis.* Et si is in Sabbato Presbyter ordinatus fuerit, manè in sequenti Dominica Episcopus ordinari potest; quia *ita est praxis, & ita docet Glos. in cap. Quod à Patribus dist. 75. verb. Sabbati.*

5. Rursus ordinatus non seruatis interstitijs, nullam incurrit censuram, vel irregularitatem; quia nullibi in iure est expressum. Et in temporum interstitijs Sacrorum Ordinum annus Ecclesiasticus, & non solaris est seruandus, non Mathematicè, sed moralitèr, iuxta ritum Ecclesiæ; quia *ita est praxis.* Ad dispensationem interstitiorum ad Episcopum spectat, etiam respectu Religiosorum, cum quibus dispensare potest ex causa sibi per attestationem suorum Superiorum manifestata; quia *ita declarat Congregatio Concil. Trid.*

6. Tandem nulla certa tempora interstitiorū inter susceptionem minorum ordinum definita sunt. *ita Concil. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 11.* Tamen non est licitum suscipere ordines minores eodem die cùm prima Tonsura, quamuis Concil. Trid. arbitrio Episcopi relinquat. Et si quis sine licentia Episcopi in minoribus ordinibus suscipiendis, non seruat tēporum interstitia, est malè promotus, quò ad culpam, non autem quò ad censuram; quia agit contra Concil. Trid. Ita etiam peccaret, qui ante elapsum annum vltimi minoris ordinis, Subdiaconatum susciperet; quia factum contra dictum Concil. Sed nullam incurrit censuram; quia Concil.

Trid. nullam pœnam adhibuit. Ideò omnes, vel vltimum minorem ordinem, & Subdiaconatum eodem die recipiens ab executione Subdiaconatus suspenditur, quam Abbas, & superior dispensare potest, vt ad Superiores ascendat. *ita cap. 2. & cap. Inuotuit*. Sed recipiens eodem die duos ordines Sacros absque dispensatione Papæ, ab executione posterioris suspensus est. Item recipiens duos sacros ordines duobus diebus continuis, & immediatis, est etiam à posteriori suspẽsus, quòd solum Papa dispensat. *ita Cap. Litteras de temporibus ordinationum.*

ARTICVLVS XII.

An aliquo defectu animæ quis ineptus, & inhabilis sit ad Ordines suscipiendos?

1. R. Sic; quia est contra ius naturale, & diuinum, vt quis exerceat, quod ignorat. Ideò perpetuò amentes non iure canonico sunt irregulares, sed inepti iure naturali; quia vsum rationis non habent. At non baptizati & iure canonico, & diuino sunt inhabiles; quia non habent Characterem Baptismi.

2. Verùm perpetuò amentes, qui nunquam vsum rationis habuerint, si sunt baptizati, Characterem ordinis recipiũt; quia ad Characterem ordinis suscipiendum, non requiritur vsus rationis. Sed benè requiritur ad vsum Ordinis; quia esset peccatum tales amentes ordinare.

3. Vnde promoueri ad primam Tõsuram scire debet rudimenta fidei, & legere, & scribere, saltem lingua materna. *ita Concil. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 4.* Tamen talis promotus ad beneficium aliquod scire debet, vt latinè legat, & scribat; quia talis horas quotidianas recitare tenetur. Ad ordines minores promouendus, debet intelligere linguam latinam. *ita Concil. Trid. loco citato. cap. 11.* Et testimonium habeat à Parocho, & Magistro Scholæ. *ita eodem cap. 5.* Ad Subdiaconũ, & Diaconum requiritur, vt sit instructus in litteris, & in his, quæ ad exercendum ordinem pertinet. *ita idẽ cap. 13.* Ad presbyteratũ requiritur, vt sit idoneus ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad ministranda Sacramẽta, & etiã ea scientia polleat, vt necessitate sui muneris possit satisfacere. *ita Concil. Trid. cap. 14.*

4. Et sic propter animæ imperitiam, seu ignorantiam litterarum necessariam ad aliquẽ ordinem, iure Canonico irregularitatem incurrit. *ita cap. Illi-*

literatos. dist. 35. ita Galasius Papa in eodem capite confirmat. Tamē talis Characterem Sacramenti recipiunt; quia scientia de Sacramenti essentia non est. Nō autem exercitium; quia scientia est de substātia Ordinis quò ad exercitium. Ideò ordinans, & ordinatus peccarent mortaliter; quia in re graui inobediens est præceptis Ecclesiæ. Et quoties talis furtiuè, vel per iniquum fauorem, & quacunque alia ratione, mala fide ordinatur, manet suspensus. *ita cap. 1. de eo, qui furtiuè.* Tamen exclusa ignorantia non erit necessaria dispensatio super irregularitatem illiteraturæ; quia cessante causa, cessat effectus.

5. Verùm Papa cum omninò illiterato non potest dispēsare; quia Papa non potest dispensare in iure naturali. *ita cap. Præcipimus. dist. 34. & ibi Gloss. verb. ignorantem.* Potest tamen Papa saltem cum tali dispensare, vt ad ordines promoueatur, solùm quò ad tempus, vt discat; quia non est contra ius naturale, nec diuinum habere ordinem, non vtendo illo pro illo tempore, in quo possit sufficiens scientia acquiri.

6. Tandem *Neophytus*; idest recens in fide, iure canonico irregularis est, & inhabilis; quia superbia elatus in laqueum Diaboli incideret, existimans, quod fides Christiana plurimū eo indigeat. *ita dist. 38. per totum. & dist. 59. cap. si officia. & cap. Hoc ad nos. & cap. Ordinatos.* Propriè tamen *Neophytus* dicendus est ille, qui ex lege Iudaica, Mahumethica, vel Ethnica nuper conuersus est ad fidem Christianam. Non autem, qui ab infantia natus est, & ab hinc decem annis, vel eo ampliùs Baptismi Sacramento insignitus est; quia hic non dicitur nouus, & recens ad fidem.

ARTICVLVS XIII.

An defectus Lenitatis inducat irregularitatem, & inhabilitatem ad ordines suscipiendos?

1. ℞. Sic; quia non decet ministros Eucharistiæ effundere sanguinem. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 4. ad 2.* Ideò hæc irregularitas non oritur ex delicto, sed ex indecentia.

2. Vnde quicunq; iustè, & sine peccato occidens, vel mutilans incurrit irregularitatem; quia omnes ordines referuntur ad Eucharistiæ Sacramentum. *ita in cap. Clericis. & cap. sententia sanguinis. & cap. penult. de homicidio. & cap. 1. de clerico pugnante in bello. ita D. Tho. loco citato.* Et sic *iudex* proferens sentētiam talem, & eius *assessor*, *minister*, qui sententiam exequitur, aut sententiæ formam

ex-

extendit, aut extensā legens in iudicio, *Notarius* sententiam scribens, aut signans scriptam à famulo; aut suo sigillo facit authenticam, aut sententiam pronuntians, aut testimonium scribens, aut legens, quando publicatur, & etiam alij *informantes* iudicem de causa, vel processu, hi irregulares sunt, sequuto effectu; quia hi proximè, & moralitèr influunt, & sunt illius causa propinqua. Tamē hi ex sola officij assumptione, nondū sortito effectu, nō incurrunt; quia hanc non incurri ex sola animi intentione, sed ex actuali effectu. Vnde qui tentauit occidere hominē, aut infligere lethale vulnus, à quo tamen per miraculum sanatus est, non incurrit; quia nō est actualis effectus. *ita in ca. Clericis. & cap. sententia sanguinis.*

3. Verùm excusatur *famulus* conscribens sententiam dictatam à Iudice, vel Notario; quia eius actio non est causa accelerationis deformitatis. Etiam excusatur deferēs litteras, quibus mandatur aliquem occidi, vel mutilari, si deferens ignorabat, quid in illis contineretur. Item qui protulit processum Notarij, iam confectū contra reū, aut attulit equū Iudici associaturo Reum mortis, quia moralitèr non influit in deformationem, & si aliqualitèr, non propinquè, sed remotè. Similitèr *Aduocatus* defendēs Reum, non incurrit, si ob id sequatur mors accusatoris, tamquam calumniator; quia illius deformatio prouenit per accidens, ex facto Aduocati cooperantis ad defensionem innocētis. Secùs est, si petit Aduocatus puniri accusatorem pœna talionis, & sequuto effectu; quia censetur causa sanguinis. Nec illi prodest protestatio; quia in causa, quam defendit, non agitur de rebus ipsius. Item incurrit, si iniustè defendit Reū, ex quo sequitur deformatio accusatoris; quia eius actio cēsetur causa omnium malorum indè prouenientium. Secùs tamen si bona fide credit accusationem esse iniustam, quia ignorantia inuincibilis excusat à delicto. Aduocatus Rei accusati incurrit, si sua imperitia, vel negligētia abiudicatus est; quia deformatio Rei imputatur Aduocato. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 39. art. 4. ad 2.*

4. Similiter *accusator, & testes*, siuè spontè, siuè coactè incurrunt, etiam si accusatio, & testimonium sint meritoria; quia cooperātur ad iudicium mortis. Secùs si eius dictum non fuit causa mortis; quia aliàs tulisset Iudex sine eius dicto sententiam. *ita cap. sententiam, & cap. Clerici.* Sed testis dubitans, si eius testimonium mouerit Iudicem ad deformationem, vel

saltem ad citiùs condemnandum Reum; & si de hoc interroget eum, vel Notarium, si responderit, quòd sic, est irregularis; quia ex illorum dicto certus factus est. Si respondeat, quòd nō, liber est à dubio; quia nō censetur influxisse in mortem Rei. Imò quouis modo prodere Reum, occultum, & complicem, incurrunt irregularitatē; quia censentur cooperatores ad mortem Rei. Etiam si non deponunt de delicto, sed tantùm de fama; quia cooperatores sunt in causā sanguinis. Item si ex verbis testis fur inueniatur, & occidatur; quia moralitèr influit in mortem Rei. Sed non est irregularis, qui manifestat aliquem probabilitèr ignorans, ipsum quæri ad mortem; quia non facit data opera, sed simpliciter ignorans. Neq; deferens ad Iudicem crimen, quod non meretur mortem, & Iudex iniustè, aut alia de causa suspendit eum; quia deformitas Rei non prouenit ex sua dilatione, sed aliundè.

5. Similitèr si quis viro adulterium vxoris deferat, ob quod sequitur occisio vxoris, incurrit; quia dat causam propinquam, & sufficientem talis occisionis. Non autem, qui ex vulgi loquacitate, retulit viro adulterij vxoris rumorem; quia non cēsetur causa propinqua.

6. Item deferens ligna ad Hæreticos comburendos, incurrit; quia hic verè cooperatur ad mortem, & quidem propinquè. Secùs si ligna ab eo delata non sunt cooperata ad cōmustionē eius, cum tunc mortuus erat, quando ligna attulit, vel ignis in lignis accēsus; quia hic non est causa mortis, cùm iàm mortuus erat. Item qui vēdit, aut conficit gladium, aut funē in particulari, vt Reus occideretur, & mutilaretur; quia actio specificatur à fine, ad quē dirigitur. Secùs est de faciente gladium, vel funes ad omnes vsus; quia est causa remota ad deformitatem Rei. Item qui est causa accelerandi mortem. Item qui dicit Reo, pone caput super lignum, funes præparat, aut qui incitat satellitem, vt acuat gladium, & aptè accomodet alia instrumenta, vt citiùs, & minori dolore mors acceleretur; etiam si ex pietate hoc faciat; quia dat causam propinquam, vt citiùs talia fiant.

7. Similitèr ministri torturæ ligantes, & trahentes funem, vt Rei confessionem extorqueāt, si indè fatetur, & occiditur, sunt irregulares; quia sunt causa propinqua deformitatis Rei; *ita cap. si quis viduam dist. 51.* Item *præco*; qui Reum præcedit, & causām mortis proclamant. Itē qui pulsat campanam, vt conuocetur populus, vt securiùs du-

ducatur ad mortem. Secùs si solùm pulsat ad signum, & publicum exemplum. Item omnes *Cursores* in causa sanguinis deputati, quia hi cooperatores iudicij sanguinis censentur. Itē *Consultores* in causa sanguinis. Item de *Consultore pro Reo*, si Reus absoluatur, & ad consiliū eius, Reus accusatori pœnam talionis obiecit, sequuta morte accusatoris; quia proximè, & verè moraliter influit in mortem. Secùs si Iudex petens consilium, si absq; consilio Doctoris erat paratus ad occidēdum; quia dictum non influit in mortem.

8 Item non incurrunt *Consultores*, qui in causa sanguinis diuersas scriptorum sententias referunt in casu contingenti, & iudicio pendente, etiā sequuta morte; quia hi tunc nihil aliud agunt, quàm rei veritatem in genere aperire. At si relatis hinc, & inde sententijs, quis suā afferat, aut dicat, se talem sententiam, & Authorem sequi, erit irregularis, si Iudex sequens eam, Reum morte puniat; quia suo dicto cooperatur ad mortem.

9 Sed *Princeps, aut Dominus temporalis, siue spiritualis* habētes iurisdictionem temporalem, possunt constituere Iudices, & Magistratus in causa sanguinis absq; periculo irregularitatis; *ita in cap. final. ne Clerici, vel Monachi in 6.* Imò isti possunt mandare, & delegare alicui Iudici, specialiter super aliquo maleficio in sua iurisdictione commisso, vt inquirat de eo, & iustitiam faciat; quia non censetur causa propinqua, vt inuentus Reus morte, vel citius puniatur; *ita cap. Episcopus, & Clerici in 6.* Non tamen potest mandare, vt illum manè occidat; quia sine dubio esset causa, vt Reus ille citius occideretur.

10 Verùm isti Principes interrogati, quid faciendum in causa sanguinis, & non imminet tunc casus in præsenti, respondere possunt veritatem; quia tunc non sequitur mors, seu mutilatio. Secùs si imminet casus, & si ex sua responsione sequuta esset mors; quia influit in mortē. Sed si Iudex est omninò, & firmiter dispositus, Reū occidere, si Princeps interrogatus ab eo, vel alio, respōdeat mereri mortem, non incurrit; quia mors non prouenit ex illa responsione. Neq; si respōdeat, *facite, quòd leges statuunt, vel consulite peritos*; quia solùm in genere declarat leges, & id, quod secundùm leges faciendum esset. Imò tales possunt condere leges, & statuta sub pœna mortis; & non est irregularis, si Iudex ea lege ductus, aliquem posteà occidat; quia lex illa non animaduertit in certam personam, sed in genere. Imò li-

licitum est Sacerdoti præbere cōsilium Principi sæculari, vel Ecclesiastico, vt proferat leges, quibus fures, & alij delinquentes capite plectantur; quia eæ sunt causa remota mortis; *ità cap. Delatori 5. quæst. 6. & ibi Gloss. verb. lingua.*

11. Similitèr Iudex, seu alius Officialis in causa sanguinis diuersis sententijs condemnans plures ad mortem, plures contrahit irregularitates; quia plures exercet actus, & circa plures moralitèr distinctos. Secùs si simul oculos effoderet, & manus amputaret Reo; quia reputatur vnica actio; *ità arg. cum pro causa de sentent. excommun.* At si plures cōdemnat ad mortem vnica sententia, plures incurrit irregularitates; quia singulis iniuriam infert. Sicut è contra si tres simul vna hasta Clericum percuterent, omnes tres essent excōmunicati, cùm non sit potior ratio de vno, quā de reliquis; ità modo &c.

12. Similitèr *Inquisitores fidei*, licèt iure communi, nisi protestationem faciant, incurrunt; *sicut in cap. nouimus.* Tamen speciali iuris fauore, & priuilegio censores fidei, & illorum consultores absq; culpa, & periculo irregularitatis, dānare possunt simplicitèr Hæreticos, & per sententias declarare, etiam absq; protestatione; *ità cap. Episcopus ne Clerici.* Imò si Iudex differt executionem, possunt instare, etiam sub graui comminatione; quia *ità colligitur ex Bulla Pauli IV.*

13. Ideò licitum est Clericis præmissa protestatione apud Iudicem secularem querelam proponere de malefactoribus, & debitam satisfactionem, & pœnam petere in criminibus dignis pœna mortis; quia aliàs daretur materia trucidandi Clericos, & bonis suis expoliandi; *ità diffinit Bonifacius VIII. in cap. Prælatis de homicidio in 6.* Etiam si Clericus possit alia via res suas recuperare; *ità cap. loco citato.* Et licèt hæc distinctio verè esse possit quò ad peccatum, quò ad irregularitatem non videtur subsistere; quia satis est sic haberi in cap. supradicto.

14. Similitèr Laici accusantes Reum apud Iudicem secularem, nō petendo vindictam, sed satisfactionem, vel interesse sibi debitum, etiam in criminibus dignis morte protestando, se non intendere pœnam sanguinis, etiam si postea sequatur mors, non contrahunt irregularitatem; quia si virtute *cap. Prælatis de homicidio in 6.* gaudēt Clerici, etiam & Laici, cū versetur in re fauorabili. Hæc autem protestatio est necessaria, etiam Laicis, ne incurrāt; quia in cap. supradicto non ponitur hoc tamquàm nouum grauamen,

men, sed tamquàm remedium ad euitandam irregularitatem. Et talis protestatio facienda est coram Iudice, apud quem deponitur quærela; quia *ità colligitur ex cap. Prælatis de homicidio in 6.* Et non est necesse fieri in scriptis; quia quādo ius scripturam requirit, solet hoc exprimere; *vt patet ex cap. cùm medicinalis de sentēt. excōm. in 6.* Neq; est necesse, quòd fiat simul cū accusatione, sed satis est, antequàm Iudex sententiam proferat; quia ex prolatione sententiæ sequitur mors. Et Laicus prætermittens protestationem, fit irregularis, sed non peccat; quia immisceri se in causis sanguinis apud Iudicem sęcularē, non est illi aliquo iure prohibitum. Sed Clericus vltra irregularitatem, priuatur officio; quia est interdictum multis iuribus: *ita cap. Clerici, & cap. sententiam.*

15. Similiter accusantem alterum de iniuria illata personis extraneis fieri irregularem, sequuto effectu, etiam si prætermiserit protestationem; quia protestatio permittitur à iure solùm in causa propria, & non aliorum. Causa autem propria est non solum iniuria facta propriæ personæ, sed rebus, & bonis suis, scilicēt *mancipio, seruo, famulo, suis cognatis, propinquis, parentibus, & fratribus*; quia redundat illorum iniuria in propriam personam. Item si iniuria fiat *in propria domo, vel persona, quæ existit sub cura, et protectione sua*; quia etiam redundat in propriam personam.

16. Verum accusans non de iniuria illata, sed inferenda extraneis, & non potest alitèr impedire, facta protestatione, & sequuto effectu mortis, nō incurrit; quia durum esset, cùm iure naturali, & diuino accusare teneantur in predicto casu, *& ex D. Thom. quodlib. 1. quæst. 8. art. 6. ad 1.* colligitur, quòd Ecclesia non censetur velle inhabiles eos propter Officiū Charitatis ex lege naturali debitū. Ideò Clericus si crimen proditionis patriæ, vel crimen aliquod contra *Rempublicam, Regem, aut Principem* ad Iudicem sęcularem deferat, præmissa protestatione, nō incurrit; quia ius Ecclesiasticū non destruit, sed perficit ius naturale, & diuinum. Et non est eadem ratio de Iudice, & Clerico, qui denunciat; quia Iudex voluntariè suscipit illud Officium in causa sanguinis, & non ex lege aliqua præcipiente. Clericus verò inuoluntariè, & lege diuina, & naturali coactus, ad Iudicem defert, ideò sequuta deformitate non incurrit.

17. Similitèr Clericus accusare potest damnificatorē bonorum suæ Ecclesiæ apud Iudicem sæcularem; præmissa

protestatione, & sequuto effectu, non incurrit, quia bona Ecclesiæ suæ censentur, quasi propria, & ad ipsum pertinere. Excusatur etiam Clericus detinens malefactorem, vt capiatur; quia sufficit protestatio facta ante prolationem sententiæ. Etiam quòd protestatio fictè facta sit; quia in iure non est expressum, quòd non sit facta fictè: quamuis apud Deum non sit protestatio, sed tantum apud homines; quia Ecclesia non iudicat de interiori.

18. Similitèr deferens causam ciuilem ad Iudicem sæcularem, non tenetur protestationem facere, quando causa est tantùm ciuilis, vel de re leui, & Iudex deformat accusatum, non incurrit. Neq; talis coniectus in carcerem, accedunt alij accusatores, præbentes accusationem aliorum criminum, propter quæ Reus abiudicatur morti, delator causæ ciuilis incurrit; quia mors non imputatur propriè accusatori deferenti causam ciuilem, & leuem, sed alijs.

19. Similitèr videns furem cum rebus suis fugientem, si ex clamore suo ab alijs occurrentibus occidatur, etiam contra protestationem clamantis, incurrit; quia aduertere debuit sic clamans, quòd priuati homines cócurrentes contra furem, vix solent ab occisione se temperare. Imò protestatio nihil iuuat, si fiat ad alios priuatos, quàm ad Iudicem; ità *cap. Prælatus de homicidio in 6.* decernit, quòd protestatio fieri debet apud Iudicem, ad quem causa sãguinis defertur, vt euitet irregularitatem. *ita cap. significasti.* Sed vociferans aduersus latrones, vel alios pro salute suæ personæ, si latrones, vel alij occidantur ab occurrentibus, non incurrit; quia cum debito moderamine licet vim vi repellere; *ità in Clement. vnic. de homicidio.*

20. Similiter communitas constituens Procuratorem ad aliquem accusandũ apud Iudicem sæcularem in causa sanguinis, non incurrit; quia communitas, vt communitas non est capax ordinis. Benè tamen singulæ personę illius communitatis, quæ suum constituerit consensum in causa sanguinis; quia Procurator agit nomine communitatis, & etiam singularum personarum communitatis. Secùs si præmisit protestationem; quia ita deciditur *in cap. Prælatus de homicidio in 6.*

21. Verùm non est necessaria protestatio, quando crimen defertur apud iudicem Ecclesiasticum, & transit ad sæcularem. *ità cap. Postulasti de homicidio.* Item Clerici assistẽtes executioni sententiæ mortis, ratione tantum status clericalis,

non

non incurrunt; quia vt sic non præbet authoritatem supplicio. Peccarent tamen, si adesset ex causa iniusta, scilicet curiositate; quia agerent contra *cap. Sententiam ne Clerici, vel Monachi*. Sed Clerici, & Prælati habentes iurisdictionem ibi, vbi executioni mandatur poena mortis, exhibendo suam præsentiam, efficiuntur irregulares; quia tunc præsentia sua opem, & authoritatem præstare videntur negotijs in causa sanguinis iudicum suorum. Secùs autem, si tales extra propriã iurisdictionem intersint; quia ibi nullam habent iurisdictionem exercere.

22. Similiter famulus assistẽs alicui Principi, vel Iudici, si legit litteras Iudici delatas, quibus continetur, vt aliquem capiat, & ad mortem damnet, sequuto effectu, incurrit; quia ex sua lectura sequuta est deformitas. Item consulens alteri in periculo vitæ vel amissionis bonorum, vt accuset, vel denuntiet Reum cum protestatione, etiam sequuto effectu, non incurrit; quia si accusans cum protestatione, neque consulens. Item rogans Principem seù Iudicem in criminibus dignis morte, vt iustitiam faciant, non incurrit; quia modus iste est indifferẽs, cùm Iudex potest Reum liberare. Item præbens consilium ipsi, vt legem ferat, qua fures, & alij delinquentes capite plectantur, non incurrit; quia si Princeps absq; nota irregularitatis potest condere leges tales in generali, multò magis consulentes.

23. Similiter Iudex Ecclesiasticus Reum conijciens in carcerem communem, & moriatur, non incurrit; quia non tenetur dare carcerem meliorem, quàm communem. Neq; imponens poenam præscriptam per Canones, vel Constitutiones suæ Religionis, & moritur; quia per accidens moritur; cum illa poena per se non est illatiua mortis. Sed si ponit Reum non in carcerem communem, sed in locum nimia humiditate, & fetore repletum, & si ibi ob id moritur, etiam ad breue tempus, incurrit; quia mors Rei saltem indirectè est volita in sua causa. Tamen hoc breue tempus iudicari potest à viro prudenti; quia in dubijs arbitrio prudentis, & boni viri standum est, cuius est considerare circumstantias loci, temporis, personarum, & criminis.

24. Similitèr Confessarius, qui Reum poenitentem absoluere nequit, nisi proponat Iudici iuridicè interroganti, aperire veritatem, etiam si ab hoc sequatur mors, si consilio Cõfessoris fatetur veritatẽ, sequuta mor-

morte, non incurrit; quia deformatio Rei per accidens sequitur ex ipsius Confessoris consilio. Neque si dicat Iudici suo pœnitenti, *fac officium, quod debes, & quod leges praecipiunt*, incurrit; quia Confessor potius vult medicinam præbere pœnitenti, quàm mortem Rei. Secùs si dicat Iudici, *non possunt te absoluere, nisi Reum morte punias*, & sequuta morte, incurrit; quia sic non declarat obligationem, quam habet Iudex, sed eum mouet ad pęnam mortis exequendam.

25. Tandem Medicus Chirurgus ægroti membrum secās, non fit irregularis; quia non secat membrum ad vindictam, sed ex pietate. Et sic Clericus adiuuans Chirurgum ad iustè secandum ægroti membrum, non incurrit; quia Ecclesia non prohibet, nè adiuuet Chirurgum ad iustè secandum; sed nè ipsemet secare possit.

ARTICVLVS XIV.

An occidens, aut mutilans defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ sit irregularis?

1. ℞. Non; quia efficiendo, quod dictat ius naturale, ius Canonicum positiuum non debet illam nota irregularitatis afficere; cùm vim vi repellere liceat. *ità lib. 1. ff. de Iust. & iure §. vim & cap. 3. de sentent. excomm. ità ex Clement. si furiosus de homicidio.*

2. Nota, quòd vt defensio ab iniusto inuasore fieri dicatur cum moderamine inculpatæ tutelæ, quattuor conditiones requiruntur. Prima est, quòd sit vera aggressio, & per vim, non autem facta per calumniam; quia ius naturæ tantùm concedit vim vi repellere. Secūda est, vt sit vera, & actualis defensio, & propulsatio iniuriæ, & non præuentio; quia aliàs non est defensio. Tertia, vt occisio aggressoris fiat in ipso actu aggressionis, & defensionis, & non postquàm cessauit aggressio; quia dum cessat violentia, non est necessaria occisio ad propriam defensionem, aliàs esset punitio; *ità cap. significasti el. 2. de homicidio.* Quarta est, vt defensio sit moderata cum legibus prudentiæ; quia si aggressus potest commodè fugere, aut clamare, aut implorare auxilium; tenetur hoc facere. *ita in cap. supradictis.*

3. Verùm si nulla alia via potest euadere, quàm præueniendo, potest occidere inimicum absq; nota irregularitatis; quia tunc potiùs est defensio, quàm præuētio. Secùs præuenire eum, quem timet futurum esse inimicum, etiam quòd prudenter timeat; quia non

nō est defensio propriè, sed directè occisio hominis ordinata ad conseruationem propriæ vitæ.

4. Similitèr non incurrit occidens Iudicē, sibi iniustè parātē mortē; quia vim vi repellere licèt, quando aliquis exercet aliquam actionem contra me, ad quam probabiliter sequitur periculum vitæ meæ; at præuenire in præsenti est damnificare inimicum, antequàm me occidat. Secùs potest calumniatorē fraude accusantem apud Iudicem; quia via iuris potest se defendere.

5. Similiter si Titius per famulum, vel Sicarium statuit me occidere, licitè possum præuenire Titium, vel famulum, vel Sicarium occidendo, absq; nota irregularitatis; quia mandatum censetur quasi quædam aggressio actualis. Imò contra iniustum inuasorem licitum est acceptare duellum, & inuasus, si acceptat duellū, sequuta morte inuasoris, non incurrit; quia tunc est vera defensio cōtra iniustum inuasorem absq; vindicta. *ita D. Thom. 2.2. quæst. 64. art. 7. ad 5.* Etiam si inuasor talis in peccato mortali sit moriturus; quia inuasor spontè, & sua malitia coniecit se in discrimen suæ salutis, & liberrimè se eximere poterat à tali periculo, consequentèr non teneor in hoc casu lege Charitatis, exponere salutem corporis, pro salute spiritualis illius.

6. Certum est, quòd vnusquisque tenetur vitam spiritualem proximi existētis in extrema necessitate, propriæ temporali anteferre; quia præceptum Domini est; *ita D. Th. 2.2. quæst. 26. art. 5. & in 3. dist. 29. quæst. vnic. art. 8. quæstiunc. 2. ad. 2.* Extrema necessitas est, quando putatur certò, vel probabilitèr moriturus extra gratiam, & tunc teneor vitam meam anteferre. Extra autem talem necessitatem non tenetur cum periculo vitæ, aut bonorum; quia ius à natura tributum est ad seruandam vitam, & facultatem. Sed quibus ex officio incumbit onus procurandæ salutis proximi, vt Episcopi, & Curati, tenentur etiam cum periculo vitæ, non tantū in extrema necessitate, verum etiam in graui, quia bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis; *Ioannes C. 10. ita D. Thom. 2.2. quæst. 44. art. 8. ad 2.* Ideò tales temporè pestis tenentur illis Sacramenta ministrare cū periculo vitæ; quia tenentur ex officio, nè subditi absq; Sacramentis decidant. Cœterum priuati Sacerdotes, & Religiosi non tenentur permanere in loco pestis, sed licitum est illis fugere, & propriam vitam seruare; quia non habent tantum onus officij. Verū nō tenemur,

sed possumus vitam nostram exponere periculo pro vita temporali amicorum; quia quamuis non teneamur, licitum est colere virtutem amicitiæ. *ita D. Thom. in 3. dist. 29. quæst. 15. art. 5. ad 3.*

7. Nota, quod quatuor cōditiones requiruntur in vera amicitia. Prima, vt sit amor nō concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, idest, vt sit amor rei per se, & non ob solam vtilitatem. Secunda, vt sit amor mutuus, idest, cum redamatione. Tertia, vt mutuus hic amor fundetur super aliqua communicatione bonorum, sanguinis, instituti, & officij. Quarta, vt hic amor mutuus non lateat ipsos amicos, sed aliquibus, vel officijs, vel signis vtriq; illorum sit cognitus. Et amor mutuus inter homines, cui conueniunt illæ prædictæ conditiones, non est habitus virtutis specialis distinctus ab alijs virtutibus; quia obiectum actus amicitiæ honesti, non est formaliter distinctum ab obiectis aliarum virtutum. *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 3. ad 1.* Cùm amicitia virtuosa magis sit aliquid consequens ad virtutem, quàm sit virtus.

8. Rursus, communitèr loquendo, tenetur vnusquisq; vitam suam conseruare, in quantum potest, & debet, & hoc sub peccato mortali; quia nullus est dominus vitæ suæ. *ità D. Th. 2. 2. quæst. 64. art. 4.* Et si licitum sit occidere inuasorem, quando alitèr fieri non potest; tamē salutare consilium est permittere se occidi, quàm occidere inuasorē, nè moriatur in peccato mortali; quia tunc non pro corporali vita inuasoris, nos morti committimus, sed pro spirituali. Sed si quis putaret se esse in peccato mortali, & valdè timeret damnari, si occideretur à latrone iniquo inuasore, tenetur se tunc omnibus modis tueri; quia magis tenemur diligere salutem animæ nostræ, quā proximi. *ita D. Th. 2. 2. quæst. 26. art. 4. ad 4.* Et non dicitur aliquis plus amare proximum, quàm seipsum, quādo mortem ab inuasore patitur & sinit se occidi, nè inuasor in peccato mortali moriatur; quia tunc simplicitèr plùs se diligit, quàm proximum, quando diligit se secundùm virtutem, dum sic patitur mortem. *ita D. Tho. loco citato.* Sed illicitum est cuicunq; exponere periculo propriam vitam corporalem, ob defensionem vitæ temporalis amici, si ipse habeat familiā, & filios, qui sine illo non possunt educari; quia commune bonum præualet bono particulari amici.

9. Vnde quando aggressor est persona publica, tenetur ex Charitate aggressus defensio-

nem suam prætermittere, & mortem potiùs pati, si alitèr euadere nequeat, quã aggressorem occidere; quia bonum commune, quod ex aggressoris vita resultat, ordine Charitatis anteferendum est bono priuato aggressi. Sed si aggressus sit persona publica, & multùm vtilis Reipublicæ, aggressor autem nequaquam, tenetur aggressus vitam suam tueri cum occisione aggressoris, si alitèr defendere se non valeat; quia licèt possit quis renunciari iuri suo, non tamen necessitati boni communis, & iuri, quod Respublica in seipsum habet. Tamen si aggressus sit persona priuata, & aggressor persona publica; potest tamen aggressus aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, si aggressor ille psona publica non sit tã necessaria Reipublicæ; quia non tenetur aggressus cedere iuri suo, quod habet à natura se ipsum tuendi. Et si aggressus sit persona priuata, & aggressor publica, multùm vtilis Reipublicæ, potest tamen aggressus licitè illum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, si putet aggressus se esse in peccato mortali; & valdè timeat damnari; quia ordo Charitatis exigit, vt salutem spiritualem animæ nostræ spirituali alienæ, & multò magis bonis temporalibus anteponamus. *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 4. ...*

10. Similiter occidens inuasorem cũ moderamine inculpatæ tutelæ ad sui defensionẽ, etiam si fiat ex odio, & cum intentione sumendæ vindictæ, non incurrit; quia irregularitas non consurgit ex prauo solum affectu, sed ex facto externo iniusto. *& ita Clement. de homicidio generaliter loquitur.* Etiam si culpa sua se in hanc necessitatem ingesserit, vt adulter deprehensus à marito adulteræ; quia in Clement. vt diximus, generalitèr loquitur de quocunque ad defensionem vitæ suæ occidere inuasorem. Secùs si adulter aduertit periculum mortis subsequuturæ, tunc incurrit; quia tunc voluntariè, & aduertentèr se ingerit actui periculoso, & committit peccatum homicidij in corde suo.

11. Similiter quando persona aggressa est nobilis, non tenetur fugã accipere, etiã quòd fugiendo euadere possit occisionem inuasoris; quia fuga viro nobili est iniuriosa. Et talis nobilis inuasus, si fuga potest euadere periculum mortis, & tamen occidit inuasorem, euitat peccatum; quia fuga est illi iniuriosa. Tamen si occidit illum est irregularis; quia fuga vitam suam tueri potest. Verũ qui ob honoris defensionem aliquem occidit, non incurrit; quia in hoc casu, non tàm fa-

mam, & honorem, sed vitam nostram decentem ad vitę substentationem tueri dicimur, à quibus impediretur proprij honoris ablatione.

12. E contra Clerici, Religiosi, & homines infimæ conditionis inuasi ab iniquo inuasore, si possunt fugere, & non fugiunt, sequuta morte inuasoris peccant, & incurrunt; quia tales nullam subeũt ignominiam fugiendo. Sed si fuga istorum fuerit periculosa, licitè possunt se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, & sequuta morte inuasoris, non incurrũt; quia aggressor ex fuga aggressi maiorem audaciã, & animum caperet, & sic eum occideret. Imò si fugiendo irrogaretur ignominia toti Religioni, vel statui Ecclesiastico, pugnando cum inuasore, & sequuto effectu, nõ incurrit; quia proponderat commune bonũ Religionis, vel totius status Ecclesiastici occisioni hominis cuiusq; priuati.

13. Similiter si potest quis recuperare res suas per viam Iudicis, non potest defendendo res suas occidere inuasorem, seù raptorem, & sequuta raptoris morte, incurrit; quia via iuridica illa recupare potest. Sed si aliter saluari, vel recuperari facultates suas non potest, licitum est omnibus occidere inuasorem, dummodò quod res sint magni momenti; quia omnibus licitum est iure naturæ vim vi repellere, non solùm à propria vita, sed etiam facultatibus, sine quibus commodè vita substentari non potest. Secùs potest, si facultates non sunt magni, sed exigui valoris, & momenti; quia ratio naturalis dictat, non debere occidere inuasorẽ pro re parui momenti. Sed si dubium est, an facultates sublatæ à iure via iuridica, vel aliter recuperari possint, si sint magni momenti, inuasor licitè potest occidi; quia non tenemur exponere facultates nostras magni mometi pro saluãda alterius vita.

14. Similiter occidens aggressorem patris, fratris, aut alterius consanguinei, vel proximi innocentis, alitèr mortem eius vitare non valens, non incurrit; quia non est credibile incurri eum, qui iure naturali, & ex lege Charitatis obligatur defendere proximum innocẽtem. *ita cap. Dilecto filio de sentent. excomm. in 6.* Ideò pro defensione Castitatis, licet interficere inuasorem absq; nota irregularitatis, nisi alitèr guadere non possit; quia maius periculum imminet consensus in peccatum in tali casu, quàm in cæteris. Item licet aggresso cũ moderamine inculpatæ tutelæ occidere iniustum inuasorem, vt se defendat, nè mẽbrum ali-

aliquod sibi abscindatur vel graue vulnus recipiat, vel mẽbrum debilitari; quia adhùc censetur vitam propriam tueri.

15. Similitèr licet occidere inuasorem iniquum, si tantùm aggressum nobilem vellet leuitèr fuste, vel alapa percutere; quia talis percussio apud nobiles est maximè grauis. Neq; fugam arripere tenetur nobilis ad euitandam hanc iniuriam; quia fuga est ei valdè ignominiosa. Plebeus autem non; sed potest fugere; quia illi fuga non est tàm ignominiosa. Tamen si accepta iniuria, læsor incipiat fugere, non potest inuasorem, illum insequendo, percutere, vel occidere; quia tunc erit potiùs vltio, & vindicta, quàm defẽsio iniuriæ, vel propulsatio.

16. Similitèr latronem fugientem cum rebus suis recusantem illas dimittere, licet illum insequi, ferire, & telo confodere; quia non dictat Charitas, vt patiar res meas in mea præsentia capi, cùm inferat magnam contumeliam. Dummodò res sint magni valoris; quia non videtur concessum ius defensionis pro re minima cum tanto alienus detrimento. Verùm aggressio, seù inuasio furis surripientis bona aliena, durat nõ solùm quando latro actu, & per vim rapit; sed etiam quando fugiendo, rem secum defert alienam; quia toto isto tempore est in flagranti delicto cùm eius inuasio adhùc duret.

17. Ideò licitè furem nocturnum effringẽtem fores, vel effodientem domum, à Domino domus interfici, inuentum in flagranti delicto; quia nocturnus fur præsumitur nõ tantùm venire ad furandum bona temporalia, sed etiam ad occidendum. Imò & furem diurnum, si alitèr nos, & bona nostra defendere non possumus; quia bona nostra temporalia media sunt ad vitæ status, & honoris substentationem; *ita cap. si fodiens de homicidio; ità D. Thom. 2.2. quæst. 64. art. 7.* Sed illicitum est furem occidi, qui se in tutum recepit, & rem furto sublatam incipit quietè, licèt iniustè possidere; quia desinit esse inuasor, cùm iàm cessauit vis, & tantum est iniquus possessor.

18. Similitèr si res mea furto sublata deposita est in certo loco, possum ingredi in eum, vt eam recuperem; & si fur me impedire conetur, vi possum illum repellere, & rem meam per vim contra furem resistentem recuperare; quia quandiù rem meam apud se detinet, videtur mihi facere iniuriam, & res meas inuadere. Secùs quãdo res sublata non extat eadẽ numero, & compensationem sibi facere in alia re simili; quia fur est Dominus illius rei similis.

dis, & habet ius resistendi contra volentem per vim illam surripere.

19. Similiter Religiosis licitum est ob rerũ temporalium defensionem, vim vi repellẽdo occidere inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia ex lege naturæ non est distinctio Clerici, & Laici. Imò id speciatim licet Religiosis; quia habent vsum fructuum illorum, & vt sic, sunt veri Domini, ideò possunt, & tenentur defendere. Maximè si res sint magni momenti, & alitèr defendere non possunt, nisi occidendo furem, non incurrunt; quia omnes leges, & omnia iura id ei permittunt; *ita cap. Delicto de sentent. excõm. in 6.*

20. Similitèr licèt interficere inuasorem iniquum pro defensione bonorum amici, vel proximi innocentis cũ moderamine inculpatæ tutelæ; quia iure naturæ semper est potior ratio patientis iniuriam, & ei est fauendum. Et etiam pro defensione honoris, & famę illorum; quia maius bonum est honor, & fama bonis tẽporalibus. Nota tamen, & pœna irregularitatis, (licèt alij alitèr senserit;) quia est opinio communior, tutior, & in praxi sequenda, & consulenda. Ideò non solùm possumus, sed etiam tenemur sub mortali defendere vitam, & bona proximi; quia vnusquisq; tenetur diligere proximum, sicut seipsum. Non tamen tenemur ad restitutionem damni illati ab iniquo inuasore contra proximum; quia priuatæ personæ non tenentur lege iustitiæ, sed Charitatis alios defendere.

21. Verùm peccat contra iustitiam, qui non succurrit innocenti, quando tenetur ex officio, imò ad restitutionem, & & hi sũt *Imperatores, Reges, Principes, Respublicæ, Gubernatores, Duces belli, Consiliarij Regum, & Principum, Aduocati, Procuratores, Ministri iustitiæ, cæteriq; mercede, ac stipendio conducti, aut speciali obligatione ligati, vt aliorum salutã, & damnatorũ vitationi prospiciant;* quia tales personę speciali obligatione tenentur. Sed cum periculo vitæ, non obstringitur, illum tueri contra iniquum inuasorẽ; quia non tenetur quis vitam propriam exponere, nisi pro bono Reipublicæ; aut pro vita spirituali proximi. Ideò priuatus homo nõ tenetur tueri vitam alterius priuati cum periculo propriæ vitæ; quia ordo Charitatis hoc nõ dictat. Benè tamen si inuasus est ipsa pſona Principis; quia à persona Principis boni communis conseruatio pendet. *ita D. Tho. 2. 2. q. 26. art. 8.* Tamen laudabile est aliquãdo vitã pro vita amici, & priuati hominis innocentis ponere; qa q̃uis lex Charitatis hoc

per-

permittat, non tamen præcipit. Sed cum iactura aliqua bonorum, nobis tamen non necessaria, vitam proximi defendere; quia tenemur eleemosynam facere, & subuenire proximo, dum extrema necessitate laborat. *ità D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 5.* Imò etiam tenentur habentes bona externa superflua vitæ, sed non suo statui, & suorum conuenientia; quia ipsa ratio naturalis conuincit, quòd ordine Charitatis, potior est vita hominis, quàm decens personæ status. Bona autem dicuntur superflua vitæ propriæ, & naturæ, sed non statui, quando potest quidem sine illis substentare vitam, non verò decens personæ status. *ità D. Tho. loco citato.*

22. Tandèm si iniquus aggressor minetur Titio mortem, nisi det sibi decem, vel centum nummos aureos, quos non habet Titius, tunc diues Petrus de superfluis tenetur dare aggressori, nè Titius occidatur; quia Titius tunc reperitur verè in extrema necessitate, & periculo mortis. Sed si quis velit seipsum interficere, nisi det illis decem aureos, non tenetur dare; quia non est in extrema necessitate, sed malitiosa necessitas.

ARTICVLVS XV.

An Homicidium omninò causale inducat irregularitatem?

1. ℞. Non; quia tale homicidium neq; in se, neq; in sua causa est volitum, sed actus hominis.

2. Nota, quòd Homicidium duplex; Voluntarium, & Casuale. Voluntarium est illud, quod est intentum per se, vel in causa aliqua. Causale verò est, quod præter intentionem, & voluntatem occidentis contingit.

3. Rursùs Causale est duplex. Aliud omninò, & simplicitèr causale. Aliud nõ simplicitèr, nec omninò casuale. Primum dicitur illud, quod non est volitum in se, nec in sua causa, vt homicidium in ebrietate non præuisum; non in se; quia quando committitur homicidium, ebrius nõ vtitur vsu rationis: neq; in sua causa; quia non præuidit in ebrietate sequuturum Homicidium. Secundum est illud, quod licèt directè, & in se sit casuale, tamen indirectè est voluntariũ, vt Homicidium præuisum ante ebrietatem; quia fuit volitum in causa sua non impedita. Sed si fuit diligentia impeditionis, non censetur voluntarium indirectè, sed causalitèr omninò;

quia

quia fuit sufficientèr impeditũ ante ebrietatem. Nec obstat, quòd fuit periculosa, scilicèt, ebrietas; quia diligentia illa sufficiens abstersit periculum.

4. Vnde pueri ante septennium in dubio, an gaudeant vsu rationis, non censentur irregulares ob Homicidium ab ipsis commissum; quia ante septennium non præsumitur vsus rationis. Et consequentèr non voluntarium; quia voluntarium est à cognoscente singula; *ità Philosophus*. Sed septennes in dubio, an habeant vsum rationis, sunt irregulares, si occidunt; quia pueri septennes in dubio vsus rationis, ex Ecclesiæ præcepto cõfiteri tenentur, cùm tunc præsumatur vsus rationis. Ideò homicidiũ directè casuale, sed indirectè, & reductiuè volũtarium parit irregularitatem; quia est peccaminosum moralitèr.

5. Hinc est, quod irregularitas, quæ cõtrahitur ex homicidio casuali, non incurritur sine vllo peccato mortali, vel veniali; quia requirit aliquem consensum in homicidium, cũ consensus sit peccaminosus. Et sufficit, quòd culpa sit venialis; quia illud homicidium sequutum, est aliquo modo voluntariũ. Sed veriùs est requiri peccatum mortale; quia in veniali reperitur voluntas, sed imperfecta, & leuis, tàm in genere voluntatis, quàm in genere culpæ, ideò non est imponenda in pœnam irregularitas tàm grauis.

6. Verùm secundùm Canonistas sequitur irregularitas ex homicidio casuali, etiam sine culpa, & peccato. Nàm hi asserunt, quòd si detur opera rei licitæ, satis est negligentia leuissima; quia asserunt maius est peccatum in facto, quam sit in omissione.

7. Vndè Canonistæ sic deffiniunt culpam latam, leuem, & leuissimam. Lata *est in circumspecta deuiatio ab ea diligentia, quã communitèr habent homines eiusdẽ professionis*. Leuis *est negligentia, quam regulariter homines diligẽtes eiusdem Professionis euitant*. Leuissima culpa *est, quàm homines diligentissimi vitare solent*. At quia omnes istæ negligẽtiæ possunt cõtingere sine vlla culpa mortali, vel veniali in foro conscientiæ; quamuis non de præsumptione in foro externo, durum censetur apud Doctores imponi sine culpa hanc rigorosam pœnã irregularitatis.

8. Canonistę verò ducti sũt hac ratione; quia peccatum commissionis (cæteris paribus) grauius est peccato omissionis, cùm peccatum commissionis importet actum positiuum, omissionis vero actum priuatiuum formaliter actus debiti; peccatum namq; cõmissionis

est

est in se, & directè volũtarium, omissinis verò est volũtarium indirectè, & in sua causa.

9. Nota tamen ly *nomen omissionis* in materia morali dupliciter accipi potest. Primò in significatione ampla, secundũ quam importat negationem, vel priuationem cuiuscunque actus humani, quem potest quis exercere, quamuis ad illum non teneatur. Secundò magis strictè, & sumitur in malam partẽ pro omissione, quæ est culpabilis, & peccatum. Omissio primo modo nullum includit, secundùm suam essẽtiam, actum positiuum; quia, vt sic, importat negationem, vel priuationem cuiuscunque actus humani, quẽ potest quis exercere, quamuis ad illum non teneatur. Omissio secundo modo importat aliquem actum positiuum; quia importat intrinsecè rationem voluntariæ declinationis cõtra regulam, habet necessarium actum inordinatum voluntatis.

10. Rursus tribus modis potest omissio culpabilis referri in aliquem actum positiuum, tamquàm in causam. Primò, quando ipse actus voluntatis fertur directè in ipsam omissionem. Secundò, quando actus voluntatis fertur in aliquod opus, cui ex necessitate est coniuncta omissio præcepti. Tertiò, quando actus voluntatis fertur in aliquod opus præcedens, ex quo sequitur omissio præcepti. Vt autem omissio culpabilis relata in actum positiuum dicatur, & sit voluntaria indirectè secundo, & tertio modo, necessarium est in illis actibus, quod aliqualis aduertentia implicita, vel explicita futuræ omissionis reperiatur; quia impossibile est absq; cognitione expressa, vel confusa aliquid esse volũtarium, etiam indirectè; *ita D. Thom. 1. 2. q. 77. art. 7.* Et hoc quando homo liberè præstat causam culpabilẽ omissionis, scilicèt, Missæ, & peccat contra præceptum videndi Missã, quando quis vult dormire primo mane, sciens quòd non euigilabit vsque ad vesperam; quia eodem præcepto audiendi Missam, præcipitur etiam, vt tollamus omnia impedimẽta ad eius adimpletionem. Ità quòd qui liberè dedit causam culpabilem omissionis præcepti, peccat etiam in illo tempore, quando actu omittit præceptum, licèt tunc non habeat vsum rationis; quia illa omissio est libera in sua causa, quod sufficit esse peccatum; nàm omittere est non facere, quod & quãdo facere tenetur; *ita D. Thom. 2. 2. quæst. 79. art. 3. ad 3.* Sed non cõmittitur nouum peccatum formaliter; quia esse voluntarium, vnde desumitur esse morali-

raliter culpabile, est vnum numero tãtùm, scilicèt in causa libera. Tamen materialiter dici possunt duo peccata; quia duo sunt obiecta materialia distincta illius actus, & huius omissionis, scilicet nimium euigilare, & nõ audire Missam. Quorum vnum est positiuum, & alterum negatiuum. Et ille actus, qui est causa omissionis culpabilis, reductiuè est peccatum omissionis; quia ille actus positiuus est peccatum malitia omissionis. Non formaliter, sed reductiuè, quatenus præbet illius causam; quia non habet aliã malitiã quam omissionis.

11. Hinc est, quòd qui dedit causam omissionis culpabilis, scilicèt, non audiendi Sacrum in die festo cum tempore, quo currebat præceptum, voluit multùm dormire, si excitaretur à somno, & Missam audiret, antequàm terminus audiendi Missam elabatur, non excusatur à peccato omissionis; quia voluntariè dedit causam omissioni, etiam si rem preceptam actu non omittat. Tamen si antequam eueniat priuatio vsus rationis, pœniteat, non peccat peccato omissionis; quia talis omissio, nec in se, nec in sua causa esset voluntaria, cùm causa illa fuit per penitẽtiã reuocata. Quãuis iste peccet cõtra tẽperãtiam; quia periculo ebrietatis se exposuit.

12. Vnde si quis in Vigilia habuerit cogitationem libidinosam, posteà in sõno oriatur nocturna pollutio, si antequàm somnum capiat, voluntariæ illius delectationis pœniteat, nõ imputatur ad culpam; quia illa pollutio iàm non est voluntaria; nec in se, cùm sit in somnis, & homo non habet vsum rationis; nec in sua causa, cùm iàm sit nolita, & per pœnitentiam remissa. Secùs est, si det venenum alicui Clerico, & posteà pœniteat, adhùc iste talis peccat, remanet excommunicatus, & est irregularis; quia Ecclesia non iudicat de internis, tantùm Deus intuetur cor.

13. Verùm dans operam rei licitæ, & omnem adhibet diligentiam, nè sequatur homicidium, etiam si tũc subsequatur, non est irregularis; quia homicidium est omninò casuale, inuoluntarium, & sine vlla culpa; *ita D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 8. ità cap. Dilectus de homicidio.* Sed si non adhibuit debitam diligentiam, incurrit; quia esset homicidium indirectè voluntarium. Diligentia sufficiẽs dicitur illa, quæ considerata rei qualitate, & personarum, & negotiorum, & temporis, ad viri prudentis arbitrium adhiberi potuisset.

14. Sed dans operam rei illicitæ, quamuis adhibeat diligentiam debitam, nè sequatur

ho-

homicidium, tamen sequuto, incurrit; quia velle censetur illud homicidiũ subsequutum indirectè saltem; & implicitè, & quasi in causa sua. Tamen dans operam rei illicitæ, quæ de se, & ex natura sua non est periculosa ad homicidium, licèt sit alia via illicita, & prohibita, si adhibet debitam, & prudentem diligentiam, nè sequatur mors, si fortuitò sequitur, non incurrit; quia opus illud illicitum, & si sit prohibitum, nullum tamen continet periculum homicidij. Sed exercens opus illicitum de se, & ex natura sua periculosum ad homicidium, si omnem adhibuit diligentiam, nè subsequatur, eo sequuto, efficitur irregularis; quia eo ipso, quo quis exercet opus de se, & ex natura sua periculosum ad homicidium, iàm non adhibet sufficientem diligentiam ad cauendum homicidium; nàm indirectè, & implicitè cõsentit periculo homicidij.

15. Secùs irregularis est agonizantem infirmum zelo pietatis adductus in aliud latus vertens, sequuta morte citiùs; quia mors citiùs sequuta est omninò casualis, & præter intentionem, cùm dabat operam rei licitę. Si verò vertit agonizantem animo mortem accelerandi, est irregularis; quia dat operam rei illicitæ mortem accelerandi. Item incurrit, si dat medicinam, aut potionem absq; medici consilio, aut contra eius prohibitionem alicui ægrotãti, si inde sequitur mors; quia rei sibi prohibitæ, qua sequuta est mors, operam dedit. Item incurrit ille, qui dolo dedit ægroto vinum, aquam, vel aliquid cibi ad preces eius, aut consilio alterius contra consilium medici; quia mors subsequuta, vel eius acceleratio est voluntaria saltèm indirectè in sua causa. Quod si id faciat bona fide sine culpa notabili, licèt in aliquo leuitèr, & ex culpa leuissima errauerit, non incurrit; quia ad homicidium casuale necessarium aliquam notabilem culpam in committendo, aut neglĩgẽtiam induceret ad peccatum mortale in omittendo. Et si posteà dubitet, an mors ipsius causa sequuta sit, potest ad boni viri arbitriũ omnes scrupulos deponere, & se non putare irregularem, quia in dubio sine dolo, non est culpandus quis de irregularitate ex homicidio casuali, quæ non contrahitur, nisi ex culpa notabili, quæ sit peccatum mortale.

16. Similitèr qui hyeme se petunt pilis niueis ex glacie confectis, sequuta morte, vel mutilatione membri, non incurrit, si sufficientem diligentiam adhibeat, nè mors, aut mu-

mutilatio sequatur; quia huiusmodi ludus cõmuni hominum iudicio, non est ad mortem periculosum, neq; ad mutilationem. Item pueri certantes ludo lapidum cum cautela scutorum, clypeorum, quod rarò contingunt homicidia, si fortuitò alter alterum occideret, non incurrit; quia iste ludus est licitus, etiam secũdùm leges Ecclesiasticas, sicut Hastiludia hastis in se currentium, *per extrauag. de Torneamentis.* Sed adulti, & pueri vltra septennniũ ludentes ludo lapidum, etiam adhibita diligentia, & sequuta morte, incurrunt; quia est de se periculosum ad homicidiũ. Itẽ ludens quis pilæ ludo, idest, *à Palmaglio*, in loco solitario, & adhibita diligentia; clamat, *cauete*, si aliquis forsitan adest, eumq; occidat, non incurrit; quia non dabat operam rei illicitæ, & casus fuit omnino fortuitus; *ità in cap. litteris de homicidio, et ibi Gloss. verb. circumspexisset; ita cap. lator de homicidio. ità D. Tho. 2. 2. quæst. 168. art. 2. & quæst. 64. art. 8.* Secùs si non adhibita diligentia debita, petendo signa, vt caute viatores trãsirent, aut priùs clamando, vt omnes cauerent; quia non adhibuit debitam diligentiam; cum debita diligentia adhibita sufficiẽs abstergat illud aliquale periculum ab opere, & ludo aliquantulum periculoso homicidij; *ità cap. continebatur de homicidio.* Et si tale factum deductum fuerit ad forum criminale, & in iudicio aliqua pœna extraordinaria fuerit punitus, est censendus irregularis; quia pœna supponit culpam, & cõsequentèr homicidium voluntarium, cum pœna debeatur peccato; *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 108. art. 4.*

17. Ideò exercendo in opere licito, vbi nõ subest aliquod periculum ad homicidium, nõ est opus adhibere debitam diligentiam, & si subest periculum ad homicidium, & nõ adhibet debitam diligentiam, & morte sequuta, incurrit; quia eundẽ effectum generat, dare operam rei illicitæ, & dare operam rei licitæ, non adhibita diligentia, nè sequatur mors, quando subest aliquod periculum homicidij. Et sic saltans cum muliere prægnante saltu consueto, & cursu licito, si sequitur abortus, non incurrit; quia cùm saltus sit leuis, & moderatus, non præsumitur ex ea sequi abortum, cùm sit licitus. Secùs si saltus immoderatus, & cursus; quia tunc datur opera rei illicitæ de se periculosæ homicidij. At Clericus, aut Monachus ludens cum fœmina prægnãte, si ex inde sequitur abortio fœtus animati, etiam si ludus sit leuis, & moderatus, incurrit; quia huiusmodi ludi,

etiam leues sunt prohibiti Clericis, & Monachis. *ita in cap. sicut ex litterarum de homicidio.*

18. Similiter mandans iniustè, alterum percuti incurrit, sequuta morte, etiam si adhibeat debitam diligentiam, scilicèt expressè imposuerit mandatario, nè lethalitèr vulneret; quia in culpa fuit, & hoc euenire posse, debuit cogitare. *ita cap. fin. de homicidio in 6.* Sed si mandans licitè percuti, vel verberari, vt pater, magister, & dominus, & mandatarius excedens mādatum mutilet, vel occidat, mandans non incurrit; quia irregularitas hæc non incurritur, nisi ex delicto. *ita Gloss. in capit fin. de homicidio. in 6. verbo, culpa.*

19. Similitèr Monachi, & Clerici in Sacris, artem Chirurgiæ cum adustione, vel incisione exercentes, si mors indè sequatur, quantumcunq; diligētiam adhibuerit, incurrit; quia prohibitum est illis hoc officium, etiam peritis in arte. *ita in cap. Tua nos. de homicidio, & cap. Sententiam sanguinis, nè Clerici, & Monachi.* Secùs vrgente necessitate; quia in eo euentu, in quo obligat ius naturæ, cessat prohibitio iuris positiui. Ita etiam Laici, & Clerici in minoribus non Beneficiati exercentes artem Chirurgiæ, non incurrunt, si obseruatis illius artis præceptis, mors sequatur; quia ordinatur ad vitam infirmi conseruandam. Et si *cap. ad Aures* Clemens III. consuluit medico, nè ad Ordines promouerentur ex dubitatione de aliqua negligētia cōmissa in illius artis exercitio, quia tantùm monet nè promoueatur, sed non vetat.

20. Verùm Monachus, vel Clericus in sacris, peritus in arte, si secundùm artis regulas applicat remedium, seu emplastrum mollificatiuum, quo alterius apostema sese aperit, si indè sequatur mors, nō incurrit; quia solùm artem Chirurgiæ scindendo, vel adurendo est prohibita illis. Neq; incurrunt, si isti periti in arte iubent tantùm secundùm regulas artis incisionem, vel adustionem, si indè sequatur mors; quia ius prohibet propriè incidere, vel adurere, & non iubere incidi, vel aduri. Ideò isti scindentes venam ad effundēdum sanguinem, morte indè sequuta, incurrunt, maximè non vrgente necessitate; quia illis est prohibita ars incidendi.

21. Similitèr, qui Archibusium, rota non flexa super scānum deponens, & exindè aliquis ex rotæ tactu occiditur, incurrit; quia indirectè, & in sua causa fuit voluntaria & cōsequentèr culpabilis. Non ex commissione delicti, sed ex omittendo flectere rotam; quia poterat, & tenebatur aduerte-

re.

re. Sicut non incurrit extrahēs cautè, & secundùm regulas sagittas à vulnere, si vulneratus perit; q̃a adhibuit sufficiētē diligentiā in opere periculoso, nè sequatur homicidium. Si verò non est medicus, aut Chirurgus, & mors sequatur, incurrit; quia dedit operam rei illicitæ, & periculosæ homicidij, vel accelerationis, non seruando regulas artis.

22. Similitèr iniustè percutiens alterum leuitèr, vt nullo, vel modico medicamine percussus posset sanus euadere, tamen medicus lucri causa curationem prolongauit, vnde febris superuenit, & mors sequuta est, tunc percutiens non incurrit; quia mors illa non ex leui vulnere, sed ex alijs causis extrinsecis immediatè, & sufficienter sequuta est, & ex D Thom. 2.2. *quæst.* 64. *art.* 8. colligitur, quòd medico potiùs, quam leuitèr percutienti imputanda est. Neq; Dominus, aut Magister iustè puniens famulum, vel discipulum, afficiat illũ vulnere, q̃ non ex se lethale est, sed ex malo regimine, & negligentia Chirurgi mortuus est, Dominus, seù Magister nō incurrit; quia dedit operam rei licitè corrigendo, & puniēdo leuitèr.

23. Sed incurrit, qui dat alicui Sicario mandatum occidendi inimicum, si occiditur ipse Sicarius; quia cogitare debuit, talia contingere posse. Sic etiam qui loco terrorem alteri incutit, ex quo alter se præcipitat; quia cogitare debuit, hominem meticulosum illo subitaneo, & graui motu potuisse se præcipitem dare. Item incutiens terrorem mulieri grauidæ, si abortus indè sequatur fœtus animati; quia posset, & cogitare debuit mulieres esse timidas. Item fornicarius accedens ad mulierem grauidam, sequuto abortu fœtus animati; quia dat operam rei illicitæ, quæ est periculosa de se, frequens inducens abortum. Item consulens consanguineo, vel alteri, vt contractus pacis cum aduersario rũpatur, si posteà sequitur homicidium, incurrit; quia censètur causa propinqua homicidij subsequuti. Secùs si intellexit fractionem pacis per arma iustitiæ mouendo litem, & petēdo iustitiam coram Iudice cōpetenti; quia dedit operam rei licitæ de se nō periculosæ homicidij proximè, licèt valdè remotè, quæ non inducit irregularitatem. Item proijciens ioco lapidem in aliquem, qui fugiens cadat, & moriatur, incurrit; quia quotiescunque ioco noxio luditur, culpa imputatur ludendi.

24. Similitèr incurrit, qui proijcit lapidem in Caium ini-

inimicum, sed fortuitò Titius amicus occiditur; quia actionem de se periculosam homicidij exercuit absq; sufficienti diligentia. Caius verò declinando iactum lapidis, non incurrit; quia vsus est iuri suo, vt seipsum seruet incolumen. Secus verò proijciens lapidem in auē, aut quadrupidē, si fortuitò hominem occiderit; quia actio proiectionis tunc licita est, & absq; vlla culpa.

25. Similiter parentes tenētes tenellos ante completum annum infantes in lecto sine necessitate, & sine debita diligentia; si noctè in somnis, dum dormiunt, suffocentur, peccāt mortalitèr, & incurrunt; quia exponunt tenellos infantes periculo suffocationis. Maximè si est fulminata excommunicatio contra hos; quia dant operam rei illicitæ prohibitæ sub graui censura.

26. Tandèm incurrit, qui cum alio illicitè rixatur, si amici eius superuenientes, eum occidant, absq; vllo suo consensu, consilio, vel ratihabitione id faciant; quia ex eius opere illicito ad homicidium aliquo modo ordinato sequuta est deformatio. Etiam si superuenientes amicos admonet, nè quid mali inimico inferāt; quia admonitio illa non censetur sufficiēs ad tollendum periculum homicidij ab illa rixa periculosa, & illicita. Imò etiam incurrit præbens causam rixæ iniustæ, si ex ea accessoriè oriatur altera rixa, & mors alicuius sequatur; quia censetur causa sequuti homicidij, proxima sufficiens ad inducēdam irregularitatem. Secus tamen rixans cum aliquo pro materia pecuniaria, si Titius ob id mutilet aduersarium; quia rixa iusta pro materia pecuniaria, non est de se periculosa homicidij.

ARTICVLVS XVI.

An Consulens, & mandans fieri homicidium, sequuto homicidio, fiat irregularis?

1. R. Sic; quia consilium se habet vt causa efficiens moralis homicidij sequuti; *ita cap. Sicut dignum §. Clericus de homicidio.* Etiam consulens quod alter consuluisset; quia moralitèr efficacitèr influxit in illud, quidquid sit de consilio futuro. Imò consulens omninò parato illud committere; quia sufficit ad irregularitatē contrahendam, quòd quis sit causa accelerationis homicidij. Secus tamens si neq; homicidij absolutè, neq; illius accelerationis suo consilio fuit causa; quia consultus erat omninò paratus ad homicidium, & accelerationem eius. Neq;

con-

consulēs omninò parato consulet, vt inimicum mutilet potiùs, quam occidat, sequuta mutilatione; quia dat operam rei licitæ, consulendo minus malum parato cōmittere maius. Tùm quia obiectum huius consilij non est, vt fiat minus malum, sed retrahere hominem à maiori malo; *ita cap. Nerui dist. 13.*

2. Similitèr cōsulēs homicidium præsumitur irregularis, quando dubitat, an suo consilio influxerit in homicidium; quia ius existimat homicidam non commissurum delictum absq; consilio. Sed in dubio iuris nullus est iudicandus irregularis; quia non incurritur; nisi adsit ius expressum, indicans irregularitatem positam esse; *ita cap. Is, qui de sentent. excomm. in 6.* Tamen incurrit, si dubium est, an in eum casum iuris inciderit; quia iura sunt iusta, nec falsæ præsumptioni innituntur. *ità deciditur in cap. ad audientiam, & cap. significasti el. 2. & cap. penult. de homicidio.* Nām non valet illud dictum, melior est conditio possidentis, cum in hoc possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum. Verùm possidens rem aliquam bona fide, si posteà dubitat, an sit vera, non tenetur illam restituere, quando facta diligentia, adhuc dubius remanet; quia in pari causa, potior est possidentis conditio; *ità Regula iuris 65. in 6.*

3. Vnde dubitans, an sit cooperatus ad homicidium, vel damnum alteri intulerit sua actione, consilio, vel omissione, non tenetur ad restitutionem; quia tunc tenetur, quando probabilitèr æstimari potest, quòd ab eo actio iniusta processerit. *ita D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7.* Sed benè talem consulētem teneri se tamquàm irregularem gerere; quia irregularitas cōsurgit ex iuris impositione, quod in dubio homicidij, incurri. Si verò consulens dubitat, an ille, cui dedit consilium occidendi, commiserit homicidium, tunc satis est nō esse irregularem, si post adhibitam diligentiam, adhùc manet dubius; quia in isto casu nulla est præsumptio contra consulentem, cùm factum maneat omninò dubium. Et illa diligentia erit sufficiens, si dicat ille, cui consilium dedit, se nec ad substantiam facti, nec ad illius accelerationem motum esse ex suo cōsilio, dummodò homicida sit fide dignus, & vir prudens; quia tunc sufficienter à viro prudenti elici potest, cōsilium datum nihil operatum esse in homicidium sequutum. Sed consulens alteri mutilationem, si dubitat, an ille, cui cōsilium dedit, mutilauerit, non est censendus irregularis; quia iura

iura in solo dubio facti homicidij, hanc irregularitatem statuerunt, & non ad dubium facti de mutilatione. Ideò regula illa tãtum in dubio facti homicidij censendus est dubitans irregularis, & non in alijs casibus; quia regula iuris est, quòd cùm sint iura partium obscura, reo fauendum est potiùs, quã actori; ità Gloss. verb. cum sunt.

4. Certum est consulentem homicidium, & per illud commissum, esse irregularem; quia suo consilio influxit in homicidiũ. Imò si alter facturus esset homicidium sine eius consilio, tamen ex eo factus est deterior, vel tenuerit eius animum ad occisionem, erit irregularis; quia eo efficaciùs inductus est homicida ad illud perpetrandum, licèt alias illud esset facturus.

5. Similitèr esse irregularem præbentem abortui causam, cùm dubium est, an fœtus sit animatus, & subindè est dubiũ, an sit verè homicida; quia hoc dubiũ est de facto homicidij. Quòd si remanet dubium etiã post adhibitam diligentiam dubitans, censendus est irregularis; ità cap. Ad audientiam, & cap. significasti el. 2. de homicidio. Et talis nedùm in foro interno, sed etiam externo cẽsendus est irregularis; quia Gloss. finalis dicit talibus posse concedi dispẽsatio, signum quòd in vtroque foro est irregularis. Tamen in dubio facti in foro externo nõ est censendus irregularis quò ad omnes pœnas, quæ à Iudice imponi solent pro irregularitate iàm cõtracta, vt priuatio beneficij, & alię similes; quia pęna ordinaria statuta delicto certo, non est imponenda à Iudice delicto dubio, sed extraordinaria pro dubij qualitate.

6. Vndè qui cõsuluit abortum, & ignorat, an effectus sit sequutus, gerere se debet, tamquàm irregularis; quia versamur in dubio facti homicidij, in quo est apposita irregularitas. Quamuis probabile sit dicere, nõ esse irregularem; quia iura citata non videntur compræhendere hunc casum, dum est dubium ex multis circumstantijs, cùm iura videantur agere de morte alicui illata, vel de abortu sequuto. Neque cõsulens mulieri suspicanti se esse grauidã, ad abortũ faciendum, consuluit sanguinis minutionem, & nescit ex dicta minutione, an abortus fuerit sequutus; quia post debitam diligentiam ad inuestigandam veritatem, potest deponere dubium. Neq; dans consilium, & remedia ad abortum faciendum mulieri pregnanti, quæ licèt adhibuerit, non tamen abortiuit, sed postquàm benè peperit, puerum natum occidit, non est irregularis; quia

hic non occidit puerum, nec fuit causa propinqua, nec remota, vt mulier occideret natum. Sed consulens dubitans, an mulier illa mota sit ad occidēdum puerum iàm natum suo malo consilio, est irregularis; quia consilium abortionis fuit illicitum, & aliquo modo ordinatum in occisionem sequutam. Verùm si mulier asserat, non ex consilio consulentis abortum, esse motam ad puerum iàm natum occidendum, dummodò mulier sit nobilis, & digna fide, & non sit facta prægnans ab ipso consulēte, non est censendus irregularis; quia suo consilio non operatus est; nec influxit in homicidium sequutū. Sed si mulier facta fuit prægnans à consulēte abortum, non est credenda; quia difficile est, quòd mulier occiderit filium vtriusq; nullo habito respectu ad consilium patris, & desiderium eius, vt factum occultaretur.

7. Similitèr consulens homicidium, si posteà consilium suum reuocet, excusatur ab irregularitate; quia bona fide firmitèr, & probabilitèr putauit illud sufficere. Et si dubitat non sufficere reuocationē sui mali consilij ad impediendum, tenetur conari precibus importunis; & si hoc non sufficiat, tenetur monere non occidendū, vt sibi caueat, aliàs sequuto homicidio, irregularis erit; quia ille, cui consulitur, agit pro se. Tamen si post consilium retractatum, & moralem adhibitam diligentiam, mors sequatur, nō est censendus irregularis; quia consilium datum ad homicidium, non est causa naturalis, & physica necessariò influens in mortem, sed tātùm moralis, quæ per rationem, & liberam voluntatem impediri potest. Et non est eadem ratio de dante venenum, & de dante consiliū occidendi; quia venenum est causa naturalis; & physica ex necessitate influēs in mortem; consilium autem ad homicidium est tantùm causa moralis, quæ per rationem impediri potest.

8. Sed non liberatur ab irregularitate consulens ad homicidium, si longo tempore interposito, memor tamen consilij, interficiat; quia præsumitur consilium iàm datum in mortem occisi influisse. Neq; liberatur ille, qui consilium retractare, nec reuocationem intimare nequit, cùm absens, & longè distat, & non potest per litteras illum admonere; quia de facto præsumitur, moralitèr influisse in homicidium sequutum, nō impeditum, nec reuocatum. Neque consulens mulierem fornicariam prægnantem, vt assumeret certa remedia ad expellendum fœtum iàm

sam viuum, etiam quòd posteà dixerit, ne id faceret, significās esse graue peccatum; quia foemina fornicaria, vt euitet infamiam, & periculum mortis, vt plurimum, nihil curat de graui Dei offensa.

9. Verùm consulens alicui, vt se exponat periculo pro fide Iesu Christi, pro Ecclesia, pro patria, pro patre, & pro virtute tuenda, & si verisimilitèr crederet esse moriturum, non incurrit, si ille occidatur; quia bonū capitis, & bonum totius meliùs est, quàm bonum partis. Secùs pro defensione personarum priuatarum; quia consulit contra Charitatem, cùm plùs quis diligere debeat corpus suum, quàm alterius personæ. Sed cōsulens alicui, vt bona sua magni momenti, ad vitam substētandam necessaria, tueatur, si consultus se defendendo, ab aduersario occiditur, non incurrit; quia si potest quis occidere iniquum inuasorem suarum facultatum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit, neq; consulens in hoc. Secùs si bona sunt parui momēti, vel si ea aliter tutari possunt, non exponendo se tali periculo, tunc consulens incurrit; quia consulens iniquè ageret.

10. Similitèr consulens volenti fugere inimicos, suadens, vt maneret, & procuraret pacem, non incurrit, si consultus occidatur; quia meritò præsumere potest hostes arceri, & cohibere se ab occisione. Neq; consulens transeunti equo, vel iumētō debili flumen rapacissimum, vt descendat, si consultus descendit, & submergitur; quia prçter intentionem sequitur homicidiū, cum consilium fuerit pium, non ordinatum ad submersionem, sed ad salutem proximi.

11. Sed mandans aliquem occidi, & mandatarius occidit, antequàm ei nota reuocationis sit, est irregularis; quia virtute mandati sibi dati, operatur mortem. At si est nota reuocatio mandati mandatario, & occidit, mandans non est irregularis; quia mandatarius non facit homicidium ex illius mandato. Sed si non statim occidit, sed post longum tēpus, & mādans non reuocat, mandans est irregularis; quia semper factum committi censetur à mandatario: Ità quòd reuocatio mandati nota mandatario, immunis est mandans ab irregularitate; quia mandatarius in gratiam mandantis agit; ideò satis est reuocatio mandantis. Et non est eadem ratio de mandante, & de consulente; quia ille, cui consulitur, agit pro se, ideò plùs requiritur ad remouendū effectum consilij, qui concernit ipsum operantē. Mandata-

rio autem, quia agit pro mandante, sufficit, quod constet, siuè expressè, siuè tacitè de contraria voluntate mãdantis: Nec excusatur mandans, eo quod mandatarius longè distat, & moneat occidendum, dum sequitur effectus; quia satis est, quod effectus homicidij in causa non impedibili, vel non impedita fuerit voluntarius, vt incurrat. Imò incurrit, etiam si mandatarius à principio non acceptauit, posteà mutata sententia, exequitur mandatum, nulla facta à mandante reuocatione; quia primum crimen, quod mandans, vel consulens mandando, vel adhortando commiserat, adhùc censetur perseuerare, dùm non reuocauit. Non solùm præcipiens, seù mandãs expressè homicidium, sed etiam tacitè sequuto effectu, incurrit; quia per tacitum mandatum mandans cogitare debuit quid euitare posset.

ARTICVLVS XVII.

An non obstans homicidio, quod tenetur ex iustitia impedire, incurrat irregularitatem.

1. R. Sic; quia dùm tenetur ex officio, vel ex stipendio, vel ex promissione; quia tali ius ciuile punit, ac si ipse commiserat homicidiũ; *ita D. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. ad 3.*

2. Vnde Princeps non impediens necem in suo statu, & medicus pretio conductus nõ curat diligentèr infirmum, & Domini non adhibentes diligentiã, nè animalia sua ferociã mortẽ inferant, nece sequuta, omnes isti sũt irregulares; quia tenentur ex officio, & iustitia impedire damna; *ita D. Thom. loco citato*. Verùm qui tenentur ex officio, stipendio, vel promissione, si ex incuria, & inaduertentia etiam aliquo modo culpabili mors eueniat, non incurrunt; quia parentem non manere irregularem, etiam si ex incuria sua filius in cunis suffocetur, dummodò ex voluntate affectata parentis id nõ eueniat; *ita in cap. Quæsitum de Pœnitentijs*. Sed negligentia affectata incurrũt potius irregularitate homicidij causalis, quã voluntarij; quia non est directè intentum, nec directè factum. Tamen si omittit defendere ex odio, & directa voluntate, tũc efficitur irregularis irregularitate voluntaria; quia omissio non defendendi est iniuriosa directè respectu hominis, qui occiditur.

3. Similitèr qui voluntariè suscipit custodiam infirmi, si ex ea negligentia ille moritur, nõ ponendo remedium necessarium, manet irregularis ex homicidio volũtario, vt medicus; quia talis dicitur occidi à medico;

dico.; *ità cap. Absit, dist. 50.* Item impediens malitiosè volentem defendere innocenté, consilio, aut per vim, sequuta morte, incurrit; quia contra iustitiam facit. Qui verò bono animo retrahit volentem defendere innocentem, vt pater, mater, vel consanguineus retrahit filium aut fratrem, aut cōsaguineum, nè ipse occidatur, non incurrit; quia non est contra iustitiam, sed ex amore vitandi periculū consanguinei. Et sic ille, qui claudit ostium domus suę currenti posito in periculo mortis, si occidatur ab inimicis, si hoc facit, vt rixam euitet, & nè in domum suam totus rixantium impetus irrueret, non incurrit; quia hic sine dolo caueret sibi. Secùs, si facit, vt currens faciliùs occidatur ab inimico; quia tunc dolosè obicem ponit saluti currentis in domum suam. Neq; incurrit vir priuatus non obstans homicidio, quamuis possit illum commodè defendere; quia non peccat talis cōtra iustitiam, sed contra Charitatem, cum non competat ei ex officio. Neq; incurrit vir priuatus, qui permittit occisionem proximi, si tacens complaceat sibi in morte proximi; quia eius silentium neque directè, neq; indirectè influit in morté proximi. Sed si tale gaudium signis exterioribus ostenderet, & animosior fieret inimicus ad occidendum, incurrit; quia tunc non est sola omissio, sed etiā cooperatio aliqua ad homicidium.

4. Verum qui mandat, vel consulit alicui, vt alium non tueatur ab homicidio, eo sequuto, incurrit; quia peccat contra iustitiam respectu occisi, & suo malo mandato, & cōsilio operatur ad mortem eius. Ideò incurrit fornicarius, qui sciens mulierem prægnantem a se redditam, abortum procurare, illam impedire non suadet, sequuto abortu fœtus animati; quia tamquàm pater titulo iustitiæ tenetur vitam seruare filio. Sed veriùs, & probabiliùs est contrarium; quia pater non tenetur vitam, & bona filiorum defendere lege iustitiæ, sed pietatis, & officij paterni.

5. Similitèr est irregularis, qui sciens, & non contradicit volentibus alium occidere in vindictam iniurię ei illatæ; quia videtur consentire homicidio; *ità Innocentius III. cap. Petrus de homicidio, & ibi Gloss. verb. contra prohibitionem.* Sed qui non reuelat homicidium contra aliquem tractatum, non incurrit; quia mutus, & tacens non influit in homicidium tertij, cùm non committatur in gratiam ipsius, neq; cōpetat ex officio ei reuelare. Peccant tamen mortalitèr non reuelando sine

suo,

suo, & suorum periculo; quia agunt contra dilectionem proximi.

6. Tandèm vir priuatus nō obstans Clerici percussioni, etiam si cōmodè possit obstare, non incurrit, etiam si peccet non obstando; quia qui non obstat, cùm teneatur ex sola Charitate, non imputantur cętera damna, nec iniunguntur aliæ pœnæ. Sed veriùs, & probabiliùs est dicere, incurri; quia in *cap. Quante de sent. excomm.* dicitur, quod etiam excommunicantur illi, qui manifesto facinori desinunt adiuuare. At si hoc non faciunt dolosè, sed ex timore etiam irrationabili, vel ex negligentia non prohibent, non incurrunt; quia tunc moralitèr non censentur consentire manifesto facinori percussionis Clerici.

ARTICVLVS XVIII.

An cooperantes ad homicidium sint irregulares, & inhabiles ad ordines suscipiendos?

1. R. Sic; quia efficacitèr influunt in homicidium, vel mutilationem.

2. Nota, quòd quadruplicitèr hæc cooperatio fieri potest, scilicèt efficienter, materialitèr, formalitèr, & finalitèr. Efficientèr, scilicèt committere, iubere, vel mandare. Materialitèr, idest, dare arma, vel pecuniam, vt fiat bellum iustum, vel rixa priuata iniusta. Formalitèr, idest, instruere, docere, aut consulere. Finalitèr, idest, pollicere præmium, aut receptionem homicidæ. Hi omnes incurrunt; quia hi proximè influunt in homicidium, vel mutilationem, sequuto effectu.

3. Item incurrit assistens armatus alicui homicidio, quamuis arma non educat, nec physicè operetur, opem tamen ferre paratus sit, sequuto effectu; quia ex præsentia illius alter animatur, & acrior ad pugnam efficitur. Item qui comitatur volentē occidere, vt eum defendat, etiam si illi dissuadeat, nè occidat, sequuto effectu; quia licèt dissuadeat, tamen armatus homicidium sequutus est, eique animum adiecit.

4. Tamen non incurrit, qui bono animo superueniens rixæ priùs cæptæ per amicum gladio euaginato astans, etiam sequuto effectu, quia ipse non occidit, nec iuuit per se amicū percussorem, nec dedit occasionem propinquam occidendi. Quamuis in foro exteriori, iste iudicabitur incurrisse; quia præsumitur occisorem factum esse audaciorem ad percutiendum. Et si armatus associat amicum, nè in rixa periclitetur, & rixa incæpta, ei assistit, non in-

intendens sua præsentia mortē alterius, sed tātùm iuuare amicum, incurrit in homicidium casuale, & non voluntarium; quia saltèm indirectè ad mortē casualē operatus est. Sed quādo vulneratus à pluribus in communi rixa, & ex vno vulnere mortuus est, omnes incurrunt; quia omnes cooperati sunt ad homicidium.

5. Verùm quando vnus à pluribus in rixa subitò contingenti, non præmisso communi consensu, vel consilio vulneratus, & in occiso reperitur vnicum lethale vulnus, si constat, quis id intulerit, is tantùm incurrit, non autem cæteri; quia in isto casu sicut cæteri excusantur ab homicidio, ita etiam ab irregularitate. Tamen veriùs, & probabiliùs est dicere, omnes incurrere; quia omnes semper iuuant ad mortem, & subiectum redditur debilius ad resistendum vulneri lethali. *ita cap. si quatuor homines. 23. quæst. 8.*

6. Similiter in rixa subitò contingēti, & dubium est, quis inflixerit illud vnicum vulnus in occiso, omnes incurrunt; quia in dubio facti in foro conscientiæ, & foro fori tutiorem partem debemus eligere; *ita cap. Ad audientiam. de homicidio. ita Gloss. in cap. si quatuor 23. quæst. 8. verb. quicunque eorum. & capit. Sapientes §. cæterùm verb. Qui culpabiles, de electione, in 6.* Etiam illi, qui nullum vulnus occiso inflixerint; quia licèt non vulnerauerint, aliquod tamen auxilium, & cooperationem dederunt homicidæ; ita Gloss. *in cap. vlt. 23. quæst. 8. verb. Quicunq; eorum*, vbi dicit, sufficit, quòd sumpsit arma, licèt non occidat; etiam si vulnus inflictum vnicum tantùm sit, & sciatur quis inflixerit; quia alij non manent irregulares propter incertitudinem, sed propter cooperationem.

7. Tandèm si quis in rixa subitò contingenti, solus existens leniter, sed iustè percutit conrixantem non animo occidendi, deindè alius superueniens illum occidat, primus non incurrit; quia ab alijs occiditur sine eius culpa. *ita cap. significasti. el. 2. de homicidio. Innocentius III. definit.* Secùs, si iniustè etiā leniter percusserit; quia dedit operam rei illicitæ, & ex natura sua periculosæ ad homicidium. Sed si primus rixans lethalitèr percussit aduersariū, & statim mortuus est, si superuenientes eundem mortuum percutiunt, non incurrūt; quia ad mortem iàm occisi nō sunt cooperati. Si verò non statim obijt, & superuenientes eundē adhùc viuum percutiunt, etiam incurrunt; quia mors sequuta, saltem quò ad accelerationem præsumitur causata, vel accelerata.

AR-

ARTICVLVS XIX.

An Ratum habens homicidium sit irregularis?

1. ℞. Non, etiam suo nomine factũ pro nesciente, neque consulente, neque mandante; quia ratihabitio homicidij iam sequuti nihil influit in homicidium. *ita Gloss. cap. si quis viduam dist* 50. *verb. aut consilio. & non est in iure expressũ; cap. Is, qui de sent. excomm. in 6.*

2. Verùm Ratã habens percussionem nomine suo factã, est excommunicatus; quia ita in cap. *Cùm quis de sent. excomm. in 6.* statuitur, quod in iure nõ habetur expressum de irregularitate. Sed solo interiori cordis consensu Ratam percussionem habuerit, non est excommunicatus; quia lex Ecclesiastica non potest delictum merè internum aliqua pœna punire, donec exterioribus signis contestata sit. Hinc est, quòd si quis suis manibus casu, & sine culpa occidit alium, & postea intelligens factum, Ratum habeat, non incurrit; quia ad irregularitatem incurrendam necessaria est actualis culpa homicidij.

3. Neque post commissum homicidium, cui nullo modo cooperatus, homicidam recipiat, occultet, vel defendet, vel aliquid ei donet propter homicidium factum; quia per actus subsequentes ad homicidium, etiam commissum nullo modo cooperatur, aut influit in homicidium præteritum. Neque ferientem, aut mutilantem corpus inuentum iam defunctum; quia licèt ostendat odiũ, & sint actiones peccaminosæ, tamẽ non sunt cooperationes homicidij. In foro verò exteriori præsumitur mandasse homicidium, & magna purgatione indiget, vt se ab irregularitate liberaret, & meritò per iudicem suspendi, & ab Ordinibus amoueri. Hæc autem irregularitas per se non est irregularitas homicidij, sed infamiæ, nec durat ampliùs, quàm durat talis infamia; quia sublato scandalo, manet talis habilis ad Ordines absque noua dispensatione.

ARTICVLVS XX.

An quis licitè per saltum possit ordinari?

1. ℞. Quòd in primitiua Ecclesia permittebabatur, cũ inferior potestas cõprehendatur in virtute superiori. Tamen per noua Decreta Ecclesiæ, & sacros Canones statutum est, quòd sub pœna suspensionis non se inferant ad maiores ordines, quin priùs

in minoribus se humiliauerit. *ita in cap. Sollicitudo. dist. 52. & in cap. vnic. de Clerico per saltum promoto. Ità etiam D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 32. art. 5.*

2. Promotus per saltum dicitur ille, qui est promotus ad Ordinem superiorem, non recepto prius Ordine inferiori. Et est suspensus ab illo ordine, per quem per saltum promotus est. *ita in capitibus supradictis.* Verùm promotus per saltum suscipit charactere Ordinis per saltum adepti. *ita in Gloss. capitibus citatis.* Et si ministrat in ordine suscepto per saltum fit irregularis; quia ministrat in ordine, à quo est suspēsus ex delicto violandi censuras. *ita cap. Medicinalis de sentent. excomm. in 6.* Etiam est irregularis si ministrat in Ordine prætermisso; quia *ita afficitur cap. si quis de Clerico non ordinato ministrante.* Dūmodò Ordo prætermissus sit Sacer, nam si esset minor non incurrit ministrando; quia officia minorum exercere licitè possunt à non ordinatis. *ita D. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. 2.* Non autem est suspēsus ab ordinibus ritè susceptis; quia non est suspensio totalis ab omnibus ordinibus, sed tantùm ab ordine malè per saltum suscepto, cùm ex iure non plus colligatur. Benè tamen est inhabilis ad suscipiendos Ordines prætermissos, & ad suscipiendos ordines superiores; durante ipsa suspensione; quia habet speciale impedimentum sumendi prætermissos, & requiritur dispēsatio.

3. Ad Episcopum tamen pertinet absoluere promotos per saltum à suspēsione, quam contraxit, (dummodò non ministrauerit in suscepto Ordine per saltum,) & dispensare; quia ita conceditur Episcopis à Concil. Trid. *sess. 23. de Reform. cap. 14 & Gloss. in cap. vnic. de Clerico per saltum ordinato, verb. Ministrare:* Non tamen sic per saltum suscepto, antequàm pretermissum recipiat; quia hoc videtur repugnare iuri diuino, & institutioni sacrorum Ordinum. Sed si sciēter in ordine suscepto per saltum ministrauerit, nō potest Episcopus dispensare; quia ita Concil. Trid. *loco citato* absolutè definit. Et cum tali ministrante, siuè scientèr, siuè ignorantèr non potest dispensare; quia Concil. supradictum nullā facit distinctionem. Tamen ignorās inuincibilitèr suū errorem, ministrauerit in ordine suscepto per saltum, potest Episcopus dispensare ad maiorem suscipiendum; quia ignorantia, quæ excusat à culpa, excusat etiam à suspensione, & irregularitate incurrenda, cùm pœna grauis non incurritur, nisi supposita culpa graui. Ac etiam ab inhabilitate, quam incurrit promotus per saltum

ad suscipiẽdos ordines prætermissos; quia reseruatio Conc. Trid. facta fuit propter culpam, & nouam irregularitatem adiunctam, & ignorans inuincibilitèr non peccat, nec incurrit notam irregularitatis.

4. Similiter Episcopus dispensare potest cum promoto per saltum, qui tantùm sine dispensatione pretermissum Ordinem suscepit; quia Conc. Trid. *loco citato* posuit illam conditionem, nisi ministrauerit. Nõ tamen potest dispensare cum promoto per saltum super irregularitate, quam incurrit, suscipiendo Ordinem prætermissũ absque præuia dispensatione; quia est nouum impedimentũ Canonicum. Tamen si hæc irregularitas ex delicto occulto præcesserit, potest Episcopus super illa dispensare; quia licèt non possit vi concessionis *sess. 23. cap. 14. de Reform.* tamen virtute eiusdem *sess. 24. cap. 6. de Reform.* potest super illa dispensare, cum ibi dicatur, quòd liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus dispensare, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & alijs deductis ad forum contentiosum. Ità quòd promoto per saltum ad Ordinem Sacerdotalem, pretermissis alijs ordinibus maioribus & minoribus, si non ministrauerit potest Episcopus dispensare; quia *ita Sacra Congregatio Cardinalium super Concil. decreuit anno* 1588.

5. Tandèm suscipiens per saltum cõsecrationem Episcopalem, si Pontificale Ministerium exercet, nõ incurrit; quia appellatione Ordinum, non venit in his legibus consecratio Episcopalis. Et ex cap. *Quia periculum, de sent. excomm. in 6.* colligitur, quòd suspensio generatim lata, Episcopis non cõprehendit, nisi specialiter exprimantur. Sed si ita consecratur Episcopus per saltum, vt Sacerdotij ordinem prætermittat, non maneret consecratus Episcopus; quia consecratio Episcopi essentialitèr requirit Characterem Sacerdotalem. Valida tamen esset consecratio Episcopalis, si alius Ordo inferior Sacerdotali esset prætermissus; quia consecratio Episcopalis habet necessariam cõnexionem cum ordine Sacerdotali, cùm sit quid complimẽtum illius, quam connexionẽ non habet cum alijs ordinibus.

ARTICVLVS XXI.

An per Simoniam realem in Ordine, ipso facto incurratur excõmunicatio maior Papæ reseruata?

R. Sic; quia *ita in Extrauag. Pauli II.* Vbi etiam excommunicantur omnes,

nes, qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam cōmiserint. Imò etiam pro prima Tonsura; quia per eam simplicitèr cōstituitur aliquis in Ordine Clericorum, & in iure nomine Ordinationis intelligitur, aliquem constitui in Ordine Clericorum.

2. Nota, quòd Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi id, quod est spirituale, vel spirituali annexum; *ita D. Tho. 2. 2. quæst. 100. art. 1.* Quæ est triplex, Mentalis, Conuentionalis, & Realis. Mentalis duplicitèr committitur. Primò, solo nudo proposito, seù desiderio nullo externo actu coniūcta. Secundò, pro illa actione, quæ mente Simoniaca fit, sed ex se, & ex circumstantijs Simoniam non præsefert, vt accipere eleemosynam Missæ, tamquam pretium. Et hæc non sufficit ad incurrendam excōmunicationem; quia Ecclesia non punit actum internum. Conuentionalis consistit in pacto, seù conuentione expressa, vel tacita dandi, vel recipiēdi temporale pro spirituali. Neq; hæc sufficit ad incurrendam excommunicationem; quia requiritur effectus completus, & consūmatus. Realis est, qua res temporalis traditur, vel accipitur pro spirituali, & p hanc incurritur; quia Simonia est contra dantes, & accipiētes.

3. Vnde si Ordo ex præuio pacto alicuius temporalis fuit collatus, sed nondùm tradita fuit res temporalis, nō incurrit; quia licèt emptio, & venditio videatur perfecta, quando res tradita est, sed quia prætium nondùm est persolutum, non censetur effectus completus, & omninò consummatus; potiùs dicenda est Simonia Mentalis, seù Conuentionalis; quia delictum non est consummatum ab vtraque parte sub censura prohibitum; *ità videtur statui in Extrauag. cùm detestabile de Simonia.*

4. Verùm excommunicatio statim incurritur, ac prætium traditur, & accipitur; quia tunc completur delictum Simoniæ sub excommunicatione prohibitum. Etiam si non totum, sed tantùm minima pars eius soluatur; quia quòd spiritualis res cariùs, vel viliùs vendatur, non variat rationē actionis Simoniacæ cōpletæ. Sed Ratam habens Simoniam in Ordine, non ligatur excommunicatione; quia in illa Extrauag: non est sermo de Ratum habētibus Ordinem iàm Simoniacè susceptum. Et nunquàm efficitur irregularis; quia id in iure non est expressum: *cap. Is, qui de sent. excomm. in 6.*

5. Rursùs subiectum excōmunicationis per Realem Simoniam sunt omnes, & singuli

cuiuscunque status, gradus, & cōditionis existant, etiam Cardinales, & Reges, qui Simoniæ crimen in Ordine committunt dando, vel accipiendo, vel procurando; quia textus *in Extrauag. cùm detestabile de Simonia* vniuersalitèr loquitur. Sed suscipiēs Ordines per Simoniam ab altero contractam, ipso inscio, non incurrit excommunicationem, si cognito Simoniæ crimine, restituunt pretium, quod alter pro Ordinatione erogauerat; quia sic Ordinatus non dicitur accepisse Ordines cum culpa Simoniæ, quæ ipsi imputetur, cùm traditio pecuniæ sit posterior Ordinatione. Ideò q post Ordines susceptos tradit aliquid absq; præuio pacto ordinanti, vel Episcopus ordinans post Ordinum collationem aliquid gratis oblatum accipit, non afficitur excōmunicatione; quia hæc excōmunicatio nullibi expressa reperitur. Quamùis peccet contra præceptum Cōcil. Trid. *sess. 21. cap. 1. de Reform.*

6. Itē qui dat pecunias mediatori, vt sibi impetret dimissorias ad Ordines suscipiendos, vel pro sigillo ante consequutionē Ordinis est ex Extrauag. excommunicatus, & suspensus ab exequutione Ordinū; quia per Dimissorias datur quoddā ius spirituale, directum formalitèr, & virtualitèr ad cōsequēdum Ordinem, qui est quid spirituale, & illa actio refertur ad Ordines. Et post collationē Ordinum absq; præuio pacto non afficitur; quia non potest dici Ordinem Simoniacè accepisse, nec pro illo aliquid dedisse; cùm hoc videatur potiùs redemptio vexationis, vel quædā animi gratitudò. Imò Episcopus, si litteras Dimissorias dederit, pecunia accepta, Simoniæ crimen incurrit, & excommunicatione afficitur cōtra Simoniacè procurantes alterum ordinari; quia ius quis acquirit, vt possit ab alieno Episcopo ordinari. Secùs incurrit, si litteras testimoniales pecunia dedit Clerico ordinato, quibus testatur Clericum ordinasse absq; præuio pretio; quia actio ista non refertur ad Ordines suscipiendos.

7. Similiter incurrit dans pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile examinatoribus, vt eum tamquam idoneum præsentent Episcopo ordinanti; quia pœna contra Simoniacè ordinatos, non solùm incurritur pro pretio Ordinis, sed etiā pro alijs actibus directis ad eius exequutionem; *ità fuit definitū in Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. de Reform.* Nec committēs Simoniam in qualibet alia materia non afficitur pœna excommunicationis huius Extrauag. Sed solùm committens Simoniam

in Ordine, beneficio, & Religionis ingressu; quia de illis tãtùm in Extrauag. fit expressa mentio.

8. Vnde pecuniam tradens, vt in Religionem aliquam admittatur, incurrit ipse, & qui recipiunt aliquid ex præuio pacto; quia *ità statuit Vrbanus IV: in Extrauag prima de Simonia*. Sed si mentem suam recipienti nõ aperit, non incurrit; quia in Extrauag. Papa tantùm interdixit dationem, vel receptionẽ ex pacto. E conuerso si ingrediens in Religionẽ aliquid exigat à Monasterio, vt ingrediatur, non incurrit; quia de hoc modo Simoniæ, nulla ibi fit mentio. Tamen si receptio ad habitum fiat gratis absque vllo præuio pacto aliquid accipiendi, tamen tempore professionis aliquid pro professione emittenda ex præuio pacto recipiatur, hoc sufficit ad incurrendã hanc censuram; quia actus ingrediendi Religionem plenè cõsummatur in ipsa professione. Etiam illum, qui pecuniã tradit, vel accipit, vt obtineat, vel ferat votum, & suffragium pro ingressu in Religionem subijci huic censuræ; quia hoc saltem indirectè est tradere, vel accipere pecuniam pro ingressu ad Religionem. Et hoc verũ est, siuè detur, siuè accipiatur pecunia, siuè cum pactione recipiantur pastus, prandia, cœnæ, iocalia, aut aliæ res; siuè cedentur in vtilitatem superioris, vel alterius Religiosi, vel ad vsũ Monasterij, Ecclesiæ, siuè in alium quemlibet pium vsum; quia ista statuuntur in præfata Extrauag.

9. Verùm si Monasterium est inops, vt ipsum in illud ingredientem commodè substẽtare nequeat, nisi aliquid pro substentatione adducat, nõ est illicitum dare, vel recipere ex pacto pecuniam pro substentatione; quia non est Simonia, quotiès temporale datur, vel recipitur pro temporali; *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 4.* Sed si Monasterium est diues, si cũ pactione præuia petatur, vel detur, non excusatur à Simonia; quia D. Thom. *in 4. dist. 2 quæst. 3. ad 2. quæstiunc. 2. ad 7.* docet, quod si sinè grauamine Ecclesiæ potest recipi Religiosus, Simoniacum est, aliquid pro receptione exigere. Tùm, quia bona Religiosorũ subijciuntur dispositioni Papæ, qui vult, vt ipsorum bona liberalitèr, & gratis assumantur in alẽdis Religiosis: *ità in cap. quàm pio 1. quæst. 2. & cap. Quoniam de Simonia.*

10. Iure naturæ, & diuino, secluso iure Ecclesiastico positiuo, non est illicitum, neq; Simonia cum etiam cum pactione dare, vel recipere aliquid, non pro ingressu Religionis,

sed

ſed pro ſubſtentatione ingredientis, etiam ſi Monaſterium diues ſit, & locuplex; quia tunc accipitur temporale pro temporali. Tamen attento iure põtificio *Extrauag.* ſub nullo titulo recipi, vel dari poteſt, aliàs præſumitur Simonia; quia ſi victus eſt abundans in Monaſterio opulento, præſumitur pecuniã recipi pro ingreſſu. Et ſi aliquid datur, vel accipitur pro ingreſſu in Religionem longè ſuperans, & excedens onus ſubſtẽtationis ex preuia pactione omninò, ſic incurrunt dantes, vel recipiẽtes labem Simoniæ, iure diuino prohibitę, & cenſuram latam *in Extrauag.* quia tũc accipitur temporale pro ſpirituali; ſcilicèt, pro ingreſſu Religionis.

11. Imò ſi monaſterium locuplex, & diues, non pro ingredientis ſubſtentatione, ſed quia ingrediens non eſt tàm claro ſanguine natus, aut quia aliqua deformitate, aut alio defectu notatus, pœnam excommunicationis incurrunt; quia ſpirituale venditur pro tẽporali, ſcilicèt profeſſio ipſa, & locus in Religione. Tamen ſi Monaſterium diues renuat virum pauperem bonæ indolis, & doctrinæ hoc titulo recipere, niſi afferat, quæ neceſſaria ſunt ad congruum ſuum victũ, non incurritur; quia non intendit aliquid accipere pro re ſpirituali, ſed tantùm pro congrua ſubſtẽtatione ingredi volentis.

12. Ideò Moniales nolentes aliquam in Monaſterium, etiam diuitem admittere, niſi congruam dotem afferat, non incurrunt; quia multi Pontifices, & præcipuè Clemẽs VII. eximerunt Moniales ab hac Cenſura ad hunc finem. Sed Moniales exigẽtes aliquid pro ingreſſu Religionis vltra congruam ſubſtentationem, non excuſantur ab hac Cenſura, niſi aliud ferat conſuetudo, aut niſi liberalitèr tradatur, & non ex pacto; quia *in Extrauag.* Eugenius IIII. loquitur de Religioſis vtriuſque ſexus, & Clemen. VII. indulſit Monialibus pro congrua ſubſtentatione, & non recipiendo aliquid vltra debitum, & ex D. Thom: 2. 2. *quæſt.* 11 *art.* 3. *ad* 4. colligitur, quòd vetitum eſt illis temporale recipere præuio pacto pro ſpirituali: Et non ſolùm tempore profeſſionis eſt vetitum, ſed etiam in ingreſſu Religionis; quia textus ſupracitatus abſolutè loquitur de volentibus ingredi.



AR-

ARTICVLVS XXII.

An accipiens Ordines Simoniacè, ipso facto sit excommunicatus, & suspensus ab exequutione ordinum?

1. R. Sic; quia *ita habetur in Extrauag. 2. de Simonia. Pauli II.* Et non solùm est suspensus ab eo Ordine, quem Simoniacè suscepit, sed etiam ab omnibus, quos habet: quia apertè colligitur ex verbis ipsius. Tamen ordinatus per Simoniam ab alio commissam, ipso inscio, non afficitur hac suspensione, etiam si post ordinationem ratificet Simoniam ab alio commissam; quia in susceptione Ordinum non cõmisit Simoniam, sed tantùm illam approbat post factam. *ita in cap. de Simoniacè de Simonia.* Dummodò non sit ignorantia crassa, & culpabilis; quæ etiam sit facti, non excusat à pœna suspensionis. *ità cap. Præsentium 1. quæst. 5.*

2. Verùm mediatores Simoniæ tantùm sunt excommunicati, & non suspensi; quia ibi non est lata suspensio contra mediatores, sed tantùm excommunicatio reseruata Papæ. Neque ista suspensio suspendit à beneficio, & officio, sed solùm ab exequutione, & suspensione aliorum ordinum: quia Sixtus V. hanc pœnam non imposuit, nisi casu, quòd ministrauerint, tunc erunt irregulares & priuati beneficijs.

3. Nota, quòd suspensio lata absolutè absque limitatione expressa, vel tacita sic diffinitur, scilicèt, *Suspensio est censura Ecclesiastica, qua Clerico, quatenus Clericus est, ob suam culpam prohibetur exercitium Ordinis, officij, vel beneficij ab habente potestatem ad tempus, vel in perpetuum in totum, vel in partem;* quia *suspensio*, vt sic, est genus, quod æquè de suis speciebus prædicatur, scilicèt, *ab officio, & beneficio; ab officio ordinis, & iurisdictionis.*

4. Vnde suspensus *ab Ordine* intelligitur à quolibet ordine; quia nomẽ, *Ordo*, absolutè prolatam dicitur de quolibet Ordine. Non tamen suspensum ab Ordine prohibet actum iurisdictionis, aut aliarum rerum, quæ fundantur in Ordine; quia Episcopus electus ante consecrationem exercere potest iurisdictionem. *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 22. art. 3.* Item suspẽsus ab Ordine, est suspensus à beneficio quod requirit exercitium Ordinis; Secùs à beneficio simplici, quòd nullam habet obligationem, nisi pensũ officij diuini; quia beneficium simplex non fundatur in Ordine, sed in prima Tonsura, quæ non est Ordo, sed præambulũ.

5. Item suspensus *ab officio*

simpliciter, & absolutè nulla addita limitatione, intelligitur *suspensus ab officio*; non tantùm Ordinis; sed etiam iurisdictionis, idest à potestate Ecclesiastica, quæ illi competit ratione ordinis, & iurisdictionis; quia vsus ordinis, & iurisdictionis competit ratione officij absolutè prolati. Non tamen à beneficio, & fructibus eius; quia quando fertur ab officio, & beneficio simul debet aliquid amplius, quàm importet, quando fertur tantùm ab officio.

6. Item suspensus *à beneficio* intelligitur tantùm à fructibus beneficij, non autem ab Officio, quod illi competit, etiam ratione beneficij; quia talis nõ priuatur vsu, & exercitio rerũ spiritualium, vel temporalium, sed tantùm fructibus beneficij, à quo est suspensus.

7. Item suspensus *à diuinis*, licèt non possit diuina officia persoluere ex officio, potest tamen tanquam merè Laicus, & passiuè confiteri, communicare, Missam audire.

8. Ideò Collegium, Capitulum, vel Conuentus aliquid recipiendo pro ingressu alterius in Religionem per præfatam *Extrauag.* non solùm suspendi ab omni actu, seù officio capitulari, sed etiam ab officio, & beneficio; quia suspensio lata absolutè absque limitatione scita, vel expressa suspendit ab omnibus, scilicèt, *ab officio, & beneficio*. Et quamuis collegiũ, Capitulum, vel Conuẽtus collectiuè simul, ideſt, vt vniuersitas, & Conuentus est, excommunicari non potest; quia excommunicatio tãtùm pro peccato proprio fertur. *ita Innocentius IV. in cap. Romana. §. in Vniuersitatem. de sentent. excomm. in 6.* Tamen singulares eorundem personæ collectiuè simul suspendi possunt ab omnibus ab officio, & beneficio. *ita cap. Quia sæpè de elect. in 6.*

9. Tandem conferens ordines per Simoniam Realem nõ solùm est excõmunicatus, sed suspensus à collatione Ordinis, etiam primæ Tonsuræ, & ab exequutione omnium munerum Pontificalium, vt Sacramentum Confirmationis, aut Ordinis conferre, Calices consecrare, Ecclesias, Abbates, Virgines, vestes sacras, & alias solemnes, & Pontificales benedictiones; cùm hæc omnia ad Pontificale munus pertineant. *ita Gloss. in cap. Transmissam. de electione. verb. de talibus.* Posset tamen iurisdictionis actum exercere; quia non venit nomine Pontificalium. Neque ab administratione Ecclesiæ, neque etiam à beneficio. *ita Sixtus V. in Bulla Sanctum & salutare.* declarat. Sed si casus simoniæ est occultus, & nondum ad forũ contẽtiosum deductus, potest

Epi-

Episcopus absoluere ab excõmunicatione, & suspensione ob Simoniam Realem in Ordine contractis; quia ius antiquum *in Extrauag. Pauli II. & Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de Refor.* concedebatur. Modò per ius nouum Sixtus V. reuocat omnes concessiones, & facultates, per quas posset quis absolui cum clausula derogatoria omnium Priuilegiorum Regularibus datorum, & concessionis factę Episcopis à Concil. Trid. Et licèt Clemens VIII. reduxerit Bullam istam Sixti V. ad terminos iuris, quò ad alia, non tamẽ quò ad collationem Ordinum Simoniacam.

ARTICVLVS XXIII.

An Sacris Ordinibus insignitus cum Patrimonio promisso, cum occulto tamen pacto ante Ordinationẽ, quòd posteà Patrimonium non repetet, sit suspensus?

1. R. Sic; quia *ita in cap. si quis Ordinauerit. de Simonia, & Sixtus V. in motu proprio Sanctum, & salutare*, decernit. Donec à Papa dispensetur; *ita cap. supradicto.*

2. Imò recipiens fictè Patrimonium ab altero, vt ad Ordines promoueatur, data Antapocha, aut fide id reddendi, cùm promotus fuerit, tenetur id patrimoniũ restituere; quia talis donatio fuit cõditionalis. Et licèt fraudulentèr, & verbotenus facta sit, tamen in iure nõ est reprobata. Quamuìs alij dicant non teneri restituere, donèc beneficium, aut patrimonium sufficiens habeat. Et licèt iniquè egerit donans fictè, & mereatur donata priuari, tamen cùm sit pœna, Iudicis sententiam desiderat.

3. Verùm insignitus Sacris Ordinibus sine titulo, vel patrimonio, si nullum faciat pactũ cum vlla persona, iure cõmuni non affici pœna suspensionis, si dolo, & fraude non confingit sibi titulum, vel patrimoniũ; quia nullo iure sic ordinatum afficitur suspensionis pœna. Si verò ordinator Episcopus sciuit hoc, in pœnam cogitur suis sumptibus alere, donèc de beneficio ei prouiderit; *ità Innocentius III. cap. cùm secundùm Apostolum, & Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de Reform. confirmat.* Tamẽ culpabilitèr promotus, scilicèt, fraude cum falsis attestationibus ostendat se facultates habere sufficientes ad titulum patrimonij, incurrit suspensionẽ; quia dolus, & fraus nemini patrocinari debent; *ità cap. Sede de Rescriptis.* Aliàs Episcopus irrationabilitèr aleret sic ordinatũ; quia ordinans sine culpa puniretur, & ordinatus cum culpa esset immunis.

4. Similiter qui litteras di-

missorias cum ficto titulo impetrauit, & vi harũ litteratũ postea ordinatur ab alieno Episcopo, incurrit pœnas latas cõtra ordinatos sine litteris; quia huiusmodi litteræ sũt subreptitiæ; *ità in Extrauag. Pij II: cùm ex sacrorum*: Et si celebrat, fit irregularis à solo Papa dispensabilis; quia celebrauit in suspẽsione. Et si talis fictus titulus cõprobatur falsis testimonijs, vel quolibet alio modo ordinatur, duplicem suspensionem incurrit, vnam sine validis dimissorijs, & aliam sine vero titulo: *ità Sixtus V. in motu proprio, sanctum, & salutare*: nam vnaquęq; illarum causarum per se sufficiens erat ad suspẽsionem inducendam.

5. Sed qui beneficium, pensionem, vel patrimonium, quorum titulo est ordinatus, post Ordinationem sine licentia Episcopi dimittit, non est suspensus; quia de hac re nulla est iure antiquo facta prohibitio, nec suspensio imposita. Nec suspẽsio incurritur ab eo, qui accepto Subdiaconatu, verum titulum resignat, si posteà accedit ad superiores Ordines; quia talis dimissio, & renunciatio est ipso iure nulla: *ita Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform. etiam regula iuris reg. non præstat*: Ità quod si talis initiatur Diaconatu, ostendens testimoniũ patrimonij renunciati, non incurrit pœnas, qui absque patrimonio ordinatur; quia talis verè habet patrimonium, cùm renunciatio fuerit nulla.

Verùm Ordinatus absq; vero titulo, & absolutus à suspensione, quam contraxit, sine nouo titulo nõ potest ad Superiores Ordines promoueri, aliàs reincidat in eandem suspẽsionem; quia iura simpliciter prohibẽt suscipere quemlibet Ordinem sacrum. Quamuis ille, qui non ficto patrimonio ordinatur, sed illud posteà statim retrodonat, & victum non petit, excusatur à suspensione; quia iste non dicitur Ordinari sine *titulo*; cũ retrodonatio sit inualida per Concil. Trid. *cap. supradicto*.

6. Similiter potest quis promoueri ad Ordines, si non habet beneficium, vel patrimoniũ sufficiens per se ipsum separatim, simul verò sufficiens; quia Sacra Cõgregatio censuit posse ordinari. Secùs si cum beneficio, & patrimonio insufficiẽti coniungantur eleemosynę anniuersalia, emolumẽta Doctoratus in iure Canonico, & in Sacra Theologia, & similia, quę ex Ordinum exercitio, vel alio obueniunt, aut honesto labore parta; quia hæc sunt incerta. Quantitas autem beneficij, vel patrimonij, ad quod quis promoueri potest, relinquitur arbitrio Ordinarij, iuxta locorum consuetudinem; quia *ità*

statuit Sacra Congregatio. Sed ordinatus ad titulum patrimonij minùs sufficientis, si defectus non est notabilis, non est suspensus; quia de modico non videtur curandum. Secùs si defectus est notabilis ad honestè viuendum, non esset iustè ordinatus, & consequenter esset suspensus; quia ad fictum, & emeritum patrimonium Sacro Ordine est insignitus, *contra cap. Neminem, & cap. Sanctorum dist. 70. & Sacrum Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform.* Defectus notabilis in patrimonio determinato scutorum viginti quinque, si deficerent quinque. Defectus verò non notabilis, si deficeret vnum, vel duo scuta; quia hic modicus defectus arbitrio boni viri non videtur obstare.

7. Sed si non habens sufficientem titulum patrimonij ad honestam sui substẽtationem, sinceram veritatem Episcopo ordinanti narrauit, non incurrit suspensionem; quia tunc, vt diximus, in pœnam ordinantis, qua suis sumptibus cogitur alere ordinatum; *ità Innocentius III. cap. cùm secundùm Apostolum de Præbendis.* Imò hæc obligatio extẽditur ad Episcopum successorem; *ità in cap. Accepimus, & Gloss. in cap. si Episcopus de Præbendis in 6. verb. ad præmissa.* Et etiam ad Capitulum, Sede Vacante, si non resistit tali Ordinationi; quia Capitulum, Sede Vacante, loco Episcopi succedit. Et si Episcopus, qui sine titulo Clericum ordinauit, viuat, & est promotus ad aliam Ecclesiam, ipse potiùs, quàm successor, tenetur alere sic ordinatum; quia est pœna sic ordinanti; *ità cap. cùm secundùm Apostolum.*

8. Ità quòd Episcopus ordinans, vel alter præsentans alii, quem ad Ordinem sine titulo, vel patrimonio, quoties interuenerit pactum, vel iuramentum, vt nullam portionem petat, tunc ordinator à collatione Ordinum, & præsentator ab exequutione Ordinũ per triennium sunt suspensi; quia *ità statuit Gregorius IX. in cap. si quis de Simonia:* Si verò sine pacto, & ordinator sciens, ipse tenetur alere, dum viuit, & ipso mortuo, successor, vt diximus supra. Et ordinatus etiam cum toto iuramento potest petere alimẽta; quia tale pactum tamquàm turpe reijcitur. Et si Episcopus dederit potestatem alteri Clericos ordinandi in sua Diœcesi, & ordinat Clericos sine sufficienti titulo, ordinans, & non dans potestatem, incurrit pœnam; quia ordinans fuit in culpa; *ità cap. Qui ea, dist. 38. & cap. si Episcopus de Præbendis in 6.* Sed si dederit potestatem tantùm ordinãdi certas personas, in quas sunt tales sine titulo; dans

missorias cum ficto titulo impetrauit, & vi harũ litterarũ postea ordinatur ab alieno Episcopo, incurrit pœnas latas cõtra ordinatos sine litteris; quia huiusmodi litteræ sũt subreptitiæ; *ita in Extrauag. Pij II: cùm ex sacrorum*: Et si celebrat, fit irregularis à solo Papa dispensabilis; quia celebrauit in suspẽsione. Et si talis fictus titulus cõprobatus falsis testimonijs, vel quolibet alio modo, ordinatur, duplicem suspensionem incurrit, vnam sine validis dimissorijs, & aliam sine vero titulo: *ita Sixtus V. in motu proprio, sanctum, & salutare*: nàm vnaquęq; illarum causarum per se sufficiens erat ad suspẽsionem inducendam.

5. Sed qui beneficium, pensionem, vel patrimonium, quorum titulo est ordinatus, post Ordinationem sine licentia Episcopi dimittit, non est suspensus; quia de hac re nulla est iure antiquo facta prohibitio, nec suspensio imposita. Nec suspẽsio incurritur ab eo, qui accepto Subdiaconatu, verum titulum resignat, si posteà accedit ad superiores Ordines; quia talis dimissio, & renunciatio est ipso iure nulla: *ita Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform. quam regula iuris rege. non præstat.* Ita quod si talis initiatur Diaconatu, ostendens testimoniũ patrimonij renunciati, non incurrit pœnas, qui absque patrimonio ordinatur; quia talis verè habet patrimonium, cùm renunciatio fuerit nulla.

Verùm Ordinatus absq; vero titulo, & absolutus à suspensione, quam contraxit, sine nouo titulo nõ potest ad Superiores Ordines promoueri, aliàs reincidat in eandem suspẽsionem; quia iura simpliciter prohibẽt suscipere quemlibet Ordinem sacrum. Quamuis ille, qui non ficto patrimonio ordinatur, sed illud posteà statim retrodonat, & victum non petit, excusatur à suspensione; quia iste non dicitur Ordinari sine titulo; cũ retrodonatio sit inualida per Concil. Trid. *cap. supradicto.*

6. Similitèr potest quis promoueri ad Ordines, si non habet beneficium, vel patrimoniũ sufficiens per se ipsum separatim, simul verò sufficiens; quia Sacra Cõgregatio censuit posse ordinari. Secùs si cum beneficio, & patrimonio insufficiẽti coniungantur eleemosynę anniuersalia, emolumẽta Doctoratus in iure Canonico, & in Sacra Theologia, & similia, quę ex Ordinum exercitio, vel alio obueniunt, aut honesto labore parta; quia hæ sunt incerta. Quantitas autem beneficij, vel patrimonij, ad q. quis promoueri potest, relinquitur arbitrio Ordinarij iuxta locorum consuetudinem; quia *ita sta-*

statuit Sacra Congregatio. Sed ordinatus ad titulum patrimonij minùs sufficientis, si defectus non est notabilis, non est suspensus; quia de modico non videtur curandum. Secùs si defectus est notabilis ad honestè viuendum, non esset iustè ordinatus, & consequentèr esset suspensus; quia ad fictum, & emētitum patrimonium Sacro Ordine est insignitus, *contra cap. Neminem, & cap. Sanctorum dist. 70. & Sacrum Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform.* Defectus notabilis in patrimonio determinato scutorum viginti quinque, si deficerent quinque. Defectus verò non notabilis, si deficeret vnum, vel duo scuta; quia hic modicus defectus arbitrio boni viri non videtur obstare.

7. Sed si non habens sufficientem titulum patrimonij ad honestam sui substētationem, sinceram veritatem Episcopo ordinanti narrauit, non incurrit suspensionem; quia tunc, vt diximus, in pœnam ordinantis, qua suis sumptibus cogitur alere ordinatum; *ità Innocentius III. cap. cùm secundùm Apostolum de Præbendis*. Imò hæc obligatio extēditur ad Episcopum successorem; *ità in cap. Accepimus, & Gloss. in cap. si Episcopus de Præbendis in 6. verb. ad præmissa*. Et etiam ad Capitulum, Sede Vacante, si non resistit tali Ordinationi; quia Capitulum, Sede Vacante, loco Episcopi succedit. Et si Episcopus, qui sine titulo Clericum ordinauit, viuát, & est promotus ad aliam Ecclesiam, ipse potiùs, quàm successor, tenetur alere sic ordinatum; quia est pœna sic ordinanti; *ità cap. cùm secundùm Apostolum*.

8. Ità quòd Episcopus ordinans, vel alter præsentans alij quem ad Ordinem sine titulo, vel patrimonio, quoties interuenerit pactum, vel iuramentum, vt nullam portionem petat, tunc ordinator à collatione Ordinum, & præsentator ab exequutione Ordinū per triēnium sunt suspensi; quia *ità statuit Gregorius IX. in cap. si quis de Simonia:* Si verò sine pacto, & ordinator sciens, ipse tenetur alere, dum viuit, & ipso mortuo, successor, vt diximus supra. Et ordinatus etiam cum toto iuramento potest petere alimēta; quia tale pactum tamquàm turpe reijcitur. Et si Episcopus dederit potestatem alteri Clericos ordinandi in sua Diœcesi, & ordinat Clericos sine sufficienti titulo, ordinans, & non dans potestatem, incurrit pœnam; quia ordinans fuit in culpa; *ità cap. Qui ea, dist. 38. & cap. si Episcopus de Præbendis in 6.* Sed si dederit potestatem tantùm ordinādi certas personas, in quas sunt tales sine titulo;

dans potestatem, & non ordinans, pœnam incurrit; quia videtur dedisse potestatem, vt illos ordinet, siuè fuerint idonei, siuè non; *ità definit Clement III. cap. si Episcopus de Prabendis in 6. & ibi Gloss. §. casus;* quia ad proprium Episcopum spectat videre ordinandos habere titulum sufficientem.

9. Similiter ordinatus ad titulum sibi ad hoc donatum, vt ad illum ordinetur, licèt tantumdèm debeat creditoribus, non videtur suspensus; quia hic nō decipit Episcopū, cùm verum titulum, quem habebat, ostenderit. Sed ordinatus ad titulum beneficij, cuius possessio erat impedita, si hoc Episcopo sincerè non expressit, est suspensus; quia non solùm requiritur, quòd teneat beneficium, vel patrimonium sufficiens, quò ad titulum proprietatis, sed etiam quò ad ius possessionis pacificæ. Suspenduntur etiam Clerici Religiosi ante professionem Sacris Ordinibus initiati; quia ante professionem non habent titulum Religionis. Sed benè, non cum titulo Religionis, dummodò habeant sufficiens patrimoniū; quia nullus textus est, qui id eis interdicat, cùm non sint cōpleti Religiosi, sed in via; *ità Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform.* & Pius V. *in Bulla Romanus Pontifex. confirmat.* Sed tales Nouitij à proprio ordinario Episcopo ordinandi sunt; quia per Nouitiū nō cēsetur acquisitum domicilium in loco Nouitiatus. Sed valdè probabile est Nouitios posse ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi est locus Nouitiatus; quia isti tales iàm quasi mutarunt domicilium, & volunt esse in domicilio Religionis, vel Nouitiatus.

10. Verùm Prælatus Religionis non potest Nouitio dare licētiam, & litteras dimissorias, vt à quocunq; Episcopo ordinetur; quia hoc ad finem Religionis non est necessarium. Tamen non excusatur Nouitius à graui peccato veniali, si susciperet Ordines, non petita licentia à Prælato Religionis; quia esset grauis deordinatio cōtra disciplinam Regularem. Sed non est grauis culpa; quia quò ad Ordinum susceptionē Nouitius Prælato Religionis nō subijcitur. Facultas autem, seù litteræ dimissoriæ ad Ordines suscipiendos pro Nouitijs, petendæ sunt ab Episcopo Originis, vel Domicilij, vel Nouitiatus; quia isti videntur esse proprij Ordinarij. Sed probabile est vi priuilegiorum posse Nouitijs concedere litteras dimissorias; quia Nouitij gaudēt priuilegijs Religionis. Et ordinatus cum licentia Prælati Religionis, si est illegitimus, non

re-

remanet immunis ab irregularitate illegitimatis, si postea Religionis propositum relinquat; quia sicut Nouitius absolutus vi Priuilegiorum à censuris reseruatis, dimittens habitum ante professionem, in easdem incidit, iuxta Priuilegium Clementis IV. ita Nouitiatus sic ordinatus.

11. Rursus Vltramontani cũ falsis titulis in Italia ordinati, vltra suspẽsionem, arbitrio Papæ puniuntur; quia *ita extat in Constitutione Vrbani VIII. in Bullario*. Ideò expedit, quòd habeant litteras dimissorias Episcopi originis, vel beneficij, vel Papæ, approbatas à Nuncijs, seu Collectoribus cũ subscriptione Vicarij Vrbis, aliàs promoti remanent suspensi indispensabiliter: promouentes verò ad annum ab exercitio Põtificalium suspensi remanent; quia *ita in Constitutione citata Vrbani VIII.* Itali verò promoti ad Ordines minores cum falsis dimissorijs, sequuta priùs declaratoria sententia iudicis Ecclesiastici, foro clericali priuantur. *ita Vrbanus VIII. loco citato.* Non tamen tales suspensionẽ incurrunt; quia Pius II. *in Extrauag. cùm sacrorum* loquitur de Sacris Ordinibus.

12. Tandèm Religiosi professi eiecti extra Religionem, si fuerint in sacris Ordinibus cõstituti, non possunt sacros Ordines, quos habent, exercere, nec ad superiores ascendere, etiam si in sæculo obtinuerint sufficiens patrimonium; quia *ita per Cõstitutionem Vrbani VIII.* §. 10.

ARTICVLVS XXIV.

An Baptismi iteratio inducat irregularitatem, & consequentèr inhabilitatem ad ordines suscipiendos?

1. R. Sic: quia Baptismi reuerentia, & detestatio iniuriantium Sacramentum hoc requirit. *ita cap. Qui in qualibet. 1. quæst. 7. & cap. Quis bis. de Consecratione dist. 4.* Hæc autẽ iteratio Baptismi tùm iure diuino, tùm humano est prohibita; Diuino, quia patet ex illo *ad Ephes. 4. vna fides, vnum Baptisma;* Humano, quia patet ex toto titulo Baptismi, & eius effectu, & ex D. Thom. *3. p. quæst. 66. art. 9.* colligitur, quòd Baptismus imprimit characterem.

2. Verùm infans, qui rebaptizatur ante vsum rationis, non est irregularis, etiam si posteà ratum habeat rebaptizionem; quia qui caret culpa, caret & pœna. Idem dici debet de eo, qui rebaptizatur, dũ vacat sõno; quia voluntario, & culpa caret. *ita cap. Placuit. & cap. Qui apud 1. quæst. 4.* Neque baptizatus sub conditione; quia in isto

isto casu non iteratur Baptismus. Tamen baptizans sub conditione eum, quem scit esse baptizatum, peccat mortaliter peccato Sacrilegij; quia *ita in Catechismo Romano iussu Pij V. in tractatu de Baptismo. cap. de effectibus Baptismi*. Non tamen irregularitatem incurrit; quia Ecclesia non punit, nisi actus perfectos, & absolutos, nisi fortè oppositum explicet.

3. Vndè rebaptizans, aut rebaptizatus nō sunt irregulares, quando ignorantia facti probabilis reperitur; quando verò culpabilis incurrunt; quia hæc irregularitas cōtrahitur ex culpa, & delicto. Ignorantia enim facti probabilis est, quando adhibita sufficiēti diligentia, scire non potest, an sit baptizatus, & tamē scit infantem natum esse ex Christianis, & inter fideles Christi educatum; quia talis credendus est esse Christianū, & baptizatum; cùm soleant Christiani intra diem octauum infantes baptizare. Si verò probatur, infantem natum esse de Christianis, & inter Christi fideles educatum, non esse baptizatum, tunc hic non est rebaptizandus, sed absolutè baptizandus; quia *ita Innocentius III. cap. Veniens. de Presbytero nō baptizato. statuit.*

4. Similitèr infans in periculo mortis constitutus, baptizatus ab Obstetrice, vel ab alia vetula, non potest rebapti[...] quia credendum est esse b[...]zatum. Sed si adhibita dili[...]tia constat non esse baptiza[...] secundùm formam Euan[...] ritè potest baptizari; qui[...] defectus in substantia Sa[...]menti. *ita cap. Veniens. de Pr[...]tero non baptizato. & ibi Glos[...]*

5. Similitèr filios infidel[...] aut filios expositos sine sc[...] post adhibitam debitā dili[...]tiam, si non constiterit, iu[...] ignorantiam prætēdere po[...] illos rebaptizando; quia ig[...]rantia facti inculpabilis, siu[...] rebaptizante, siuè in rebapt[...]to, excusat à peccato, & i[...]gularitate. Secùs autem, [...] ignorantia crassa, & neglig[...] quia hæc, nec à peccato, [...] ab irregularitate excusat. [...] *cap. Placuit. de Infantibus. &[...] cùm itaque, & cap. si nulla. de [...]secrat. dist.* 4. Item ignorantia [...]ris inuincibilis in rebaptiza[...] vel rebaptizato excusat à [...]cato, & ab irregularitate; [...] tale peccatum, & irregula[...] prouenit ex delicto reitera[...]nis Baptismi.

6. Nota, quòd ignoran[...] duplex est; Facti, & Iuris. Ig[...]rantia iuris est quando ign[...] ius diuinum, & humanum [...]hibere rebaptizationem, & [...]gularem fieri rebaptizante[...] rebaptizatum. Ignorantia [...] est, quando quis ignorat e[...] baptizatum, vel baptizasse. I[...] qua[...]

quando adest ignorãtia inculpabilis facti, siuè iuris, nec incurritur irregularitas, nec cõmittitur Sacrilegium. Quando verò est facti, siuè iuris ignorãtia culpabilis, & sacrilegium committunt, & fiunt irregulares propter rationes allatas.

7. Rursùs alia ignorantia crassa, supina, & affectata, quæ vincibilis, & culpabilis est. Alia verò probabilis, seù inuincibilis. Ignorantia crassa, & supina est ignorare id, quod communitèr omnes sui ordinis, & cõditionis sciunt, & ipse scire debet. Affectata est ignorare, qui non vult scire, quod debet, vt liberiùs peccet. Ignorantia inuincibilis est, qua post adhibitam debitam diligẽtiam in statu suæ conditionis, non rectè instruitur.

8. Ideò laborans ignorantia culpabili, siuè facti, siuè iuris, sacrilegium committit, & irregularitatẽ incurrit. Secùs ignorantia inculpabili, & inuincibili. Item fingens se exteriùs rebaptizare, & rebaptizari, alitèr interiùs, licèt grauissimè peccet, non incurrit irregularitatem, quia sicut qui exteriùs cũ profert heresim, non est excõmunicatus, licèt peccat contra fidem; ità exteriùs rebaptizare. & ex *cap. odia de regul. iuris in 6.* colligitur, quòd odia oportet restringi, fauores verò ampliari.

9. Similitèr quandò, facta debita diligentia, adhùc dubitatur, an sit baptizatus, tunc debet baptizari sub cõditione; quia mens eius non est rebaptizare baptizatum, sed nõ baptizatum baptizare; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 66. art. 9. ad 4.* Et in isto casu si quis baptizaret sine cõditione, non esset irregularis; quia non dicitur iteratũ, quãdò dubitatur factum; *ità cap. si nulla de consecrat. dist. 4. & cap. veniẽs de Presbyt. non baptizato.* Ità etiã qui sine delectu, & præuia diligenti Inquisitione ignorans, an aliquis sit baptizatus, sub conditione illum baptizat, nõ fit irregularis; quia illa actio baptizandi sub conditione nõ prouenit ex intentione dandi Baptismum homini baptizato; Sed benè grauitèr peccat propter temeritatem, & culpam Sacrilegii. Sed si absolutè illũ baptizat, fit irregularis; quia pœna irregularitatis contrahitur pro actu consummato, & perfecto rebaptizationis; ità baptizans sine præuia Inquisitione facit actum consummatum, & perfectum, ideò incurrit irregularitatem.

10. Similitèr qui rebaptizat ex metu mortis incusso, si habet intentionem rebaptizandi, grauitèr peccat, & pœna irregularitatis incurrit; quia talis coactio non est absoluta, sed conditionata, ad quam habendam, scilicet intentionem

absolutè cogi non potest. Tamèn si talis absq; intentione faciendi Sacramētum rebaptizat, licèt peccet grauitèr ꝓpter scandalum, non tamèn fit irregularis; quia leges humanæ prohibentes sub pœna censuræ, vel irregularitatis non obligant, quādò metus mortis cadit in constantem virum. Et coactè baptizatus, si non habet intentionem, nec peccat, nec fit irregularis; quia irregularitas, cùm sit grauis pœna, non contrahitur, nisi ob culpam, quæ modò non est. Et si talis consensit rebaptizationi, non excusatur à Sacrilegio, & ab irregularitate; quia magis est eligenda mors, quàm consentire rebaptizari, & coactio est corporis, & non mentis.

11. Sed coactè per metum cadentem in constātem virum baptizatur ab hœretico, etiam si haberet intentionem, non fit irregularis; quia hœreticus, etiam denunciatus, talis est sufficiens minister Baptismi, dùm exhibet veram materiam, & veram formam. Secùs de rebaptizato, etiam per coactionem absolutam, si consensit rebaptizationi; quia consensit rei prohibitæ. Sed adultus voluntariè baptizatus ab hæreticis, fit irregularis; *ità cap. qui in qualibet ætate 1. quæst. 7.* Infans verò minimè; quia subsequutus consensus nō est causa facti præteriti, nec priorem actionem, vel passionem Baptismi suscepti voluntariam reddit, sed solum est peccatum, cui nulla est irregularitas in iure imposita.

12. Verùm infans post vsum rationis baptizatus ab hœreticis manet irregularis, & non potest sine dispensatione promoueri ad Ordines; *ità Innocētius I. in cap. Ventum 1. quæst. 1. & in cap. qui in qualibet ætate.* Secùs autem ante vsum rationis; quia lex pœnalis refertur ad eos, qui sunt capaces culpæ; *ità cap. Placuit & in cap. qui apud Donatistas 1. quæst. 4.*

13. Adultus autem in periculo, vel articulo mortis constitutus, si non adest Catholicus, baptizatur ab hœretico, nō fit irregularis; quia per Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7. de Sacramen. Pœnit.* docetur, quòd in articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam hæreticus licitè & validè potest absoluere pœnitentem, multò magis in Baptismo.

14. Rursùs Baptismi iteratio nō solùm ascensum ad Ordines Superiores, sed etiam susceptorū vsum impedit; quia Alexander III. ità statuit *in cap. Ex litterarum de Apostatis.* Siuè sit occulta, siuè libera; quia *ità cap. in qualibet 1. quęst. 7. & cap. qui bis & cap. eos, quos de consecrat. dist. 4.* Hęc etiā irregularitas extēditur ad ministros, qui ex officio rebaptizanti, vt Accolyti, Diaconi,

coni, Subdiaconi ministrãt; qa ministrãt illi actioni prohibitæ; *ita in cap. ex litterarũ de Apostatis.* Sed nõ extenditur ad Patrinos, & Compatres, etiam scientes; quia in iure hoc non est expressum; *ita cap. Odia de Regulis iuris in 6.*

15. Hæc autem irregularitas ipso iure contrahitur absq; Iudicis sententia, & declaratione; quia Alexander III. *cap. 2. de Apostatis*; per illam priuat illum, & inhabilem, seù impeditum reddit: Et quando crimen rebaptizationis est publicum, solus Papa potest dispensare; si occultum, sufficit Episcopus.

16. Similiter differentes susceptionem Baptismi vsque ad ægritudinem, vel senectutem, sunt irregulares; quia non præsumitur fides volũtaria; *ita cap. si quis dist. 57.* Tamen si purgat suspicionem per ostensionem fidei, & Religionis, & necessitas ministrorum vrget, promoueri potest; quia per sequens factum eliditur præcedens præsumptio; *ita cap. tunc valere dist. 4. de Consecrat. & cap. si quis dist. 57. & ex cap. Briseis dist. 55.* Colligitur, quòd propter rationem ministrorum aliqua conceduntur, quæ aliàs non concederentur: Quæ præsumptio defectus veræ fidei, & sanitas ministrorum ab Episcopo dispensari potest, vt promoueatur; *ità in cap. si quis.* Et vtraque causa non simul, sed singulæ per se sufficiunt ad hanc dispẽsationem; *ità cap. supra citat.*

17. Similitèr hæc irregularitas, quæ incurritur ab adulto differẽte susceptionem Baptismi vsque ad periculum mortis, non tollitur per ipsum Baptismũ; quia aliàs eadem susceptio Baptismi induceret irregularitatem, & tolleret illam; nàm idem non potest esse causa contrariorum effectuum; *ità Gloss. in cap. si quis dist. 57. verb. Sed ex necessitate.* Sed nulla irregularitas dici potest, propriè tolli per Baptismum; quia ante Baptismum nulla propriè reperitur in homine irregularitas. Tamèn per Baptismũ tollitur irregularitas, quę oritur ex proprio delicto, scilicèt, homicidio voluntario, & etiam homicidio licito, & iusto, quale facit Iudex, & miles in bello iusto, & quæ contrahitur per infamiam prouenientẽ ex proprio facto, seù delicto; *ità cap. si quis viduam dist. 5.* Non tamèn aufert irregularitatẽ Bigamiæ; quia hoc non fit propter peccatum, sed propter defectum Sacramenti; *ità cap. Acutiùs dist. 26.* Neq; aufert, quæ ex defectu, aut vitio corporis procedunt, vt cęcitas, surditas &c. & similia; quia hunc promouere esset indecens, & scandalum.

18. Similiter Adulti bapti-

zati in loco, vbi peregrinantur, non possunt ad Ordines promoueri; quia *ità in Canon. 24. Concilij Elibertini, & cap. omnes dist. 98.* Et hoc non ratione Baptismi, sed ob ignorantiam vitæ, & morum hominis sic baptizati; quia mores, qui Baptismum præcesserunt, tàm praui esse possunt, vt impediat legitimam Ordinum susceptionē, donèc de eorum sufficiēti experimento constet.

19. Tandèm ex iteratione Confirmationis, & Ordinis non contrahitur irregularitas; quia non est in iure expressa. Et de iteratione Baptismi est in iure expressa; *ità cap. qui bis de Consecrat. dist. 4.* Et hoc in odium Donatistarum, qui illam sustinebant hæresim. Neq; qui reconsacrat hostiam consecratā, & multò minùs Chrisma, & alia Sacramenta rebenedicit, irregularitatem contrahit; quia in iure non habetur expressum.

ARTICVLVS XXV.

An degradatus, seù depositus, si celebret, fiat irregularis.

1. R. Non; quia non est in iure expressum, neque si solemniter aliquem Sacrorum Ordinum exercet.

2. Nota, quòd *Degradatio est pœna Ecclesiastica, qua vir Ecclesiasticus priuatur omninò exequutione Ordinis, & beneficij administratione, & omni priuilegio clericali absque spe restitutionis cum quadam sollemnitate.* Dicitur, *vir Ecclesiasticus*; quia sic soli Ecclesiastici coarcentur. Dicitur, *omni priuilegio clericali*; quia percuti, & iudicari potest per Laicum, absque quòd incidat *in Canonem, si quis suadente 17. quest. 4.* Dummodò sit actualitèr, seu realitèr degradatus; quia verbalitèr degradatus est idem, quod depositus.

3. Rursùs *depositio est pœna Ecclesiastica, qua vir Ecclesiasticus priuatur omninò exequutione Ordinis, & beneficij administratione, absque spe restitutionis, retento tamen vtroque Priuilegio clericali, tùm Canonis, tùm fori.* Non tamen est censura Ecclesiastica, sicut nec Degradatio; quia secundùm Innocentium III. tres sunt censuræ, scilicèt, excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

4. Rursùs *Suspensio est priuatio exequutionis legitimæ Officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum simplicitèr, vel ad tempus, et toto, vel in parte, cum spe dispensationis.* Et differt suspensio à Degradatione, & Depositione; quia sunt pœnæ, quibus priuatur omninò absq; spe restitutionis. Suspensio verò ad tempus cum spe dispensationis.

5. Rursùs *Cessatio à diuinis est quædam à susceptionalis officijs diuinis,*

nis, & Sacramentorum administratione in locum aliquem, seu Ecclesiam decreta. Additur, *in locum aliquem, seu Ecclesiam;* quia cessatio à diuinis non est personalis, sed localis. Et non est censura; quia est quoddam accidens morale afficiens subiectũ, in quod lata est. Ideò violans cessationem à diuinis, non est irregularis; quia nullibi in iure est expressum, & fertur per modum simplicis prohibitionis.

6. Similitèr celebrans in Ecclesia, vel Cœmeterio pollutis, vel quodcunque aliud diuinũ faciens, nõ est irregularis; quia nõ sunt à iudice interdicti, sed à iure. Vnde peccatum tantũ mortale est celebrare in Ecclesia, vel Cœmetario violatis; quia facit contra prohibitionẽ Ecclesiæ in re graui. Polluitur Ecclesia, quandò sanguis humanus iniuriosè, & lethalitèr effunditur, & non naturalis effusio sanguinis à naribus. Nec effusio sanguinis, quæ ob iustã sui defensionem. Nec quæ ioco, & recreatione iusta, & licita facta est. Nec effusio facta per furiosum, amentem, ebriũ, aut infantem vsu rationis carẽtem; quia non est iniuriosa. Secùs suadente Diabolo, & sanæ mentis; quia tunc est iniuriosa Ecclesiæ. *ita cap. Proposuisti. de Consecrat. Ecclesiæ.* Nec si extra Ecclesiam vulneratus, ad eam confugiens, sanguinem effunderet; quia iniuria non est facta intra Ecclesiã. Nec si modica fuerit effusio; quia effusio hoc loco abũdãtiã significat. Neque si fiat extra lineam valuæ in liminibus; quia tunc dicitur extra Ecclesiam. Secùs si intra clausuram ostij; quia tunc est intra Ecclesiam. Neq; si in cœmiterio; quia minùs dignum non trahit ad se magis dignum. Sed benè si Ecclesia polluta, ac & Cœmeterium. *ita cap. si Ecclesia. de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris in 6. ita in regul: Accessorium in 6.* Neque percussio grauis sine sanguine, etiam si terat carnes, & confringat ossa. Secùs si causat tumorem, & aperitur ferro; quia fuit percussio iniuriosa facta in Ecclesia, quod sufficit, vt sit polluta. Vnde vt Ecclesia polluatur, sufficit, quòd vulnus iniuriosè infligatur in ea, etiam quòd sanguis extra eam nõ effundatur; quia sufficit, quòd actio iniuriosa facta sit in Ecclesia. Non verò è contra, etiam quòd intra eã sanguis effundatur; quia actio iniuriosa non fuit facta in Ecclesia.

7. Verùm homicidium voluntarium moralitèr intra Ecclesiam factum, sine sanguinis effusione, Ecclesiam polluit *ita cap. Proposuisti. de Cõsecr. ita Gloss. eodem in 6.* Secùs si alterum interficiat, vt seipsum defendat, cum moderamine inculpatæ

tutelæ; quia non est patratum contra Religionem, & libertatem loco sacro debitam. Itèm polluitur, si iudex in Ecclesia furem suspendat, etiam sine sanguine fuso; quia est contra libertatem loco sacro debitam. Itèm violatur, si vulnus accipit intra eam, & mors extra illam sequitur, non verò è contra; quia in primo casu percussio iniuriosa facta est in Ecclesia, non verò in secundo. Neque si fieret alapa; quia licèt sit actio iniuriosa, non tamen est vulneris inflectiua. *ita Gloss. si Ecclesiam de consecrat. in 6. verb: sanguinis*. Itèm si in ea fidelis excõmunicatus sepellitur; quia *ita ex cap. Consuluisti de consecrat:* Itèm per humani seminis effusionem; quia *ita in tribus citatis*. Itèm quando Paganus, vel Infidelis in ea sepellitur: *ita cap: Ecclesiam 1. & 2. de consecrat. dist: 1.* Itèm quandò parietes Ecclesiæ comburuntur, vel ità destruuntur, vt eam integrè reædificari oporteat; quia tunc iterũ est consecranda; *ità cap. lineis de consecrat. Ecclesiæ, & cap. Ecclesijs de consecrat. dist.* 1. Itèm violatur, si percussor extra Ecclesiã lapide, vel sagitta percutiat existentem in Ecclesia; quia satis est, quòd vulneratio, & effusio sanguinis facta sit in Ecclesia. Non autem è contra; quia effusio sanguinis extra Ecclesiã fit. Sed non violatur, quandò percussio est leuis, & non inducit ad peccatum mortale, vt magna effusio sãguinis nasi facta in rixa puerorum; quia illa effusio est quasi materialis, & casualis. Secùs si ab adulto, suadente Diabolo; quia est peccatum mortale, & iniuriosa effusio sanguinis. Itèm polluitur, si Martyr in Ecclesia occiditur à Tyranno, non quòd sanguis Martyris polluat, cùm talium sãguine cõsecretur Ecclesia, sed quia nefaria sit, & impia cædes patrata à Tyrãno. Vndè licèt locus lauandus nõ sit, tamen indiget Ecclesiæ reconciliatione; *ità Gloss. in cap. vnic. de consecrat.* Itèm si Martyrium sit sine sanguine; quia iniuria est par. Sed si sanguinis effusio, homicidium, vel Martyrium sit super tectum Ecclesiæ, aut in subterraneo loco committatur, non polluitur; quia non est intra Ecclesiam patratum.

8. Rursus interdictus celebrans, vel exercens actum Ordinis solemnitèr, siuè in loco interdicto, siuè non, fit irregularis, & à solo Papa dispensatur; *ità cap. is, qui §. is verò de sentent. excomm. in 6.* quia quilibet interdictus idem est, ac suspensus ab exercitio Ordinis: Et interdictus tãtùm ab ingressu Ecclesiæ, si celebrat in Ecclesia, vel Cœmeterio cõtiguo, irregularis est; *ità cap. is, qui de sen-*

sentent. excomm. in 6. Secùs, si ingerit se extra Ecclesiam, scilicèt, subdio, vel Tentorio; *ità Gloss. in dicto cap. verb. in ea.* Nec si celebrat in Oratorio, ità vt non sit Ecclesia. Sed est irregularis, si est Ecclesia nondū cōsecrata, Basilica sic dicta; quia satis est, quòd sit Episcopi authoritate fundata. Sed suspensus à diuinis vbi celebrantur diuina, est irregularis; *ità cap. cùm medicinalis §. final. de senteni. excommun. in 6.* Ideò Diaconus, vel Subdiaconus solēnitèr celebrantes in loco interdicto, vel assistentes Episcopo, dùm Ordines confert. Itèm Episcopus, vel Abbas quoscunq; Ordines conferens, etiam primam Tōsuram, etiam clausis ianuis, & excommunicatis, & interdictis exclusis, & etiam si id faciat festis notatis; quia si eo tempore, & ea forma seruata permittuntur officia diuina non autem omnia Sacramēta, & speciatim collatio Ordinum; *ità cap. Alma Mater §. addiij imus de sentent. excomm. in 6.* Idem dicendum est, etiā si ipse Episcopus interdictū tulerit; quia illud seruare illud tenetur, vel illud tollere, aut suspendere; *ità Gloss. in cap. Quoniam Episcopi de Priuil giis in 6. verb. transgressione.* Sed qui Diaconatum, vel Subdiaconatum sumunt in loco interdicto, non fiunt irregulares; quia non exercent ex officio actum proprium alicuius Ordinis Sacri. Neq; qui Presbyteratum; quia tunc non cēsetur exercere solemnitèr actum Presbyteratus. Neq; cantans in loco interdicto Responsoria, vel Psalmos, & horas Canonicas, non ex officio, vt Clericus, sed vt Laicus, non incurrit. Secùs si ex officio, vt Clericus; quia tunc exercet actum deputatum Ordini Sacro.

9. Verùm tempore interdicti in loco interdicti, dùm non potest alitèr prouideri de Sacerdotibus, & non est alius locus, in quo Ordines commodè conferre posset, potest absq; nota irregularitatis conferre, & celebrare Ordines Sacros; quia necessitas caret lege, maximè tempore pestis, & ex *cap. Alma Mater de sentent. excommun. in 6.* colligitur, quòd ius concedit tempore interdicti officia diuina, seruata debita cautione, & aliqua Sacramenta. Tamèn absque tali necessitate, nec in Sabbato Sancto sine nota irregularitatis potest conferre Ordines; *ità in cap. supradicto.* Licèt possint licitè celebrari in festiuitatibus, scilicèt, Natalis Domini, ac Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, & consimilibus, non tamèn Sacramentum Ordinis. Nec potest in illis festiuitatibus assistētibus Sacrificio Missæ dare Eucharistiam; quia in cap. supra-

prædicto nulla fit mentio de ministrando hoc Sacramento.

10. Similitèr tempore interdicti potest ministrari solemnitèr Sacramentum Baptismi; *ita cap. quoniam de sentent. excomm. in 6. & cap. supradicto*. Etiam in Ecclesia specialiter interdicta; quia in cap. supradicto simplicitèr permittitur Baptismus sine restrictione. Imò minister interdictus interdicto personali generali potest baptizare; quia interdictum personale generale non habet plures effectus circa personam, quam habet locale circa locum. Sed personæ specialitèr interdictæ, etiam denunciatæ in necessitate possunt licitè baptizare sine solemnitate; quia in hoc casu conferri potest, etiam ab hæreticis, excommunicatis, & Paganis. Secùs extra necessitatem solemnitèr; quia tales æquiparantur excommunicatis; quibus interdictum est ministrare Sacramenta ex officio absque nota irregularitatis. Et licèt in loco interdicto specialitèr, possit solēniter ministrare Baptismum; non tamèn persona specialitèr interdicta; quia locus interdicitur ratione culpæ alterius, persona verò ob culpam propriam.

11. Confirmatio autem nō solùm tempore interdicti generalis loci, sed in Ecclesia specialitèr interdicta, tàm parvulis, quàm adultis cum solemnitate consueta dari potest; quia si potest ministrari Baptismus, ac & confirmatio, cùm sit quoddam complementum Baptismi. Etiam potest interdictus personalitèr interdicto personali generali; *ità cap. Alma Mater de sentent. excommun. in 6.* Secùs potest, qui dedit causam interdicto generali, seù locali, seù personali, & qui est speciali, & personali interdicto ligatus, nisi præstiterit condignam satisfactionem; *ità cap. supradicto*. Sed si non dedit causam supradictis interdictis, potest; quia si potest talis baptizare, ac & cōfirmare. At huiusmodi interdictus interdicto speciali personali, vel qui dedit causam interdicto speciali personali, vel qui dedit causā interdicto, non potest licitè ministrare Sacramentum Confirmationis, nisi præstiterit condignam satisfactionem; quia istæ non potest recipere Sacramentum, nec ministrare illud Confirmationis.

12. Similitèr personæ innocentes, quæ non dederunt causam culpabilem interdicto locali, neque generali personali non priuantur dandi, & ministrandi Sacramentum Pœnitētiæ, tàm sanis, quàm infirmis in Ecclesia generalitèr, aut specialiter interdicta; quia ità permittitur *in cap. Alma Mater de sen-*

sentent. excomm. in 6. Secùs si est excommunicatus ante absolutionem legitimi superioris, aut qui dedit causam culpabilem interdicti generalis, aut sit specialitèr interdictus, ante debitã satisfactionem, aut ante debitã cautionem satisfaciendi, vel si saltèm iurauerit se satisfacturũ, simulq; curaturum, vt ab aliis satisfiat; quia omnes hi æquiparantur excommunicatis; *ita cap. supradicto.*

13. Secùs Sacramentum Eucharistiæ tempore interdicti in loco interdicto potest ministrari sanis, aliàs incurrũt; quia patet iure antiquo *in cap. quod in te. de Pænit. & remiss.* & iure nouo *in cap. Alma Mater, vt supra,* vbi solis infirmis in probabili periculo mortis cõceditur. Damnatis autem ad mortem permittitur; quia tales verè sũt morientes, & in articulo mortis: *ita Cap. Quod in te. de Pœnitent. & remiss.* Itèm mulieribus vicinis partui, vel aliàs pereũtibus cum periculo mortis. Secùs illis, quæ nullum in partu subeunt periculum mortis; quia illæ nõ censẽtur esse in periculo mortis. Itèm obsessis ab hostibus, & intrantibus mare ad nauigandũ, dummodò appareat probabile periculum mortis. Sed nõ permissum est Sacerdotibus non celebrantibus, & aliis Clericis illius Ecclesiæ, quibus *per cap. Alma mater,* concessum est officiis diuinis interesse, & illa celebrare, Eucharistiam sumere; quia ius antiquum non est derogatum à iure moderno, quibus tantùm concessum est celebrare, si sunt Sacerdotes, & celebrando sumere Eucharistiam; quia celebratio Missæ non potest perfici sine sumptione Eucharistiæ. *ita D. Thom. 3. p. quæst. 8. art. 12. ad 1.*

14. Solis Religiosis, & Monialibus in Ecclesiis suis licitè ministrari potest Sacramentũ Eucharistiæ absq; nota irregularitatis: *ita Innocentius III. concessit Prædicatoribus. & Eugenius IV. Cisterciensibus.* Imò Paulus III. cõcessit Soc. Iesu, vt Sacerdos dare possit communionem, etiã carẽtibus omni priuilegio, tẽpore interdicti; quia receptio priuata Sacramenti non censetur officium diuinum. Laicis verò sanis nec in illis festiuitatibus supradictis, in quibus concessum est diuina officia solẽniter celebrari, & illis interesse; quia si permittuntur diuina officia de more celebrari, non autem Sacramenta, cum sint diuersa, & vt diuersa ponuntur. *ita cap. Alma mater. & cap. si sententiã. de sentent. excomm. in 6. & cap. Episcoporum. de priuileg. in 6.* Neque illis in Paschate, quandò adest præceptum; quia præterquã in articulo mortis concessum est. *ita cap. Quod in te. de Pænit. & remiss.* quia tunc cessat obli-

obligatio ad audiendam Missã in diebus festiuis; exceptis priuilegiatis aliquo speciali priuilegio.

15. Extrema vnctio tempore interdicti nulli personæ, etiã non interdictæ ministrari potest; quia aliàs violaret censuras. *ita cap. Quod in te. de Pœnit. & remiss. & cap. Alma Mater de sent. excomm. in 6.* Multò minus personalitèr interdictis; quia interdictum personale, cùm personas afficiat, suum in illis producit effectum. Imò personæ specialitèr interdictæ, neq; in loco interdicto, neque in alio non interdicto recipere possunt, etiam si causam non dederint interdicto, nisi liberẽtur à tali interdicto; quia interdictũ speciale afficit personas specialitèr interdictas. Verùm tẽpore interdicti generalis loci, si personæ illius loci interdicti causam interdicto non dederant, si ægrotant, & alibi deferri se faciunt, in quo loco nõ est interdictum, possunt ibi hoc Sacramentum accipere: ita etiam existentes in loco interdicti particularis, si deferri se faciat in loco particulari non interdicto, possunt; quia personæ non secum deferunt interdictum locale. Sed tempore interdicti in loco interdicto nec clericis sæcularibus Sacramentũ Extremæ vnctionis conferri potest absque nota irregularitatis. *ita cap. Quòd in te. de Pœnit. & remiss.* Tali tempore ex gratia tantùm conceditur clericis sepultura Ecclesiastica, dũmodò interdictum seruauerũt. Etiam Religiosis nec conferri potest Extremam Vnctionem; quia nullum priuilegium ipsis est condonatum, quo ad hoc legitur. Benè tamen in periculo mortis cõceditur Viaticum infirmis: *ita ex cap. supradicto.*

16. Neque Matrimonium tempore indicti in loco interdicti, licitè contrahi potest; quia vbi aliquid generalitèr prohibetur, quod expresè non est receptum, subiacet regulæ prohibitiuæ. *ita arg. Clement. 1. §. Porrò. verb. significatione.* Et licèt illicitè contrahatur, contractum tamen est validum; quia matrimonium est quidam contractus, & contractus tempore interdicti validè fieri potest. *ita Gloss. in Cap. Alma Mater. de Sent. excomm. in 6. verb. Sacramentis.* Sponsalia verò licitè, & validè fieri possunt; quia hæc nõ sunt Sacramenta, sed simplex promissio futurarum nuptiarum. Nec Parochus assistens matrimonio afficitur nota irregularitatis; quia assistentia Parochi in matrimonio non est propriè actus iurisdictionis, sed quasi authorizans per potestatem quam habet in subditos actum illum. Secus tamen dare potest solemnem benedictionem nup-

nuptiarum sponsis; quia benedictio hæc est actus Sacerdotalis, & est diuinum Officium, cui laici interesse non possunt eo tempore, & loco interdicto. Benè tamèn benedici possunt nuptiæ in festiuitatibus supradictis, in quibus tempore interdicti conceduntur celebrari diuina Officia; quia benedictio hæc solemnis nuptiarum non est Sacramentum, sed diuinum Officium. Tamèn peccaret Parochus tales benedictiones faciens, etiam tempore non interdicto in solemnitatibus Paschæ, & Natalis Domini; quia ageret contra præceptum iure nouo Concil. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 10.*

17. Rursùs in Ecclesijs specialiter interdictis tempore interdicti specialis localis celebrantes diuina Officia, & sacra facientes, irregulares afficiuntur, etiam si diuina Officia ex officio celebrent ianuis clausis, voce submissa, exclusis excommunicatis, & interdictis, & sine Campanarum sono; *ita cap. Alma Mater de sentent. excommun. in 6.* solùm hoc concedit in interdicto generali loci, non autem in interdicto speciali loci; *ità Gloss. in cap. loco citato*: Solùm in Ecclesijs, & locis specialitèr interdictis permissum est semel in hebdomada celebrare Missam ad renouandam Eucharistiam, vt solitum est conseruari pro infirmis, vt sunt Ecclesiæ Parochiales, Monasteria Monialium, & Religiosorum exemptorum.

18. Tempore autem interdicti localis generalis, quo licitum est solemnitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis permissum est celebrare Missas, & Diuina Officia publicè, & solemniter cum sono Campanarum ianuis apertis, alta voce, iuxta concessionem Bonificaij VIII. *in cap. Alma Mater de sentent. excomm. in 6.* Sed est aduertendum, quòd interdictum solùm suspenditur pro prima die earum, & non pro duabus diebus sequentibus; quia limitata causa limitatum producit effectum; *ità Arg. cap. cessante de appellat.* Itèm Officia Diuina, quę in prædictis solemnitatibus permittuntur, à primis Vesperis inchoantur; *ità Gloss. in cap. Alma Mater §. in festiuitatibus in verb. Assumptionis*. Itèm talis suspensio terminat, Vesperis, & completorio peractis; quia completorium est pars Officij, & Officium cuiuscunque diei in completorio terminatur: etiam quòd Completorium cantetur hora vigesima quarta diei, Itē suspenditur interdictum in festo Corporis Christi, & per Octauam inclusiuè; *ità Martinus V. & Eugenius IV. in Extrauag. Excellentissimi*. Sed non est li-

licitũ extra Ecclesiam; & Monasteria secretò celebrare ad alia loca, & Oratoria priuata; quia hæc concessio, cùm sit iuris communis correctoria, strictè est intelligenda; *ità in dicto cap. Alma Mater §. adijcimus.* Aliàs violaret censuras interdicti, & irregularis efficeretur.

19. Rursùs tẽpore cessationis generalis à diuinis, non licet in illa ciuitate officia diuina, & Missas celebrare, etiam cum prędicta moderatione cap. *Alma Mater*, quia illud cap. de interdictis generalibus tantùm agit, non autem de cessatione à diuinis. Tamèn contrauenientes non efficiuntur irregulares; quia cessatio à diuinis non est censura. Nec cessatio à diuinis suspenditur in illis festis, in quibus suspenditur interdictum generale per cap. *Alma Mater*, ità vt nec diuina officia, nec Missę solemnitèr celebrari possunt; quia sub illo interdicto non cõpręhenditur cessatio à diuinis. Tamèn secundùm quandam ęquitatem, probabilitèr dici potest in prędictis festiuitatibus suspẽdi cessationem generalem loci à diuinis; quia benigna esse censetur talis suspensio in honorem tantarum festiuitatum. Verùm permittitur in tali cessatione tantùm, & semel in septimana solus Sacerdos cum ministro secretè celebrare potest, & renouare Eucharistiam pro infirmis, vt conseruentur species sine putrefactione; *ità Arg. cap. Non est vobis de Spons.* Sacramenta verò Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentię semper conferri, & ministrari possunt; quia pia mater filios suos tàm salutaribus, & necessarijs salutis remedijs priuare noluit.

20. Tandèm in festis, in quibus suspenditur interdictũ loci per cap. *Alma Mater*, non licet in Ecclesia publicè violata diuina officia, & Missas celebrare, & mortuos sepelire; quia illud Priuilegium non extenditur ad Ecclesiam publicè violatam; *ità Gloss. in cap. Eorum. de Priuilegijs.* Ideò peccatum mortale est, nisi vrgente necessitate, & de licentia Episcopi fiat, *ità D. Thom. 3. p. quest. 83. art. 3. ad 2.* Non tamèn efficiuntur irregulares; quia pollutio Ecclesię non est propriè censura. Imò de licentia Episcopi fieri potest Sacrum in Ecclesia violata ante reconciliationem, quia si ipse dare potest licentiam in loco non consecrato Sacrificandi, ac etiam in loco non dum reconciliato; *ità cap. Missarum. dist. 1. de Consecrat. & cap. Hic ergò de Consecrat. dist. 1.* dicitur, quòd Episcopus vbi iusserit, ibi potest celebrari. ità etiam *D. Thom. loco supra citato.* Etiam in dicta Ecclesia publicè violata possunt licitè ministrari

nistrari

nistrari Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, & Semel in hebdomada confici Corpus Christi ad conseruãdum pro infirmis, & viatico, quia pollutio Ecclesiæ vt diximus, non est censura.

ARTICVLVS XXVI.

An ligatus Censuris Officia Diuina solemniter exercens, efficiatur irregularis, & inhabilis ad Ordines susceptos, & suscipiendos?

1. R. Sic; quia itā *in cap. si quis Episcopus el. 2. 11. quæst. 3. & cap. 1. de sentent. excõm. in 6. & cap. 1. de sentent. & re iudicata, & cap. is, cui de sentent. excommun. in 6.* Secùs tamèn ex communicatione minori ligatus; itā *ex cap. si celebrat. de Clerico excommunicato celebrante.*

2. Verū ligatus duplici censura duplicem incurrit irregularitatem; quia qui contra duo, tria, vel quatuor precepta peccat, etiam vno actu totidem peccata committit, aut vnum peccatum cum tot circumstantijs. Ideò pluries indicens in actum, cui annexa est excommunicatio, pluries incurrit excommunicationes, & sic ligatus celebrat, vel actum Ordinis sacri exercet, pluries irregularitates, vel vnam ex diuersis causis incurrit; quia non est maior ratio, cur incurratur irregularitas ex vna excõmunicatione, quàm ex alia. Ideò dispensatus super vna irregularitate incursa ex vna causa, nõ censetur dispensatus super altera ex alia causa cõtracta; quia diuersæ sunt causæ, diuersæ debent esse satisfactiones. Sed si ligatus vnica censura celebrat, vel exercet actum Ordinis sacri, fit irregularis prima vice, & nõ ex multiplici celebratione, vel exercitijs multis Ordinis sui, licèt peccet lethalitèr toties, quoties; quia ex primo actu iam fuit contracta.

3. Similitèr Sacerdos, qui Eucharistiam iam cõsecratam in censura administrat, efficitur irregularis, & inhabilis; quia exercet actũ alicui Sacro Ordini deputatum. Non tamèn transferens Eucharistiã ab vno Altari ad aliud; quia hæc non est administratio Sacramenti. Item Diaconus, & Subdiaconus censura ligati, Epistolam, vel Euangelium solènitèr cantantes, incurrunt; quia exercet solemnitèr actum alicui Sacro Ordini deputatum. Tunc dicitur quis actum aliquem Ordini Sacro deputatum solemnitèr, ex Officio exercere, quando illum exercet illis cæremonijs, & vestibus, quæ competunt ei ex Officio, & Ordine, quem habet; & quandò actus talis est, vt ab alio exerceri non

possit. Secus si Subdiaconus cantat Epistolam sine manipulo, & Diaconus Euangelium sine stola; quia tunc non censetur exercere Ordinē Sacrū, sed Officium Cantoris. Sicut fierent irregulares si Clerici in minoribus, & Laici canerent Epistolam cum manipulo, & Euangelium cum stola; quia exercent Ordinem Sacrum solemniter, quem non habent.

4. Similitèr Sacerdos ligatus cēsuris Extremam Vnctionem administrans, fit irregularis, etiam si solēnes preces non adhibeat, nec superpellicio, vel stola ornatus de more non sit; quia ex Officio exercet actum Ordinis Sacri. Sicut etiam Sacerdos censuratus conficeret Corpus, & Sanguinem Domini sine vestibus sacris, & sine vllo accidentali ritu Ecclesiastico, fit irregularis; quia in cēsura existens, exercet actum Sacri Ordinis, ad quem substātialiter exercēdum necessarius est Ordo Sacerdotalis, & a nullo alio, qui talem Ordinem nō habet, fieri potest.

5. Secus nō incurrit Presbyter ligatus censuris, si baptizat in mortis articulo, aut alio tēpore extra necessitatem illam sine coeremonijs, & precibus; quia ille tunc nō exercet munus Sacerdotale, quamuis Sacerdos sit, sed vt Laicus illud confert. Et si talis cum ceremonijs Ecclesiasticis, precibusq; solemnibus administrat Baptismum, incurrit; quia talis irregularis efficitur ex delicto violandi censuras, Ordinem Sacrum exercendo, *ita D. Tho. 3. p. q. 77. art. 2.* Imò incurrit, si confert solemnitatem Baptismi sine eius substantia, vt quandò puer domi priuatim ob periculum mortis fuit baptizatus; quia solemnitas Baptismi ministerium sacrum est, & cęremonia satis grauis in Ecclesia, & soli Sacerdoti commissa. Etiam Diaconus ligatus censuris, si solemnitèr baptizat ex commissione Parochi, vel Episcopi, vel solemnitatem Baptismi confert, incurrit; quia in censura administrat actum Sacro Ordini Diaconatus deputatū, saltèm ex commissione, & ex necessitate. Ità quòd, si Diaconus talis administrat solemnitèr hoc Sacramentum sine licentia proprij Parochi, vel Episcopi incurrit irregularitatem ex delicto violandi censuras Ecclesiasticas; quia defectus, qui interuenit, magis pertinet ad defectū iurisdictionis, quam Ordinis, cùm Diaconus ex vi suæ Ordinationis recipit potestatē solemnitèr ministrādi hoc Sacramentum, accedēte commissione. Idem est de tali Diacono dispensante Eucharistiam sine commissione; quia adhuc Diaconus vi suæ Or-

Ordinationis recipit talem potestatem.

6. Non tamen esse irregularem, qui censuris ligatus diuinis interest Officijs, dum solemniter celebrantur; quia irregularis non est, qui censura ligatus, Sacramentum aliquod, excepto Ordine, recipit; *ita Gloss. in Clement. 2. verb. celebrati de Priuilegijs*.

7. Nomine Diuini Officij intelligitur illud, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seù à persona cõsecrata, vel deputata ad illud Officium, idest, Sacrificium Missæ, etiam Missa sicca, idest, sine cõsecratione Sacramenti. Itèm omnia exercitia cuicunq; Ordini maiori deputata; vt Diaconum cum stola, & manipulo Euangelium canere in Ecclesia; & Subdiaconum Epistolam solemnitèr canere cùm manipulo in Ecclesia. Itèm horas Canonicas cùm publicè cantantur in Choro nomine Ecclesiæ. Et sub nomine horarũ Canonicarum cõpræhẽduntur etiã, quæ aliquandò coniunguntur cum horis Canonicis, vt est Officium Defunctorum, Beatissimæ Virginis, Psalmi Graduales, Psalmi Pœnitentiales cum Litanijs; quia omnia ista Ecclesia suo nomine, & a ministris ab ipsa deputatis fieri instituit pro communi vsu populi Christiani. Item Sacramentalia, idest, omnes ceremoniæ sacræ; quæ spectant ad solemnem ritum Sacramentorum, immediatè præparatoriæ, vel consequutiuè, vt solemnis benedictio Nuptiarum iam celebratarum, solemnitas in Baptismo facta in Ecclesia, benedictio Templi, benedictio vasorum sacrorum, benedictio candelarum in die Purificationis, benedictio Ramorum in Dominica Palmarum, solemnis benedictio aquæ; benedictio fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, fusio aquæ lustralis cum asperges, dùm fit solemniter in Ecclesia, benedictio solemnis Episcopi, Litaniæ processionaliter recitatæ, idest, cũ Cruce & superpelliceo à ministris Ecclesiasticis, collatio primæ Tonsuræ, & multò magis collatio maiorum Ordinum, & Minorum, consecratio Abbatis, Virginum, Ararum, Calicum, nam ista omnia prohibẽtur fieri tẽpore interdicti; quia omnia hæc exercitia inter Officia Diuina annumerantur.

8. Verùm Officia, quæ quãtùm ad substantiam sunt Diuina, non tamen dùm persoluuntur, personam Ecclesiasticam requirunt, nomine Diuinorum Officiorum non veniunt; quia Officia Sacra, quæ non fiunt à personis Ecclesiasticis non cẽsentur communia, sed priuata, vt benedictio Mensæ, & omnes

laudes Dei, Beatissimæ Virginis, & aliorum sanctorũ, quæ à Laicis in ipsis Ecclesijs decãtantur, propriè non pertinent ad Diuina Officia, quia Confraternitates tẽpore interdicti possunt publicè cantare illas, etiam in Ecclesijs sitis in loco interdicto. Sed tempore interdicti localis de cantari nõ possunt publicè, neq; extra, neq; intra Ecclesias sitas in loco interdicto: *ità ex cap. si Ciuitas, & cap. fin. de sentent. excomm. in 6. & cap. Episcoporum de Priuilegijs in 6. & in Clement. penul. de sentent. excommun.*

9. Rursus ligatus censuris, si prædicet, non fit irregularis; quia prædicatio Diuini Verbi haberi potest tẽpore cuiuscũq; interdicti; *ità ex cap. Responso de sentent. excommun.* Ideò neq; suspẽsus à prædicatione, etiam si tale Officium sit annexum Archidiaconatui, Prioratui, Archipresbyteratui, vel Plebanatui, vt consuetudo est in aliquibus Ecclesijs publicè, & solemnitèr concionando petita benedictione, & superpelliceo; quia, vt diximus, non est actus alicui Sacro Ordini per se deputatus.

10. Sed ligatus excommunicatione maiori non solùm ipsemet celebrando irregularis efficitur, sed etiã si vt Auctor iubet coram se Missam, aut Officia Diuina celebrari. Secùs si simplicitèr audit, tantùm peccat; quia carens iurisdictione in foro exteriori audet, quasi auctorizando facere celebrare coram se. Et qui scientèr Missam celebrat coram excõmunicatis denunciatis, peccat mortalitèr; *ità cap. is, qui de sentent. excomm. in 6.* Sed si talis postquàm coram excõmunicatis denunciatis celebrauerit, iterùm absq; aliqua dispensatione intra Ecclesiam celebret, irregularis efficitur; quia huic interdictus erat ingressus Ecclesiæ propter præcedentem celebrationem; *ità cap. Episcoporum de Priuilegijs in 6.* Sed cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, si intra Ecclesiam celebret, efficitur irregularis, vt habetur *in cap. is, qui de sentent. excomm. ità etiam Gloss. in cap. supradicto verb. notatis, & in cap. Episcoporum de Priuilegijs in 6. verb. ingressum.*

11. Nota, quòd quandò adest in Ecclesia excommunicatus denunciatus tempore, quo Officia Diuina, aut Missę celebrantur, monendus est excommunicatus, vt exeat, quòd si sic monitus exire noluerit, eijci debet per Laicos, aut illis non præsentibus per Clericos, & licèt talis excommunicatus esset Clericus, non tamèn excommunicantur Laici, vt Clericum vi excludentes etiamsi commotus quis, talem excommu-

municatum Clericum vi eijceret; quia commotio ex iusta causa non operatur iniuriam, vt incurrat pœnam Canonis, *si quis suadente Diabolo*, cum propulsatur propter iniuriam factã Deo; *ità cap. veniens de sent. excomm. & ibi Gloss. verb. celebrationem*. Si autem inchoatis Officijs Diuinis, aut Missis, excõmunicatus denunciatus ingrediatur, monendus est, vt exeat, & si expelli non possit, cessandum est à Diuinis Officijs, & etiam à Missa, donèc expellatur, etiã si Canon sit incæptus, scilicet, *Te igitur &c*. Ità *Arg. Clement. Grauis, & ibi Gloss. verb. inexpleta de sentent. excõm*. Quòd si consecratio incæpta fuerit, non est cessandum; quia illic substãtialitèr incipit sacrificiũ. Facta autem consecratione, necesse est vsq;ad sumptionem procedere; quia præceptum integritatis Sacramẽti strictiùs est, quàm illum excludere; *ità D. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 6. ad 2*. Si ingreditur, facta consecratione, adhùc Sacerdos debet procedere vsq; ad sumptionem inclusiuè; quia hoc est Sacramentũ vnitatis, & ideò incæptũ dimitti nõ potest: Sumpto Sacramento ante post cõmunionem moneatur iterùm excommunicatus, vt exeat, quòd si renuerit exire, Sacerdos in Sacristiam, aut alium locum secretum rediens, compleat Missam: alij verò omnes assistentes Sacrificio Missæ, scientes eum esse excommunicatũ, debent exire Ecclesiam, præter socium seruientem sacrificio; quia cum isto nõ est communicandum; *ità cap. sicut Apostoli 11. quæst. 3. & cap. nihil. 7. q. 1*. Et quandò plures Missæ in eadem Ecclesia celebrantur, vnã, & eandem Missam, vel horam Canonicam cum excommunicato denunciato audire non licet; quia hoc est communicare in diuinis cum ipsis: Si verò in vna Capella eiusdem Ecclesiæ Missam audiat, & ille in alia, vel eodem tempore, & separatim in eadẽ Ecclesia orẽt, hoc licitè fieri potest; quia tunc ab ipsis nõ videtur communicari in diuinis: Tria enim prohibentur, scilicèt, ab illis audire, & illis dicere sacra, & cum illis interesse vni, & eidẽ Missæ, vni, & eidem horæ, dùm solemnitèr in Ecclesia celebrantur.

12. Similitèr tempore interdicti localis in loco interdicto non seruato moderamine *cap. Alma Mater* non omnes Clerici recitantes in Choro horas Canonicas, efficiuntur irregulares, sed tantùm hi, qui officiant Ecclesiam solemnitèr, & principaliter ex Officio, vt Hebdomadarius, qui incipit, & perficit officiando Ecclesiam, & exercet actum Sacro Ordini

Pres-

Presbyteratus deputatum; quia iste violat cẽsuras, cæteri verò, vt Laici cẽsentur canere. Ideò Sacerdos excõmunicatus, etiã Canonicus, & Beneficiarius tantùm canendo cum alijs in Choro horas Canonicas, licèt peccet, non tamen incurrit irregularitatem; quia hoc munus canendi in Choro solent nõ Clerici præstare, etiam cum superpelliceo ornati.

13. Similitèr Sacerdos aquã benedicens, aspergendo populum solemnitèr cũ versiculo, *Aspergens &c.* tempore interdicti in loco interdicto, incurrit, & fit inhabilis; quia tunc prohibentur fieri actus Sacris Ordinibus deputati. Idem est de Sacerdote excõmunicato, aut suspenso à diuinis similia faciente; *ità in cap. Aquam dist. 3. de Consecrat.* Idem etiam, si talis ex officio benedicens Calices, paramenta Ecclesiastica, Corporalia, candelas in festo Purificationis, oliuas in Dominica Palmarum; quia hæc omnia sunt Officia Diuina pertinentia ad Sacrum Ordinem Presbyteratus. Itẽ si hæc exercentur munia tempore, & loco interdicto maximè pręsentibus Laicis non priuilegiatis. Aut si tempore priuilegiato non iuxta moderationem *cap. Alma Mater*, aut saltèm vnam conditionem ex illis citatis violat, & actum Sacri Ordinis exercet, est trãsgressor interdicti, & incurrit; quia quodlibet horũ prohibetur expressè in dicto Cap. Tamèn si aperit ianuam, aut pulsat campanam, & ingrediuntur Laici, si nulla diuinorum celebratio sequatur, non incurrit; quia irregularitas non nisi alicuius Ordinis Sacri exercitio incurritur, & fit actus perfectus. Neq; incurrit, si Clericus Campanas pulsaus tempore interdicti in loco generalitèr interdicto, si ipse non celebrat, alijs licèt celebrãtibus; quia campanas pulsare, vel ianuas Ecclesię aperire non sunt actus proprij alicuius Ordinis Sacri. E contra celebrans, vel exercens actum alicui Sacro Ordini deputatum tempore interdicti, & in loco specialitèr interdicto etiam seruatis moderationibus *cap. Alma Mater* non euitat notam irregularitatis; quia illa concessio tantùm est tempore generalis interdicti localis, non tamèn in loco specialiter interdicto.

14. Vndè non violatur interdictum, si pulsetur Campana illis horis, à quibus Diuina Officia celebrari solent, non tamèn postea Diuina Officia celebrantur; quia per se, & formalitèr talis actio non videtur contra legem interdicti; cum interdictum prohibeat celebrationem Diuinorũ Officiorum cum pulsatione Cãpanarum.

Sed

Sed benè violatur, si dum celebratur Missa, pulsatur more solito Campanula, vt præsentes adorent Corpus, & Sanguinem Domini; quia in textu dicitur, *Campanis etiam non pulsatis*, quæ æquiualet vniuersali negatiuę. Imò celebrans in Ecclesia in solitudine alta voce, etiam si nullus audiat, incurrit; quia textus ait, *Voce ita dimissa diuina fiant, quod exterius audiri non possint*. Nec Missam dicere in Capella Ecclesiæ, apertis ianuis, etiam si ita Capella occludatur, vt nec videri, nec, moraliter loquendo, possunt Missæ audiri; quia textus dicit, *ianuis clausis*. Item Laici non solùm non sunt admittendi tempore interdicti ad Diuina Officia, sed etiam excludendi; quia ideò textus dicit, *vt ianuæ Templi claudantur, vt Laici excludantur*. Exceptis Priuilegiatis; *ita cap. Licet de Priuileg. in 6. & cap. quoniam Episcopi*.

15. At si non excludantur Laici, non incurrunt omnes, sed Hebdomadarius, qui ex officio incipit, & perficit horas: cæteri verò peccant; quia vt diximus, censentur, vt Laici canere. Ideò omnes tam Religiosi, & Moniales, quam Clerici alicuius communitatis ad Diuinum Officium in Choro recitandum deputati, non seruãtes moderationes *Cap. Alma Mater*: peccant mortaliter; quia ad hos omnes facta est prohibitio. Item pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in electione incurrunt; *ita cap. Is, qui de sentent. excomm. in 6.* Itē Clerici siuè in minoribus, siuè in maioribus cōstituti Ecclesiasticis beneficijs sunt expollandi: Et Monachi, & Moniales Ecclesiarum conuētualium, in arctioribus Monasterijs ad peragendam pœnitentiam, sunt detrudēdi; quia *ita statuit Innocentius III. in cap. Postulastis §. Quæsiuistis de Clerico excommunicato, vel deposito ministrante*. Item interdictum ab ingressu Ecclesiæ; *ita cap. Episcoporum de Priuilegijs in 6.* Item suspendi ab Officio; *ita cap. Tanta de excessibus Prælatorum*. Non tamen ipso iure suspensi sunt ab officio, & beneficio, sed per sententiam; *ita Gregorius IX. ibi*. Sed benè ipso iure ab ingressu Ecclesiæ; *ita Bonifacius VIII. in cap. Episcoporum de Priuilegijs in 6.*

16. Verùm Sacerdos censuris ligatus ad vitandum mortis periculum, aut graue infamiæ damnum, aut scandalum, si celebraret, aut Sacramenta in necessitate administraret, & prius cōteritur, excusatur ab irregularitate, & à peccato. Ita etiam Moniales in Censuram Papalem occultè incidentes, ad euitandum scandalum, possunt cum alijs in Choro persoluere horas

Canonicas, & per interdictum animo motum conterantur, quia etiam communicare; vid. D. Thom. 3. p. quaest. 82. art. 6. ad 2. Et dubitans, an sit censuratus, si post adhibitam diligentiam, practicè deponat dubium, excusatur celebrando, ab irregularitate; quia ad irregularitatem incurrendam requiritur contemptus. Et qui credit dum probabiliter, aliquam censuram non esse usu receptam, si celebrat, vel aliquod Officium Diuinum alicui Sacro Ordini deputatum exercet, non incurrit; quia non est contemptus. Et si usu receptam probabili credulitate credunt se in aliquo casu non teneri ad alicuius censurae, qua sunt ligati, obseruationem, maximè si non celebrarent, peccatum suum occultū reuelaretur cū honoris, & vitae periculo, celebrando, non efficitur irregularis; quia non ob contemptum cēsurae Ecclesiasticae celebrat, sed ad tuendum proprium honorem, & famam.

17. Similiter Sacerdos absens à loco, in quo censura ligatur, habens notitiam Censurae Ecclesiasticae, per solam famam dictam à fide dignis, celebrando, incurrit; quia talis non habet ignorantiam probabilem excusantem; *ità ex cap. Illud de Clerico excomm. vel deposito ministro §. licet.* Tamèn dicta paucorum non faciunt famam, & non tenetur credere; *ità cap. Inquisitionis de accusationibus §. Adhaec.* Ideò absens, & ignorans potest excommunicari, & suspendi tamen quamdiu ignorat, non peccat celebrando, nec fit irregularis; quia nulla sententia ligat efficaciter, nisi postquam scitur; *ità cap. Biduum 11. quaest. 6. & ex cap. Apostolicae 2. de Cleric. excomm. vel de deposito ministro.*

18. Tandèm sciens se esse excommunicatum, tamèn ex aliqua causa, scilicèt, perturbatione animi, vel obliuione naturali, id non animaduertēs, contra censuram faciens, non efficitur irregularis; quia obliuio excusat, cùm non scienter id praestet.

ARTICVLVS XXVII.

An Clericus ministrans in aliquo Ordine Sacro, quem non habet, efficiatur irregularis, & inhabilis ad Ordines suscipiendos?

1. ℞. Sic; quia *ità cap. 1. de Clerico nō ordinato ministrante, ità ab Vrbano III. cap. 2. eodem titulo.* Tamen si bona fide, etiam si ignorantia crassa ministret in Ordine Sacro, quē non habet, non fit irregularis, & inhabilis; quia hic non dicitur scienter ministrare in Or-

Or-

Ordine, quem non habet; & pęna imponitur temerariè ministranti.

2. Similiter qui nō serio, sed per ludum, aut ad repræsentandam aliquam festiuitatem vtitur Ordine, quem non habet, non incurrit; quia hic non dicitur propriè ministrare, cùm non ministrat ex Officio, & nō est initiatus Ordine Sacro. Ideò qui in Minoribus Ordinibus, quos non habet, ministrat, nō efficitur irregularis, neq; inhabilis, vt promoueatur; quia *ita cap. 1. de Cler. non Ordin. Minist.* intelligitur solū de initiato Sacris Ordinibus. Et sic Clericus prima Tonsura initiatus, vel Minoribus tantum insignitus, si absq; manipulo cantet Epistolam, aut Euangelium sine stola, non fit irregularis, etiam si intendat cantare ex Officio, & solemniter; quia non sufficit interior intentio ministrādi ex Officio, sed exterior actio; scilicet, manipulus in Epistola, & stola in Euangelio. Tamen si cum manipulo in Epistola, & stola in Euangelio non intendes ex officio exercere, sed tātum supplere defectum Subdiaconi, vel Diaconi, in foro animæ non fit irregularis; quia hoc non dicitur propriè exercere talem actum ex officio, nec actus dicitur completus, cùm actus compleatur per interiorem intentionem, & per exteriorem actionem cum manipulo, & stola. In foro tamen exteriori iudicatur irregularis; quia præsumitur vsurpare officium Subdiaconi, & Diaconi. Et licet Fratres Mendicantes olim ex Priuilegio hoc habuerunt, modò ex Cōcil. Trid. *sess. 23. cap. 17. de Reform.* reuocatum est. Vnde fratres Prædicatores in Capitulo Generali Bononiæ vetarunt.

3. Similiter simplicem Sacerdotem nullam habentem iurisdictionem ministrantem Sacramentum Pœnitentiæ nō fieri irregularem, quia iste non exercet Ordinem, quem non habet, cùm sit Sacerdos; sed Clericus non Sacerdos fictè audiens Confessiones, & absoluēs à peccatis, irregularis efficitur, & inhabilis; sicut etiam ministrare Sacramentum Extremæ Vnctionis; quia sunt actus proprij Sacerdotum. Ideò talis si Missam attentat celebrare, non solùm est irregularis, sed etiam brachio sæculari tradendus est; quia malè sentire censetur de Sacramentis; *ita Paulus IV. in Decret. 7. definit.* Sicut etiam est irregularis Sacerdos ille, qui populum solemnitèr benedicit, vt Episcopus cum illis verbis, *sit nomen Domini benedictum*; quia est actus Episcopalis, quem non habet; *ita cap. Ministrare 16. quæst. 6.* Et etiam benedictionem quamque super

plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitùs non licebit; quia in Concil. Agathensi prohibitum est. Laicus verò fingens se esse Sacerdotem, seriò absoluit à peccatis, nō efficitur irregularis, nec inhabilis; quia non est in iure expressum *in cap. is, qui de sentēt. excomm. in 6.* Neq; Laicus solēnitèr baptizans, vel ministrans seriò in quocunq; Ordine Sacro, quem non habet, fit irregularis; quia textus non est expressus cōtra Laicos, sed Clericos, & pœnæ sunt restringēdæ.

4. Tandèm qui scientèr, vel ignorans per ignorantiam crassam, vel affectatam, se esse censuris ligatum, Ordines Minores, vel maiores suscipit, fit irregularis, & inhabilis ad alios; *ità ex cap. veniens, de eo qui & cap. cùm illorum de sentent. excōm.* Secùs ligatus excōmunicatione minori; quia ità colligitur *ex cap. si celebrat. de Cleric. excōm. ministrante.*

ARTICVLVS XXVIII.

An infamia excludat hominem à susceptione Ordinum?

1. R. Sic; quia per ipsam non efficiuntur medij inter Deum, & plebem, ideò debent nitere bona conscientia quò ad Deum, & bona fama quò ad homines; *ità D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 36. art. 1. ad 2.*

2. Nota, quòd *Infamia est publica opinio praua de vita, & moribus alicuius*; quia sicut bona fama est bona opinio alicuius ex publica notitia bonorū operum, ità infamia nascitur ex publica notitia delicti. Vel *infamia est læsæ dignitatis qualitas, vita, & moribus reprobata*, vnde infames dicuntur, quorum nomen moribus, & vita est reprobatum.

3. Rursùs triplex est infamia, scilicèt, facti, iuris Ciuilis, & iuris Canonici. Infamia facti est, cùm quis committit delictum ità manifestum, vt apud homines bonos, & graues reputetur infamis; *ità cap. Omnipotens de accusat.* Infamia iuris Ciuilis, & Canonici est quando committitur delictum, cui imposita est à iure Canonico, vel Ciuili pœna infamiæ, vt Apostasia à fide, Raptus mulierum, Periurium in iudicio, Simonia, Sodomia, Hæresis, eiusq; fauor, crimen læsæ maiestatis, persecutio hostilis, crimen, quo vsuræ vsurarum exiguntur, duellum, pugna publica cum feris, Matrimonium actuale cū duabus, Lenociniū, Prostitutio propriè filiæ, vel Neptis, Matrimonium cum meretrice, vel repudiata; *ità cap. Infames in 6. quæst. 1.*

4. Vnde Infamia facti proueniens ex delicto inducit irregularitatem, & inhabilitatẽ, quę per emẽdationem tollitur; *ità in Reg. iuris in 6. & cap. 1. de x oblig. ad ratiocinia, & cap. Admittatur dist. 54.* Sic etiam Infamia iuris inducit irregularitatem; quia *in Reg. 87. dicitur, infamibus, portæ non pateant dignitatum.* Quæ duplex est, scilicèt, vel infamia inflicta à iure, vel à Iudice supremo, id est, Imperatore, vel Rege independente; & ambo contrahuntur per delictum, & ambo indigent condemnatione per sententiam. Et etiam infamia inflicta per Iudicem supremũ dicitur infamia à iure; quia Princeps supremus sicut constituit leges imponentes infamiam, ità ferre potest sententiam punientem infamia delictum, cui aliàs à iure infamia non est imposita. Et per sentẽtiam eiusdem Iudicis tollitur; quia omnis res per quascunq; causas componitur, per eosdem dissoluitur; *ità cap. 1. de Reg. iuris.*

5. Infamia autẽ iuris Canonici, & Ciuilis, & eius irregularitas à Papa tolli potest; quia de plenitudine potestatis ex rationabili causa potest omnes leges Ciuiles, & Canonicas euertere, & alias condere. Verùm infamia iuris Ciuilis potest à Principe sæculari supremo, qui eam tulit, auferri, & etiam indirectè irregularitas, quæ ex ea nascitur; quia irregularitas sequitur infamiã. Ideò restitutus in pristinum per Principem talem non indiget alia dispensatione, vt promoueatur ad Ordines; quia ablata infamia, cessat irregularitas. Sed infamia proueniens ex iure Ciuili, & Canonico simul, vt hęresis, Sodomiæ, vsuræ, & similium, si per Principem talẽ restituatur in pristinum, ad tollendam irregularitatem, indiget dispensatione Ecclesiastica, vt promoueatur; quia ius Canonicum excludit personam ciuilitèr infamem à susceptione Ordinum propter indecentiam, quæ consideratur in illa.

6. Verùm si nullo crimine occulto quantumuis enormi incurritur irregularitas, nisi sit in iure expressum. Sed in iure exprimitur tãtùm homicidium voluntarium occultum, & crimen hæresis occultum; *ità Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6. & in iure cap. Erubescat dist. 32. & cap. ex tenore.* Ideò ad incurrẽdam irregularitatem, quæ oritur ex infamia duo requiruntur, scilicèt, vt crimen sit notorium, & quod sit enorme depositione dignum, & in iure sit expressum, & sic constitutum, ità vt si alterum horum desit, non incurritur irregularitas.

7. Tribus autem modis cõtingit in proposito aliquod crimen

men esse publicum, & notoriũ. Primo, quando quis illud est confessus apertè in iudicio. Secundo, quando lata est sententia iudicis super illo. Tertio, quãdo de eo ita cõstat, vt nulla tergiuersatione celari possit, vt publicus concubinarius. Primo, & secundo modo dicitur notorium iuris, seu notorietate iuris; tertio verò modo notorium facti, seu notorietate facti. Quòd si Reus extra iudicium fateatur, non parit præiudicium confitenti, nec irregularitatem inducit. *ita in cap. Prohibeat. dist. 32. & cap. ex tenore.* Nec infamatus est irregularis, sed dum durat infamia, & accusatio in iudicio; non est ordinandus, sed post purgationẽ canonicam, non est repellendus ab ordinibus; quia per purgationem canonicam criminis restituitur in integrum. *ita cap. Si quis de purgatione canonica.* Quãuis eius fama sæpe in opinione hominum remanet læsa, vt constat experientia. Purgatio autem canonica fit aliquãdo per solum iuramentum ipsius infamati coram suo iudice, aliquando etiam per iuramentum testium compurgantium.

8. Differt infamis ab infamato, nam infamis dicitur ille, qui cùm in crimen enorme incidit, vel est confessum in iudicio, vel conuictus, vel crimẽ est notorium, & publicum, vel à iudice tamquam infamem punitum, & damnatum. At infamatus dicitur ille, qui est publicè accusatus de aliquo crimine infami, sed nondum est conuictus, nec illud confessus, nec crimen notorium notorietate facti.

9. Item per professionem ignominiosam alicuius artis facit hominem infamem, ac etiam irregularẽ, vt ars histrionis, mimi, gladiatoris, citharædi, macellarij, tabernarij, aleatoris, in ipsis tantùm, & non in eorum prole; quia ars ignominiosa reddit hominem vilem, & indignum ad omnia Ecclesiastica. Hæc autem infamia tollere potest Papa; quia etiam infamiã, quæ per iudicem ciuilem irrogata est; quia Papa omnia potest. Itèm ex alieno delicto potest quis constitui infamis, vt filius proditoris Principis. *ita l. Quisquis. cap. ad leges Iul. Maiest.* Et filius hæretici. *ita cap. Statutum. el. 2. de hæret. in 6. & cap. si quis 6. quæst. 1.* Item duellantes, tam de iure, quàm de facto, sunt infames. *ita Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reform.* Itèm raptores mulierum. *ita Concil. Trid. sess. 24. de Reform. matrim. cap. 6.* Hi omnes de iure infamia notati, durante infamia, non sunt ordinandi; quia sicut infamati, durante accusatione, non sunt ordinandi, eo magis isti, cùm

sint

sint infames. Itèm infamis in vno loco infamia iuris, vbique est infamis, ac etiam irregularis; & indiget dispensatione Papæ; quia alias finis legum frustraretur. At infamis infamia facti post pœnitentiam, & emendationem, potest in eodem loco, & vbique promoueri ad Ordines; quia omnis res per quascunque causas componitur, per easdem dissoluitur. *ita cap. 1. de Regul. iuris.*

10. Tandèm per Baptismũ infamia tollitur; quia si tollit peccata, ac & ea, quæ peccata consequuntur, vt peccata sunt, vt infamia. Itèm infamia iuris Ciuilis infidelium; quia Baptismus mutat statum ciuilem. Verùm infidelis degens in Prouincia fidelium, vbi subditur eorum legibus; si in pœnam infamiæ constituitur infamis infamia iuris, non tollitur per Baptismum, nisi priùs per Principem, vbi degit, & cui est subditus restituatur in pristinum; quia contraxit infamiam impositã per leges ciuiles fideliũ, & post Baptismum non mutat statum ciuilem, sed sub eisdem legibus ciuilibus remanet, cùm sit subditus, vbi tale ius seruatur.



ARTICVLVS XXIX.

An Hæretici sint irregulares, vt promoueantur ad Ordines?

1. R. Sic; quia indignè recipientes, indignè dispensarent Sacramenta, *ita D. Thom. 3. p. in addit. quæst. 36. art. 1. ad 1. & 3. p. de Sacram. in genere quæst. 64. art. 1. ad 3.*

2. Nota, quòd *hæresis est error intellectus voluntarius contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo, qui fidem recipit.* Dicitur, *error intellectus*, id est, assensus falsus intellectus; quia error fidei contrarius in intellectu completur, sicut assensus fidei in eo consumatur. Dicitur, *voluntarius*; quia hæresis est assensus erroneus ex voluntatis electione profectus, sicut assensus fidei oritur ex pio affectu eiusdem. Dicitur, *circa aliquam fidei veritatem*; quia error in alijs veritatibus, non est hœresis. Dicitur, *circa aliquam fidei veritatem*, ad distinctionem Apostasiæ, quæ est totalis recessus à fide. Dicitur, *cum pertinacia assertus ab eo, qui fidem recipit*; quia qui nondùm recipit illam, plùs dicetur infidelis, quã hœreticus; *ità D. Tho. 2. 2. q. 11. art. 2.*

3. Pertinacia autem ad hœresim requisita cõsistit, vt quis sciens, & prudẽs teneat aliquid con-

contra Ecclesiam Catholicam; quia non dicitur præsumēs tenere aliquid cōtra Ecclesiam, nisi nofit etiam contrarium tenere; nam sicut fides fidei assensum petit, vt habita notitia propositionis Ecclesiæ, voluntas inclinat intellectum ad assentiendum; ità D. Thom. 1. p. quæst. 32. art. 4. Et sic pertinacia est, quandò quis paratus est ab Ecclesia corrigi, dummodò argumentis, & rationibus conuincatur; quia resistit sciētèr auctoritati, & testimonio Ecclesiæ. Etiam est pertinax, si talis viro docto asserenti credere est paratus; quia dubius de auctoritate Ecclesiæ est hœreticus, & pertinax. Et vt sit pertinacia hœreticalis non requiri temporis diurnitatem; quia in momento sciens auctoritatem Ecclesiæ esse sibi contrariam, tenetur se subijcere. Quamuis ex diurnitate temporis faciliùs in foro externo præsumi possit, nō procedere hęresim ex ignorantia, sed ex vera pertinacia.

4. Hinc est, quòd non est propriè hœreticus, qui absque pertinacia est, sed paratus se corrigere, si circa fidē ex ignorantia crassa erret; quia hic seruat rationem formalem fidei, dùm est paratus, & non opponitur testimonio, & auctoritati Ecclesiæ. Neq; hęreticus, sed potiùs temerarius, & moralitèr peccat, qui ab Episcopo, aut Theologo admonitus de aliquo errore circa fidem, eis nō credit, sibi persuadens se non contrauenire Ecclesiæ, aut Pōtifici; quia solius Ecclesiæ, ac Pontificis est res fide tenendas definire: cæteri verò, & fallere, & falli possunt.

5. Nota, quòd tria necessaria sunt, vt quis propriè hæreticus sit. Primum, vt subiectum sit capax criminis hæresis; quia hęresis est negatio fidei susceptæ per Baptismum; ità D. Tho. 2. 2. quæst. 10. art. 5. & q. 11. art. 1. Et sic infidelis, aut Cathecumenus nondùm baptizatus, errantes circa fidem, hæretici nō sunt dicendi; quia hic interiùs licèt perceperit fidem, non tamen exteriùs, ille verò, neque interiùs, neq; exterius. Secundum, vt errorem habeat in intellectu, quod Theologi vocāt materiale ipsius hęresis, scilicèt, vt dissentiat ab his, q̃ Fides Catholica docet, & assentiat contrarijs; ità D. Tho. 2. 2. q. 11. art. 2. Tertium, vt sit pertinax in suo errore, quæ pertinacia est de ratione formali ipsius hœresis, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 5. art. 3. & q. 11. art. 2. ad 3.

6. Verùm deliberatè dubitans de fide, quam propositam nouit esse ab Ecclesia Catholica, est hœreticus; quia de fide est, quòd ea, quæ proponuntur ab Ecclesia de fide credenda, esse verissima, certa, & non

non dubia; *ità à Stephano Papa in cap. 1. extra de hæreticis dicitur, dubius in fide est infidelis.*

7. Nota, quòd duplex error contra veritatem fidei contingere potest. Vnus per assertionem contrariæ propositionis, vt dicere, Deus non est trinus, & vnus. Alter iudicando non esse certissimam veritatem illam ex diuina reuelatione auctoritate Ecclesiæ propositam, licèt directè non dissentiat. Et vtroq; modo est error in intellectu sufficiens ad constituendam hœresim. Imò scientèr solo assensu opinatiuo assentiendo rebus fidei, est hœreticus; quia caret assensu certo, & firmo, quem habere tenetur. Secus ignorantèr, & est paratus errorem repellere, si Ecclesia alitèr iudicauerit; quia non opponitur Ecclesiæ auctoritati, & testimonio. Ità etiam talis dubitans, si perpensis rationibus vtriusque partis, nullumq; iudicium format, & quod verè, & formalitèr intellectus dubius manet, nec est hœreticus; quia de ratione hœresis est electio pertinax doctrinæ contrariæ veritati fidei, sed iste pendulus est; *ità D. Thom. 2. 2 qu. 11. art. 2. ad 3.* Tùm quia qui suspendit actum vtriusque partis, non propriè dubitat de veritate. Sed si iudicat pertinacitèr illam fidei rem esse dubiam, & sub opinione, hic propriè hœreticus est; quia vltra dubium, & opinionem in materia fidei, adest, consensus, & iudicium intellectus, affirmantis rem fidei non esse certam.

8. Ideò inuitus patiens tentationes contra fidem, non est hœreticus; quia non habet errorem intellectus volũtarium, cũ deficit plena voluntas. Neq; qui per ignorantiam affectatã, deriuatam tãtùm ex negligentia, & tedio addiscendi res fidei, incidit in errorem fidei cõtrarium, est verus hœreticus in foro interiori; quia de ratione hęresis est electio pertinax doctrinæ contrariæ veritati fidei. Sed si talis ignorantiam affectatam affectat ad finem liberiùs errandi in fide, vel ex falsa opinione contra Ecclesiam, & parui momenti esse existimat, quæ ipsa Ecclesia proponit, hœreticus est; quia nõ est paratus corrigi, cùm despiciat eius auctoritatem, affectando ignorantiam in rebus fidei, & falsa opinione contra Ecclesiam. Et si dicit se esse paratum corrigi, & tamèn sciens aliquid esse ab Ecclesia diffinitum, non credit, hœreticus est; quia verè nõ est paratus per illam corrigi, cuius diffinitionem manifestè impugnat. Et si paratus est ad suam opinionem tuendam, etiam si Ecclesia contrarium definiat, pertinax hœreticus est iste; quia & si pars,

quam tuetur, hœresis non est: sed quod Ecclesiæ aliter docēti resistere paratus est, iste credit Ecclesiā posse errare, quod hœreticum est. Ac etiam hœreticus est, qui si falsò putans, contrarium tenere Ecclesiam, aliquid teneat, etiam si quod iste tenet, non est verus error circa materiam fidei, sed tantùm putatiuus; quia hic formalitèr à fidei ratione recedit, credens in vniuersum non esse vera, definita ab Ecclesia. Et licèt credens falsò, se percutere Clericum, cùm Laicus sit, non incurrit excōmunicationem; quia non est verè Clerici percussor, tamèn est verè hœreticus ille, qui putat non esse verum, quod diffinitur ab Ecclesia, quia hic habet errorē pertinacem in rebus fidei.

9. Rursùs nō assentiens alicui reuelationi speciali sibi factæ, & illam putat esse diuinā, nō credens, est hœreticus; quia non credens tali reuelationi censetur sentire, Deum posse mentiri, & fallere, & falli posse, quod est hœreticum. Sed negans propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex principio naturali, & propositione de fide; vt Christus est risibilis, cùm sit homo, non est hœreticus directè, & immediatè; quia quòd Christus sit risibilis, non est secundum se, & immediatè de fide, sed mediatè, ideò potiùs erroneus in fide censendus est; imò de ratione hœresis est, quòd manifestè, & directè aduersetur fidei Catholicæ, & quæ continentur in Sacra Scriptura in traditionibus diuinis, & in Decretis Pontificum, & Conciliorum.

10. Similitèr Cathecumenus nondùm baptizatus, negādo fidem, & pertinacitèr errās circa materiam fidei, non est propriè hœreticus; quia ante Baptismum non subijcitur potestati Ecclesiæ. Nec qui verè baptizari voluerunt, & baptizati sunt, sed posteà inuentum est Baptismum fuisse irritum ratione legitimæ materiæ, aut intentionis ministri, si tales recedunt à fide, non sunt verè hęretici; quia verè tales baptizati non sunt. Possunt tamèn ab Ecclesia cogi ad verum Baptismum suscipiēdum; quia iàm ex parte sua illud susceperunt. Nec qui fictè Baptismum suscipit, si errat posteà circa materiam fidei, quò ad rei veritatem, & forum interiùs, verè hœreticus dici nō potest; quia talis quò ad rei veritatem, fidē, & verum Baptismum non suscipit; *ità D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 5.* Nec etiam hœreticus, sed potiùs infidelis est ille, qui ab infantia baptizatus, nutritus tamèn inter infideles, & hœreticos, ignorans inuincibilitèr

ea,

ea, quæ pertinent ad fidem Catholicam, amplectatur infidelitatem, aut hœresim illorum, & ignorat etiam se esse baptizatum; quia pertinacitèr nō peccat contra fidem, cùm ignoret esse baptizatum. Et si talis adorat idola, & profert hœresim iuri naturæ aduersantem, peccat, sed non admittit habitum fidei; quia eam inuincibilitèr ignorat. Amitteret tamèn, si ea posteà ei essent proposita, & illa respueret. Tunc autem fides dicitur sufficiētèr proposita, quandò res fidei, & Euangeliū proponuntur rationibus probabilibus, & magis credibiles confutatione errorum infidelium, aut hœreticorum, & hoc non semel, sed sæpiùs diligentèr, & studiosè, si posteà ea nō amplectuntur, tunc sunt, & dicuntur veri hęretici, & cōtrahūnt pœnas latas contra hęreticos, & amittunt habitum fidei; quia tunc scientèr, & pertinacitèr recedunt à fide, quam in Baptismo sunt professi. Et sic potest quis esse hœreticus, quamuis nunquàm fuerit Catholicus in actu exercito, & talis cum ad annos discretionis peruenerint, non sunt rebaptizandi, licèt proprio actu antè vsum rationis fidem Catholicam amplexati non sint; quia diffinitum est in Concil. Trid. *sess. 7. cap. 13. de Baptismo.*

11. Rursùs hœreticus, & Apostata, quantumuis occulti, irregulares, & inhabiles sunt ad Ordines suscipiendos; quia indigēt dispēsatione, quæ supponit iregularitatem iàm contractam, *ità Clemens VII. in sua Constitut. ità cap. salubert imum, & cap. conueniētibus, & cap. nos consuetudinem dist. 12.* Ità vt neque dum in hœresi etiam occulta permanet, neq; post illius detestationem, veramque pœnitentiam, & absolutionem possit ordinari absq; dispensatione, etiam si semel in hœresim sit lapsus; quia irregularitas contracta ob hœresim occultam ex speciali gratia tollitur ab Inquisitoribus dispensantibus super illa ex facultate peculiari Clementis VII. Verùm hœreticus mentalis tantùm non fit irregularis; quia pęnitùs occulta heresis iudicio Ecclesiæ imponēris hanc pœnam, subdi nequit; *ita D. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 4.* Neq; fictè hœreticus, vel Apostata à fide, siuè spontè, siuè metu; quia interiùs benè sentit, vt D. Petrus negando Christum & ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 11. art. 2.* colligitur, quòd vt quis sit hœreticus, verè, & propriè requiritur, vt habeat errorem in intellectu circa fidē. Sed simulans notoriè verbis, & operibus se esse hœreticum, vel schismaticū, in vtroq; foro, est

est irregularis, non irregularitate, quæ prouenit ex delicto hœresis, cum alias, vt supponitur, iste benè interius sentiat de rebus fidei, sed irregularitate, quæ nascitur ex crimine notoriè depositione digno; quia tenetur confiteri se Catholicũ, etiam si oporteret ob id mori; *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 2.*

12. Solus Papa potest dispẽsare ab irregularitate ob hœresim contractam; quia Pius V. reuocauit concessionem Clementis VII. factam Inquisitoribus ad dispẽsandum ab irregularitate ex crimine hœresis orta. Episcopus verò cum Clericis quò ad vsum susceptorũ Ordinum redeuntibus ad fidẽ; quia Canones permittunt dispensari ab Episcopis in vsu susceptorum Ordinum; *ità in cap. omnis 1. quæst. 1. & in cap. saluberrimum, & cap. conuenientibus 1. q. 7. & cap. nos consuetudinem dist. 12. & cap. Presbyteratus dist. 50.* Excepto tamèn vsu Ordinis Presbyteratus in Sacrificio Missæ; quia Pius V. specialitèr in supradicta Bulla inhibuit. Et ab Episcopo potest dispensari vsque ad Diaconatum inclusiuè, etiam si factum sit notoriũ; quia Concil. Trid. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* non adimit Episcopis facultatem dispẽsandi, quã priùs erant prædicti, sed potius illam auget. Imò quandiù delictum hæresis est occultum, etiam Episcopus potest dispensare quò ad Ordines suscipiendos; quia Concil. Trid. *loco supra citato:* generalitèr concedit Episcopis Priuilegium dispensãdi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus. Nec hoc Priuilegiũ est restrictum, & reuocatum in Bulla *Cœnæ Domini*; quia in ea solùm fit mentio de reuocatione facultatis absoluendi, quæ cadit super censuras ibi reseruatas, cũ reuocatio facultatis absoluendi non sit reuocatio facultatis dispensandi, cùm hæ sint res disperatę.

13. Itèm irregularitas lata in hæreticos ex defectu animæ extenditur quoque ad credentes, receptores, fautores, defensores hæreticorum, quamuis occulti sint, & consequentèr sunt irregulares, & inhabiles; quia Canon æquè hæreticos, & omnes hos reddit inhabiles ad omne beneficium, & officium publicũ, & nomine officij publici non solùm temporalia officia intelliguntur, sed etiam Ecclesiastica, quæ quoq; officia publica sunt; *ita ex cap. 2. §. Hæretici. de hæreticis. in 6.* Etiam quòd isti receptores, fautores, &c. sint occulti; quia sunt irregulares, eadem irregularitate, ac sunt hæretici occulti, & omnia dicta hæreticorum in his locum habent.

14. Credentes hæreticorũ

sunt

sunt, qui hæreticorum erroribus contra fidem assentiuntur; & implicitè credunt, quod alij hæretici credunt, quamuis nullum eorum errorē, aut hæresim in particulari credant; quia si explicitè crederēt, quod hæretici credunt, iam hæretici essent dicendi, & non credentes hæreticorum. Item qui nullum errorem, aut hæresim in particulari habent, sed implicitè assentiuntur erroribus hæreticorum; quorum sectam sequuntur, vt dicere *se esse cum Caluinianis, vel Lutheranis sentire in causa fidei.* Vel dicere *hæreticos in sua secta posse saluari, esse bonos homines, conuersationis, & vitæ, & peccare eos qui tales personas persequuntur;* quia hi hæresim & perfidiam hæreticalem habent implicitè. Sicut Catholici rustici nullum ferè fidei articulum explicitè norunt, tamèn implicitè assentiuntur omnibus, vel credendo id, quod Catholica Ecclesia Romana credit.

15. Ideò huiusmodi credētes sunt etiam hæretici; quia credens pertinacitèr esse verū, quod alius hæreticus credit, est est hæreticus. Et tales ponuntur in prima clausula in Bulla Cœnæ Domini simul cum hæreticis, ad differentiam eorum, qui explicitè & distinctè assentiuntur erroribus, qui ab hæreticis proponuntur; quia tantū credunt doctrinam, quam hæretici sequuntur, & prædicant. Item qui hæreticorum cōcionibus, ac sermonibus frequenter intersunt; quia isti plus factis, quàm verbis loquuntur, & meritò puniendos esse. Si seriò, & seriò illis intersunt; quia tales in foro interiori iudicandos esse credentes hæreticorū. Secùs qui conciones, & sermones eorū semel audiuit, & ampliùs non reuertitur ad eos audiendum; quia non videntur probasse, quod postea vitarūt. Maximè si putant hæreticorū conciones, sermones, & libros non esse vtiles, & salutares. Et isti nec in foro interiori sunt credentes hæreticorum; quia non habent aliquem errorem in intellectu circa materiam fidei. Et licèt qui in locis, in quibus soli Catholici commorantur occulta hæreticorū conuenticula semel adirent, & Episcopis, & Inquisitori non denuncient, non sunt censendi credentes hæreticorum; tamèn hi sunt suspecti de hæresi; quia vehemens suspicio de eorum recta fide suboritur. Itèm qui in infirmitatibus, calamitatibus, & malis pressi, petunt, vocant, & excipiunt ab hæreticis, & ab eis per manus impositionem recipiunt consolationes, aut aliquid eorum, quæ ad ritus, & cæremonias hæreticorū spectant, efficerent, hi credentes hæreticorum sunt dijudicādi;

di; quia *ita cap. Filijs de hæreticis in 6.* Verùm credentes personę, non errori hæreticorum, non sunt excommunicati in Cœna Domini tamquàm credentes hœreticorum; quia non sunt credentes errori hęreticorum, sed tantùm personæ. Tamèn sunt excommunicati in ipsa Bulla, vt fautores hęreticorum; quia habere de eis bonam existimationem, & familiaritatem, secundum moralem existimationem est eis fauere.

16. Fautores hœreticorum sunt, qui quouis modo hœreticis, vt hœretici sunt, opem præstant, ne à Iudicis ministris compræhendantur, aut compræhensi puniantur, aut quoquo modo illis fauent in sua hœresi tuenda, aut docenda; *ità cap. qui potest 23. q. 3.* Et hoc dupliciter, scilicèt positiuè, idest, commissione, vt Magistratus, seu priuati homines ipsos verbis excusant, & laudant, vel si consilium, & auxilium dent, vt euadant, & fugiant, aut pro eis intercedendo, ne puniantur, vel subministrãdo alimenta, pecunias, rumpendo, abscondendo, & falsificando processum cõtra eos formatũ, vel quouis modo impediendo exequutionem iustitiæ contra eos Aut fauore negatiuè idest, omissione, vt Magistratus, & iustitiæ ministri omittant, quòd contra hœreticos facere tenētur; aut cùm isti ab Episcopo, vel Inquisitoribus requisiti, negligant hœreticos capere, vel captos non diligentèr custodire; vel quãdo hœreticos bracchio sæculari traditos punire omittãt; hi omnes fautores hęreticorum dicuntur; *ità cap. supra citato.* Imò fauens hœretico mortuo, vt hœreticus, & vt talis sepeliens, incurrit pœnas; quia sicut percussor Clerici mortui afficitur pœna excommunicationis; *ità cap. si quis 17. quæst. 4.* ità fautor hœretici mortui.

17. Itèm fautores hœreticorum dicuntur Inquisitores, vel Prælati non capientes, non torquentes, non puniẽtes, aut non seruãtes hœreticos captos; quia hoc illis ex officio competit. Itèm Familiares Sancti Officij non capientes hœreticos; quia etiam capere tenentur ex officio. Secùs priuatæ personæ, licèt non capiant hœreticos, ex omissione sola dici possũt fautores hœreticorum; quia cum non competat priuatis personis, ex iustitia tenentur, vt Catholici, ideò impropriè fautores hœreticorum dicuntur. Sed si eis aliquid fuerit iniunctum à Magistratibus aduersus hœreticos, si illud facere omittãt, subduntur censuris à iure latis; quia tunc illud faciendum aduersus hœreticos sibi impositũ à Magistratibus ex iustitia præstare tenentur.

18. De-

18. Defensores hœreticorũ sunt, qui viribus, potentia, armis, fraude hœreticos defendunt, ne in manus Inquisitorũ deueniant, vel vt tutò possint viuere, & ne ob causam hœresis puniantur, accusentur, & interrogentur: ita quòd defensores, & fautores idem ferè significãt; quia qui defendit hœreticos illis fauet, & qui fauet illis, illos etiam defendit. Itèm Aduocati, qui scientes illos esse hœreticos, defendunt, & illorum patrocinia suscipiunt. Itèm Tabelliones, seù Notarij facientes instrumẽta in causa, & defensione eorum; & hi omnes excommunicationem Bullæ *Cœnæ Domini* incurrunt. Verùm fauentes hœretico, vel eũ defendentes cõtra vim illatam illi à priuato, scilicèt à latrone, vel ab alio, ne lædatur ab eo, aut Aduocatus defendens hœreticum de crimine extra hœresim, scilicèt, de homicidio, vel de causa ciuili, non censentur fautores, aut defensores, & non incurrunt; quia non defendunt hœreticum, vt formalitèr hœreticum, sed quatenùs homines, & proximi sunt.

19. Receptores hœreticorũ sunt non solùm, qui frequentèr hœreticos in domibus, & terris suis recipiunt, & occultant, ne puniantur, & nè à ministris capiantur, sed etiam qui semel illos, siuè publicè, siuè priuatim recipiunt: hi excommunicationis *Cœnæ Domini* sentẽtia Papæ reseruata feriuntur; qui hi propriè, & verè fautores, & defensores hœreticorum sunt. Et iure Canonico, & ciuili nõ est necessaria multiplicata receptio, sed vnica satis est, vt quis verè, & formilitèr dicatur receptator hœreticorum; quia in vtroque iure pro simplici nomine accipitur, dũmodo recipiunt, vt hœreticos. Et non desideratur, vt hœreticus receptatus, aut cui fauetur sit denunciatus; quia prohibitio Bullæ, non est tamquàm quædam participatio cum hœretico, vt excõmunicatus est, sed ea ratione, qua hœreticus est. Et satis est, vt sit cognitus illi, qui ei fauorem, aut auxilium, aut receptionem præbet, tamquàm hœretico.

20. Tamèn recipere scientèr hœreticum, ne in manus Iudicum deueniat, & non recipit, vt hœreticus, sed vt suus consanguineus, saltèm in foro interiori non incurrit pœnas supradictas; quia sic recipere non est formalitèr fauere hœretico, cùm non adsit intentio fauendi heresi, sed soli personæ alia ratione, quàm hœresi. Nec valet dicere, quòd talis receptio redundat per se, & proximè in fauorem hœresis; quia talis receptio ex intentione receptantis formalitèr, & per se non redun-

dundat in fauorem hæresis, sed quasi materialitèr, & per accidens. Et licèt qui recipiunt filium, fratrem, vel maritum hæreticum, non ob hæresim, sed ob consanguinitatem, non incurrant; tamen ad terrorem aliorum puniendi sunt, tamquàm verè delinquentes: non pœna ordinaria, & rigidissima receptorũ hæreticorum, qualis fulminatur in *Cœna Domini*; sed piè, & misericorditèr, quia nulli homini claudẽda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitus relaxandus est; *ità cap. duo ista 23. quæst. 3.* aliàs omnes ferè Catholici, etiam Religiosi Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, & bonæ partis Galliarum inciderent in has censuras, cùm hoc cederet prætèr illorum intentionem, & quasi per accidens in fauorem hæresis.

21. Nec qui hæreticum excepit metu mortis, ne ab eo occidatur, in iuris pœnas incurrit; quia metu mortis recipit illum, non tamquàm hæreticũ, nàm leges humanæ non obligant cum certo, & probabili vitæ discrimine. Nec obstat illud dictum *cap. sacris* scilicèt, nullo metu est committendum mortale peccatum, nec excusatur vis, aut metus, si cum excommunicato cõmercium habet; quia est mortale, si commercium habet cum excommunicato in crimine, ob quod excommunicationis vinculo est annodatus; secùs si non in crimine sine complẽtu Ecclesiæ, seù Ecclesiasticæ censuræ.

22. Ex dictis patet, quòd receptores bannitorum, vel ob consanguinitatem, vel amicitiã tantùm, & non ad fauendum maleficiis eorum, non contrahunt excommunicationem latam a Gregorio XIII. *contra receptores bannitorum*; quia est contra receptantes, & iuuantes directè bannitos, quò ad delicta, quæ exercent, & non de alijs, qui directè non iuuant ad exercendum ea. Tamèn puniendi sunt alijs mitioribus pœnis; quia formalitèr, & per se non dicitur receptator bannitorum, cùm ex voluntate, & proposito maleficia distinguuntur; *iuxta cap. cum voluntate de sentent. excommun.*

23. Tandèm personæ, siuè publicæ, siuè priuatæ, si præstãt iuramentum Inquisitori de dicenda veritate, si veritatem celant, vt hæresi faueant, incidunt in pœnas statutas in iure contra fautores hæreticorum; quia delinquunt contra iustitiam cùm Inquisitores iuridicè inquirunt veritatem, ius iustitiæ acquirunt, vt fides sibi data præstetur. Imò si tales personæ iussæ per generalia edicta Inquisitorum hæreticos denunciare, omittant id, gratia fauẽdi hæresi, in pœnas a iure statutas

tas incurrunt; quia cùm teneantur obedire ex iustitia legitimis superioribus, si non obediunt, agunt contra iustitiam; *ità Bulla in Cæna Domini, & cap. 2. de hæreticis in 6.* Et si quis iuramento se abstrinxit homini priuato, denunciandi hæreticos, cuius non interest denunciare, capere, & iudicare illos, si id omittat, non incurrit pęnas statutas in iure contra fautores hęreticorum; quia talis solius Religionis transgressor esset, non autem ageret contra iustitiam.

ARTICVLVS XXX.

An filij Hæreticorum sint irregulares, & inhabiles, vt promoueantur?

1. ℟. Sic; quia *ità cap. 2. §. Hæretici. de Hæretis. in 6.* statutum est à Bonifacio VIII. & etiam Nepotes via virili, & solos filios via fœminea, *ita cap. supradicto.* Et meritò puniuntur filij ob delictum parentum; quia sicut benè meriti patris honorantur filij à Republica, ita iustissimè ob eadē filij notantur infamia ob delictum parentum, & ex *Extrau. 22. de pœnis.* colligitur, quod ad exemplum aliorum, vt intelligant, quam grauia sint quædā delicta, quæ non solùm puniūtur in patre, sed etiam in filijs,

2. Itèm filij credentium receptorum, & fautorum hæreticorum; quia *ita cap. commissi. §. penultimo, & vltim. de hæret in 6. & cap. statutum. el. 2. de hæret. in 6. §. Heretici.* Hec autem irregularitas, & inhabilitas extenditur in filijs supradictorum per lineam paternam vsque ad secūdam generationem, idest vsq; ad filios, & nepotes. Per maternam verò vsque ad primum gradum; idest, vsque ad filios. Ita vt si sola mater est hæretica, soli filij incurrunt hanc pœnam, si autem pater filij, & nepotes eorum ex filio, non autem nepotes ex filia; quia deterior communiter est infectio viri, quàm fœminæ; *ita cap. statutum. el. 2. de hæreticis. in 6.* Et vt nepotes, & filij incurrant pœnas in iure statutas, non necessariò requiritur sententia iudicis declarans parentes hæreticos, sed satis erit, si per euidentiam facti, vel propriam confessionem parentū in iudicio cōstet, parentes fuisse hæreticos, credentes, vel fautores, vel defensores, vel receptores hæreticorum; *ità cap. supra citato.* Et cùm indefinitè loquitur ius, contrahitur ab eis, siuè sint cōcepti antè, vel post crimen hæresis à parentibus commissum; quia consuetudo est optima legis interpres. *L. de interpret. ff. de leg.* cùm ita sit praxis Pœnitentiariæ, & hoc in odium

hæresis: ita capit. supra citato.

3. Tamèn si filij istorum ad Ordines sunt promoti ante delictum, non priuantur vsu Ordinum susceptorum; quia cap. 2. de hæret. in 6 §. hæretici. nō precipit hos filios hereticorum ab officijs adeptis deijci; sed ad ea in posterum non admitti. Nec tales promoti ad Ordines post paternum delictum, ante tamèn illius declarationem, vel notorietatem facti, vsu Ordinum sunt priuati; quia tunc nullas penas ob delictum paternum heresis incurrunt. Non tamèn ad superiores Ordines ascendere poterunt; quia etsi defectus superueniens non priuet iure acquisito, impedit tamèn nouam acquisitionem.

4. Similitèr filij hæreticorū poenitentium, & ad fidem redeuntium, non remanent irregulares, & inhabiles, quamuis eorum parentes ante peractam penitētiam obierint, dummodò tamèn sint parati ad eam recipiendam; quia tunc sunt Ecclesiæ reincorporati; ita cap. statutum el. 2. de hæreticis in 6. Tamèn si tales non fuerunt ab hæresi absoluti, etiam si resipuerunt per manifestam cordis penitentiam, adhùc remanent irregulares eorū filij; quia vltra parentum emendam necesse est absolui ab Ecclesia, vt reincorporentur; ita cap. loco citato. Imò filij hereticorum, eorumque nepotes si parentes eorum Catholici quidem mortui sunt, fuerunt tamèn combusti, tamquam relapsi in heresim, remanent irregulares, & inhabiles; quia presumitur istos decedere in heresi, & solùm illam negasse, ne viui comburerentur. Quamuis probabile sit, hos non remanere irregulares; quia eorum parentes non obierunt in hæresi. Secùs eorum, qui traditi sunt bracchio sæculari ad comburendum; quia tales nō sunt dicendi reincorporati Ecclesiæ, licet catholicè obierint, cùm non solemnitèr absoluantur, & ad penitentiam iuridicè implendam non admittantur. Et solùm tales absoluuntur in Sacramēto Confessionis, & prodest illi quò ad forum interius; ita cap. loco citato.

5. Itèm sunt irregulares, & inhabiles filij eorum, quorum statuæ cōbustæ sunt, eò quòd ab Inquisitoribus vocati ad se defendendos ab hæresi, de qua erant suspecti, non comparuerunt; quia isti reputantur, tāquàm de crimine heresi cōuicti. Sed nō q. vt suspecti tātùm obierunt; quia textus loquitur de ijs, qui decedunt in heresi, & non qui in suspicione heresis, ita cap. loco citato.

6. Sed incuntes pactum cū Dæmone, aut eum inuocantes, & colentes, aut responsa ab

ab eo petentes, absq; tamen errore in intellectu constitue-te eos hæreticos, non sunt irregulares, nec inhabiles; quia non est expressum in iure, cum irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressum. *ita cap. Is, qui. de sentent. excomm. in 6.* Sed benè sunt vehementer suspecti de hæresi; quia oritur ex eis magna, & vehemens suspicio contra illos de aliqua hæresi, & errore in intellectu.

7. Tandem qui cogitur abiurare ab hæresi, est irregularis, & inhabilis, vt promoueatur; quia hic censetur verus hæreticus, cùm abiuratio propriè sit recessus ab hæresi, & accessus ad fidem Catholicam.

ARTICVLVS XXXI.

An Schismaticus sit irregularis, & inhabilis, vt promoueatur?

1. ℟. Non, si est occultus; quia in nullo iure expressum reperitur, dummodò nomine Schismatici distinguantur ab hæretico, nàm si sumatur Schisma, vt aliquam hæresim includat, sic includũtur sub hæreticis, iuxta illud, Schisma non esse sine hæresi; & tales Schismatici vocantur Hęresiarchæ. *ita cap. Inter Schisma. 23. quæst. 3. & cap. 1. de Schismaticis.* Ideò Schismaticus, vt distinguitur ab hæretico, est ille, qui Romanam Ecclesiam scindit, non quidem malè sentiendo de potestate Papæ, sed conatur vsurpare eam dignitatem, vel in aliquem, cui iure non competit, illam transferre.

2. Nota, quòd *Schisma est disiunctio, per quam quis se ab vnitate Ecclesiæ separat*, in quantùm est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice, tamquàm capite constans. Vel *schisma est rebellis separatio à capite Ecclesiæ, seu Vicario eius*. Vel *Schisma est voluntaria, & pertinax substractio, & separatio ab obedientia vniuersalis Ecclesiæ, vel Papæ, qui principalẽ in Ecclesia locum tenet.*

3. Et quoniam vnitas Ecclesię in duobus attenditur, scilicèt, & in connexione membrorum Ecclesiæ ad inuicem, & in ordine membrorum Ecclesiæ ad vnum caput, scilicèt, Christum, cuius vicem gerit Papa. Ideò Schisma nõ solum cõmittitur, quandò quis subesse renuit Papæ, sed etiam quandò quis membris Ecclesiæ ei subiectis cõmunicare recusat, & tales Schismatici dicuntur; *ità D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1.*

4. Vndè recusans præceptũ Papæ, vel eius iudicium ex parte Officij, non recognoscens illum; vt superiorem vices gerentem Christi, est verè schismaticus, quamuis credat eum

esse supremum Iudicem, & caput totius vniuersalis Ecclesię: quia est rebellis ad Officium Papæ, tamquàm vices in terris gerentis; *ità D. Thom. loco cit.* Non tamèn recusans etiam pertinacitèr seruare sententiam Papæ ex parte rei iudicatæ, seù præceptæ, vt quandò non vult exequi, quod mandauit; scilicèt, abstinere ab aliquo bello, vel restituere aliquem statum, quamuis grauissimè peccaret; quia talis retinens non separat se ob inobedientiam a capite Ecclesiæ, vt caput est; *ita D. Th. loco citato.* Nec quis recusans sententiam, & iudicium Papæ ex parte ipsius personæ iudicantis, cùm sit ei suspecta; Paratus tamèn est ad non suspectos Iudices ab eodem suscipiendos, dummodò hoc fiat, secluso scandalo; quia naturale est vnicuiq; vitare nociua, & cauere à periculis; *ità D. Thom. loco citato.* Et qui recedunt ab obedientia Papæ, non vt Papa est, sed quia prauo animi affectu eos persequitur, non subiacent excommunicationi latæ in Bulla Cœnæ Domini; quia verba illa apposita in illa Bulla, scilicèt, *qui præceptis eius quouis prætextu obedire renuunt*, magis ad terrorem incutiendum apponuntur.

5. Verùm si quis nolit sese cum Ecclesię mēbris coniūgere, quatenus Ecclesiæ membra, & partes eius sunt, est verè, & propriè schismaticus; quia propria sponte, & praua intentione se ab vnitate Ecclesiæ se separat; *ità D. Thom. loco citato.* Duo namque exiguntur ad esse membrum Ecclesiæ Catholicæ, scilicèt, vt se habeat, vt pars illius in credendo, sperando, amando &c. & quòd subsit Papæ, vt capiti eius. Et tales schismatici sunt excommunicati in Bulla Cœnæ Domini, *vt videre est in ipsa Bulla, & cap. licèt de elect. cap. 1. de schismaticis.* Dummodò crimen eorum sit notorium notorietate facti, vel iuris; quia ex quouis crimine notorio digno depositione oritur irregularitas, & inhabilitas ad Ordines suscipiendos.

6. Secùs fautores, defensores, & receptores schismaticorum sunt inclusi in excommunicatione Bullæ Cęnæ Domini; quia Papa eam extēsionem solùm apposuit circa hœreticos, non autem circa schismaticos. Ideò nō omnis schismaticus est hęreticus; quia heresis consistit formalitèr in doctrinę fidei negatione, & schisma formalitèr in vnitatis Ecclesiæ repugnantia, illā scindēdo; *ità D. Thom. loco citato.* Sed benè omnis hœreticus est schismaticus; quia schisma est separatio ab Ecclesia, & omnis hœreticus separat se ab Ecclesia. Et sic ille, qui putat Papam non esse ca-

caput Ecclesiæ, nec Christi Vicarium, non solùm est schismaticus, sed etiam hœreticus; quia opponitur illi fidei articulo, scilicèt, *Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*.

7. Similitèr Catholici, qui sub hœretico Principe viuunt, eiq; vt supremo capiti Ecclesię etiam exterius obediunt, sunt verè schismatici, & excommunicati per Bullam Cœnæ Domini, vt sunt subditi Regis Angliæ; quia schisma satis in sua specie consumatur per actum illum externum, non obediendo Papæ, tamquàm Ecclesiæ capiti, quamuis mente, & fide interna aliud sentiat. Nec obstat de hęresi; quia hœresis nō cōsumatur tantùm in actu externo, sed necessariò errorem internum petit. Et sic sola mēte schismaticus absq; vllo prorsus externo signo non incurrit pœnas in iure latas; quia ob solum peccatum internum numquàm excommunicatio, & cęteræ pœnæ Ecclesiasticæ incurrunt, excepto hœresis errore.

8. Similiter qui absq; Pontificis authoritate Concilium generale congregant, aut legitimè iàm dissolutū prosequuntur, sunt verè, & propriè schismatici; quia solius Papæ est Congregare Concilium generale, & legitimè illud prosequi, & dissoluere. Verùm si plures Pontifices essent electi, non esset verus schismaticus, qui nullum ex illis recognoscit, vt Papam; quia hic non peccat, cùm ignoret, quis sit verus Papa, cùm excommunicatio maior non incurritur, nisi propter peccatum mortale; *ità cap. nemo Episcoporum, & cap. nullus 11. quæst. 3.* Neque qui adhœret Papæ, quem post adhibitam debitā diligētiam probabilitèr putat esse legitimū, et se vera nō est, dicitur schismaticus; quia post adhibitā diligētiam ignorando, non peccat, & non peccando non incurrit pœnas. Sed quandò se duo, vel plures gerunt, vt Summi Pontifices, si constet, & communitèr teneatur probabilitèr, nullum eorū Canonicè esse electum, quilibet eorum est Papa schismaticus, & excommunicatus, ac etiam illi, qui scientèr eos sequūtur sunt schismatici; *ità cap. licèt extrà de Electione §. Statuimus*.

9. Neq; est verè, & propriè schismaticus, qui à solo suo Episcopo se separat, renuens subesse authoritati Episcopali, vel à solis membris fidelibus illius Ecclesiæ, & Diœcesis; quia verum, & proprium schisma dicit diuisionem ab Ecclesia vniuersali, aut ab eius capite, *vt patet ex illius diffinitione*. Nec talis incurrit excommunica-

municationum, & cęteras pœnas latas in iure in schismaticos; quia hi verè, & propriè non sunt schismatici, & in materia odiosa non concluduntur sub schismaticis. Neque sunt verè, & propriè schismatici, qui à reliquis fidelibus separantur, non quidem, vt sunt partes Ecclesiæ, & quatenus subduntur Papæ, tamquam capiti Ecclesiæ, sed tantùm ab illis separantur, quatenùs sunt homines, qui ciuilem Rempublicam constituunt; quia nō separantur formaliter ab Ecclesiæ vnitate.

10. Summus Pontifex, vt priuata, & singularis persona potest esse schismaticus; quia potest esse hœreticus, dùm potest errare in fide, ac & schismaticus; *ità D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. ad 3.* Et hoc separando se ab omnibus alijs vniuersalis Ecclesiæ membris; quia nolle velle communicare in spiritualibus cū vniuersali Ecclesia, est peccatum schismatis. Itèm vt singularis Doctor, & priuata persona errare potest in rebus fidei, siuè errore culpato, siuè inculpabili, etiam cum pertinacia; quia vt sic nō est impeccabilis, & sicut cętera peccata potest committere, ità & peccatum hœresis. At, dùm ea decernit, vt Papa, quæ omnibus fidelibus credenda sunt, quæ Ecclesiam Christi, scilicèt, omnes Christi fideles in fide dirigunt; nec deficit, nec deficere potest; quia diuina manu, & cęlesti assistentia tenetur, nè erret: id enim Ecclesiæ bonum est.

11. Nec miraculum, nec mirum esse debet, vt Papa tamquàm priuatus homo sit hęreticus; & quod non defineat, & non decernat, quatenus Pontifex, & caput Ecclesiæ, esse tenendum tamquam de fide id, quod ipse quatenùs particularis Doctor, & priuata persona tenet contra veritatē fidei; quia Deus Papis assistit, nè errent in rebus fidei definiendis, dùm definiunt, non vt homines priuati, sed vt Christi Vicarij, & summi Ecclesiæ Præfecti; licet non assistat, vt singulares personæ sunt. Probabile etiam est dici Papam, vt priuatā personam errare tantùm posse ex ignorantia, non tamèn ex contumacia; quia nullus Papa fuit verè hœreticus. Tamèn veriùs, & probabiliùs est dicere Papā, vt priuatam personam posse esse hœreticum, vt ostendatur magis Omnipotentia Dei, vt dùm per os ministri, aliàs errātis in rebus fidei, vt priuata persona, profert infallibilem veritatem, vt Papa est.

12. Tandèm si Papa in hœresim incidit; non statim amittit Pontificiam dignitatem, antequam ab Ecclesia deponatur; quia Papa non est deterioris

tis conditionis, quàm Episcopus, qui quotiès incidit in hæresim, retinet dignitatem Episcopalem, donèc deponatur. Et quamuis, vt priuata persona, desinat esse membrum Christi, & amittat spiritualem influentiam ad propriam, & priuatam sanctitatem, nō tamèn propter hoc impeditur, quin dicatur, & sit potissimum Ecclesiæ caput quantum ad Ecclesiasticā gubernationem; quia Papa hæreticus, vt priuata persona, licèt sit membrum separatum, & auulsum ab Ecclesia, tamèn Deus per illum iurisdictionem exercet. Duobus enim modis potest contingere Papam aliquid asserere. Primò, vt Doctor priuatus, & sic non oportet omnia vera esse, & infallibilia, quæ profert; quia non sunt prolata à Pontificia authoritate. Secundò, vt Pontifex loquitur de Cathedra, vt caput Ecclesiæ, & Christi Vicarius, & vt successor Petri: tunc obligat vniuersam Ecclesiam, vt illud recipiat, nec quisquam audeat sibi persuadere contrarium; sed certa fide credendum esse; quia tunc docet, & asserit ex diuina assistentia, & ex peculiari diuino Priuilegio sibi assistente.

ARTICVLVS XXXII.

An suspecti de Hæresi sint irregulares, & inhabiles, vt promoueantur?

1. R. Sic, si factum fuerit notorium; quia factum enorme notorium, depositione dignū, inducit infamiā, ac & irregularitatem, siuè factū inducens suspicionem hæresis sit leue, siuè vehemens, siuè violentum.

2. Nota, quòd suspicio hæresis duplex est, scilicet, facti, vt absque iuris dispositione eam suspicionem inducat. Et suspicio iuris, vt ex dispositione iuris illam inducat. Et vtraq; tollitur per purgationem suspecionis, vel per emendationem vitæ, vel per purgationem criminis, ex quo erat suborta irregularitas, & inhabilitas.

3. Triplex autem in iure suspicio de hæresi reperitur, scilicet *modica*, idest, leuis; *magna*, idest vehemēs; & *maxima*; idest, violenta. Dicitur *leuis*; quia ex leuibus oritur indicijs. Dicitur *magna*; quia ex magnis, & vehementibus. Dicitur *maxima*; quia ex maximis & violentis oritur indicijs, & argumentis. Ità suspecti de hæresi sunt in triplici genere. Primi *leuitèr suspecti*, dùm contra eos oritur leuis suspicio de aliqua hæresi vel

erro-

errore, vt si qui reperiũtur occulta conuenticula celebrantes, vel vita, & moribus à communi conuersatione fidelium deuiantes. *ita cap. Excommunicamus. cl. 1 in fine extra, de Hæreticis.* Secundi *suspecti vehementèr*, dùm talia vehementia, & fortia peragunt, quòd contra eos oritur vehemens suspicio de aliquâ hæresi, vel errore; vt si occultant eos, quos sciunt hæreticos fore, fauorem impediunt, associant, visitant, munera offerũt, recipiunt, defendunt, & similia in fauorem hæreticæ prauitatis. *ita cap. Accusatus de hæreticis. §. Ille quoque in 6.* Tertij *suspecti violentèr*, & sunt, qui talia violenta peragunt, quòd ex illis oritur violenta suspicio contra eos de aliqua hæresi, vel errore, vt qui hæreticos adorauerit, seu eis reuerentiam suo modò exhibuerit, consolationem, vel communionem ab eis receperint, vel similia, quæ ad ritum eorum pertinent, perpetrauerint in fauorem hæreticæ prauitatis. *ita cap. Accusatus de hæresi in 6.*

4. Et cùm suspicio de hæresi sit quoddam indicium de hæresi, ideò indicium est mediũ quoddam intellectuale ad veritatem eruendã ex aliqua coniectura singulari insurgens. *ita cap de rei ven.* Indicium ergò aliud est plenum, idest; diuinatio rei per signa sufficientia, per quæ animus in aliquo, tanquã vero, quiescit, & plus intelligere non quærit. Et aliud semiplenum, idest, præsumptio fortitèr mouens animum ad aliquid credendum, vel dicendũ. Præsumptio verò est alicuius facti dubij plena, quando quæ semiplena probatio.

5. Iterùm indicium triplex. *Leue*, quod est abijciendum, excepto in causa heresis. *Violentum*, quod probationem non requirit. *Probabile, seu vehemens*, quod semiplenam probationẽ facit, & sufficit ad torturam.

6. Verùm perseuerans per annum in excommunicatione à iure, vel ab homine, sine declaratione, non est suspectus de hæresi; quia si quis incidit in excommunicationem Canonis, *Suadente Diabolo, cap. 17. quæst. 4.* & non est declaratus illã incurrisse, licèt sit; nõ tamen intelligitur excommunicatus. *ita Praxis.* Benè tamèn post declarationem, si per annum integrum insorduerit in excõmunicatione; quia licèt excõmunicatio à iure, vel ab homine afficiat illum absque vlla declaratione, *vt habetur ex cap. Pastoralis. de appellatione. & cap. cùm non ab homine. de sentent. excomm.* Et excommunicatio statim operetur. *vt habetur cap. de de cohabit. clerici, & mulier.* Et declaratio non addat aliquid excommunicationi; quia qui decla-

declarat nihil addit, *vt habetur in dicto cap. Pastoralis*. Tamèn quò ad Ecclesiam declaratio videtur necessaria, maximè ad dictam hæresis suspicionem causandam; quia contemptus ille clauium notorius inducit illum ad istam suspicionem. Et à die declarationis, de quo nominatus est excommunicatus, tunc dicitur suspectus de hæresi; quia tunc clariùs est inobediens Ecclesiæ.

7. At post annum elapsum citatus, vt ad iudicium accedat super rebus fidei venire contēnens, & iterùm ob contumaciam excommunicatione innodatus, tamquàm de hæresi cōuictus, velut hæreticus elapso anno condemnari potest; quia tūc sufficiēs est præsumptio, & probatio hunc esse hæreticum. *ita cap. Nullus. de Præsumptionibus. & cap. cum contumacia de hæreticis. in 6.* Et talis non solùm est irregularis, & inhabilis ad ordines, & beneficia obtinenda, sed etiam quæ obtinet; quia talis habetur pro conuicto de crimine hæresis, ac si probatum fuisset, vt hæreticus. *ita cap. Excommunicamus. extra. de hæreticis. & cap. cùm contumacia. de hæreticis in 6.* Et ipso iure est priuatus beneficijs, quę detinet. *ita cap. Ad abolendam, extra. de hæreticis. §. Præsenti. & cap. Secundùm leges. de hæreticis. in 6.* Tamèn vsu, & possessione non priuatur, nisi superueniat sententia declaratoria criminis cōmissi; quia quòd Reus exequatur talem sententiā, & pœnam contra se, requirit actum hominis, vt priuetur bonis; nā aliàs idem esset Reus, & actor contra se, quod apparet rigidū.

8. Et sic conuictus de hæresi pro contumacia super crimine hæresis, vel alia de causa, si ante declarationem criminis commissi, beneficio ante hæresim adepto renuuciat, vel resignat in fauorem tertij, siuè simpliciter, siuè via permutationis, valida erit hæc resignatio, donec crimē hęretici declaretur; & declarato crimine, retrotrahitur sententia vsq; ad diē commissi criminis, & ea renūciatio, & permutatio beneficij rescinditur, & aufertur ei, qui gratia simplicis renūciationis, aut permutationis ab heretico illud adeptus est; quia Fiscus omnia capit bona hæretici quomodolibet ad eum pertinentia. *ita cap. cùm secundùm leges. de hæreticis in 6.* Et qui spoliatur beneficio via commutationis habito ab hæretico, potest ad suum, quod hæretico dedit, redire; quia hæreticus, tamquàm illius incapax, nulū ius in eo acquisiuit.

9. Verùm si quis per semestre sustinuit excōmunicationem post eiusdem declarationem, & iterum per aliud distin-

ctum semestre alia innodatus censura post denunciationē, & declarationē in ea insordescat, non sunt huiusmodi tempora coniungenda ad effectum, vt excommunicatus dicatur insorduisse per annum in excommunicatione; & ita tamquàm suspectus de hœresi habeatur, & sic ab Inquisitoribus S. Fidei tamquàm suspectus de hœresi possit citari; quia in pœnalibus non debent coniungi tēpora, sicut in fauoralibus.

10. Similitèr citatus ab Inquisitoribus responsurus super rebus fidei, si ob iusta impedimenta non veniat, neque tamquam hæreticus, neque tamquam suspectus de hæresi est condemnandus; quia iste iustis irretit⁹ impedimētis, nō potest dici contumax. Potest tamen constituere Procuratorem, qui eius nomine iustas absentiæ causas, & legitima impedimenta alliget. Quòd si nec ipse personalitèr comparere voluerit, nèc Procuratorem constituere, nō est vt hereticus ante annum denunciandus, neque vt talis intra hoc tempus habendus. *ita cap. cum contumacia, de hæresi in 6.* Benè tamèn, si post excommunicationem latam in ipsum, per annum integrū in ea insorduerit, tamquàm conuictus de hæresi, vt hæreticus inducandus est, & priuatus beneficijs, & affectus est alijs hæreticorum poenis. *ita cap. supradicto.* Tamen si post elapsū annum incursæ excommunicationis, ante condemnationē confiscationis bonorum, spontè compareat in iudicio, velitq; propriam innocentiam, & iustas absentiæ causas probare, est admittendus, & si eius innocentia constiterit, admitti debet etiam ad vitandam bonorum confiscationem, & pœnas corporis, & infantiæ. *ita cap. loco citato.*

11. Et quamuis beneficia hæretici, & cuiuscunque, qui illis priuatur, ipso iure possunt alteri conferri, & tamquam vacantia impetrari, etiam ante condemnationem heresis, vel sententiam declaratoriam alterius criminis, cui in poenam ipso facto est annexa priuatio beneficij; quia dùm pœnæ est annexa ipso iure priuationis, carent ipso facto ante cōdemnationem, & sententiam declaratoriam criminis commissi. Tamèn possessio illorum alteri conferri non potest, si hæreticus non citetur, & is, qui ipso iure ob aliud crimen illis priuatur, non vocetur priùs. *ita in cap. Licèt Episcopus, de Prebend. in 6.* Nec condemnatus in foro conscientiæ, sua sponte, & per se ipsum dimittere non tenetur beneficium, quod ante hæresim habebat; quia tantum ius dat actionem Fisco, spoliādi

di hæreticum vsu, & possessione bonorum, & beneficiorum, si quæ habet. Sed si iudex in sententia præciperet hoc, tunc teneretur sic condenmatus se beneficio expoliare, & offerre Fisco bona sua; quia in isto casu iudex obligat condemnatum, vt ipse sit exequutor illius.

12. Quãdo vero lex, vel statutũ imponit, ipso iure, vel ipso facto, in aliqua constitutione, vel Bulla Pontificia, addens absque alia declaratione, nullamque requiri sententiam, tunc Reus tenetur illam subire in conscientia ante omnem sententiam declaratoriam cõmissi criminis; quia quandò lex pęnalis dicit ad pęnam cõtrahendam, nullã requiri sententiam, qua declaretur crimẽ esse factum, idem est, ac si lex dixisset, vt criminosus bona, quibus priuatur per talem sententiam pœnalem soluat in conscientia. Tamèn probabile est, imò probabilius; adhùc desiderari aliquem iudicis actũ ad eam pęnam incurrendam, scilicèt, declaratoriam eius criminis sententiam; quia & *si in Extrauag. Ambitiosè de rebus Ecclesiasticis non alienandis* habẽtur hæc verba, tamèn adhùc satis probabile est requiri declaratoriam criminis sententiam.

13. Iure optimo ergo legem pęnalem Ecclesiasticam, quæ continet sententiam latã alicuius censuræ, scilicèt, excõmunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut irregularitatis statim, ante aliquam iudicis sẽtentiam, etiam declaratoriam criminis commissi, habere effectum suum; quia per illam pęnam nõ priuatur homo bonis, quæ actu ante acquisierat, nec potestate, quam antè habebat, sed solùm quantùm ad exercitium, & sic non efficitur homo exequutor per actionem aliquam positiuam suæ pęnæ.

14. Rursus hæretici, & alij, quorum bona ipso iure publicantur, & ipso facto beneficijs priuantur, si legitimè a iudice interrogati negent delictum, non tenentur bona Fisco spõtè restituere, nec se priuare vsu, & possessione beneficiorũ, quæ ante commissionem criminis obtinuerunt, si euaserũt iudicium suæ cõdemnationis, etiam falsis testibus se tuendo; quia negando veritatem in iudicio, etiam iuridicè interrogati, non agunt contra iustitiam commutatiuam, sed tantùm contra iustitiam legalem. Nec tenetur bona sua tradere Fisco, etiam si delictum hæresis sit notorium; quia sententia declaratoria criminis commissi non solùm exigitur, vt de sententia constet, sed desideratur, vt per iudicem, tamquam per causam particularem, auditis delinquẽtis defensionibus, pę-

na legis vniuersalis applicetur huic casui; vt suum sortiatur effectum. Etiam si in iudicio Reus fassus est suum crimē hęresis; quia adhuc exigitur sententia iudicis declaratoria criminis commissi, maximè quādò ob talem culpam est apposita pęna confiscationis bonorum.

15. Tamèn post latam à Iudice sententiam declaratoriam criminis commissi, si per dolum, aut fraudem occultat bona sua, nè sententia exequutioni mandetur, tunc tenetur ipsa bona restituere, si Fiscus edictis, vel alio modo petit; quia tunc aufertur dominium à criminoso, & transfertur in Fiscū. Sed si talis merè negatiuè se habet, non manifestando, seù non exhibēdo bona sua Fisco, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem; quia sic non impedit ius Fisci, quin ea tradi sibi curet, vel repetat. Secus, si positiuè, & data operà occultet bona sua, tunc peccatet; quia tunc impedit positiuè ius Fisci, & peccat, & tenetur ad restitutionem, si ipso Fisco petente, sententiam Iudicis exequutioni mandari impediretur.

16. Similitèr successores in bona hęreticorum, possunt sibi ea retinere, etiam damnatis hęreticis, dùm Fiscus ab eis illa non petit edictis publicis, aut alio modo; quia tantùm tenētur non resistere Fisco, vt bona ab eis exigantur, non tamèn aduersus seipsos exequi. At Fisco petente, tenentur ea restituere; quia omnia bona hœreticorum ipso iure abiudicantur Fisco; *vt constat ex cap. cùm secundùm leges de hęreticis in 6.* Et si bona hęreticorum apud successores non extant, si ea bona fide receperunt, petente Fisco, solùm tenētur ei reddere quātùm ex eis facti sunt locupletiores, quia possessor bonæ fidei non tenetur ad alienam rem cōsumptam, aut amissam restituendum, nisi quatenùs ex illa ditior euasit; *ità ex regula generali.* Si verò mala fide, omnia, quæ receperunt, Fisco petenti restituere tenentur; quia bona hœreticorum in vtilitatem Fisci conuertuntur; *ità cap. loco citato.*

17. Verùm Fiscus vsurpans bona hœretici, nondùm lata sententia, tenetur ea restituere, etiam quando crimen ità est euidens, & notorium, vt nulla tergiuersatione occultari possit; quia ius illa vsurpandi caret ante declaratoriam Iudicis sententiam; *ità cap. cùm secundū leges de hœreticis in 6.* Nec suspecti de hœresi, bonis suis ipso iure sunt priuati; nec ipso facto beneficijs, quæ iàm obtinuerant, spoliati; quia iura non habent locum in suspecto de hę-

hœresi, sed de hœretico declarato; *ità cap. inter sollicitudines de hœreticis in 6.*

18. Suspecti de hœresi, & nō probatur hęresis, sed coacti ab Inquisitoribus abiurari de leui, vel de vehementi, non sunt irregulares, nec inhabiles ad officia, & beneficia; quia per abiurationē purgatur infamia orta ex suspicione hœresis; *ità cap. Accusatus de hœresi in 6.* Et ex *Innocentio III. in cap. Inter sollicitudines de purg. canon. habetur, quòd per abiurationem habetur pro innocente.* Sed si hœresis remanet probata, remanent irregulares, & inhabiles; quia tunc tamquàm veri hœretici damnantur.

19. Similitèr suspectus vehementèr de hœresi, etiam post abiurationem remanet irregularis; quia talis pro conuicto de hęresi, ac vt hœreticus est habendus. Et si fatetur crimen, & voluerit ad fidem redire, & hœresim abiurare, ad pœnitētiam est recipiendus; *ità cap. Excommunicamus el. 2. extra de hœreticis.* Si autem non fatetur crimen, postquā est conuictus, nec consensit abiurare, vt hœreticus impœnitens est cōdemnandus; quia suspicio, seù præsumptio iuris, quæ ab apertis, & violentis indicijs oritur, pro manifesta veritate habetur; *ità cap. is, qui extra de sponsalib. & mat. in*

20. Nota, quòd violenta præsumptio iuris, quæ maxima suspicio dicitur, est quædam legis dispositio aliquid præsumentis, & super præsumpto, tamquàm sibi comperto, & noto statuentis. Nec contra hanc præsumptionem regularitèr, & directè admittitur probatio in contrarium; quia cùm ab apertis, & violentis indicijs proficiscatur, pro manifesta veritate habetur; *ità cap. is, qui de sponsalibus.* Præsumptio autem, seù suspicio violēta nascitur ex signis exterioribus operum, & verborum, ex quibus concludi solet efficacitèr, & ferè semper quod talia faciens, aut dicens, est hęreticus: vt si quis fuerit Iudæus, posteà factus Christianus, redit ad ritus Iudæorum, hęreticus est censendus; quia hoc factum est signum violētum, & efficacitèr concludit hunc pertinacitèr habere errorem in intellectu circa res fidei; *ità cap. contra Christianos de hœreticis in 6.* Itē si Christianus trāsit ad ritum Iudæorum; quia indicat opus hęreticale. Itèm excommunicatus per annum integrum animo pertinaci in excōmunicatione durauit, hic elapso anno, de hęresi est conuictus; quia sic à iure condemnantur; *ità cap. cum contumacia de hœreticis in 6.*

21. Iterùm nota, quòd *Abiuratio est recessus ab aliqua re cum iura-*

iuramento de nō redeundo ad illam; ità cap. Accepta, & cap. Audita de rest. spolit. Et quia abiurare accipitur pro negare cum iuramento, & detestare hęresim, ideò abiuratio hœresum propriè est recessio ab hęresi cum iuramento, de non redeundo ad illam; *ita cap. Accusatus de hæreticis in 6.* Hæc autem abiuratio duplex est. Altera coacta, facta ab hęretico, vt misericordiam consequatur, nè ad mortem tradatur; *ita cap. ad abolendam extra de hæreticis.* Altera libera, qua suspectus de hęresi leuitèr, vel vehementèr se purgat, & monstrat se innocentem iuxta formam à Iudice decreta contra suspicionem aliquo modo ortam de hęresi; quia abiuratio de leui, & de vehementi est purgatio canonica.

22. Et sic talis abiuratio, si hęresis nō est probata, nec cōfessa; de qua erat suspicio, nō manet irregularis, & inhabilis; quia irregularitas ex hœresis suspicione orta, deletur purgata infamia per abiurationem. Hic potest, & debet illam hęresim, de qua delatus extitit, abiurare iuxta formulam abiurandi de leui. Et si suspicio sit publica, publicè in Ecclesia abiurabit; quia publicè errantes, publicè etiam sunt corrigendi ad exemplum aliorum. Si secreta, abiuret in Palatio Episcopali, vel in Capitulo Cōuentus fratrum, vbi Inquisitor moram trahit, vel in Camera Episcopali, vel Inquisitoris, secundùm quòd apud plures, vel pauciores de hœresi est habitus, & reputatus; quia fas est, vt iuxta differentiam notorietatis suspicietatis de hœresi, vel minus erubescat, & puniatur.

23. Idem dicimus de suspecto vehementèr de tali hęresi, qui abiurare debet publicè, vel priuatè secundum quòd Episcopis, vel Inquisitoribus videbitur expedire, iuxta formulam abiurandi de vehementi. Cum hoc tamèn, quòd suspectus de leui sufficit, quod non abiuret generalitèr, nec simplicitèr, sed singularitèr hœresim, de qua habitus est suspectus. Ita quòd si prolabitur in aliam speciem hœresis, pœna relapsis debita nō punietur, ratione abiurationis, licèt debeat puniri grauius, quàm si alias nō abiurasset; *ità cap. Accusatus de hęreticis in 6.* Benè tamèn suspectus vehemētèr de hœresi debet abiurare generalitèr omnem hœresim, & specialitèr eam, in quam deliquit. Et talis non est hœreticus, nec potest, vt hœreticus condemnari; quia nullus pro suspicione, etiam vehementi est de tanto crimine hœresis condemnādus; *ità cap. Litteras extra de Præsumptionibus §. quo circa.*

24. Rursus suspectus de hœresi

resi leuitèr, si ad mandatum sui Iudicis purgationē canonicam renuerit acceptare, nec cōsenserit cōtinuò abiurare, anathematis gladio feriatur, & vsque ad satisfactionem congruā ab omnibus euitetur. Ità quòd, si per annum integrum in excōmunicatione persisterit, ex tūc velut hoereticus condemnetur; *ità cap. Excommunicamus extra de hæreticis cl. 1. §. qui autem 1.* Et à fortiori verissima est hæc assertio de vehementer suspectis de hoeresi; *ità cap. sup. cit.* Sed non esse hunc tradendum bracchio sæculari animaduersione debita puniēdum; *iuxta cap. Ad abolendum extra de hæreticis §. Præsēti nihilominus*; quia illud cap. & §. eius non loquuntur expressè de suspectis, sed de deprehēsis manifestè in hoeresi, & conuictis.

25. Et licèt violentèr suspecti de hæresi, fortasè in re non sint hæretici, cùm fortasè non habeant errorem in mente circa res fidei, nec de illo errore pertinaciam habeant in voluntate, tamèn sunt, vt hæretici condemnandi; quia contra suspicionem violentam de hæresi, nulla est admittenda probatio. Ille verò dicitur suspectus violentèr de hæresi, qui dilatus ad Tribunal Sācti Officij non reperitur deprahensus in hoeresi, confessione propria, nec facti euidētia, nec testium productione legitima, sed sunt indicia cōtra ipsum, nō solum leuia, vel vehementia, sed fortissima, & violenta, quæ ipsum delatum reddunt meritò suspectum de hoeresi violentèr.

26. Rursùs depræhensus in hoeresi, scilicèt, qui facti euidentia publicè prædicat hoeresim, vel legitima probatione, scilicèt, per testes, vel ex sua Confessione, in hoeresi depræhenditur: talis hoereticus talitèr condemnatur, quòd si nolit ab hoeresi sic probata resilere, nec illam abiurare, nec satisfactionē cōgruā exhibere, tradatus bracchio sæculari animaduertione debita vltimo supplicio puniendus; *ità cap. ad abolendam extra de hæreticis §. præsenti nihilominus.* Pari forma procedendus est de suspecto hoeresis violenter; quia vt hoereticus iudicandus est. Si autē isti velint ab hoeresi resilire, & cum effectu abiurant hęresim, & ad gremiū Ecclesiæ aduolare, & hoc de facto fecerint, & cōsēserint, sententialitèr perpetuo carceri condēnabuntur *iuxta cap. Excōmunicamus cl. 2. extra de hæreticis.* Et tales generalitèr omnē hoeresim abiurare debēt iuxta formulā in Decretorio Inquisitorum positam. Et si de pluribus hęresibus sūt incursi, vel suspecti, abiurabunt quamlibet sigillatim, vltra generalem hęresum abiurationem.

27. Rur-

27. Rursùs diffamati de hæresi illi dicuntur, de quibus est publica vox, & fama, & cõmunitèr apud omnes simplices, q talem hœresim prædicauerint, seù desẽtauerint, vel aliàs ei adhœrẽt. Nec refert, quòd fuerint infamati per graues, & bonos testes, vel per testes infames, & viles, vel per perditos, & hęreticos, vel per excõmmunicatos, & in crimine participes, vel per Iudæos, & infideles; quia omnes ad fidei fauorem testificandum admittuntur; *ità cap. Accusatus de hęreticis in 6. §. licet, et cap. In fidei fauorẽ de hęreticis in 6. & cap. cõtra Christianos eod. tit. & lib. 6.* Et licèt infamati per infames, viles, & testes minùs idoneos nõ dijudicandi sint, vt ipsis pęna ordinaria imponatur, & ad subeundam purgationẽ cogãtur, cùm non sufficiant ad hoc, nisi aliàs plenior probatio accedat, & alia indicia, & adminicula simul cum diffamatione cõcurrant. Tamèn in fauorem fidei ex dictis eorum possunt Inquisitores ad inquirendum procedere.

28. Verũ tales diffamati per purgationem canonicam criminis sibi obiecti restituuntur in integrum; *ità cap. si quis de Purgatione Canoni*. Purgatio autem Canonica est ostensio innocentiæ de crimine obiecto, quæ fit aliquandò per solum iuramentum ipsius infamati super librum Euangeliorum coram suo Iudice, negando cũ iuramento illud, de quo est diffamatus, quidquid illud sit: Vel aliquandò per iuramentum testium conpurgantium, qui ponentes manus super illum librũ euangeliorum sigillatim iurant illum esse innocentem, de quo est diffamatus, & iuxta qualitatem suspicionis abiurare debet, vt dictum est supra.

29. Rursùs suspecti leuitèr de hœresi, qui post abiurationem de leui, iterata suspicione iterùm abiurant de leui, non remanẽt post iteratam purgationem canonicã de leui irregulares, & inhabiles, vt promoueãtur; quia abiuratio de leui semel, & iterùm facta est quædã purgatio Canonica, & semper remanet absolutus de crimine sibi obiecto, & habetur pro innocente; *ità cap. inter sollicitudines de Purgat. canoni*. Nec tales dici possunt relapsi; quia qui abiurauit de leui, quamuis post huiusmodi abiurationem, de hœresi fuerit conuictus, nõ est dicendus relapsus; *ità cap. Accusatus de hœreticis in 6.* Ità quòd qui abiurauit de leui, si post abiurationem cõstet de hœresi, quam leuitèr anteà abiurauit, non est puniendus pœna relapsorum, si iterato de hęresi fuerit conuictus; quia aliàs non esset differentia inter abiurationem de vehementi, quod est con-

cōtra *supradictum cap.* Quamuis aliqui asserant esse relapsum; quia si post leuē abiurationē, vt hæreticus deprehēdatur, relapsorum pœna plectendus est. Sed quod diximus verius est; quia huic nō est ratio, nec textus conuincens, & illa mitior, & vsu recepta.

30. Sed qui de vehementi suspicione hæresis abiurauerunt, & de primo lapsu per plures probationes nō fuerint cōuicti, si post abiurationem in hæresim incidunt, pœna relapsorum puniendi sunt; quia hi quadam iuris fictione dicuntur relapsi. *ita cap. Accusatus de hæreticis, in 6.* Dicuntur hi quadam iuris fictione relapsi; quia verè non possunt dici relapsi, de quibus non constat, an fuerint relapsi, sed tamùm secundùm quandam fictionem iuris. *ita Gloss. in cap supra citato.*

31. Relapsus hæreticus absolutè, & verè dici potest ille, qui postquam hæreses abiurauit, iterùm atque iterùm in varias hæreses, aut easdem labitur. Iure tamèn Pontificio, & canonico etiam is relapsus dicitur, qui post solemnem, & iudicialem hæresum abiurationem relapsus fuerit. *ita cap. Accusatus de hæreticis in 6. §. 1.* Ideò is, qui hæresim in iudicio non abiurauit, quamuis in eandem hæresim labatur, iterùm, atque iterùm, iure Canonico, seù Pōtificio nō dicitur relapsus; quia talis puniri non debet, velut relapsus, ita vt tradatur curiæ sæculari animaduersione debita puniēdus, dummodò velit pœnitere. Sed relapsus post fictam abiurationem, etiam si pœniteret, adhùc bracchio sæculari traditur puniendus. *ita cap. Ad abolendam. extra. de hæreticis. §. Qui verò inuenti.*

32. Imò nec relapsus dicitur is, qui occultè in hæresim reincidit post abiurationem factam, sed desideratur, vt de relapsu constet, vel per propriam confessionem in iudicio, vel per legitimos testes, vel per euidentiam facti; quia *patet ex cap. supra citato, vbi Gloss. ibi explicans ly deprehensus*, dicit significare euidentiam facti, scilicèt, per testes, vel per propriam confessionem in iudicio, vt censeatur relaps' animaduersione debita puniendi. Neq; qui post purgationem in iudicio de vna hæresi, incidit in aliam hæresim, distinctam specificè à prima abiurata. *ita cap. Ad abolendam. de hæreticis. §. Qui verò inuenti.* Tùm quia ly relabi significat lapsum iteratum in idem crimen.

33. Sed qui post purgationem de vehementi, seù post abiurationem de aliqua hæresi, si simul in ipsa purgatione, seù abiuratione de aliqua hæresi, abiuret omnem hæresim, de-

præhenditur incidisse in quamcunque aliam hæresim, vt relapsus est puniendus; quia talis in hæresim, quam saltèm generalitèr abiurauit, reincidit, cùm omnem hæresim abiurauit. *ita cap. Accusatus. de hæreticis. in 6. §. cùm verò*. Tamèn si talis qui abiurauit hęresim vehemētèr, posteà comprehendatur cū hæreticis communicare, illos receptando, eosque defendendo, &c. eo ipso non est censendus iure Pontificio, & Canonico relapsus, nec pœna relapsorum puniēdus; quia vt aliquis damnetur pœna relapsorum, necesse est, vt saltèm semel de hæresi relapsi constet in iudicio. *ita cap. Accusatus. de hęreticis in 6. §. Ille quoque*.

34. Similitèr nec est relapsus, qui post abiurationem de vehementi, iterùm abiurat de leui, vel de vehementi; quia vt quis dicatur relapsus, necessariò requiritur, vt saltèm constet de vno lapsu in hæresim, vel ante, vel post abiurationē. *ita Pius V. declarauit Romæ in Sacra Congregatione* 1567. Nec est relapsus, qui hæresim abiurat, tamquàm fautor hæreticorū, & post abiurationem, iterùm illis fauet, & abiurat de fautoria; quia vt quis dicatur verè relapsus debet constare, quod in aliquam hæresim verè inciderit, sed fauere hæreticis non constat, quod inciderit pertinacitèr in aliquam hæresim, sed tantùm suspectus vehementèr de hæresi. *ita cap. Accusatus. de hæreticis. in 6. §. Ille quoque*. Sed benè censendi sunt relapsi illi, qui post adiuratam hæresim, non quidem relabuntur iterùm in hæresim, sed posteà comprehenduntur hæreticis fauere, illos defendere, & receptare. *ita cap. supra citato*.

35. Quinque dantur casus hæreticales, in quos qui inciderit, censentur relapsi, quamuis illos anteà, non abiurauerint. Primus si aliquis negaret Sanctissimam Trinitatem. Secundus, si negaret Iesu Christi diuinitatem. Tertius si negaret Christum, non esse conceptum *de Spiritu Sancto*. Quartus, si negaret Christum, non substinuisse crucis mortem, vt nos redimeret. Quintus, si negaret Beatam Virginem non esse veram matrem Dei, & fuisse semper Virginem; quia isti non solùm hæreses professi sunt, sed ipsius fidei fundamenta negare præsumunt, & eorum exemplo, multos in interitum animæ deducunt. *ita Paulus IV. in sua Constitutione*.

36. Itèm tamquàm relapsi habentur, & eorum pœnis debent puniri Magistratus, & Domini temporales, & Ecclesiastici, qui in hæresim, vel Schisma excitauerūt; quia qui alios docere tenentur bono exemplo,

plo, præuaricando grauiùs cæteris peccant: *ita etiam Paulus IV. in alia sua constitutione.*

37. Itèm celebrātes Missas, & audientes confessiones Sacramentales sine Ordine Presbyteratus, tamquàm relapsi, pœnis in eis statutis sunt puniendi; quia ita inexecrabile est vsurpare officium, & dignitatem sacerdotalem, quod à Deo tales grauitèr puniuntur, & fuisse punitos legitur. Sed qui Confessiones audit non insignitus Presbyteratus Ordine, si non absoluit, non esset pœnis in relapsos statutis puniendus; quia non videtur esse casus pertinēs ad Sacrum Inquisitionis Tribunal. *ita Gregorius XIII. in sua constitutione.* Neq; Sacerdos Confessiones audiēs, & absoluens absq; actuali iurisdictione; quia non est casus Sacræ Inquisitionis iudicibus commissus. *ita Gregorius XIII. in supradicta Constitutione.*

38. Itèm qui diuinissimo Eucharistiæ Sacramento abutitur, pœnis relapsorum puniri debet; quia detestabile Sacrilegium, & horrendum crimen committit, *ita Paulus IV. in quoddam Decreto.*

39. Tandèm relapsi, & alij hæretici impœnitētes viui igni traduntur, quòd si hæretici nō relapsi redeunt ad Fidē Catholicam, vitam eis condonat Ecclesia. Itá tamē quòd perpetuò carceri eos tradat, priuetq; illos suis bonis; *ità in cap. vt commissi de hæreticis in 6.* Hæretici verò relapsi, etiam si pertinaces nō sint, priùs strangulantur, & posteà igne exuruntur. Sacramētum tamèn Pœnitentiæ, & Eucharistiæ hæreticis relapsis, pœnitentibus tamèn, non sunt deneganda; *ita cap. super eo de hæreticis in 6.* Relapsus verò, si spōtè redeat ad Ecclesiā, suumq; errorem spōtè fateatur coram Inquisitore, eius vita parcitur; quia incorrigibilitas, & pertinacia de hæresi cessat in isto, dùm humilitèr petit reconciliari Ecclesiæ.



DISQVISITIO LVII.

De Successore non eligendo à Papa.

ARTICVLVS VNICVS.

An Papa possit sibi eligere Successorem?

1. R. Non, quia nullibi, neque in scriptura, neque in Sacris Canonibus legitur, nec vllo argumento constat; cum ius eligendi Dominus scilicet bonis Sacerdotibus, & Spiritualibus populis concessit; *ita cap. Electionem dist. 79.* Tum quia Papa est sponsus vniuersalis Ecclesiæ spiritualis, sicut Episcopus Ecclesiæ particularis; *ita cap.* [illegible] *Ecclesia mea.* Et Bonifacius Papa *in cap. Quoniam de immunit. Ecclesiast. in 6.* Ecclesiam vniuersalem suam sponsam appellat; *ità D. Thom. in Opusc. 19.* Et sicut sponsus non potest eligere in matrimonio carnali ipsi spōsæ successorē sponsū, in casu, quo superuiuere debuisset, multò minùs Papa qui est spōsus Spiritualis Ecclesiæ; *ità D. Thō. 3. p. in addit quæst. 45. art. 5.* Et quia in nullo casu licet Vicario alium sibi Vicarium substituere: *ita Alexander III. cap. Clericus de officio Vicarij;* & cùm Papa est Vicarius Christi; *ità cap. vbi periculum de elect. in 6.*

Rursus esset in destructionem Ecclesiæ; nam esset periculum, ne successio in Pontificatu non vitæ meritis, sed sanguini concederetur; *ita Gloss.* [illegible] *Apostolica, Verbo Beat*[illegible]. Tum quia sæpè humanum fallitur iudicium, nisi à Spiritu Sancto sit confirmatum, vt omnium non permittatur; ideò ille promouendus est in Pastorem Vniuersalis Ecclesiæ, qui plurimorum discretorum summo iudicio per electionem assumitur; *ita in cap. Prudentiam de offic. et potest. iudic. deleg. vbi Alexander III. confirmat.* & Innocentius Papa. *cap. extra conscientiam, dist. 64. & cap. de quibus. dist. 20.* ait facilius inuenitur veritas, quæ à pluribus Senioribus inuenitur: cùm Christus dixit. *Matth. 18. vbi sunt duo, vel tres cong*[illegible]*gati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, &c.* Et *C. de fidei commissis* ait lex; *Quod per ampliores homines manifesta veritas reuelatur.*

3. Item conuenientissimum est, vt per viam electionis assumatur Petri successor ad Pontificatum, propter populi testimonium, quod in Pastore iure optimo præexigitur. *iuxta dictũ D. Pauli dicentis 1. Timor. 3. Oportet Pastorem, testimonium bonum habere ab his, qui foris sunt.* Super quo verbo D. Augustinus dicit. *Non solum oportet Pastorem, habere testimonium à domesticis verum etiam ab alienis Iudæis, Gentilibus, & Hæreticis, vt qui detrahũt Religioni, saltem vitæ eius detrahere non audeant.* Vnde conuenientius est, vt Petri successores ad summum Pontificatum assumantur per viam electionis, quã successione carnis, aut institutione Prædecessoris, quia effectus huiusmodi electionis refertur ad tempus, in quo non est futurus Papa. *ita L. eum, qui de Iurisdictione omni iud.*

4. Et licet Princeps temporalis potest ferre leges, præscribendo formam ferua da subditis in suis testamentis; non tamen inde sequitur quod Princeps possit testari de eorũ bonis. Ita potest Pontifex condere legem, de formula eligendi Pontificem; verum vt Pontifex successorẽ nominet, eligat, Ecclesia tamẽ nõ recipiet, qa & si potestas ordinaria D. Petri translata sit in successores, non tamẽ extraordinaria, qualis fuit condere scripturam Canonicam, quæ B. Petro, nulli autem successori fuit concessa; eligere autem successorem ad extraordinariam, & nõ ad ordinariam pertinet potestatẽ; cum nullus, vno excepto, hoc tentare presumpsit. Et Symmacus Papa *in cap. si transitus* non dicit, Papam posse sibi eligere successorem, sed quod potest decernere de successore; idest, cum fratribus deliberare, & consultando cum illis *ita Gloss. loco supra citato.* Imò Moyses non elegit Iosue in Sũmum Sacerdotem; sed adhuc viuens in principem Populi; & si eligit non propria authoritate; sed præcepto Domini. *ita in lib. Numeri cap. 27.*

5. Tandèm quando Zacharias Papa dederit Episcopo Maguntino posse successorem sibi instituere, idest posse aliquem Episcopum sibi coadiutorem assumere, qui post eius obitum ad Episcopatum accederet eligendus tamèn, & cõfirmandus ab habẽtibus aliàs facultatem; *id in cap. Petisti, & cap. Licet.* Tum quia multa potest Papa immutare circa instituta, & formam minorum dignitatũ, quæ non potest facere in Pontificatu. Similiter quando Bonifacius II. tentauit Ordinare sibi successorem Virgilium Diaconum, tamèn facta iterum Synodo, ipsemet Bonifacius reum se esse confessus est Maiestatis, quòd sibi successorem

con-

constituisset, & ipsum constitutum sua subscriptione munitum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio consumpsit; & Deus ad exemplum aliorum eundem Bonifacium citò ex hac vita subtraxit; *ità refert Cardinalis Baronius*.

DISQVISITIO LVIII.

De Votis.

ARTICVLVS I.

Quid sit Votum?

1. ℟. Quòd *Votum est voluntaria, & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori*, ità *D. Thom. 2.2.q.88. art.1. & 2.* Dicitur *promissio*, & non propositum, quia Votum inducit obligationem, propositum verò nullam, cùm sit variabile. Dicitur *voluntaria*, quia votum inuoluntariè factum non habet vim Voti, cùm promissio per metum non obliget. Dicitur *deliberata*, quia aliàs nō tenet, nec obligat. Dicitur *facta Deo*, quia Votum est actus Religionis, & quando Vota fiunt Sanctis semper fiunt Deo in Sanctis, idest vouemus Deo nos facturos illud, quod Sanctis promittimus. Dicitur *de bono aliquo*, quia alteri non gratificamur, nisi per aliquod bonū. Dicitur *meliori*, quia id est Deo gratum, quod est melius, quàm eius oppositum, *ità D. Thom. loco supra citato*.

2. Nota, quòd est differentia inter irritationem, dispensationem, & commutationem votorum. Nam irritatio est relaxatio Voti, tàm quo ad obligationem, quàm quo ad materiam ex beneplacito irritantis. Dispensatio est sublatio Voti ab habente aliàs potestatem, & est actus iurisdictionis, vt quando causa Voti non videtur ei honesta, & decens. Cōmutatio est annullatio obligationis voti in aliam materiam siue meliorem, siue æquè bonā, & qui habet potestatem dispēsandi, habet etiam, & commutandi, quia in Votis magis est dispensare, quàm commutare.

3. Verùm per Iubilæum vota ipso facto non commutantur, nisi prius à Confessore com-

commutentur, quia requiritur, vt actu positiuo Confessor vi Iubilæi vota commutet. Sed Confessor per Iubilæum non potest omnia vota commutare, quia in eo semper excipiuntur Vota Castitatis, & Religionis. Benè tamen præter illa, potest alia in mitius, & in minus æqualiter cõmutare, quia aliàs Iubilæum nihil operatur. Quãuis probabiliter secundùm aliquos debet in æquale commutare, quia commutatio propriè dicit æqualitatẽ. Et hæc æqualitas sufficit, quod sit moralis, scilicet, quòd arbitrio prudentis videatur ęqualis. Sed qui habet facultatem dispensandi, habet & cõmutandi vota, & possunt sine scrupulo commutare illa in longè minus bonum, quia tunc partim dispensantur, & partim commutantur.

4. Imò commutare vota in melius potest ipsemet vouẽs, quia qui commutat Votum in rem meliorem, reddit Deo rem gratiorem, *ità in cap. peruenit el. 2. de iureiur. & D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.* Sed si res est dubia, an sit melior? Nõ potest absque licentia Prælati commutari, quia votum est promissio facta Deo, ideò non per se, sed per vices gerentes est explorandа, *ita D. Thom. loco supra citato.* Et maximè si res sit dubia, an sit ęquè bonũ, quia si requiritur authoritas Prælati quoties res est incerta, an sit gratior Deo? quanto magis quando non constat esse æqualem, *ita cap. de Votis, & Voti redempt.* Neq; quando euidenter constat, quòd sit ęquè bonum, vouens potest per se ipsum facere commutationẽ, quia in hac æqualitate materia primò prossima excedit, cùm ad Dei cultum sit maior perseuerantia in priori Voti materia, *ità D. Th. loco supra citato.* Quamuis probabile sit etiam posse sine licentia Prælati commutare in euidẽter æquale bonum, quia reddere pretium æquale eiusdem valoris, satis abundè suo Voto satisfacere videtur.

5. Similiter probabile est, quod Confessor electus vi Iubilęi extra Sacramentum potest commutare Vota, & absoluere à censuris, quia censuræ, & vota non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Sed oppòsitum videtur probabilius, quia Confessori conceditur facultas hæc in ordine ad Confessionem, & non per viam authoritatis ordinariæ, vti Prælati Ecclesiastici extra Sacramentum Confessionis habent ob facultatem ordinariam, quam habent.



A R-

ARTICVLVS II.

An in dispensatione Voti, facta à Prælato, requiratur consensus subditi?

1. R. Sic, quia dispensatio est beneficiũ, quod in inuitum non confertur, licèt probabiliter dici possit valere, quia subditus non potest præiudicare Superiorum spirituali potestati.

2. Vnde Confessor vi Iubilæi, & quilibet Prælatus non potest commutare Vota, nisi pœnitens acceptet commutationem, quia Votum est actio personalis. Potest tamen Superior irritare Vota, etiam vouente inuito, quia inferior non potest potestati Superioris præiudicare. Et non solùm respectu votorum iam emissorum, sed etiam in posterum emittẽdorum, quia vota subditorum semper depẽdent à tacita conditione Superioris, à quo sumit validitatem. Imò non solùm vota externa, sed etiam interna absq; alia cognitione, quia illi interiori occupationi intentus non potest esse promptus ad alias obediẽtias. Idem dicimus de alijs Superioribus laicis, vt patres erga filios, & domini erga seruos, qa hoc Votũ verè internũ potest domin' vti nocẽs suo obsequio irritare. Et sic Priorissæ, & Abbatissæ, possunt monialium Vota irritare, quia habent dominium in operibus subrogationis illorum, & ab ipsis emittitur Votum Obediẽtiæ. Tamen Priorissæ, & Abbatissæ in votis suarum monialium dispensare non possunt, quia hoc est iurisdictionis spiritualis.

3. Verùm Prælati secundarij Religionum, quos communiter vocant Superiores, non habent potestatem irritandi vota aliorum Religiosorum, quia hi non sunt Prælati, sed eorum adiutores. Sed benè quando Prælatus est absens, & gerunt vicem illorum in gubernatione, quia tunc Prælatorùm vice funguntur. Tamen Prælati Religionum non possunt Vota Nouitiorum irritare, quia eorum voluntas nondum à Superioribus voluntate pẽdet, sicut illa professorum. Sed possunt Vota personalia Nouitiorum durante Nouitiatu suspendere, illa tamen, quæ probationem impediunt, quia hoc fit, vt possint austeritates Religionis experiri. Ex quo colligitur Vota realia Nouitiorum non posse à Prælato suspendi, quia eorum exequutio Religionis obseruantiam non impedit. Idem dicimus de Magistris Nouitiorum, quia ipsis specialiter immediatè incũbit regimen Nouitiorum.

4. Tan-

4. Tandem potestas irritandi Vota potest alteri à legitimo Superiore delegari, quia hoc nihil est, quàm potestatem irritandi actus gesti absq; domini consensu committere, quam quilibet Dominus concedere potest ad rescindendam rei suę alienationem ipso inconsulto factam.

ARTICVLVS III.

An Cõfessor vi Iubilæi absque causa possit commutare vota?

1. R. Sic; quia ad commutationem votorũ sufficit præstare opera, & onera iniuncta, & lucrãdi Iubilæũ, cùm ob eam causam facultas conceditur à Papa.

2. Verùm extra tempus Iubilæi si commutatio fieret in minus, aut in rem, de cuius æqualitate dubitatur, requiritur iusta causa, quia dum non est melior, vel certò æqualis materiæ promissæ, semper exigitur legitima causa. Secus si cõmutatur in meliorem, quia solùs excessus melioris commutationis est legitima causa. Similiter si fit in rẽ certò æqualẽ, & nõ probabile est esse meliorem, & nõ dubium est an fit melior, quia qui sic commutat fideliter tractat Dei negotium, cùm sit certus de nulla iactura, & dubius de lucro. Sed si fit in æquale bonum requiritur iusta causa; quia aliàs indiget authoritate Prælati, & nòn potest esse ad libitum.

3. Hinc est, quòd Prælatus, seu eius delegatus si sine iusta causa commutat votum in æquale bonum, valida est cõmutatio, quia tunc adest potestas in commutatione: Similiter valida si in minus sine causa cùm obligatione supplendi id, quod defuit ad ęqualitatem rei promissæ, quia inter homines non est irrita, multò minus vouentis cùm Deo. Imò non est opus adire Prælatum commutantem, vt eum defectum suppleat, sed quilibet ad arbitrium boni viri, quia defectus causę non pertinet ad vitiandũ commutationis valorem, sed ad potestatis abusum.

4. Similiter cõmutatio voti facta propria authoritate, vel alterius carentis iurisdictione in bonum æquale, aut in minus, non est omninò irrita, dum vouens supplet, quod commutationi defuit, quia Deus pro sua benignitate semper est paratus ad acceptandũ Voti commutationem factam à quocunque. Et talis commutans absq; iusta causa peccat mortaliter, quia abutitur sua potestate in re graui. Sed mitius est dicendum, quod peccat venialiter, quia talis commutatio valet, & abusus

potestatis est in re leuis, & parum cultus diuinus læditur.

5. Tandem tempore Iubilęi possunt cōmutari vota ne dum emissa ante illud, sed etiam illa in ante exequutionem vltimi operis, quia cùm sit gratia, & fauor concessus à Principe, largè, & non strictè est interpretandus.

ARTICVLVS IV.

An habens facultatem commutandi, vel dispensandi in votis, habeat eandem in iuramentis Deo factis?

1. ℞. Sic, quia cui conceditur maius, quod est votum, censetur etiam minus, quod est iuramentum, *ita cap. cùm licet de reg. Iuris in 6.*

2. Vnde maior est obligatio Voti, quàm iuramenti, quia per Votum obligatur semper Deo; per iuramentum verò aliquando homini, *ita D. Thom. 2.2. q. 89. art. 8.* Verùm probabile est, quod virtute Iubilæi, cui conceditur facultas commutandi vota, non habere authoritatem commutandi iuramenta, quia *stylus curiæ Romanæ est*, vt facultas commutandi iuramenta specialiter exprimantur.

3. Ideò habens facultatem ad Vota commutanda non potest commutare Vota iuramento firmata, quia potestas ad commutandum minus, non extenditur ad maius; *ita D. Thom. loco supra citato.*

4. Similiter virtute Iubilæi non possunt commutari Vota facta in vtilitatem tertiæ personæ, vel loci Sacri iam acceptata ab illis, quia per acceptationem est acquisitum ius. Secus si non est acceptata ab illis, quia tertius nullum acquisiuit ius, neque vlli fit iniuria.

ARTICVLVS V.

An vi Iubilæi possint cōmutari Vota aliàs commutata?

1. ℞. Sic, quia voti vinculum transit in posteriorem materiam subrogatam.

2. Vnde Vota reseruata, scilicèt Religionis, & castitatis cōmutata à Papa in materiam non reseruatam, possunt ab Episcopo, & Confessore vi Iubilæi commutari, quia illa sic commutata non remanent per se reseruata, nisi solius materiæ reseruatæ. Ita etiam potest commutari pœna pecuniaria ex fractione pœnalis Voti, quia illa obligatio conditionalis pecuniæ non est maior obligatione Voti absoluti, quod per Iubilæum commutatur.

3. Imò potest commutare non solùm obligationem omissam soluendi, & præteritam, sed

ſed etiam & futuram, quia tota illa obligatio ſoluēdi pecunias illas eſt ex Voto, quo ab initio obligauit ad illas.

4. Similiter ab habente poteſtatem commutari poteſt nō ſolùm obligatio iam incurſa ſoluendi, ſed etiam ſoluenda in futurū in aliud pium opus, quia adhuc remanet aliqua pars pœnæ ſoluenda ex ſolo Voto debita. Et hæc etiam pars ſoluenda propria vouentis authoritate, in rem euidēter Deo gratiorem commutari, quia ſolus Deus, cui Votum eſt factum, eſt creditor illius eleemosynæ.

5. Sed ſi vouens, qui in obtinenda ſui Voti pœnalis commutatione meminit tantùm de obligatione in futurum, non autem de pœna incurſa, non cenſetur liber quo ad pœnam incurſam, quia Confeſſor non præſumitur habuiſſe intentionem commutandi pœnam nō expreſſam, cùm voluntas non feratur in incognitum.

ARTICVLVS VI.

An vi Iubilæi poſſit Confeſſor mutare Vota, quorum numerum pœnitens non meminit?

1. ℟. Sic, quia pro illis Votis oblitis æquale opus, quod à Cōfeſſore iniungitur perſpecta qualitate perſonę pœnitentis, & eius conſuetudine in vouendo. Ex quo fit ſi poſtea cōmutatione peracta, & Iubilæi tempore expleto, recordaretur pœnitens alicuius Voti particularis, alia commutatione non indigebit, quia illud opus, quod à Confeſſore fuit iam iniunctum, æqualitatem ponit perſpecta qualitate perſonæ.

2. Imò ille, qui tempore Iubilæi noluit cōmutationem Votorum petere, poteſt illo tranſacto petere eorumdem commutationem, dum adimpleuit omnia pręſcripta à Iubilæo, quia iam acquiſiuit priuilegium commutandi, quod per tempus nō limitatur, & priuilegio ſibi parto, eo vti poteſt, etiã tranſacto. Similiter Vota emiſſa ſub certa ſpe obtinendi Iubilęum poſſunt commutari, quia ſi peccans ſub ſpe Iubilæi obtinendi abſolutionem poteſt ab illo abſolui, ità à fortiori in cōmutatione votorum.

3. Rurſus Confeſſor tempore Iubilæi occupatus Cōfeſſionibus poteſt Votum pœnitentis hoc modo commutare, ſcilicet *Ego commuto Votum in opus, quod ego poſtea, aut vir prudens iudicauerit*, quia commutatio facta eſt tempore Iubilæi, & obligatio transfertur in materiam à Confeſſore, vel à viro prudēti determinandum. Imò talis nō peccat, ſi donec deſignata fuerit

sit sibi materia, Votum non seruat; quia obligatio voti iam fuit translata in materiam determinandam. Secus pœnitens tenetur seruare primum Votū, si Confessor tantùm dixit, *Cōmutabo tibi votum attenta qualitate causæ, vel modum commutationis indicauero*, quia in isto casu adhuc viget obligatio primi Voti, donec per Confessorem trāsferatur in aliud opus pium.

4. Verùm voto commutato licet seruare primum, quia commutatio Voti fit in fauorē vouentis, & liberum est vnicuiq; cedere suo iuri. Sed si Votum commutatum non est in minus, vel æquale, sed in melius, vt qui prius vouit Sacerdotium, & commutatur in Votum Religionis, non potest deinde relicta Religione Sacerdotium sumere, quia posterior obligatio priori præualet, cùm hæc sit reseruata Pontifici.

5. Similiter vouens de non ludēdo ludo peccaminoso, vel non fornicando potest in melius, vel æquè bonum commutari, quia ratione fragilitatis cōmutatur, vt liberetur à sacrilegio fractionis Voti. Ita etiam vouens non ludere, & si ludat promiserat castitatem, vel ingressum Religionis, potest Cōfessor cōmutando illi Votum non ludendi, commutare etiā Votum Castitatis, & Religionis, quia sublato principali, idest Votum non ludendi, præsumitur etiam accessorium, scilicet seruare Castitatem, & ingredi Religionem. Etiam post adimpletam conditionem possunt vi Iubilæi commutari, quia Papa reseruat illa Vota, scilicèt Castitatis, & ingressus Religionis, quando procedunt ex amore, & deuotione ad castitatem, & Religionem: hæc potiùs imponuntur à vouente tanquam odia, & tanquam pœnæ pro ludo.

6. Tandem vouens Castitatem, & si eam violat, voueat largiri certam pecuniam, potest vi Iubilæi Votum eleemosynæ commutare, quia licèt non possit commutare Votum principale Castitatis, cùm sit Papæ reseruatum, tamen pecuniam potest, cùm non sit circa materiam reseruatam: sed non potest commutare iuramenta seruandi castitatem, vel ingrediendi Religionem, quia vi Iubilæi non potest Vota Castitatis, vel Religionis commutare, nec etiam iuramenta illorum.

ARTICVLVS VII.

An Vota Conditionalia Castitatis, & Religionis, scilicet de futuro ante expletam conditionem possint vi Iubilæi commutari?

1. ℞. Sic, quia durante conditione, scilicet vouens Religionem causa infirmitatis, vota non sunt absoluta, quæ statim obligant, & vt sic non sunt præscripta à Papa. Imò talium Votorum cõditionalium ad Episcopum, & Ordinarium commutatio pertinet, & vi Iubilæi quilibet Cõfessor facultate sibi delegata à Papa potest commutare, quia huiusmodi Vota prouenisse ex voluntate imperfecta.

2. Verùm si huiusmodi Vota conditionalia sunt de præsenti, vel de præterito non possunt vi Iubilæi commutari, quia huiusmodi Vota non sunt propriè conditionalia, sed absoluta, si conditio tunc vera est, siue vouens sciat, siue ignoret conditionem extare. Maximè non potest, si huiusmodi Vota conditionalia sunt facta sub conditione necessaria, vt si cras Sol orietur, ingrediar Religionem: quia ea conditio cum sit necessariò euentura, habetur pro impleta, & Votum est per se absolutum.

3. Ita etiam dicimus, quòd si quis in infirmitate positus voueat Religionem, si à morbo liberetur, si animus vouentis tunc affectus est ad Religionẽ omninò, & defectus sanitatis impediat, tunc Votum est absolutum, & vi Iubilæi non potest commutari, quia affectus vouentis tunc fertur directè in rem promissam, & non in aliud, quod cupit obtinere, quod ponitur sub conditione.

4. Similiter Vota non purè conditionalia, sed tantùm apparenter, etiam si sint sub conditione de futuro, non potest vi Iubilæi commutari, vt scilicet *voueo Religionẽ ingredi, quando pater meus obierit*, quia huiusmodi Vota sunt merè absoluta, nam conditio non suspendit consensum vouentis vsque ad conditionis euentum, sed tantum determinat tempus adimpletionis Voti.

ARTICVLVS VIII.

An possint commutari vi Iubilæi Vota Castitatis, & Religionis, quando fuerunt emissa cum expressa intentione non se obligãdi ad mortale?

1. ℞. Sic, quia cum non sint perfecta, Vota non sunt reseruata Papæ,

2. Imò Confessor potest cõmu-

mutare vi Iubilęi Votum, cuius vna pars est reseruata Papæ, & alia non, quia ante electionem partis non videtur seruatam. Sed nō potest post electionem factam de materia reseruata, quia tunc non amplius dici potest tale Votū disiunctiuum, sed absolutum, quod Papæ reseruatur. Ita etiam votum de non petendo commutationē Votorum, nisi à Papa, potest vi Iubilæi commutari, quia priuata vouentis intentio, seu voluntas non potest potestatē Superioris coartare.

3. Similiter Vota Castitatis, & Religionis emissa ad tēpus, possunt commutari vi Iubilæi, quia in Iubilæo excipitur Votum Castitatis, & Religionis, vt est perpetuum. Sed Votum factum ad longissimum tempus, scilicet ad centum annos non potest commutari, quia vita hominis non præsumitur amplius duratura. Ita etiam quando dubitatur de eorum validitate, vel reseruatione Papæ commutari possunt, quia reseruata non sunt dubia, sed certa, at in dubijs benignior pars est accipienda.

4. Item vi Iubilæi commutari possunt Vota Religionis, & Castitatis etiā emissa ex motu leui nō sufficiēte ad reddendū Votum irritum ab extrinseco, ad extorquēdum Votum, quia Papa non intendit seruare huiusmodi Vota emissa per metū leuem ab extrinseco incussum ad illa extorquenda.

5. Nota, quòd metus duplex, leuis, & grauis. Grauis est, quo perturbatur homo fortis, & constans, quando verè, probabiliter, & rationabiliter timet graue malum à potente, alias illud inferre, scilicèt periculum mortis, verborum, dedecoris, seruitutis, amissionis bonorum, & similium, & tale Votum nullum, *ita cap. perlatum de his, quæ vi, metusq; causa fiunt*. Metus verò leuis est, quo perturbatur homo meticulosus, & inconstans timens leue malum, vel graue malum, sed leuiter, variè, & irrationabiliter, vt quando iuuenis, & fortis à puero inermi, vel à sene defesso, & senio confecto mortem sibi inferendam timeret.

6. Vnde Votum factum metu mortis extrinsecus quidem, sed veniente ex causis naturalibus, est validum, & obligatorium, vt qui in naufragio constitutus vouit castitatem euadendo; quia talis actus licèt sit grauis, tamen non est a causa libera per iniuriam illatus ad extorquendum Votū.

7. Item votum non adulterandi, non fornicandi, non committendi peccatum mollitiei potest vi Iubilæi commutari, quia tale votum non est integrè, & absolute Castitatis.

Sed

Sed Votum Virginitatis absolutè emissum est reseruatum Papæ, & si vouens semel corrumpatur, adhuc tenetur ad perpetuam continentiam, & vi Iubilæi commutari non potest, quia Votum Virginitatis simpliciter, & absolutè est idē, quod Votum Castitatis, *in D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 5. ad 2.* Vouens tamen Virginitatem sinè intentione seruādi perpetuam Virginitatem potest per Iubilæum commutari, quia illa amissa nō tenetur amplius Voti vinculo ad Castitatem seruandam.

8. Similiter Votum non nubendi potest vi Iubilæi commutari, quia non est Votum simpliciter Castitatis, cùm Votum non nubendi non respuat tanquam materiam, omnimodam continentiam à venereis. Et licèt peccet contrahens matrimonium, tamen nullius culpæ erit matrimonium consummans, etiam prima vice, siue petendo, siue reddendo, quia hoc Votum tantùm habet pro obiecto non nubere, abstinere verò ab vsu matrimonij non est per se, & primariò, sed mediatè, & supposita abstinentia. Tenetur tamen hic mortuo altero coniuge ab alijs nuptijs abstinere, quia Votum non erat extinctum, sed suspēsum durante matrimonij impedimento. Et secundùm aliquos talis tenetur abstinere à debiti petitione post initū matrimonium, quia Votum non nubēdi æquiualet Voto Castitatis.

9. Item Votum suscipiendi Ordines Sacros non est idem, quod Votum Castitatis, & tale potest per Iubilæum commutari, quia vouens talis si committit actum venereum ante susceptionem Ordinū Sacrorum non facit contra Votum Castitatis. Ita etiam dicimus de Voto non tangendi mulierem libidinosè, vel non cognoscendi illam carnaliter, quia non est Votum perfectæ, & integræ Castitatis, cùm sic vouēs committendo peccatum mollitiei non ageret contra Votū.

ARTICVLVS IX.

An Votum Castitatis coniugalis possit vi Iubilæi commutari?

1. R. Sic, quia non est perfectæ, & integræ Castitatis Votum, quod est de omni specie continentiæ.

2. Vnde Votum emissum ab vno coniuge, vel ab vtriusq; non petēdi debitum, potest per Iubilæum commutari, quia non est omnimodæ castitatis, cùm vterque libertatem habeat transeūdi ad alias nuptias. Etiā si tale votum sit factum ab uno coniuge ex licentia alterius, quia

quia dissoluto eo matrimonio nō remanet Votum. Ac etiam, post consummatum matrimonium absq; consensu alterius, quia sic vouens tenetur alteri coniugi petenti reddere debitum.

3. Hinc est, quòd coniux tenetur reddere debitum alteri coniugi illicitè petenti ob circumstantiam personæ, vt obstrictus Voto Castitatis, vel quando petit, petit animo fornicatorio, vel alio prauo fine, quia non cooperatur peccato petentis illicitè, sed exercet actum ex natura sua licitum coniugatis. Sed non potest reddere debitū petenti illicitè non ob solam circumstantiam personæ, sed ob circumstantiam actus; idest in loco publico, in Ecclesia, aut periculo impediendi fætum, vel mortis eius, quia talis circumstantia actus cùm pendeat ab vtroq; coniuge, reddit illicitum actum ex respectu vtriusque. Et sic coniux potest petere, & reddere debitum vxori, quam scit esse obstrictam Voto Castitatis ipso consentiente, quia vir non amittit ius petendi debitum per Votum vxoris, nec cessit iuri suo per consensum in eius Votum. Imò tenetur reddere vxori petenti, quia ille illicitè petit solùm ob circumstantiam personæ, idest ob Votum Castitatis. Ita etiam requisitus tenetur reddere petenti, quando vterque coniux est obstrictus Voto Castitatis, quia per Votum Castitatis non amittit ius petendi, neq; dominium, quod per matrimoniū acquisiuit supra corpus alterius.

4. Et hoc quando vterque coniux seorsum continentiam vouit cum alterius licentia; independenter tamen ab alterius Voto, tunc vterq; petitus tenetur reddere, non tamen petere, quia sic neuter intendit à se abdicare ius petendi, & dominium supra corpus alterius, licèt illicitè petat. Et potest tale Votum vi Iubilæi commutari, quia non est Votum absolutæ, & omnimodæ Castitatis, cùm eo non obstante teneatur alteri debitum reddere.

5. Sed quando vterq; emisit Votum per modum cōtractus, & reciprocæ conuentionis seruandi Deo continentiam, tunc nec petere, nec reddere licitè potest, quia omni iure petendi, & reddendi inter se inuicem renunciare voluerunt. Nec talis vi Iubilæi commutari potest, quia est Votum integræ, & absolutæ Castitatis. Et coniuges sic vouentes soluto matrimonio tenentur Votum Castitatis seruare, nec ad alias nuptias transire sine dispēsatione, alias peccant mortaliter, & tenentur non petere debitum, licèt reddere tunc possit, quia Votū

Ca-

Castitatis emissum à coniugibus per modum contractus, & reciprocæ cõuentionis est Votum omnimodæ castitatis.

6. Similiter Votum Castitatis emissum ante contractum matrimonium non potest per Iubilæum commutari ad consummandum, & petendum debitum, quia Votum Castitatis est reseruatum Papæ. Potest tamen Episcopus iusta, vel vigenti de causa dispensare ad consummandum matrimoniũ, & petendum debitum, quia ita vsu receptum est in Ecclesia, quod vi Iubilæi vsu non est receptum. Verùm hæc dispensatio durat durante matrimonio, quia illo soluto tenetur seruare Votum simplex Castitatis. Peccat tamen mortaliter talis, dum contrahit matrimonium, & similiter deliquit lethaliter in priori bimestri prima vice reddendo cõsumans matrimoniũ, transacto verò bimestri tenetur reddere de iustitia, & tunc reddendo non peccat, *ita D. Thom. in 4. dist. 38 q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 4.* In sua tamen libertate est ante consummationem transire ad Religionem, quia est Votum Castitatis obligans vouentem ad omninò abstinendũ ab omni actu venereo; & solũ excusatur coniux; sic obstrictus reddens propter fortius vinculum iustitiæ superueniens. Tamen in sua libertate est post ratum, & non consummatum matrimonium Religionem intrare, vt ibi Votum emissum seruet, quia nisi status Religionis spontè suscipiatur, difficiles solet habere exitus. Imò habẽs Votum Religionis peccat contrahendo, & etiam prima vice consumando, siue petendo, siue reddendo, quia adhuc potest suum votum implere, Religionem ingrediendo. Et talis tenetur ingredi, quia aliàs consumans matrimonium constituit se in eo statu, vt implere nequeat.

7. Verùm Voto Religionis obstrictus semel consummato matrimonio, potest licitè petere, & reddere debitum, quia vouens statum Religionis non se obligat ad illius leges, donec illum re ipsa assumat, cùm in suo Voto minimè obligationem aliquam ad illius leges exprimat. Defuncto altero coniuge, qui Religionem vouerat, tenetur illam ingredi, quia cessante impedimento potest hic implere suum Votum.

8. Itẽ obstrictus Voto assumẽdi Ordines Sacros, vxorẽ ducẽs post ratum matrimonium nõ tenetur Religionem ingredi vt suum votum seruet, quia obstrictus Voto Castitatis post consummatum matrimonium nõ tenetur ingredi Religionẽ, multò minus obstrictus Voto assumendi Sacros Ordines. Sed

peccat lethaliter matrimoniū ineundo; quia se impedit ad illud implendum, ad quod tenetur. Non tamen deliquit prima vice consummás, etiam ad sui petitionem, nec intra prius bimestre à matrimonio inito, quia hoc Votum non interdicit debiti petitionem. Nec impleri vllo modo potest, quia alter coniux superstes est. Neq; ingredi Religionem ante consummationem, quia ad talem ingressū non tenetur. Sed mortua vxore post Votū Sacerdotij, vel simplex Religionis illud adimplere tenetur, quia talia Vota Religionis, & Sacerdotij suspenduntur per matrimoniū, & eo soluto obligant.

9. Item Votū Castitatis post matrimonium ratum emissum ab vno coniuge, siue ab vtroq; ante consummationem, si vouens habuit animum ingrediendi Religionem ad Votum seruandum, non potest per Episcopum dispensari, vel per Iubilæū commutari, quia valet vt omnimodæ Castitatis. Imò obligatur nō ad reddendum debitū, quādo redditio est voluntaria, vt in primo bimestri ante matrimonij nō cōsummationem, quia post primum bimestre ex iustitia, & non voluntariè obligatur. Neque potest cum eo Episcopus dispensare ad petendum debitum ante matrimonij cōsummationem, quia iste tenetur ingredi Religionem, & & adhuc non est obex illam ingredi. Post tamē cōsummatū matrimoniū potest Episcopus dispensare ad petendum debitum in illo, qui vouit Castitatem animo ingrediendi Religionē, quia semel consummato nequit iam ingredi Religionem, & ni petat, versatur in magno periculo incōtinentiæ.

10. Verùm vouens talis, si non habuit animum ingrediendi Religionem, vel de hoc se habuit negatiuè, nihil cogitando, potest ab Episcopo dispensari, & vi Iubilæi commutari, quia Votum non est omnimodæ Castitatis, cùm non habuerit animū expressum trāseundi ad Religionem.

11. Sed coniuges, qui post matrimonium ratum, & consummatum vouerūt continentiam per modum contractus, nō possunt ab Episcopo dispēsari in tali Voto, quia primum bimestre non possunt petere, nec licitè reddere. Tamen in periculo incōtinentiæ, & iusta causa, & non cōmodè ad Pontificē adire possunt, potest Episcopus dispensare etiam ad petendum debitum, quia in ea necessitate potest dispensare cum solutis ad ineundum matrimonium, à fortiori multò magis cum coniugatis his ad petendum debitum.

12. Sed si isti sibi ipsis remittunt

runt renunciationem illam iuris petendi, & reddendi debitũ, quam vouendo fecerant, iterum conferendo sibi mutuam corporum potestatem, potest Episcopus dispensare, quia per illam renunciationem quasi de nouo contrahitur matrimoniũ ad redditionem debiti, & ad petitionem dispensat Episcopus.

13. Rursus Confessor vi Iubilæi non potest dispensare cũ solutis, qui vouerunt Castitatem, & Religionem ad ineundum matrimonium, quamuis expectando dispensationem Papæ periculum incontinẽtiæ, aut magni scandali, vel damni immineret, quia Episcopus cũ istis iure ordinaria non potest dispẽsare, neq; Cõfessor vi Iubilæi. Et potest Episcopus dispẽsare cũ istis, vt delegatus Apostolicus, quia credi potest non esse mentem Papæ, vt animæ laqueis irretitę in tanto periculo versentur. Et regula illa, scilicet quòd potest Episcopus, potest & Confessor vi Iubilæi, non valet, quia intelligitur de casibus, quibus iure ordinario Episcopus potest, non autem in his, in quibus Episcopus dispensat, vt delegatus Apostolicus. Verùm vi Iubilæi Confessor potest Votum Religionis arctioris in laxiorem commutare, quia hoc non est dispẽsare in Religione, sed in modo, & qualitate illius. Ita etiam vi Iubilæi est commutabile Votum eundi pedester ad limina Apostolorum, & ostiatim alimenta quærendo in peregrinationem equestrem, & in ea, quæ ad vitæ substentationem necessaria sunt, quia sic non commutatur substantia Voti, sed tantùm quædam circumstantia.

ARTICVLVS X.

An in Votis Religionis puerorum emissis post vsum rationis, licèt ante pubertatem, possit Confessor dispensare vi Iubilæi?

1. R. Non, quia est Papæ reseruatum, cùm ad valorem Voti reperiatur ea deliberatio, quæ sufficit ad peccatum mortale cõtrahendum, *ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 9. & q. vlt. art. 3. ad 3. quidquid dicãt alij:*

2. Nota, quòd impubes dicitur masculus ante 14. annum completum, & mulier ante 12. cõpletum. Puer propè pubertatem dicitur cùm decimum annum cum dimidio iam habet; fœmina verò cum nonum annum cum dimidio excedit.

3. Vnde patet Vota quæcunque etiam Religionis filiorum impuberũ irritare potest, quia ante pubertatem non præsumitur filius habere satis iudicij, vt maturè, & prudẽter

vouere queat, ideò ius voluit Vota subiecta esse potestati patris, *ita D. Th. 2. 2. q. 88 art 9.*

4. Nota, quod Votum triplex, reale, personale, & mixtum. Votum reale est, quo res aliqua promittitur Deo, vt eleemosyna. Personale est, quo Deo promittitur aliqua actio ipsius personę, vel aliqua omissio, vt Votum ieiunij, Castitatis, orationis &c. Mixtum includit personale, & reale, & est, quo promittitur res, & officiũ personæ; vt vouens peregrinationem Lauretanam cum intentione offerendi aliquid Ecclesiæ eius.

5. Non solùm pater, sed etiã tutor Vota supradicta, impuberum irritare potest; quia tutor succedit loco patris. Mater verò viuo patre, sed non longè absente, nõ potest irritare, quia soli patri, vt caput domus, & familiæ, hæc facultas competit. Neq; mater, mortuo patre, nulla filij impuberis Vota potest irritare, si ille tutorem habet, quia adest tutor, qui in plenas patris vices succedit. Benè tamen mater, vt tutrix, quia eorum fungitur officio. Imò mortuo patre, si nec tutores, nec curatores sint, mater, & si tutrix non sit ad instar patris, & tutoris succedit; & deficiente matre Aui, vel Auiæ, & reliqui ascẽdẽtes propinquiores, quia hi sunt veluti parentes, & in eorum locum succedunt. Imò pater, & supradicti irritare possunt filij impuberis quæcunq; Vota, quæ etiam fecit exequẽda tempore pubertatis, aut plenæ libertatis, quia id Votum est verè ab impubere emissum; & habet imbibitam conditionem pendentem ex patris consensu.

6. Similiter pater potest irritare Vota realia, vel personalia filiorum impuberum, etiam transactis annis pubertatis, quia quæ à principio non tenent, & irritari possunt, tractu solo temporis nõ firmantur. Ideò Episcopus potest absoluere impubem post pubertatem ab excõmunicatione incursa propter percussionem Clerici tempore impubertatis, quia in vsu potestatis concessæ circa actus impuberum, non est spectandum tempus, quo in actus illos exercetur, sed tempus, quo effecti sunt, *ita cap. final. de sentent. excommun.* Sed dominus non potest irritare Votum serui emissum, dum erat in illius potestate, postquam is est libertatem consequutus, quia non currit eadem ratio de seruo, & filio impubere, cuius iudicium erat imperfectum. Verùm vt Votũ emissum ab impubere ante pubertatem censeatur ratificatũ; ita vt à parentibus irritari nequeat, non tantũ sufficit, quod post pubertatem intendat illud implere,

plere, credens illud à principio vouisse; sed requiritur, vt ipse sciat illud Votum à principio fuisse irritabile, & tamen ratificat; quia confirmatio professionis irritæ non valet, si nullitas professionis irritæ lateat cõfirmantem.

7. Rursus Vota personalia à filio familias emissa post annos pubertatis, quæ non præiudicãt patriæ potestati, vt Votum Religionis, & Castitatis, nõ possunt à patre irritari, quia in rebus, quæ pertinent ad electionẽ status, non est subiectus filius parẽtibus. Imò si filius habuerit 16. annum completum poterit profiteri, etiam inuitis parentibus. Sed impuberes ingredientes Religionem absque parentum, & tutorum consensu, possunt ipsi irritum facere, & reuocare infra tempus impubertatis, quo elapso, vel dissimulato ab ipsis reuocari non possunt, quia nõ cõceditur illis integer annus ad reuocãdum, sed id solùm, quod superest vsque ad pubertatem, cùm postea integrum est illis contra voluntatem parẽtum Religionem intrare. Verùm si Vota personalia filiorum impuberũ patriæ potestati præiudicant, & est graue præiudicium, vt ex nimia abstinentia infirmentur, & impedimentum essent obsequio paterno, vel studio, cui vacat ex patris præcepto, reuocare potest, quia patris est curare, vt filius studio, aut alteri operi ad vitam transigendam necessariò incumbat. Quin etiam pater potest irritare Vota realia, quæ filius familias, & si pubes, minor tamen 25. annis emittit, quia filius non habet liberam suorum bonorum administrationem, sed pater.

8. Sed si Votum principaliter est personale, & accessoriè tantùm reale, emissum à filio pubere, non potest à patre irritari, vt filius Religionem vouens, & simul bona sua per professionem illi dare, non potest nec Votum, nec bona impedire, quia accessoriũ sequitur principalis naturã, *ita Regula accessoriũ, de reg. iur. in 6*. Neq; pater potest irritare Vota realia emissa à pubere ante 25. annũ expletũ de peculio castrẽsi, id est in bello acquisito, vel quasi castrensi, id est in officio publico acquisito, quia in hoc genere bonorũ filius reputatur paterfamilias, & sui iuris. Neque potest irritare Vota realia puberis exequenda pro tempore, quo fuerit sui iuris, quia huiusmodi Vota referuntur ad tempus in quo pubes filius erit extra potestatẽ patris. *ita l. 2. ff. ad.*

9. Potestas hæc irritandi Vota realia durat vsque dum filius fuerit emancipatus. Est autem emancipatio, quasi extra patris potestatem positio, seu relaxatio

tio coram Iudice competente cum vtriusque voluntate. Soluitur etiam potestas patris, si pater trãsit in alterius potestatem, idest ingreditur Religionem. Item si filius post pubertatem profitetur Religionem approbatam. Item per contractionẽ matrimonij. Item attingens 25. annum est de iure emancipatus, quia filius vsque ad illud tempus censetur minor.

10. Tandem pater professus in Religione approbata, Vota personalia filij impuberis, nec Vota realia filij puberis irritare potest, quia per professionem nec patriam potestatem, nec aliquam filij curam retinet, sed transit ad tutorem, & si his caret, erit sui iuris. Nec pater Vota filij professi potest irritare, quia filius ratione professionis est extra potestatem patris. Poterit tamen Vota filij Nouitij existentis etiam in Nouitiatu irritare, quia per Nouitiatum non amittitur aliquid patriæ potestatis, aut iuris in filios.

ARTICVLVS XI.

An vir possit irritare omnia Vota vxoris emissa, inito matrimonio, pro tunc implenda?

1. ℞. Sic, quia Deus subdidit vxoris voluntatem viro in Votis emittendis, *ita D. Thom. 2.2. q. 88. art. 8. ad 2.*

2. Verùm probabile est virum tantùm posse irritare Vota vxoris, quæ sunt in præiudicium domus, familiæ, & actus matrimonialis, quia vxor non est subdita viro, nisi quo ad ea, quæ in mariti sunt præiudiciũ. Ideo Votum Castitatis, & non petendi debitum emissum ab vxore, potest irritari ab eius viro, quia huiusmodi Votum potest afferre marito præiudicium, quatenus fieri potest, vt ipse semper petendo verecundiam patiatur. Sed aliqui tenẽt non posse irritare Votum non petendi, quia vxor non petendo, nulli facit iniuriam, cùm vtitur iure suo, neque lege matrimonij tenetur petere, sed solùm lege matrimonij se paratam exhibere.

3. Sed nos dicimus posse virũ irritare talia Vota vxoris, siue sine, siue de eius licentia emissa, quia maritus constante matrimonio non potest à se abdicare potestatem gubernãdi vxorem. Vnde facta tali irritatione, si vxor adulterium committit, non erit Voti rea, nec soluto matrimonio tenebitur ab alijs nuptijs abstinere, ad quæ ex vi Voti tenebatur, quia illud Votum Castitatis irritatione est extinctum. Verùm absq; iusta, & rationabili causa irritãs tale Votum, vir peccaret mortali-

taliter, quia in re graui abutitur sua potestate. Irritatio tamen valeret; quia mulier adhuc manet viro subiecta. Et facta irritatione vxor Votum non adimplens, non peccat; quia stante irritatione non tenetur.

4. Sed non potest vir irritare Votum Religionis emissum post contractum, & non consummatum matrimonii, quia per tale Votum vxor ingrediẽdo Religionem, & profitendo eximitur à viri potestate, & dissoluitur matrimonium. Sed si Votum post mortem viri est exequendum; extat secundùm aliquos posse virum irritare, quia Votum est emissum tempore subiectionis, nec per illud eximitur à potestate viri. Oppositam sententiam esse etiam probabilem constat, quia Votum emissum post mortem viri, nihil viri potestatem lædit, & impedit.

5. Sed Vota vxoris emissa ante matrimonium nõ possunt propriè, & directè à viro irritari, quia quando talia Vota fuerunt emissa, mulier erat sui iuris, nec voluntati viri subiecta. Possunt tamen impropriè, & indirectè irritari, idest suspendi quatenus obsequio ei debito præiudicant, quia obligatio iustitiæ contracta ex nouo matrimonio p̃ualet obligationi consurgenti ex Voto. Et talia Vota mortuo viro reuiuiscunt, & mulier tunc tenetur implere, quia vota illa nõ fuerunt mortua, sed mortificata, & suspensa tempore matrimonij. Et sic vir potest suspendere Votum Castitatis emissum ab vxore ante matrimonium, quia obsequio, & debito præiudicat. Imò Vota ab vxore tempore prioris matrimonij, aut alterius subiectionis emissa, quæ vir, aut pater, aut tutor poterant irritare, & nõ irritauerunt, possunt propriè à subsequente viro irritari, quia maritus succedit in locum patris, aut tutoris, vt gubernet eamdem voluntatem, eiusque defectus suppleat. Probabile tamẽ est, non posse propriè irritare, sed impropriè, idest suspẽdere, quia prior hæc potestas, cùm sit moraliter diuersa, omninò censetur extincta, & in posteriorem transit.

6. Tandem Superior Regularis potest irritare Vota emissa tempore prædecessoris, quia tota, & eadem potestas moraliter loquendo prioris Superioris transit in subsequentem.

ARTICVLVS XII.

An vxor possit irritare Vota viri, quæ impediũt moderatam debiti redditionem?

1. R. Sic, quia sunt Vota præiudicantia dominio, quod habet per matrimonium

nium supra corpus viri, quatenus debilitant vires, & ineptus efficitur ad reddendum moderatè debitum, *ita cap. quidem, & cap. placet de conventione coniugali.*

2. Imò vxor potest irritare Votum viri vouentis longam peregrinationem, etiam vltramarinum causa tantùm solius deuotionis, quia impedit actũ matrimonialem; secus vltramarinum in subsidium Terræ Sanctæ, quia propter bonum commune potest ius Pontificium priuare vxorem suo priuato iure, *ità in cap. ex multa §. in tanta, de Voto, & cap. quod super his, de Voto, & D. Thom. quodlib. 4. art. 11.*

3. Vnde vxor ex iusta causa, scilicet propter periculum incontinẽtiæ licitè irritare potest Votum Castitatis emissum à viro, etiam de illius licentia, imò absque iusta causa validè potest, sed peccat quo ad redditionem debiti, quia post talem licẽtiam adhuc manet domina corporis sui. Loquimur tamen de irritatione imperfecta, scilicet suspẽsione; & mortuâ vxore debet à secũdis nuptijs abstinere, & si cum alia commisceatur, peccat contra Votum, quia vxor tantùm habet dominium corporis viri ad debiti redditionem, & non ad cœteros Castitatis actus, & nõ potest irritare, nisi quo ad illum solum actum. Sed Votum viri de non petendo debitum sine licentia vxoris, irritare non potest, quia non est contra fidem matrimonij, quæ solùm ad reddendum astringit, cùm ambo sint sui iuris pares, *ita D. Thom. quodlib. 3. art. 18.* Quamuis oppositum sit probabile, quia cedit in maximum vxoris grauamen, cùm contra naturalem mulierum verecundiam vxor cogeretur sẽper petere debitũ.

4. Similiter Vota personalia viri ante matrimonium emissa, si aliquo modo damnum sibi inferunt, possunt ab vxore saltem constante, & non soluto matrimonio suspendi, quia obligatio iustitiæ contracta ex nouo matrimonio præualet obligationi cõsurgenti ex Voto iam emisso ante matrimoniũ. Votũ autẽ integræ Castitatis emisũ remanet suspẽsũ, quo ad redditionem debiti post initum matrimonium; quia sic obstrictus post bimestre tenetur reddere vxori petenti. Quia probabile est vxorem posse suspendere tale Votum, quo ad petitionem, quia cum pudore petendi debitum semper vxor subire cogeretur. Et sic meritò diximus supra, quòd vir non potest suspendere Votum Castitatis vxoris quo ad debiti petitionem, quia onus petendi magis remanet viro, quàm vxori, cùm viri non ita pudore arceantur, sicut mulieres,

ideò

ideò adest rationabilis causa, cur hoc conceditur vxori, non autem viro.

ARTICVLVS XIII.

An potentes irritare vota subditorum possint sua vota infringere, aut id committere suis Confessarijs?

1. R. Non, quia non habent potestatem dominatiuam requisitam ad votorum irritationem, idest tacitam conditionem, quę inest votis subditorum, scilicet consensus Superiorum, vel eorum contradictio, cùm tales Superiores alicui Superiori subdantur.

2. Hęc autem potestas dominatiua non est potestas iurisdictionis spiritualis, sed potestas quędam œconomica in gubernatione innixa, & sic nō est potestas Ecclesiastica, & spiritualis, sed potius ciuilis, & profana, quę aliquando acquiritur per contractum, vel est quasi contractus, vt est illa domini in seruum sibi venditum, aut Superioris in subditum, aut viri in vxorem, & aliquando acquiritur naturali origine, & ex vi propagationis humanę, vt est potestas patris in filium.

3. Vnde Papa non potest irritare omnia vota laicorum, aut clericorum, quia homines non sunt ita subiecti, vt ab eius voluntate omninò pendeant; Sed benè vota clericorum, quę in pręiudicium Ecclesię resultant, quia huiusmodi vota aliqua ex parte eius supremę potestati obsunt. Et ita etiam Religiosorum, quę alij Regulares eorum Pręlati irritare valent; quia Papa est omnium Religiosorum supremus generalis vtramque potestatem spiritualem, & temporalem super eos habens, *ita D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 5. ad* 3. Hinc est, quòd Episcopus non potest irritare vota Clericorum sæcularium, & laicorum sibi subditorum, quia nō habet potestatem dominatiuam, sed spiritualem. Neque vota Religiosorum exemptorum, quia Papæ subduntur. Aliquando Episcopus potest irritare vota clericorum, vt si vouerint aliquid in Ecclesiæ detrimentum, vt quando Parochus vouet longissimam peregrinationem, quia esset in Ecclesiæ, cui ipse præest, detrimētum.

4. Similiter Dominus potest irritare tantùm vota seruorum, quæ eius obsequium impediunt, non tamen ea, quæ non sunt ei præiudicialia, quia dominus non est superior quo ad volūtatem serui simpliciter, sed tantùm ratione seruitutis ei debitæ, *ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art.*

 8. ad

8. ad 2. Et non potest illi irritare votum castitatis, quia in hoc non subditur domino, nec ipsi præiudicat. Neque vota moderata ieiuniorum, & orationum, quia in his, quæ non diminuunt, nec defraudant seruitium domini, seruus domino subiectus non est, sed sui iuris. Neque votum castitatis ab ancilla emissum, quia licèt cedere videatur in domini damnũ ex deficientia fœtus, tamen ius liberum habet ancilla ad nuptias. Potest tamen irritare votum, quod seruus vel ancilla emisit de Religione intranda, vel longa peregrinatione facienda, quia per hæc ab obsequio Domini totaliter subtrahitur. *ita cap. si quis seruum 17. 9. 4. & D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 2.* Ac etiam potest irritare omnia Vota realia serui; qui seruus nullum habet patrimoniũ, sed quid habet, domini est. Sed non potest si ex conuentione cum Domino, seruus aliquid proprium habet, quia in nullo tunc domino præiudicat.

5. Item Dominus Vota serui ante seruitutem emissa potest suspendere, quæ suo obsequio præiudicãt, quia si potest irritare Vota in seruitute facta, si eius seruitium perturbant, eadem ex causa suspendi Vota facta ante seruitutem. Verũ Dominus potens irritare Vota emissa tẽpore seruitutis, & non irritauit, non potest ea irritare soluta eius dominij potestate, quia dominus non potest Vota serui irritare, nisi tempore subiectionis, quatenus ipsi præiudicant. Neq; potest vota implenda tempore libertatis, quia hæc vota nõ præiudicant Domino ex parte obligationis. Neq; paterfamilias potest suorum famulorum Vota irritare, quia cùm illi non sint mancipia, non subduntur dominatiuæ eius potestati. Potest tamẽ eorum vota suo obsequio præiudicantia suspendere vsq; ad tempus finitæ obligationis.

ARTICVLVS. XIV.

An votum Ordinis S. Ioannis Hierosolimitani possit vi Iubilęi commutari?

1. R. Non, quia est ordo, in quo tria sollemnia vota emittuntur, & vera est Religio.

2. Vnde vouens Religionẽ suscipiendi illius habitum, tenetur adimplere, quia hi sine cõtrouersia sunt veri Religiosi, & per sollemne castitatis votum emissum dirimitur matrimonium ratum. Ideo non satisfacit voto Religionis assumpto habitu Equitum D. Iacobi Calatraue, & Alcantare quia vertitur in dubium, an sint veri Religiosi, cùm nõ absolutam, sed

sed coniugalem castitatem voueant. Sed secundùm quid dicuntur Religiones in quantum participant in aliquo quędam, quę ad statum Religionis spectant, *ita D. Thom. 2. 2. q. 187. art. 4. ad 3.*

3. Et quamuis ordo S. Ioannis Hierosolymitani sit verè, & propriè Religio, tamen Religioso Ordinum Mendicantiũ dispensato à Papa transeundi ad aliam Religionem etiam non Mendicantium, siue arctiorem, siue laxiorem non licet ingredi in eam, quia Claustralibus non licet transire ad non claustrales. *ita Sacra Congregatio Regularium, & sic praxis pœnitentiariæ.*

4. Similiter vouens strictiorem Religionem peccat mortaliter ingrediendo laxiorem, quia in re graui minùs pręstat, ac soluit, quàm promittit. Tamen votum suum adimplet, dum in laxiori professus est, quia Votum sollemne emissũ in Religione laxiori fortius est, quàm Votum simplex de ingrediendo Religionem strictiorem. *ita cap. penult. de regul: in 6. & D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8: ad 3.* Sed non delinquit, si vouens ingredi strictiorem commutat votum profitendi in laxiori; quia plus tenetur in laxiori perseuerare, quàm strictiorem ingredi ad exprimendum cum libertate non permanente. Et sic vouens ingredi Religionem Mendicantiũ non peccat commutando in Votum profitendi in Religione S. Ioannis Hierosolymitani, & hoc animo illum habitũ assumit, quia plus est profiteri in laxiori, & perseuerare, quã Votum simplex ingrediendi strictiorem, animo non perseuerandi. *ita D. Thom. 2. 2. q. 189: art. 8. ad 3.* At Confessor ex vi Iubilæi potest commutare nõ solùm votum ingrediendi, sed etiam perseuerandi in Religione, si iusta causa adsit egressus, quia in hoc casu vi Iubilæi non dispensat in Voto Religionis, sed in qualitate voti supradicta, quæ Papæ non est reseruata. Et etiam potest commutare quantum ad exequutionem ingressus, scilicet infra annũ differendo ampliùs, quia tunc non commutat substantiam Voti, sed solùm quandam eius qualitatem, & circumstantiam temporis. Secus si adsit periculum, vt vouens differendo fieret impotens ad Votum persoluendum, quia tunc concessio dilationis æquiualeret commutationi circa substantiam, & finis voti nimium defraudetur. *ita D. Tho. 2. 2. q. 186: art. 4. ad 3.*

5. Item per Iubilæum potest commutari Votum ingrediendi Religiones equitum militantiũ præter illam S. Ioannis

nis Hierosolymitani, quia alij Ordines militum præter illam nō sunt veræ Religiones, cùm non voueant omnimodam castitatem, sed coniugalem. Ita etiam Vota assumendi habitus tertij Ordinis S. Frācisci, & S. Dominici, quia non emittunt tria Vota Religionis substantialia. Sed si mulier vouit assumere habitum S. Dominici, vel S. Francisci Sororum dicti Ordinis commorantium in communi, & clausuram, & professionem emittunt; non potest cōmutari, quia hæ sunt verè, & propriè Religiosæ, *vt fuit declaratum à Sixto IV.*

6. Item Episcopus potest dispensare in Voto paupertatis, & obedientiæ siue in sæculo, siue in Religione non approbata, emisso, quia sunt facta extra statum Religionis verum, & approbatum. Et cōsequenter vi Iubilæi potest per Confessorem cōmutari, quia per Iubilæum potest Cōfessor commutare omnia Vota, super quæ potest Episcopus dispensare.

7. Nota, quòd Votum sollemne paupertatis differt à Voto simplici; quia sollemne emissum in Religione impedit dominij acquisitionē, reddens incapacem vouentem validè acquirendi, ac etiam inualidè in aliū transferendi votū. Votū verò simplex paupertatis impedit licitam acquisitionem, & translationem dominij in alium, sed non reddit vouentem incapacem acquirendi, & transferendi. Quare si de facto acquirit, vel transfert absq; legitima Superioris licentia, reus erit Voti, & factum tenebit. Vnde vouens in sæculo Votum simplex paupertatis, si intestatus decidit, bonorum post Votum emissum acquisitorum, dominiū acquirit Episcopus, vel eius consensu cedunt pauperibus: in reliqua verò bona, quorū dominium ante Votum acquisierat, succedunt legitimi eius hæredes, qui aliàs ab intestato successuri erant, quia per Votum non amisit eorum bonorum dominium, nec in alium transtulit.

8. Verùm per Iubilæum nō potest cōmutari Votum emissum ingrediendi Religionem ad probandum, *vtrum placeat*, quia tale Votum semper includit hanc tacitam conditionem ad probandum, *si placuerit*. Tamen vouens ingredi Religionem, & in illa perseuerare, satisfacit Voto illam ingrediendo, licèt postea nulla iusta, & legitima causa egrediatur, sed tantū displicet id vitæ genus esse ei minus gratū, nisi simul vouerit nō se ab incepta probatione recessurum absq; iusta causa, & legitima, quia vo-

vouens ingredi Religionem censetur vouere secundùm formam iuris, vt infra annum possit liberè exire, si sibi in gratia sit Religio, *ita in cap. Apostolicam de regul. & cap. 1. & 2. de regul. in 6.* Sed si vouerit in ea professurum, & perseueraturum tenetur ex vi Voti perseuerare, & profiteri, & ideò nō liberari à Voto egrediendo ex iusta causa, sed teneri iterum ingredi, & profiteri, quia duo promisit, scilicet ingressum, & perseuerantiam, *ita D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 4* Quamuis secundū aliquos sufficere vouentem ingredi, & ad experiendum bona fide, an Religionis status sibi sit conueniens, aliàs poterit absq; peccato ab ea exire, absolutusque manebit à Voti obligatione, quia vtrumque Votum intelligendum est secūdùm Canones, annum Nouitiatus concedentes; & si experta Religio non placet, integrum sit vouenti egredi, & subinde in eo perseuerantiæ Voto, hæc tacita conditio iure ipso inest.

9. Similiter qui vouit Religionem in cōmuni, & aliquam ingreditur, si postea iusta de causa egrediatur, non tenetur ex vi Voti ad aliam transire, quia hic non perseuerantiam, sed ingressum vouit. Sed talis petens ingressum Religionis, & non admittitur, tenetur aliā petere, quia nisi admittatur ad vnam, non adimplet Votum ingrediendi Religionem in cōmuni. Sed vouens Religionē determinatam, & à Papa commutatur in aliam, & ab illa iusta causa recedit, non tenetur amplius ad prius promissam, sed prorsus à Voto liber, quia per commutationem obligatio prioris Voti extinguitur. Idem dicendum est de eodem, qui morali diligentia Religionem hanc, in quam Votum commutatur, petat, & in perpetuū repellatur, nō tenetur amplius ad prius promissam, quia suo Voto satisfecit quærendo diligenter, vt in Religionem commutatam admittatur.

10. Item qui commutauit sibimet propria authoritate Votum alicus Religionis minus strictæ in strictiorem, si in hac perseuerare non potest, vel ad illam non admittatur, non tenetur ad Religionem prius promissam intrare, etiam si ad illam admitteretur, sed liber manet in Voto, quia sicut vouens laxiorem, & ingreditur propria authoritate strictiorē, & egreditur iusta causa, liber manet in Voto, nam commutauit in melius, ita & iste &c. Secus si ingreditur strictiorem non animo commutandi, sed laxioris immemor, & si memor oblitus, aut nolens commutare, tunc licet iusta causa egressus

sus ex strictiori, aut in illam non receptus, tenetur ad prius Votum, quia prius Votum non erat extinctum; sed suspēsum incompatibile cum strictiori, quàm tanquam maius bonum impediri non potuit.

11. Sed quādo talis ingress' strictiorē, si expellatur propter deficientiam ætatis iuxta illius Religionis statuta, non satisfacit Voto, sed tenetur priorem Religionem ingredi, vel strictiorem intrare adepta legitima ætate, quia cōmutans Votum laxioris in strictiorem, tenetur illam eligere, cuius ipse est capax. Idem est de eo, qui vouit Religionem in communi, & ingreditur, sed postea egreditur tantùm per defectum ætatis requisitæ in illa, neque satisfacit Voto, quia ex vi Voti tenetur intrare aliquam Religionē sibi aptam. Si verò talis egreditur ob morbū, vel aliud impedimentum temporale, vel eijcitur ab ea, non tenetur, impedimēto cessante, iterum Religionem ingredi, vt Voto satisfaciat, quia semel ingrediendo, iam plenè suo Voto satisfecit. *ita D.Th. 2.2.q 181. art. 2. ad 2.* Sed vouens non solùm ingredi, sed emori, & perseuerare in ea, postea egrediens, vel expulsus ab ea, & quantumuis iusta causa, aut impedimento temporali, tenetur cessantibus his ad Religionem redire, quia solo ingressu bona fine non satisfacit Voto perseuerantiæ, cùm nondum perseuerauit. *ità D.Thom. locò citato.*

12. Rursus vouens ingredi, vel perseuerare in Religione in communi, & post adhibitam diligentiam intrandi nullam inuenit, eum recipere volentē, liber erit à Voto, & potest trāsire ad nuptias, quia talis adhibuit debitam diligentiam, cùm Votum tacitam conditionem habeat, scilicet si vouens admissus fuerit. Et satis est illi, vt quinque, vel sex varias Religiones exploret; & si vouerit Religionē particularē, satis est etiā quòd quinque, vel sex monasteria eiusdē perlustret, quia probabiliter credere potest se à cęteris quoq; fore excludendum. Fœminæ verò tantùm tenentur in propria Ciuitate, vel propè tentare ingressum, quia communiter non solent extra proprias Ciuitates vagari, vt ad Religionem recipiantur.

13. Similiter vouens Religionem in particulari repulsus à Generali, vel Prouinciali nō censetur liber à Voto, quia ad Priorem Conuentus cum consensu Capituli pertinet. Secus si totum ius admittendi Religiosos in aliquibus Religionibus spectat ad Generalem, & Prouincialem, vel Generalis, vel Prouincialis sufficiētem rationem reddiderit, obquam nullus

lius Conuentus eũ admitteret, tunc solutus Voto censetur, quia sic nulla esset spes, quòd admittatur in Religionem, quam vouit intrare. Sed si repulsio fuit ad tempus, tenetur expectare, rursusq; vrgere; sed si est simpliciter, & perpetua, omninò manet liber à Voto, quia Voti obligatio tacitam habet conditionem admissionis. Imò semel simpliciter expulsus post diligentiam morale, si postea admittere velint, non tenebitur, quia ei satis est, quòd quando petijt, fuit simpliciter expulsus, aliàs toto tẽpore vitæ suæ suspenso animo teneretur, & ad nuptias transire non posset, quod est absurdum. Verùm sunt, qui dicunt talem teneri manifestare se habere Votum, quia Votum manifestum fortè Religionis induceret ad receptionem. Aliqui verò non teneri manifestare, sed satis esse, si se admittendum curet, quia sicut nõ tenetur intercessores quærere ad receptionem obtinendam, ita etiam neq; Votum manifestare.

14. Item Voto ligatus Religionis, & in vnam bona fide ingressus, à qua sua culpa repulsus fuerit, si hic mediocrem diligentiam apposuit, suis effrænatis passionibus resistendum, vitiaq; corrigendum, non tenetur se corrigere, vt iterum admittatur, sed liber manet à Voto, quia si satisfacit Voto ille, qui spontè exijt, dum vitia corrigere, & ad normam Religiosam se accomodare non potest, eo magis expulsus. Sed si crassa negligentia sit expulsus, tenetur se corrigere, vt iterum admittatur, quia ex sua negligentia crassa conditio nõ adimpletur, scilicet vt in Religione retineatur.

15. Similiter vouentes Religionem non cogitando de statu Sacerdotum, vel Conuersorum, si habent conditiones ad Sacerdotem requisitas, & admittantur tantùm vt clerici, liberi sunt à Voto, quia hi communiter vouunt, vt sint Sacerdotes, aliàs nunquam tale Votum fecissent. Sed si his conditionibus caret, tunc tenetur ingredi, vt sit laicus, quia nec expressè, nec tacitè vouit hic ignobilis, & linguæ latinæ ignarus, vt sit Sacerdos. Imò vouens Religionem, & proponens esse status Sacerdotum, tenetur addiscere Grammaticam, vt Voto satisfaciat, quia implicitè promisisse censetur media, quæ ad Sacerdotij ordinem promouendum exigi nouit. Si verò tempore Voti putauit esse necessariã Grãmaticam addiscendam, tamen intra Religionem, si Religio nolit eum ad Clericorũ gradum admittere, nisi in sæculo eam

ad-

addiscat, non tenetur eam in sæculo addiscere, & liber manet à Voto, quia per ipsum non stetit, ne admittatur ingrediēdus, vt Clericus in Religione ex difficultate ignorata. Et si talis bona fide credēs ad hoc non requiri litteras, si id postea requiratur, non tenetur ex vi Voti litteras addiscere, si aliàs non admittitur, quia est notabilis mutatio superueniente magna difficultate ignorata, cùm statum Conuersorum non vouit.

16. Item vouens Religionem in statu Conuersorum ignorans requiri scientiam alicuius artis, non tenetur ex Voto illam addiscere, quia est notabilis mutatio à se ignorata. Secus si de facili possit addisci, quia non est notabilis mutatio. Sed si sciuit ad ingressum requiri aliquod artificium, tenetur ex Voto addiscere, quia implicitè illud vouisse censetur. Si autem dubium, an sciuerit, vel ignorauerit id artificium requiri, censendum est ignorasse, quia pauci sunt, qui sciunt id esse ad statum Conuersorum necessarium.

17. Item vouens Religionē collocandus in Ordine Clericorum, sciens ad id requiri Grammaticam, quam moraliter addiscere non potest, non tenetur ingredi Ordinem Cōuersorum, quia hoc excedit suam intentionem. In dubio autem, an vouens sciuerit, vel ignorauerit litteras esse necessarias ad statum Clericorum; si eas ignoret, tenetur addiscere, quia nō est notabilis mutatio, nec superuenit difficultas incognita, nec est opus, vt tempore Voti aduertat vouens ad omnes rei promissas difficultates.

18. Item scholasticus vouēs Religionem, quando habuerit licētiam necessariam, si adhuc ex iusta causa, scilicet ægritudinis, vel aliæ, non perueniat, liber est à Voto, quia moraliter tunc est impotēs ad ingressum. Secus vouens ingredi Religionem intra triennium, non liberatur etiam transacto triennio, quia terminus ille non videtur positus finiendæ causa obligationis, sed potiùs causa incipiendæ exequutionis.

ARTICVLVS XV.

An filius familias vouens Religionem in magna parentum necessitate, obligetur?

1. R. Nō, quia est votum factum in præiudicium parentum. Siue Votum præcesserit, siue subsequatur parentum necessitatem, durante necessitate etiā semper non tenetur, quia quæ sunt præcepti, non debent emitti propter illa,

illa, quæ sunt consilij. Sed si possunt per alios eius parentibus ministrari, potest si vult, Religionem intrare: & si votū emisit, tenetur ingredi, quia D. Chrysostomus, *super Matth.* 8. *& Luc.* 9. ait malum esse abducere hominem à spiritualibus; dum fuerint, qui ministerium parentum compleant. *ita D. Thom. quodlib. 3. art. 16.* Et necessitas parentum impediēs adimpletionem Voti filij, pensanda est ex indulgentia personæ, & ex decentia status, quia præceptum naturale, & diuinum est, subueniendi parentibus egenis in necessitate constitutis, non solùm ratione personæ, sed etiam decentiæ status eorumdem. *ita D. Thom.* 2. 2. *q.* 101. *art. 4. ad 4. & q.* 189. *art. 6. & Concil. Gangrensi cap.* 1. *dist.* 30. *Et Leo IV. cap. 1. de libellis. dist.* 20. vbi anathematizat, qui ob ingressum Religionis deserunt parentes in necessitate constitutos.

2. Sed extante necessitate parentum licet filium ingredi Religionem, quando non potest manere in sæculo sine suæ salutis dispendio, quia Charitatis ordo petit, vt filius salutē propriam spiritualem temporali parentum bono proferat. *ita D. Thom. quodlib. 3. art. 16.* Idē dicendum est, quando parentes ipsi, ita filium ad peccandū excitarent, vt verisimiliter filij lapsus in peccatum timeatur, quia actus virtutis debitis circumstātijs limitatur. *ita D. Tho.* 1. 2. *q.* 7. *art.* 2. *&* 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. Si verò dubium est periculum tale, vt eius ingressus sit præcepto subuentionis parentum anteponendus, præceptum subuentionis parentum obligabit, quia excusatio cum sit dubia, præceptum subueniendi parentibus præualebit. Et non solum quando magna parentum necessitas est actualis, sed etiam quādo timetur probabiliter futura, quia necessitas futura arbitrio prudentum iudicatur magna parētum necessitas, vt obliget filium, ne se reddat impotētem ad illos subueniendū, quando occurrerit.

3. Imò filius tenetur egredi è Religione, si necessitas parentum accidat tempore Nouitiatus, dum nō sint alij, quia cū licitè egredi valeat, & perseuerantia sit solius consilij, anteferendum est præceptum subueniendi parentibus.

4. Tamen valida est professio filij facta, stante magna necessitate parentum, quia tunc esset inualida professio, quando ære alieno esset grauatus, quia *ita Decretum Sixti V.* Verùm stante graui necessitate parētum filius professus potest egredi petita, & non obtēta licentia egrediendi è Religione, quia nulla vota sunt im-

peditiua operum iustitiæ. Imò secundùm aliquos tenetur dimittere habitum, vt eis subueniat, si aliter eis subuenire non potest, quia ea necessitas præponderat. Sed tenetur talis ad monasterium statim redire, cùm primùm ei necessitati subuenerit, quia causa egressus iam cessauit. Et quando necessitas parentum est grauis, potest è Religione licitè exire, saltem retento habitu, & petita prius, licèt non obtenta licentia subuenire eorum indigentiæ, quia cum eo onere in Prælati potestate transiit.

5. Sed verius, & probabilius dicendũ nunquam teneri professum egredi è monasterio ex graui indigentia parentum licèt ea professionem præcesserit, neque posse absque licentia Superioris, quia tantùm obligat filium professum, salua obedientia, & status Religiosi decentia. *ita D. Thom. quodlib. 3. art. 16. & 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.* Et consimilis licentia concedi potest à Generali, & Prouinciali habitu retento, & in monasterio existente indigentiam parẽtum subuenire, quia alias integrũ esset professo egredi, eo iniquè denegante. Sed modis suum statum decẽtibus debet subuenire parentibus, quia salua sui status decentia tenetur pro viribus in Religione per se, vel per alium suis parẽtibus subuenire. *ita D. Thom. locis supra citatis.* Et Prælato cõtradicente, potest occultè subuenire, quia Prælatus tunc iniquè agit. Et potest etiam ex necessarijs suo victui taxatis aliquid subtrahere, & tempore in rebus Religionis non occupato aliquod artificium Religionis honestũ exercere, quia posset hæc facere secreto, & sine scandalo petita, & non obtenta licẽtia, cùm à Superiore iniq; denegetur. Itẽ Religiosis, quibus strictè non interdicitur pecunias apud se retinere, possunt etiam iniustè denegante Prælato, vt parentibus subueniant, quia licèt sit ius Superioris, & illi obedientia præstãda, tamen non quando vergit in præiudicium tertij, scilicet parentum. Et sic etiam tenetur subuenire parentibus arte, quã in Religione didicit, quia cùm iam possit illis subuenire, tenebitur vtique modo conformi suo statui.

6. Similiter filius si graui parentum necessitati subuenire nequiret, nisi matrimonio inito, adiutus vxoris dote, tenetur illud inire, etiam si esset obstrictus Voto Castitatis, & Religionis, quia præceptum subueniendi parentibus graui necessitate oppressis præponderat consilio vitę celebris ducẽdæ. Sed si talis cum alia muliere commisceretur, esset Sacrilegus

legus, & matrimonio durante absque dispensatione non potest petere, benè tamen reddere post primum bimestre. Et soluto matrimonio, & prouisis parentibus, ad Religionem transire tenetur, quia Votum Castitatis non extinguitur, sed suspenditur. *ita D. Tho. quodlib. 10. art 9.*

7. Tandem filius professus tenetur subuenire parentibus in graui necessitate, etiam si hæc subsequuta fuerit post professionem, quia etiam in eo adhuc perseuerat pietatis obligatio erga parentes. *ita D. Tho. 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.* Et si Monasterium succedens in bona filij ingredientis Religionem, tenetur alere eiusdem parentes in necessitate constitutos, quia Monasterium est loco hæredis, & filij. *ita cap. in præsentia. in fine de prob.*

ARTICVLVS XVI.

An habens fratres, vel sorores in graui necessitate impediatur ab ingressu Religionis, vt illis subueniat?

1. ℟. Non, quia non tenetur succurrere illis, sicut & parentibus priuando se tanto bono, vt illis subueniat.

2. Sed si habent Sorores periculo impudicitiæ expositas, si ab ipsis dimittantur, non possunt ingredi Religionem, quia Charitas suadet, vt earum impudicitiã frater caueat. Imò frater Voto Religionis obstrictus potest eius ingressum differre, quando tempus non est præfixum voto implendo; quia tunc non est commoditas opportuna, dum habet Sorores in periculo impudicitiæ expositas. Etiam potest differre, si voto tempus est præfixũ; quia auxilium sororum in periculo impudicitiæ præponderat obsequio illi diuino ingressus statim Religionem.

3. Vnde ad differentiam Voti ingressus, cui est præfixũ tempus, est iusta causa dispensandi periculum Sororum impudicitiæ ab Episcopo, vel Cõfessore vi Iubilæi, quia tunc dispensatur non in substantia Voti, sed in sola dilatione illud exequendi.

ARTICVLVS XVII.

An Parentes, qui Religionis Votum emiserunt, teneantur ad illud, si habeant filios paruulos?

1. ℟. Non, quia debitum benè educãdi filios, & illis subueniendi per se, & ex natura rei est annexa parẽtibus, *ita D. Tho. 2. 2. q. 109 art. 6.* Et si professionem emiserunt,

Mmmmm 2 est

est valida, & non tenetur egredi, sed salua obedientia, & sui status decentia illorum necessitati subuenire, quia si professi tenentur subuenire parẽtibus, multò magis filijs, cùm habeãt principij rationem, ideò per se conuenit alere filios, & per accidens parentes.

2. Eamdem obligationem habent Aui, & Proaui habentes nepotes carentes parẽtibus, non possunt deserere illos in magna necessitate constitutos in educatione, substentatione, & durum est ingredi Religionem etiam cum Voto; & si iniquè profitentur, valida tamen est professio, sed salua obediẽtia, & sui status decentia illos subuenire debent, quia succedunt loco parentum, & habent rationem principij respectu descendentium.

ARTICVLVS XVIII.

An vouens Religionem, si posteà defloret puellam sub promissione vera, vel ficta, teneatur ad ingressum Religionis?

1. R. Non, quia ingressus Religionis iam factus est illi illicitus. Alij tenent oppositum, scilicet ingredi debet Religionẽ, quia prius fuit obligatus Deo, quàm puellæ. Verùm puella illa non tenetur admittere aliquam compensationem, quia illa non tenetur subire infamiam amissæ Virginitatis, vt ille Votum suum impleat.

2. Vnde talis non tenetur petere dispensationẽ voti, quia exequutio voti facta est ei illicita. Tamen ducendo puellã, nõ potest petere debitum, sed reddere, ea implicitè, vel explicitè petente. Idem dicimus, si talis cum vidua bonę famę, & honesta rem habuit cum spe matrimonij, quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis, scilicet vinculum iustitię, & notabilis iactura famę illius. Nec etiam obligatur ad votũ Religionis talis, si tantùm desponsauit sibi puellam de futuro, & inter illos non intercesserit copula, sed magna familiaritas & suspicio copulę; quia est vinculum iustitię, idest, ne puella maximam infamię notam incurrat.

3. Sed si puella, vel vidua illa sciuit votum promittentis, & tamen habuit rem cum illo sub spe matrimonij, nõ tenetur sed votũ seruare, nec cõpensare aliter damnum, quia fœmina non fuit ab illo decepta, cùm sciuit ipsa promissum nõ posse licitè ab ipso impleri.

4. Verùm habens votum Religionis, si vi, vel dolo, aut precibus importunis violentię ęquipollentibus puellam defiorat,

floruit, & corruptor vt huic iustitię satisfaciat, spontè promittit ei matrimonium, tunc tenetur stare promissis, & non ingredi Religionem, quia promissio matrimonij in puellę satisfactionē subsequuta est. Sed alis si se Virginem esse dicēti, Virginē nō inuenit, nō tenetur stare promissis, sed ad votum Religionis; quia illa deceptio est sufficiens causa sponsalia dissoluendi. Neq; talis tenetur illam ducere, si cum alio contingerit fornicari, sed ingredi Religionem, quia ex vi promissionis solùm tenetur eam ducere, & hæc obligatio extinguitur per superuenientē fornicationem. Tenebitur tamen vir in hoc casu restituere aliquid ratione copulæ, quia fœmina non fuit causa deceptionis, nec aliquam iniuriam intulit viro, qua compensetur iniuria sibi illata.

5. Similiter validum est matrimonium illius, qui contraxit de præsenti, licèt erret circa qualitatē personæ, scilicet putans esse sanam, & Virginem, inuenit leprosam; & corruptā, quia quo ad substantiam, & naturam rei est simpliciter voluntarium. Sed si habuit actualem intentionem non accipiēdi vxorem, nisi sanam, & Virginem, est irritum matrimoniū, siue verbis exprimitur hæc cōditio, siue mente contrahentis retenta est, quia qualitas, in qua erratur, siue decipitur cōtrahens, apponitur per modum conditionis in ipso matrimonij contractu.

6. Tandem Voto Religionis adstrictus, si vxorem duxit, & intra bimestre non consummauit, potest adhuc ingredi Religionem, quia licèt peccauerit negando debitum petenti alteri coniugi post elapsum primum bimestre, tamen non amisit ius ingrediendi Religionem, quia absolutè conceditur hoc priuilegium professioni Religionis, vt scilicet semper dirimat matrimonium ratum, non dum consummatum.

ARTICVLVS XIX.

An Votum de materia indeterminata sit validum?

1. R. Sic, quia licèt in ciuilibus incertitudo vitiet professionem, at in spiritualibus in fauorem causæ piæ nunquam vitiat, *ita L. cum post. §. gener. ff. de iure dotium.*

2. Vnde vouens dare pauperibus, vel Ecclesiæ mensuram frumenti indeterminatè, satisfacit Voto dando minimā mensurā, quia in dubijs vnusquisq; præsumitur minus seipsum grauare, quàm potuerit, *ita in cap. ex partibus de censibus.* Sed non satisfacit vouens calicem

cem Ecclesiæ dando ex materia minima, scilicet ærea, vel lignea, quia intelligitur promissus calix cultui diuino aptus, *ità cap. calix: de consecrat. dist.* 1.

3. Verùm quando ignoratur id, de quo Votum emissum sit, & ex verbis vouentis colligi non potest, liberum est illi eligere ex his, de quibus dubitat eligere, quod maluerit, quia tunc non tenetur amplecti id, quod est rigorosius, quod nõ magis ad illud, quàm ad hoc, de quo dubitat, obligatur. Sed vouens Castitatem absolutè, non satisfacit Voto, seruando coniugalem, quia nomine Castitatis communiter, omnimoda Castitas intelligitur Tamen si non recordatur, an vouerit Castitatem, vel tantùm coniugalem, tunc seruando coniugalem, satisfacit, quia in dubio reputatur Votum quasi rei indeterminatæ, in quo euentu solùm minorem obligat. Ita etiam vouens dare eleemosynam pauperibus, nulla signata quantitate, satisfacit erogata quacunq; minima eleemosyna, quia in illa Votum veræ eleemosynę saluatur. Sed si est omninò dubia sufficere quãcunque eleemosynam, quia in dubio, quod minus est censetur promitti; sicut de Oratione indeterminata sufficit Voto salutatio Angelica; *ita regula in obscuris, & de regul. iuris in 6.*

4. Similiter vouens ieiunare indeterminatè, satisfacit Voto ieiunãdo vno die, quia Voti obligatio strictè facienda est. Et vouens ieiunare plures dies indeterminatè, satisfacit ieiunando duobus diebus, quia pluralis locutio duorum numero est contenta, *ità in regul. pluralis de regul. iuris in 6.* Sed vouens ieiunare diebus Veneris, vel alio hebdomadæ die, in perpetuum ieiunare tenetur, quia in communi concipiendi modo oratio indefinita æquipollet vniuersali, *vt in reg. inspicimus de regul. iuris in 6.*

5. Verùm in Votis indeterminatis ad prudentum arbitriũ recurrendum est, vt consideratis circumstantijs personæ vouentis, causæ, & operis, ad quod promisit, explicet, quia in obscuris vir prudens inspicere debet, quod veri similius est; *ita ex reg. iuris.* Sed qui dubitat, an Votum emiserit, an non, ad illud obseruandum non tenetur, si post adhibitam diligentiam remanet dubius, quia in dubio melior est conditio possidentis.

6. Similiter vouens peregrinationem non determinando pedester, vel equester, potest equester peregrinari, quia Votum est strictè interpretandum, ita vt in quantum fieri possit,

possit, minus obligat. Imò si dum vouit, habuit animum eundi pedester, non tamen vouit pedester peregrinationē, non tenetur ratione voti ire pedester, quia non omnis intētio tunc concepta obligat sub Voto, sed quę sub illo comprehensa est.

7. Tandem Votum pueri, vel puellæ, si dubitatur, an in emissione habuerit vsum rationis, est validum, dum septennium compleuerit, quia ius censet sponsalia post septennium valida, ita & Vota. *ita in cap. litteras, & cap. accessit de sponsalibus impub. & cap. ad dissoluendum eod. titulo.* Sed puer certus de Voto, dubius autem an septennium compleuerat, tunc videtur Votum valere, quia ante septennium completū nunquā, aut raro emittuntur Vota, cū ex tunc incipiat vsus rationis, & libertas *ita D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2.* Tamē moraliter dicitur septennium cōpletum, etiam si duo, vel tres deficiant, quia quod parum distat a re, parum, aut nihil distare videtur. Quamuis alij dicant requiri septēnium Methaphysice completum, quia vt testamentum sit validum in iure, requiruntur 14. anni completi, si vna dies deesset, non valeret, ita in septennio incipere vsum rationis.

ARTICVLVS XX.

An obstrictus aliquo Voto, satisfaciat Voto, dùm illud adimplet, non attendens talem obligationem?

1. ℞. Sic, quia obligatio Voti intentionem non præcipit, sed vt exequatur id, quod per Votum nobis faciendum iniuximus. *ita D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 2.*

2. Vnde ad implendum præceptum licèt requiratur intentio ad implendum illud, nō tamen necessario actualis, quia præceptū solùm iniungit opus illud actu humano, & libero implendum, & non vt illa formalis intentione satisfaciendi præcepto, illud opus exequamur. Et sic satisfacit ille præcepto Missæ in die festo, qui illam audit ignorans esse diem festum, quia præceptum id solùm exigit, vt liberè opus per illud iniunctum exequamur.

3. Idem dicendum est in satisfactione Voti, iuramenti, vel Pœnitentiæ Sacramētalis, non requiritur actualis intentio, sed sufficit, vt postea recordetur illorū satisfecisse per illud opus iam impletum, quia lex, & pręceptum generale non obligāt in satisfactione intentionem actualem, ita neq; hæc lex specialis Voti, iuramenti, vel Pœniten-

nitentiæ Sacramentalis. Secus ebrius, vel dormiens satisfacit illis, quia non adimplet illa actu humano, vel libero, *ita D. Tho. 2.2.q.104.art.3.ad 2.*

4. Similiter qui omninò inuitus Votum, vel præceptum adimplet, non satisfacit Voto, vel præcepto, quia vbi est ea coactio, deficit adimplēdi Votum. Vnde non adimplet ieiunium Voto, præcepto, vel pœnitentia iniunctū, qui omninò inuitus ablato sibi cibo ieiunat, quia deest voluntas, & actio humana, ac proinde id non est ieiunare, sed pati.

5. Verùm debitor, licèt soluendo coactè debitum exterius iustitiæ præceptū impleat, tamen interius peccat mortaliter coram Deo, quia deest omninò volūtas soluendi, quæ ad impletionem præcepti coram Deo requiritur. Et sic qui ex graui metu adimplet iuramentum, Votum, aut quoduis aliud præceptum, eis satisfacit, quāuis peccet habens voluntatem non implendi, si in sua omnimoda voluntate esset, quia ille metus grauis non tollit, sed solùm minuit libertatem, & illa impletio est actus humanus, & liber, & proinde satisfit, ita vt obligatio illa implendi cesset.

6. Item famuli, vel filij familias audiētes Missam auctoritate dominorum, vel parentū coacti, sed attentione requisita licèt non actuali, satisfaciunt præcepto, quia Missam audiūt humano modo, idest debita attētione, & intentione audiēdi Missam. Sed peccarent lethaliter hi si actualiter haberent conditionalem intentionem non audiendi Sacrum, nisi præcepissent illi, quia tenentur habere absolutam voluntatem implendi præceptum audiendi Sacrum, vt illud sine peccato adimpleant.

7. Similiter obstrictus ad audiendam quotidiè Missam ex Voto, vel ex Pœnitentia Sacramentali, non satisfacit, si esset in Ecclesia, gratia contemplādi Diuina, & casu tunc fieret Sacrum, absque tamen animo illud audiendi, quia licèt attentio ad rei Diuinæ contemplationem sit sufficiens ad Sacrū, tamen ad talem satisfactionem Voti, & Pœnitentiæ Sacramentalis intentio, & voluntas Sacrum audiendi requiritur. Ita etiam recitans Officium animo legendi, vel addiscendi Psalmos, & non animo orandi, aut recitandi Officium, non satisfacit, quia non oramus, quando deest orandi voluntas.

8. Item qui omninò inuitus implet præceptum Superioris latum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, manet excommunicatus, quia verè hic inuitus, omninò non adimplet

plet præceptum. Et hæc conditio, tamquam præcepto intrinseca semper in eo intelligitur; quia vt præceptum adimpleatur, requiritur intentio faciendi opus, quod præcipitur. Sed soluẽtes decimas, vel aliud debitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; & si hi omninò inuiti soluunt, non incurrũt excommunicationẽ, quia in excommunicatione ea sola externa debiti solutio intenditur, ne Ecclesia, aut creditores debito defraudentur. Tamen hi peccarẽt lethaliter, quia coram Deo non adimplent præceptum, quo tenentur alienum restituere.

9. Item debens suo creditori centum, satisfacit huic debito, si debiti prorsus immemor animo liberali tantumdẽ ei donet. Ita etiam obnoxius restitutioni incertorum pauperibus, potest omnes eleemosynas, quas postea ignarus, aut illius obligationis immemor, ex sua deuotione largitus est computare in eius restitutionis partem, quia si conscij, aut prędictę obligationis memores essent, non animo liberali, sed satisfaciendi dedissent. Sed probabile est per donationem acceptam, vt donationem non satisfieri debito iustitiæ, quia iustitia obligat ad æqualitatem seruandam inter rem debitam, & solutam, quæ non seruatur, quando debitum non soluitur vt debitum, sed liberali donandi animo.

10. Item faciens opus, ad quod ex voto, vel pœnitentia Sacramentali tenetur, si nolit per illud opus satisfacere voto, vel pœnitentiæ non satisfacit, etiam si postea illud opus pro tali voto, vel pœnitentia applicet, quia actus non operatur vltra agentium intentionem, *ita lib. non omnis §. si certum petatur*. Ita etiam nõ satisfacit præcepto, qui opus præceptum exequitur cum intentione nõ satisfaciendi præcepto, quia cum ille actus iam præcesserit, nequit postea fieri necessariò, & sub præcepto. Et talis peccat mortaliter adimplens votũ, vel præceptum cum intentione non satisfaciendi, quia statuens expresse se nolle præcepto per opus impletum satisfacere, verè ei non satisfacit, & peccat, cum intra tempus obligationis non satisfecerit, nec habet intentionem intra id tẽpus iterum illud adimplere. Satis etiam probabile est satisfacere præcepto, qui opus pręceptum exequitur, cum intentione non satisfaciendi, quia vota ex præcepto solùm obligant ad substantiam actus promissi exequendam actu quodam humano, & non est in vouentis potestate non satisfacere.

11. Item recitans ex deuotione Officium, ad quod etiam tenetur ex ordine sacro, vel beneficio, vel ex iuramento, absque intentione satisfaciendi, adhuc satisfacit, quia præceptum orandi solùm obligat ad recitandum Officium, & non ex peculiari actu voluntatis satisfaciat præcepto. Idem dicendum est, quòd ad hoc, quod opus, ad quod quis ex præcepto, vel voto tenetur, sit satisfactorium, dum fuit factum absque intentione, & voluntate satisfaciendi illis, vt de facto satisfaciat: requiritur quòd intra tempus obligationis reuocet animum non implēdi votum, vel præceptũ, & ita cupiat opere illo præterito satisfecisse obligationi, quia illi operi, ad quod tenebatur, vel Voto, vel præcepto hęc sola volũtas deerat, velle scilicet opere illo prętерito satisfecisse obligationi. Imò probabiliter dicimus hãc voluntatis mutationem non desiderari, sed satis esse, vt hanc conscientiam deponat, sciens se satisfecisse, etiam si nullam intentionem satisfaciendi habeat per opus prętеritum, quia hic per illud opus iam satisfecit voto, vel præcepto, ideò nõ requiritur ea mutatio voluntatis, sed satis est, quòd nouit satisfecisse.

12. Item exequens votum, vel præceptũ absq; intentione tunc satisfaciendi, scilicet, *Rosarium*, cum animo satisfaciendi alia vice intra tempus obligationis sui voti, non tenetur postea mutare intentionem, sed satis est, si se satisfecisse sciat priori illo Rosario dicto, non obstante contraria sua voluntate, quia iam vere, & plenè satisfecit voto illi. Et licèt non peccauerit non mutando voluntatem cùm Votũ per exercitium opus impleuit, tamen peccat mortaliter contra præceptum naturale diuinum, quo vnusquisque tenetur subiectus esse legi, & legislatori, quia exequens opus, ad quod tenetur ex voto satisfaciendi intra tempus obligationis, non vult esse subiectus legi, neque legislatori, qui præcipit satisfacere intra tempus obligationis.

13. Vnde interrumpēs Officium diuinum, animo tamē repetendi iam lecta, si postea non repetit, sed tantùm sequētia adiungit nõ mutando propositum, satisfacit penso recitandi Officium, quia intentio illa superueniens repetendi iã lecta nõ obstat, quominus cõtinuari possint iam recitata, & ita præcepto recitandi Officiũ satisfacit.

14. Item votum potest impleri per opus, quod est peccatum mortale, vt quis recitãs Rosarium ob inanem gloriam, ad

ad quod tenetur ex voto, quia leges præcipiunt substantiam actus, non modum. *ita D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 9. & 10.* Consequēter præceptum potest impleri per opus, quod ratione finis, vel alterius circumstantiæ est peccatum mortale, vt obseruare præceptum ieiunij, sed finē præcepti, qui est fame carnem affligere, non seruat, quia finis præcepti nō cadit sub præcepto ieiunij. Et sic pœnitentia Sacramentalis facta in peccato mortali sufficit ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem à Confessore impositam, quia ad præceptū sufficit substantia operis, etiam si extra charitatèm fiat, & ob aliquem malum finem. Sed non adimplet præceptū, quando modus est de intrinseca ratione præcepti, vt Titius dormiens audit Sacrum in die festo, quia assistentia humana est modus intrinsecè, & pertinens ad substantiam præcepti audiendi Sacrum diebus festiuis.

ARTICVLVS XXI.

An qui ex Voto tenetur recitare Officium, satisfaciat, si voluntariè distractus persoluat?

1. R. Non, quia deuotè, & attentè nō orat, sicut est ei præceptū ab Ecclesia.

2. Vnde Ecclesia habet potestatem, & vim super actus externos, etiam occultos, sicut hæreticus exterior, etiam occultissimus est ipso iure excōmunicatus, quia quod in foro iudiciali huiusmodi actus probari non possunt, eo quod desint legitimæ probationes, supplet potestas ipsi⁹ Ecclesię. Imò quando præceptum Ecclesiæ est conuentio quædam habēs vim, & potestatem in actus internos, non vt præceptum humanum, sed vt habet conuentionis naturam, vt Ecclesia potest præcipere, quod si beneficiatius curatus nō promoueatur infra annum ad Sacerdotium; priuetur beneficio, quia Ecclesia, & quisque alius potest sua bona in alterum transferre, sub conditione, vt hoc, vel illud præstet. *ita cap. commissa §. cæterum de Electio in 6.* Et sic Ecclesia quando præcipit actū externum, pręcipit etiam internū, quia actus humanus, quē Ecclesia iubet, absq; actu interno voluntatis esse nequit.

3. Verùm Ecclesia non potest prohibere, vel præcipere actum mētis simpliciter internum, quia Ecclesia non potest iudicare de internis, cùm hoc excedat omnem potestatem humanam. *ita cap. sicut tuis, de Simonia, & D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5.* Consequenter Religiosi non tenentur obedire Prælato

præcipienti actus internos spectantes ad interiorem motum voluntatis, quia Prælatus iudicare non potest de interioribus actibus, qui per se latent, *ita D. Thom. loco supra citato*. Benè tamē per accidēs, quatenus interior motus volūtatis coniūgitur cū actibus exterioribus; quia Ecclesia in canone excommunicat Religiosos accedentes ad Curiam animo offendēdi suum Prælatum, idest prohibet accessum sub tali pœna non cuicunque, sed habenti animum nocendi, *ita in Clement. 1. de statu Monaci.*

4. Hinc est, quòd qui Officium Diuinum persoluēdum compelluntur, tenentur animi attentione, & deuotione recitare, quia interna animi attentio, & deuotio sunt de iure naturali debita orationi. Et ita nō benè asserunt aliqui, quòd recitantes ex præcepto Officiū spontè mente distracta, satisfaciunt, eo quod attentè orare non est ius Diuinum, sed positiuum, quod ad interiora non se extendit, cùm ratio, & natura orationis postulat, vt attente animi interna deuotione, & attentione precemur, ne externa deuotio sit potius simulatio deuotionis, quia Oratio est eleuatio mentis ad Deū. Et licèt Ecclesia principaliter actus mentis internos nō possit præcipere, nec prohibere, tamen secundariò, & ex accidenti præcipit etiā actus internos, quatenus sunt necessarij ad constituendos actus externos in aliqua virtutis specie, vt ratio, & natura virtutis postulat; nam sicut Prælatus potest præcipere subdito, vt Missas secundùm suam intentionem applicet, & tunc præcipitur ipsis interior animi motus, vt coniunctus cum actu exteriori celebrationis eiusdem.

ARTICVLVS XXII.

An qui ex duplici obligationis titulo tenetur, vnico operis actu satisfaciat?

1. R. Non, quia actio ad eum finem valet, ad quem dirigitur, & ordinatur. Et sic qui ex Voto tenetur audire Missam, & similiter ex pœnitentia, vnica Missa non satisfacit vtriq; obligationi, quia Missa est opus indiuisibile. Et si exequens tale opus indiuisibile duobus titulis debitum, cogitans se vtrique obligationi satisfacere, vel nihil cogitās de obligationibus, solùm satisfacit strictiori, & grauiori; quia Votum est actus Religionis strictius obligans, quàm pœnitentia, *ita l. pluribus ff. de obligationibus*. Consequenter, qui ex præcepto Ecclesiæ, vel ex Voto, vel ex pœnitētia tenetur

Missam

Missam audire, vnicam Missam audiendo non satisfacit omnibus obligationibus, etiã quòd omnibus ipse satisfacere decreuit, sed tantùm satisfacit præcepto Ecclesiæ, quia obligatio imposita ab Ecclesia grauior videtur obligationi contracta ex propria voluntate, vt est Votum, aut ex intentione Confessoris, vt est pœnitentia. Et quando Vota, vel præcepta sunt æqualia, & opus est indiuisibile, vt est Missa, vel ieiunium, tunc liber tantùm manet ab vna obligatione illorum, quæcunque sit illa, quia opus indiuisibile non potest pro rata circa omnes obligationes prodesse, cùm obligationes sint æquales.

2. Sed q multis titulis æqualibus præstare tenetur opus diuisibile, vt dare centum nummos non intendens cuinam velit satisfacere, satisfacit vtriq; obligationi pro rata, manente adhuc onere adimplendi aliã vtriusq; obligationis partem, quia opus, quòd non valet, vt agitur, valere debet eo meliori modo, quo potest; *ita in iure cap. vnic. §. idem quoq; de sponsalib. impub. & D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8.* Verùm qui ex Voto duplicẽ Missam audire tenetur, eas simul audiendo satisfacit, dummodo simul in duplici Altari celebrantur, quando Altaria ita sunt coniuncta, vt verè diceretur audiẽs esse præsens moraliter illis, q a potest vtriq; tempore esse præsens, & vnica attentione ad Deum habita satisfacere.

3. Similiter vnico actu potest diuersis præceptis satisfacere; vt si ieiunium quadragesimale voueat, imponatur in pœnitentiam, quia obligatus ad Diuinũ Officiũ ratione Ordinis, & beneficij, eadẽ vna recitatione vtriq; obligationi plenè satisfacit. Ideò omittẽs opus duplici precepto debitũ, vt ieiuniũ, cõmittit duplex peccatũ, quia licèt obligationes sint de eadẽ materia, pertinent tamen ad diuersas virtutes, scilicet ad virtutem Religionis per votum, & ad temperantiam, vt ieiunium quadragesimale. Sed omittens ieiunium Vigiliç incidentis in Quadragesima, committit vnum peccatum, quia hęc pręcepta sunt de eadem materia, & ob idem virtutis motiuum. Quamuis aliqui oppositum sustineant, quia ex duplici pręcepto esse duplicẽ malitiam. Sed verius est, quod diximus.

4. Ita etiam obstrictus ex voto audiendi Sacrum, potest in eodem recitare Officium, ad quod ex aliqua obligatione tenetur, quia neutra ex his obligationibus attentionem ad verba requirit, & eadem attentione eodem tempore satisfit vtrique obligationi. Sed qui vouit di-

dicere Rosarium B. V. non satisfacit suę obligationi, si illud sola mente recitat, quia id votum accipiendū est instar pręcepti Ecclesiastici de hac re, quod sola mentali Oratione non impletur. Benè tamen satisfacit voto suo, si alternatim cum socio persoluit, quia est instar præcepti Ecclesiastici, quod de recitando Officio alternatim persoluitur.

ARTICVLVS XXIII.

An recitans Officium Diuinum, si illud per longum tempus interrumpat, satisfaciat præcepto Ecclesiæ?

1. ℞. Sic, quia iam satisfacit præcepto ab Ecclesia præscripto, recitās Officium intra eandem diem.

2. Idem est etiam de recitatione Rosarij ex voto, si recitat vnam decadem, omittendo alias in aliud tempus, quia singulæ decades reputātur vt vna hora canonica, quam possumus vnam horam recitare, dilata aliarū recitatione in aliud tempus. Imò satisfacit voto, facta etiam interrumptione in ipsismet decenis, quia obligatus ad preces sic satisfacit; satisfacit etiam & ad Rosarium.

3. Verùm non est eadem ratiò diuini Officij, & formæ Sacramentorum, cùm interruptio informis Sacramentorum reddat irrita Sacramenta, quia forma Sacramenti efficit significando, & significat efficiendo, & suam significationē non haberet, si notabili, & longa interruptione proferetur, vnde non haberet suum effectum. Sed in Officio nō adest huiusmodi practica significatio, cum non sit institutum ad aliquid ex vi verborum producendum, & sic de substantia singularum precum Officij nō est continuatio, & preces interruptæ efficiunt suum Officiū, sicut multæ Confessiones interruptæ integrant vnam Confessionem, obtenta in fine absolutione.

4. Vnde interruptio Officij, vel operis debiti ex voto, non est peccatum mortale, quia singuli psalmi, imò singuli versiculi sunt per se, vel præcatio quædam, vel laudatio, vel sententia non habens necessariam cum alijs connexionem. Sed non caret culpa veniali, si absque iusta causa cōtingat, quia est irreuerentia instituto eum aliquo sermone illum interrumpere.

5. Causa autem iusta, & rationabilis interrumpendi obligationes operis debiti excusās etiam à culpa veniali, censetur opus aliquod saluti, honori, famæ,

mæ, aut alijs Votis nostris, vel proximorum necessarium, cũ tale sit, quod in aliud tempus differre commodè nequeat, quorum si alterum desit, obligationes huiusmodi inceptæ minimè iure intermittuntur.

6. Similiter recitans Rosarium, vel Officium ex deuotione, peccat venialiter non recitando attentè; quia licèt tunc nõ teneatur ex præcepto affirmatiuo orare, tamen ex præcepto negatiuo Religionis, vt caueat actus irreuerentiæ. Sed psalmum recitans ad animum distrahendum, vel memoriæ mandandum, vel vt se recreet, non peccat, si sine attentione recitet, quia tunc non intendit orare, nec Deum alloqui, non tenetur attendere.

7. Item qui ex officio, vel mandato Superioris detinentur in pulsandis organis, vel transscribendis libris, &c. non tenentur per seipsos illam partem recitare, quæ ab alijs persoluitur, quia cùm detineantur in his, quæ pertinent ad diuinum Officium cẽsentur cooperati, & suppleri per alios. Et tales dici potest satisfacere assistentiæ, & obligationi Chori, & posse licitè distributiones accipere, non verò satisfacere obligationi Officij, nisi illud postea priuatim recitent, vel saltem nisi attẽdant ad ea, quæ interim recitantur, quia non dicitur recitare Officium, qui verba Officij non profert, vel ad illa non attendit.

ARTICVLVS XXIV.

An recitans per seipsum Diuinum Officium, vel Rosarium ex Voto, teneatur proferre verba distinctè, ita vt seipsum audiat?

1. ℞. Non, quia solùm obligat ad dicendũ, non autem ad audiendum, & satis est, vt verè dici queat ore, & voce preces fundere.

2. Verùm recitãs Officium cum socio, debet audiri à socio, quia recitans Officium socio obstricto eodem onere supplere debet audiẽdo, quod omittit recitando. Sed si socius non tenetur hoc onere, satisfacit etiam si non audiatur à socio, & sufficit, vt distinctè proferat suam partem, & aliam partem socij recitantis audiat, quia quod omittit recitando, debet supplere audiendo.

3. Similiter assistẽs in choro, satisfacit Officio, si submissa voce suam partem recitet, ita vt nec à propinquis audiatur, & partem aliorum audit, quia & si non communicet cum eis, quatenus canunt, cõmunicat tamen quatenus recitant. Sed talis non satisfacit debito

debito seruitio Chori, licèt obligationi Officij satisfaciat, quia recitans in Choro, vt satisfaciat debito seruitio Chori, debet cum alijs communicare canendo.

ARTICVLVS XXV.

An satisfaciat suæ obligationi ex Voto; vel ex præcepto debito, si illud recitet, dum se induit, vel spoliat, vel campum aspiciens?

1. R. Sic, quia hic non detinetur in re aliqua exteriori suapte natura incompossibili cum attentione interna.

2. Secus talis occupans se in aliqua re incompossibili cũ intentione interna, vt si inter recitandum legat, vel scribat, aut aliud, tunc non satisfacit præcepto, sed iterum recitare tenetur sub mortali, quia recitans ex Voto, vel præcepto Ecclesiæ aliquas orationes interna attentione recitare tenetur. Sed satisfacit talis etiam si inuoluntariè, & inaduertenter detineatur in re incompossibili, tamen cum attentione requisita recitat, quia talis dicitur inuoluntariè distractus, cũ adsit virtualis attentio sufficiẽs ad satisfaciendum obligationi.

3. Similiter recitans orationes debitas ex Voto, vel ex præcepto sine intentione voluntaria interna; si habet propositum actuale iterum recitandi; non peccat mortaliter, sed venialiter, & tenetur sub mortali easdem orationes persoluere, quia illæ orationes se habent, vt voluntariæ, & orare voluntariè sine attentione non peccat mortaliter, sed venialiter propter defectum indecentiæ, quæ contra Charitatem nõ militat. Et si recitauit partem illarum cum distractione voluntaria; neque grauiter peccat, si habet animum, & propositum virtuale supplendi defectus; quia hic similiter virtualiter non intendit ea recitatione Voto, vel præcepto satisfacere. Et talis recitans Officium mente distracta voluntariè, vltra peccatum tenetur iterum persoluere Officium, quia non erat, sicut decet, cũ attentione interna, nec habet animum iterum legitimo modo orandi, tenetur dum tempus habet, & facultatem id faciendi.

4. Idem dicimus de eo, qui ex Voto, vel præcepto Sacrum audire tenetur, non satisfacit Voto, vel præcepto, si tempore Missæ voluntariè sua mente negotia sęcularia reuoluit, qa nondum corporaliter, sed etiã mentaliter interesse debet Sacro, vt satisfaciat.

5. Tan-

5. Tandem adimplet votũ suum, & satisfacit audiendo dimidiam Missam ab vno, & dimidiam ab alio, quia in iure habetur, quòd audiatur tota Missa integra, quod sic moraliter impletur. Et licèt adimpleat præceptum quo ad substantiam, sed non quo ad modum, ideo non peccat mortaliter, sed venialiter, si sine magna necessitate hoc faciat, quia saltem non audit Missam debito ordine.

ARTICVLVS XXVI.

An recitans diuinum Officium ex voto, vel præcepto si non seruat Ordinem, etiam intra eandem horam, peccet?

1. R. Peccare venialiter, quia non obseruat consuetudinem, & modum præcepti. Non tamen mortaliter, nec tenetur repetere, quia adimplet præceptum quo ad substantiam. Imò nec venialiter, dum facit ex iuxta causa, quia modus præscriptus est, nisi aliter postulet iusta causa, etiam si peruertit ordinẽ horarum, secluso contemptu, & scandalo, & iusta causa peruertit ipsam horam, potest implere, quia ille rem præceptam implet secundùm substantiã, licèt in accidẽtali modo peccet.

2. Vnde Religiosus, vel Clericus, serò ad Chorum veniẽs, non tenetur recitare, quod à Choro dictum est, si non multùm processum est, quia sicut in Missæ auditione, ita & in Officio Canonico omissio modici æstimari non solet, maximè cùm propter societatis vinculum, alij cantantes vnius defectum supplere censeantur.

3. Similiter recitans Officiũ in Choro, si aliquid omittat, potest differre repetendum, expleto Choro, si est quid notabile. Idem est si dormiens, & si pars est exigua, aliquid loco illius recitare poterit, quia non in potestate persoluentis partes notabiles immutare, sed iuxta præceptum præscriptum recitare debet.

4. Tandem alicui in aliquo casu, & iusta causa recitatis psalmis matutinis, prosequi laudes absq; recitatione lectionũ licet, supplendo postea omissa si aderit commoditas, quia iste ex iusta causa non seruat ordinem.

ARTICVLVS XXVII.

An qui tenetur ex voto, vel præcepto ad Officium diuinum, non valens recitare partem notabilem, teneatur ad illam?

1. R. Non, quia illæ horæ sine notabili parte

 re

te recitata non sunt horæ Canonicæ, sed Officium diuinū, quod sola Ecclesia præcipit. Et si credit integram aliquam horam, etiam minimam, scilicet Tertiam, recitare posse, licèt alias horas non possit, tenetur illam recitare, quia quæuis hora per se est Canonica Oratio à reliquis Officij partibus diuidua.

Vnde omittens Breuiarium, & in Matutinis alicuius feriæ omnes psalmos memoriæ sciat, sed tres lectiones, & responsoria nesciat, obligatur ad psalmos recitandos, quia tunc pars, quæ omittitur, non est notabilis. Secus de Matutinis nouem lectionum, quorū omissio notabilis cēsetur, quare qui eam partem recitare nequit, à toto matutino excusatus esse videtur.

3. Verùm in horis Canonicis minoribus pars notabilis est totum principium vnà cū psalmo, & sic omittens in Prima, vel Tertia, vel Sexta, vel Nona totum principium vna cum psalmo, peccat lethaliter, quia est tertia pars illarum. In horis verò paruis, medietas, & non tertia pars est materia notabilis, quia quantitas notabilis non solùm pensanda est per ordinem ad id, cuius est pars, sed etiam secundùm se. Alij dicunt totam horam paruam esse materiam grauem, non autem tertiam partem, vel medietatem, quia hora parua de se est modica, & leuis. Sed verius, & securius est tertiam partem vnius horæ paruæ esse materiam notabilem, quia tertia pars vnius horæ paruæ est pars notabilis respectu lōgitudinis, & breuitatis huius horæ.

4. Tandem certus de Voto, vel iuramento recitandi horas Canonicas, si sit dubius, an illa die recitauerit illas, tenetur recitare, quia cùm executio obligationis est dubia, stat præsūptio, & possessio pro obligatione voti, vel iuramēti. Sed actu recitans, & dubitans, an psalmum, antiphonam, vel quid simile prætermiserit, & obliuiscitur id, quod antea recitauerat, amplius recitare non tenetur, quia aliàs infinitis scrupulis aperitur via.

ARTICVLVS XXVIII.

An qui ex voto tenetur recitare Rosarium, si deuotè illud incipiat, postea inaduertenter distrahatur per bonam partem, teneatur illud repetere?

1. R. Non, quia illa mentis distractio non fuit voluntaria.

2. Nota, quòd attentio requisita ad recitanda ea, quæ obligatione tenemur, est triplex, Superficialis, litteralis, &

Spiritualis, & vna ex his sufficit, vt attentè, & deuotè recitare dicamur. Prima Superficialis, est ad verba, vt rectè, & integrè proferantur. Secunda Litteralis, est ad verborum sensum, seu intelligentiam. Tertia Spiritualis, est ad Deum, vt si dum lingua profert, spiritus pia meditatione alicuius mysterij circa vitam Christi, vel rei postulandæ necessitate occupatur; *ita D. Th. 2. 2. q. 83. ar. 13.*

3. Rursus nota, quod attentio est triplex, scilicet Actualis, Virtualis, & Habitualis. Attentio actualis est, qua quis actualiter attendit ad verba, vt rectè, & integrè proferantur, vel ad sensum verborum, vel ad piam meditationem Passionis Christi, vel diuinitatis. Virtualis est, cùm quis attendit ad supradicta, & virtute istius attẽtionis recitãs, prosequitur orationem, quamuis inter orandum inuoluntariè distrahatur. Habitualis est, dum quis recitat aliquod ex habitu, & vsu nihil ad illud aduertẽs, vel nulla præcedente aduertentia in principio, vt si quis canat, & recitet in somnis Psalmos ex habitu, iuxta quem in vigilia canere consueuit.

4. Vnde attẽtio actualis est sufficiens ad satisfaciendum pensum obligationis, quia est maxima attentio: non tamen necessaria, nec obligari, quia difficillimum est eam semper habere. Virtualis est sufficiens ad satisfaciendum Officio diuino, quia in ea adhuc durat vis actualis attentionis ad satisfaciendum cuicunque orationi debitæ. *ita D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 13.* Verùm actualis attentio solet expresè, vel tacitè reuocari; expresè dum non vult attendere, tacitè, dum recitans, vel exequens opus aduertit se distractum, & tamen non repellit distractionem, nec reuocat mentem ad attentionem. Ideò attentio actualis nisi expresè, vel tacitè reuocetur, durat in processu orationis, vel alterius operis incepti.

5. Sed habitualis non est sufficiens ad satisfaciendum obligationi, quia quod fit ex sola attentione habituali, non fit liberè, & voluntariè, ita quod attentio in initio recitandi preces obligatorias, licet non requiratur formalis expressa, & explicita, benè tamen tacita, & implicita, quia sufficit, quod in genere intendat recitare Officium modo consueto.

6. Et sic Religiosus, vel Clericus, qui dum signum ad officium datur, ad Chorum de more vadit, vel si priuatim recitet, de more accipit Breuiarium, licèt non expresè proponat attentè recitare Officiũ, suæ tamen satisfacit obligationi sic recitando, quia iam ha-

bet attentionem tacitam, & implicitam deuotè, & attentè de more persoluere diuinum Officium.

ARTICVLVS XXIX.

Quenàm attentio requiratur, dum auditur Sacrum?

1. ℞. Quòd potest attẽdere ad ea, quæ dicit, aut facit Sacerdos, vel ad Deũ ipsũ, cui sacrificiũ offertur, vel diuina arcana in Missa significantia, vel beneficia, quæ per Missæ sacrificium cõferuntur. *Ita D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 13.*

2. Vnde qui per tertiam partem Missæ confabulatur, non satisfacit præcepto de audienda Missa in die festo, quia hic solùm corporaliter assisteret, non autem mẽtaliter. Sed aliqua colloquia si admisceãtur in parua materia, adimplet præceptum, sed peccat venialiter, quia res diuina non ita religiosè auditur. Benè tamen satisfacit præcepto recitans in illius auditione ea, ad quæ ex præcepto, vel voto, vel pœnitentia sacramentali tenetur, quia huiusmodi Oratio non impedit præsentiam; neque attentionem, cùm assistat ibi contemplando diuina.

3. Similiter peccat mortaliter omittens in die festo partẽ Missæ notabilem, scilicet dimidiam, vel tertiam partem Missæ, quia hæc est natura virtutis moralis simpliciter necessaria, vt est Missa, vt in materia graui obligat sub mortali, in leui verò sub veniali. Omittens autẽ à principio Missæ vsq; ad Epistolam inclusiuè, non peccat lethaliter, quia hæc omissio nõ censetur notabilis. Sed peccat omittens à principio simul, & Euangelium. Sed probabilius secundùm aliquos peccare mortaliter omittẽs à principio vsque ad Epistolam inclusiuè, cùm sit pars notabilis, quia omittere quartam partem Missæ non est peccatum, sed talis omissio est maior quarta parte.

4. Ita etiã, qui omittit Missam vsque ad Euangelium inclusiuè, non satisfacit præcepto, etiam si extra Missam legat, vel attentè audiat partem illam omissam, quia per hanc lectionem non efficitur pars Missæ. Neque qui non adest oblationi, vel consecrationi, vel communioni; licèt adsit alijs partibus, quia eleuatio hostiæ est res grauissima pertinẽs ad substantiam Sacrificij. Et si audit vsque ad communionem exclusiuè, adhuc peccat lethaliter, quia communio pertinet ad substantiam Sacrificij.

5. Benè tamen satisfacit assistens sacrificio Missæ, & præ multitudine populorum, nec vidit, nec audit celebrantẽ, dũ

moraliter mẽte, & corpore intersit, quia in iure audire Missam accipitur pro interesse cũ deuotione. Sed non satisfacit audiẽs simul Missã ab vno Sacerdote vsq;ad cõsecrationẽ,& ab alio eodẽ tempore vsq;ad finem, quia impossibile est esse simul res successiua,& illæ duę partes non possunt reputari tãquam partes eiusdem Missæ, etiam moraliter. Verùm inseruientes Missæ satisfaciunt præcepto, si toti Missæ non adsint, quia non præsumuntur moraliter abesse, dum hæc fiunt in sollemnitatem Missæ. Sed si confitetur peccata tempore Missæ, non satisfacit obligationi, quia hic non videtur assistere per modum Orationis, vt Ecclesia præcipit.

6. Tandem nauigantes non tenentur audire Missam siccã in mari, quia non extat præceptum, cùm non consecretur Corpus Christi. Eadem ratione non peccant occurrente festo aliquo in die Parasceue, qui non assistunt illi ceremoniæ Ecclesiasticę, quia ita Sacra Congregatio Rituum declarauit.

ARTICVLVS XXX.

An Confessor tempore Iubilæi possit vota commutare?

1. R. Sic, quia iam probatum fuit in superioribus quæstionibus.

2. Nõta, quòd quando votum per Confessorem vi Iubilæi, vel aliũ per aliud priuilegium commutatur, idest, determinat materiã voti in hoc casu, non esse congruam voti materiam,& ideò subrogat aliã loco illius, & per consequens votum commutat.

3. Et quamuis res, quæ vouetur, sancta reputatur, & cõmutari non potest, vt calix cõsecratus manẽte consecratione, vel deputatione ad vsum sacrum, non potest commutari in melius, vel in peius. Sed ablata illa forma, vel deputatione ad cultum diuinum per auctoritatem Ecclesiasticam, potest vendi, emi, & locari ad vsus prophanos: vt Religiosus Professus, vt Professus, est obstrictus voto Castitatis; si auctoritate Pontificia desinit esse Religiosus, potest esse coniux, & ex matrimonio licitè filios procreare.

DIS-

DISQVISITIO LIX.

De Votorum, & Iuramentorum Dispensatione.

ARTICVLVS I.

An Prælatus ordinarius, & Confessarij Regulares vi suorum priuilegiorum possint dispensare, & commutare vota fidelium?

1. ℟. Sic, quia cùm quis dispensat in voto, non dispensat in præcepto iuris naturalis, vel diuini, sed tãtum authoritate dispẽsantis fit, vt id, quod continebatur sub voto, nõ cõtineatur, in quantum determinatur in hoc casu, hanc non esse materiam congruam voti, & ideò dispensatio voti non est contra fidelitatem Deo debitam, *ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 2. & 3.*

2. Vnde Confessores Ordinum Mendicantium possunt commutare, & dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi: Vota autem, in quibus possunt Episcopi, sunt omnia, exceptis quinque, scilicet *perpetuę Castitatis, Religionis, peregrinationis Hierosolymitanę, Romanę, & Compostellanę, quia ita concessit Innocentius XIII.* non autem in votis in præiudicium tertij iam acceptantis, quia tunc præiudicium tertio infertur.

3. Similiter tales Confessores, qui possunt commutare, vel dispensare in votis, etiam possunt in iuramentis Deo factis, quia si conceditur maius vinculum ex virtute Religionis soluere, scilicet votum, ac et iuramentum, quod est minus, *ita D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 8.* Nec non vota fidelium iuramento firmata, etiam independenter à voto, & tantùm concomitãter, quia *ita Concessit Gregorius XIII. Societati Iesu anno* 1575. Imò ne dum sęcularibus Dioecesis, in qua sunt, sed etiã vndequaque venientibus, exceptis reseruatis à Papa, *Ita etiam eidem Societati Paulus III.*

4. Item tales Confessores possunt commutare vota pœnalia circa materiam Papę reseruatam, quia iure ordinario possunt Episcopi, & Confessores per Cruciatam, vel Iubilęũ; ac etiam possunt Regulares *vi pri-*

priuilegiorum Martini V. & Eugenij IV. dispensare, & commutare in votis iure ordinario Episcopo reseruatis.

n. 5. Similiter Episcopi vrgente graui necessitate, & periculo possunt ex tacita concessione dispensare in voto perpetuę Castitatis, & Religionis, quia non est verisimile Papam velle eum, vt animę laqueis irretitę in tanto periculo versentur. Item dicimus de cęteris votis absolutis reseruatis, quia non videtur maior ratio de illis duobus, scilicet perpetuę Castitatis, & Religionis, ac de istis tribus, vrgente necessitate, & periculo. In hoc autem Confessores Ordinum Mendicantium vi suorum priuilegiorũ, etiam vrgente aliqua necessitate nõ possunt dispensare in votis Papę reseruatis, quia Regulares vi priuilegiorum tantùm possunt commutare vota, quę iure ordinario possunt Episcopi; non autem quę per accidens, & ratione solius necessitatis. Verùm si facilis est recursus ad Nuntium Apostolicum, vel ad quemlibet alium simili facultate prędítum, neque Episcopus potest, quia cessante necessitate, & adest potens dispensare, ad quem facilè confugi potest, non valebit Episcopus.

6. Similiter Cõfessores Regulares vi suorum priuilegiorum, & per participationem, cùm sint viri docti, iuxta formam Concil. Trid. ex commissione Prouincialis possunt dispensare in foro conscientię ad petendum debitum cum his, qui consanguineum, vel consanguineam sui coniugis post matrimonium carnaliter cognouerunt, quia *ita Pius V. concessit Frãciscanis anno 1569.* Imò id facere possunt sine commissione Prouincialis, quia *ita concessit Iulius I. Congregationi Sancti Benedicti Vallis Oleti & Iulius II. & Martinus V.* Non autẽ hoc priuilegium habet effectũ cum his, qui spiritualem cognationem contraxerunt, quia cùm sint diuersę rationis impedimenta, non potest concessio vnius ad alterum protrahi.

7. Similiter copula illicita habita cum consanguineis alterius coniugis non impedit petitionem debiti vltra secundum gradum, quia per copulam illicitam non oritur affinitas, maximè cùm semen non est emissum intra vas, non impedit matrimonium *ex Concil. Trid. seß. 24. cap. 4. de refor. matrim.*

8. Item etiam coniux, qui post cõtractum matrimonium factus est affinis, vel cognatus spiritualis alterius coniugis ex ignorantia iuris, vel facti, vel pœnę, non priuatur iure petendi debitum, quia iura prohibent

hibent debiti petitionem, quãdo contracto matrimonio, scienter contrahitur affinitas, vel cognatio spiritualis, *ita cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam. & cap. si vir de cognat. Spirituali*

9. Nota, quòd ignorantia iuris est nescire accessum ad consanguineam vxoris esse prohibitum speciali lege humana, licèt sciat esse prohibitum lege naturę. Ignorantia facti est quando scit legem prohibentem accessum ad cõsanguineam vxoris, sed nescit illã esse consanguineã. Ignorãtia poenę est nescire, huiusmodi coniungere esse priuationem iuris petendi debitum ab vxore, quia ex tali ignorantia excusatur.

10. Item incestuoso cum proprijs consanguineis non interdicitur debiti petitio, quia licèt grauius peccatum, non tamen oritur affinitas cum proprio coniuge. Neque si alter coniux rem habet cum affinibus alterius coniugis, nullo modo alteri coniuncti sint.

11. Item coniux extra necessitatem scienter baptizans, vel confirmans, priuatur iure petendi debitum, si tenuerit tamquam patrinus in Baptismo, vel Confirmatione communẽ filiũ, aut alterius coniugis, quia cognationẽ spiritualẽ sua culpa cum coniuge cõtrahit, *ita D. Th. in 4. dist. 42. q. 1. art. 1.* Secus in necessitate priuatur, quia non debet subire poenam priuationis, vbi sine culpa satisfecit obligationi, *ita D. Tho. loco supra cit.* Sed si suscipit etiam in necessitate tamquam patrinus in Baptismo, vel Cõfirmatione scienter, priuatur iure petendi, quia nullo praecepto cogitur suscipere. Sed oppositum verius, & probabilius est, quia in necessitate vacat culpa esse patrinum, & consequenter nõ incidit in poenam, *ita D. Tho. 3. p. q. 67. art. 8. ad 2.*

12. Nota, quòd cognatio spiritualis est quaedam personarum proximitas proueniens ex statuto Ecclesiae ex hoc, ꝙ quis confert Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, seu tenet, vel suscipit illum, cui tale Sacramentum confertur. Haec. n. affinitas triplex est. Prima paternitatis, quae contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, & inter susceptorem, & ipsum baptizatum, ita etiam in Confirmatione. Secunda est Compaternitatis, quae contrahitur inter baptizantem, seu Confirmantem, ac patrem, & matrem baptizati, vel Confirmati, & inter susceptorem cũ eisdem parẽtibus baptizati, seu Confirmati. Tertia est Confraternitatis, quę cõtrahebatur inter filios carnales suscipientis, & ipsum, qui suscipiebatur in Baptismo, & Confirmatione, & in-

inter filios carnales baptizātis, vel Confirmantis, & ipsum qui baptizabatur, vel illū, qui sacro Chrismate donabatur, ac etiam in suscipiente transmittebatur ad vxorem, & è cōtra, cùm per consummationē matrimonij coniuges fiunt vna caro, & quasi vna persona, *ita 30.q.4.cap.si quis vno.* Et ista cognatio spiritualis nō contrahitur inter susceptores, quia nullo iure id cōstat, & consequēter non arcentur à debiti petitione. Hodiè iure nouo *Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matr.* cessat tertius gradus, scilicet Confraternitatis, & in patre secundus, scilicet Compaternitatis, quia non est cognatio spiritualis viri tenentis aliquē puerum in Baptismo, vel Confirmatione ad vxorem, nisi similiter, & ipsa tenuerit ipsum puerum.

13. Item cognatio legalis superueniēs matrimonio non impedit debiti petitionē, quia nullo iure constat: vt debiti petitio in eo casu impediatur. Verum affirmatiua sustineri potest, tamen secundum hanc sententiam interdicitur Confessoribus Regularibus vi suorum priuilegiorum posse cum istis dispensare ad debiti petitionem; quia Episcopis non iure ordinario sed speciali cōcessum est. Cognatio autem legalis est adoptio, quæ est legitima assumptio extraneæ personæ in filium, & filiam, *ita D. Thom. in 4. dist. 42. quæst. 2. art. 1.* in triplici linea reperitur. Prima est recta inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati vsque ad quartum gradum. Secunda est transuersalis inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Tertia est per modum cuiusdam affinitatis legalis inter adoptantem, & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis; & cognatio hæc legalis impedit, & dirimit matrimonium inter personas recensitas.

14. Vnde inualidū est matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati vsque ad quartum gradum, & hæc semper impedit, etiam si adoptio dissoluatur. Item etiam est nullum inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & odoptantem; & hæc etiam semper dirimit, & impedit, etiam si adoptio sublata sit. Item est nullum inter filios, seu filias adoptantis, & adoptatum, seu adoptatam: & hæc impedit, & dirimit quādiu durat, scilicet quandiu filij, & filiæ adoptantis sub illius potestate existant, *ita cap. de cognat. legal.* Et sic infertur, quod si filij adoptantis emancipentur, vel si pater eorum moriatur,

poterunt cõtrahere cũ adoptatato, vel adoptata, quia *ita cap. vnico de cognat. leg. gl.* Ita etiam filius adoptantis potest matrimonium contrahere cum filia adoptati, quia nulla intercedit cognatio inter has personas. Et quando plures adoptati sunt ab vno, & eodem, possunt adoptati inter se inire matrimonium, quia in iure non est expressum, quòd inter ipsos adoptatos inter se cognatio intercedat.

15. Item nõ solùm Episcopi, sed etiam Regulares Cõfessores vi priuilegiorum possũt dispensare ad petendum debitum cum coniuge, cui petitio est interdicta ratione affinitatis cõtractæ cum altero coniuge, quia licèt ratione iuris nõ possint Episcopi, tamen ratione cõsuetudinis prescripte id possunt, *& ita est praxis, ita cap. cùm cõtingat de foro competenti.* Etiam post contractum matrimoniũ, & quando contraxit affinitatẽ spiritualem, quia id etiam consuetudine præscripta obtinuit Episcopus. Etiam baptizando extra casum necessitatis filium cõmunem, vel alterius coniugis, quamuis ad quoscũq; potens dispensare sit facillimus aditus, quia licèt hæc facultas ordinem duxerit ex necessitate medendi periculo incontinentiæ coniugum, attamen ea potestas ex consuetudine concessa est Episcopis.

16. Item Episcopus potest dispensare cum eo, qui Voto Castitatis adstrictus matrimonium contraxit, vt petat debitum, quia in iure consuetudo præscripta iurisdictionem præbet, etiam nondum matrimonium consummatum, vt petat debitum, quia hic non tenetur ingredi Religionem, & post bimestre reddere debitum, & cõsequenter potest Episcopus dispẽsare, vt hic tali Voto ligatus debitum petat; & durũ est contrarium dicere, quia non tenetur Votum Castitatis cum tanto dispẽdio implere, nisi spõtè voluerit. Et quia Confessores Regulares vi suorum priuilegiorum possunt dispensare in omnibus Votis, in quibus possunt Episcopi, & tales Cõfessores Regulares possunt etiã dispensare cum altero coniuge, qui post matrimonium consummatum vouit Castitatem, siue ex licentia alterius coniugis, siue illo inscio, vt licitè petat debitum. Sed si vouerit ante matrimonium vnitum, & ante consummationem eius, non possunt dispensare, quia potest Religionem, & Castitatem, quam vouit, obseruare, & ingredi Religionem.

17. Tandem Episcopus, & Confessores Regulares non non possunt dispensare in Voto Castitatis emisso ab vtroq; co-

coniuge de communi consensu per modum cõtractus, quia est Votum absolutæ, & integræ Castitatis, & obligat vtrúq; prorsus ad petendum, & reddendum debitum. Sed si fortè inter coniuges sit periculum incontinentiæ, & non est facilis accessus ad Papam propter paupertatem: potest Episcopus tantùm dispensare, quia si in absolutis obstrictus cum tali Voto generaliter vrgẽte necessitate periculi, Episcopus dispensare potest, multo magis cum coniugatis ad petendum; At Confessores Regulares vi suorum priuilegiorum in isto casu non possunt dispensare, quia isti possunt dispensare in omnibus votis Episcopo reseruatis de iure ordinario, & cõmuni, & non quæ ex speciali iure, & quadam benignitate Episcoporum, in quibus permittitur propter electam industriam personæ; vt dictum est satis supra.

F I N I S.

Laus Deo, eiusq; Beatissimæ Genitrici Mariæ, Beati Dominici Patris nostri, & D. Thomæ Angelico Doctori. Amen.

Hæc meditare, in his esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus.

D. Paulus Prim. ad Timoth. cap. 4.

INDEX RERVM NOTABILIVM SERIE ALPHABETICA DIGESTVS

Primus numerus Disquisitiones, secundus Articulos, tertius Sectiones designat.

A

ABBAS.



ABSOLVTIO.

Abso-

Abso-

Attri-

ASSI-

BEL-

BELLVM.

BENEFICIVM.

pore

Cen-

Cha-

CLA-

Con-

Con-

Con-

CONTRITIO.

Con-

Con

Dia-

DI-

DV-

cessis

Eu-

Eucha-

Exor-

Ex-

Hæ-

Ieiu-

ILLE.

Im-

Ingra-

Irre-

lare.n,

Irre-

IVRAMENTVM.

Iura-

M

MACVLA.

Metus

MONIALES.

Mo-

NEGO-

Ordo

Or-

VIA-

Vota

VOVENS.

rores

FINIS.

In honorem Dei Omnipotentis, Beatæ Mariæ Sanctissimi Rosarij, Beati Dominici Patris nostri, & S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Amen.



